PETRI ABÆLARDI

OPERA

HACTENUS SEORSIM EDITA NUNC PRIMUM IN UNUM COLLEGIT
TEXTUM AD FIDEM LIBRORUM EDITORUM SCRIPTORUMQUE RECENSUIT
NOTAS, ARGUMENTA, INDICES ADJECIT

VICTOR COUSIN

ADJUVANTIBUS C. JOURDAIN ET E. DESPOIS

PHILOSOPHIÆ ET LITTERARUM IN ACADEMIA PARISIENSI PROFESSORIBUS

TOMUS PRIOR

PARISIIS
PROSTANT APUD AUG. DURAND
VIA DICTA DES GRÈS, 5

—

MDCCCXLIX

LECTORI VICTOR COUSIN.

Quindecim fere abhinc annis, in prologo qui præmittitur operibus dialecticis Petri Abælardi tunc primum editis[1], professores illos philosophiæ non ita paucos, qui nunc apud nos vigent, et quibus curriculum aperuisse lætor et glorior, vehementer hortabar ut sparsa Abælardi scripta hinc inde in unum colligerent, et sic de philosophia simul et de patria bene mererentur. Sed quum præterlabentibus annis nullus appareat qui se gerat Abælardo vindicem et respondere votis meis paratum, ipse cogor suscipere neglectum onus, et post tot labores, dumque alii ac multi defesso mihi nec jam integro etiam incumbunt, laborem insuper aggredi novum, quem recusare videntur juniores. Incertum an perficiam, his præsertim temporibus quæ vitam mentemque misere distrahunt. At vires forsan sufficiet amor ille philosophiæ qui, quum me juvenem inflammaverit, fovebit, ut spero equidem, senescentem invalidumque sustinebit.

Non hic locus est disserendi de Petro Abælardo, quum ipse in *Prologo ineditorum operum* doctrinam illius, tum philosophicam tum theologicam, exposuerim et perpenderim, vitam autem vir amicissimus Carolus Remusat ita depinxerit ut ingenioso et doctissimo libro[2] quidquam addere sit difficillimum. Ceterum in promptu sunt luculentissimæ et omni genere eruditionis refertæ Andreæ Quercetani Turonensis ad *Historiam calamitatum* notæ, quas hic[3], nec sine quibusdam additamentis, prelo iterum expressas invenies. Id unum volo in hac præfa-

[1] Ouvrages inédits d'Abélard, in-4°, 1836, *Introduction*, p. vi. — [2] *Abélard*, 2 vol. in-8°, 1845. — [3] Infra, p. 38-71.

tiuncula, scilicet ut, pro jure officioque novi editoris, quid mihi proposuerim et quemadmodum perfecerim quam brevissime notum faciam.

Dum fere omnes, qui in illa mediæ ætatis nocte præfulserunt, philosophi, ut aiunt, scholastici invenere laudis suæ præcones, quibus nihil antiquius fuit quam eorum scripta eruere, nitori suo restituere, et promere in dias luminis auras, non modo collecta diligenter, sed sæpe partibus aucta et adornata non suis, ille Abælardus cujus nomine Gallia et omnis Europa sæculo duodecimo personuerunt, qui de summis ævi sui magistris triumphum egit, sectæ novæ conditor, et facile princeps omnium quæ tunc Parisiis habebantur scholarum, vix etiamnunc publici juris dici potest, quippe cujus opera huc et illuc dissipata non sine quodam labore et impensis sat magnis contrahere et tibi comparare queas. Procul absit ut prægravem et invidiose carpam editionem Abælardi quam protulit initio sæculi decimi septimi Fr. Amboesius, conferente operam doctissimo Andrea Quercetano[1]. At patet illam omnino mancam esse; nempe in ea desiderantur tot et tanta Palatini scripta, *Theologia christiana*[2], *Expositio in Hexameron*[3], *Ethica*[4], et plura alia[5] quæ nostra ætas identidem detegit, quæque aut ignoravit aut nescio qua ratione omisit Amboesius. Existimavi igitur rem fore prorsus utilem nec ingratam litterarum amicis, si disjecti membra magistri recolligerem, et industria mea privatisque opibus, quales philosophi et professoris esse possunt, quoddam exigerem

[1] Petri Abælardi, filosofi et theologi, abbatis Ruyensis, et Heloisæ conjugis ejus, primæ Paracletensis abbatissæ, opera, nunc primum edita ex mms. codd. V. illust. Francisci Amboesii, etc. Parisiis, 1616, in-4°. — [2] Petri Abælardi theologia christiana, in Thesauro novo anecdotorum, t. V, p. 1139. — [3] *Ibid.*, p. 1361. — [4] Petri Abælardi Ethica, seu liber dictus : Scito te ipsum, in Thesauro novissimo, t. III, p. II, p. 626. — [5] Petri Abælardi Dialogus inter philosophum, Judæum et Christianum; edidit Rheinwaldt; Anecdota ad historiam ecclesiasticam pertinentia, particula I, Berolini, 1831.—Petri Abælardi Epitome theologiæ christianæ; edidit Rheinwald; Anecd., etc., partic. II, Berolini, 1835. — Ouvrages inédits d'Abélard, pour servir à l'histoire de la philosophie scholastique en France, Paris, in-4°, 1836. Præcipua quæ ibi tunc primum luci tradebantur opera, ea sunt: 1° Petri Abælardi Sic et non; 2° ejusdem dialectica; 3° ejusdem fragmentum de generibus et speciebus; necnon alia multa philosophiam quam dicunt scholasticam plurimum illustrantia.

monumentum in honorem summi philosophi et professoris. Quod consilium quum aliquando mente agitassem, seque mihi in laborum consortium et levamen accessuros promisissent optimi juvenes, Carolus Jourdain et Eugenius Despois, qui egregie philosophiam et litteras in academia Parisiensi docent, tandem operi strenue manum admovi, et nunc hasce offero studiorum nostrorum primitias.

Primo lectorem monitum velim huic nostræ editioni ita supponi et quasi substerni Amboesianam, ut scripta quibus illa constat hic reperiantur omnia, excepto libro *Adversus hæreses*, qui spurius nunc omnium voce conclamatur. Scriptis autem istis cetera adjunxi quæ exhinc ad nostra usque tempora quoquomodo lucem videre. Imo et enixe conatus sum nova quædam antea repertis addere; et proinde nonnulla hic afferuntur anecdota nequaquam aspernanda : 1° *Hymni* ab Abælardo compositi in usum virginum monasterii Paraclitensis, quos in Bruxellensi bibliotheca invenit Oehlerus, morte infeliciter interceptus priusquam eos in lucem proferret; 2° *Prosa* de Beata Virgine, diversa a prosa ejusdem tituli quam dat Amboesius; 3° *Duo sermones*, alter de sanctis Innocentibus, alter, dimidia parte ineditus, de sancto Stephano protomartyre; 4° *Fragmentum* tertii libri *Introductionis ad theologiam*; 5° *Fragmenta commentariorum in Psalmos et in Epistolas sancti Pauli*. Ergo collecta in unum lector habebit omnia quæ exstant Abælardi opera, sepositis tamen libris dialecticis et philosophicis, quos olim edidi forma omnino illi eadem qua nunc prodeunt hæc duo volumina.

Deinceps dicendum est quo ordine quæsita illa et contracta omni ex loco scripta disposuerimus. Prima fronte nihil videtur rationi magis consentaneum quam si rerum et materiarum ordinem sequamur; verum inde fit necessario ut multa divellantur et quasi distorqueantur quæ eodem confecta tempore, et ad eumdem finem spectantia, omnino nequeunt nisi cum gravissimis incommodis dissociari. Rursus et ordo temporis modo res connectit diversas, modo dissipat naturali nexu

devinctas; præterquam quod non ita facile sit satis affirmate statuere quo tempore opera quædam composita fuerint. Via igitur alia et tutior inquirenda erat. Dudum autem medio in labore jam succurrerat bene multa scripta Abælardi, materia aut tempore discrepantia, illo tamen vinculo conjungi quod ad Heloissam cuncta pertineant. Inde peculiaris quædam series operum, ubi vicissim affectus moventur quam tenerrimi et quæstiones theologicæ tractantur arduæ et subtiles, et diversissima illa, eodem inscripta nomine, sic in quamdam unitatem coalescunt. Quem ordinem, quum ipse mihi quasi obviam iret, non repudiandum putavi, et istiusmodi scriptis, pauculisque aliis argumenti non dissimilis, complevi hoc prius volumen. Quibus sublatis et seorsum positis, jam ea tantum in manibus erant opera theologica quæ primum in Senonensi, postea in Suessionensi concilio condemnata, et fulminibus divi Bernardi perculsa et quasi obruta, restitere tamen, et novitate methodi audaciaque sententiarum rem scholasticam moverunt promoveruntque, et proinde omnino digna sunt quæ philosophi simul et historici attente perscrutentur. Ea autem, uno et eodem tincta colore, ad alterum et posterius volumen certo fuerunt remittenda.

Nunc vero, si accuratiorem a me exiges hujus editionis rationem, dicam quæ singula ordinatim in hoc priori volumine afferuntur : primo celeberrimæ illæ *Abælardi et Heloissæ Epistolæ;* secundo *Epistola ad Virgines Paraclitenses de studio litterarum*, quæ simul attinet tum ad ultimam Epistolarum ad Heloissam, tum ad ea quæ sequuntur problemata; tertio *Problemata Heloissæ cum solutionibus Abælardi;* quarto *Hymni* rogatu Heloissæ et in usum Virginum Paraclitensium compositi; quibus annectuntur *Abælardi carmina* undecumque collecta, et *Prosa* de Beata Virgine hic primum typis mandata; quinto *Sermones* conscripti etiam rogante Heloissa et in usum monasterii Paraclitensis, prout fert præfatio, id est *Epistola ad Heloissam;* quamvis

plurimi sermonum istorum in alium quoque usum certe destinati fuerint; sexto *Epistola ad divum Bernardum*, cui locum dedit unus ex prioribus sermonibus; septimo *Expositio in Hexameron*, sive in exordium Geneseos, quam se scripsisse ait Abælardus ut morem gereret Heloissæ et ejus filiabus; octavo *Fidei confessio ad Heloissam*, cum quibusdam aliis opusculis.

Ut autem hic omnia lector habeat quæ historiam Abælardi, Heloissæ et Paracliti illustrant, selegimus et in *Appendice* iterum typis excudi voluimus multa illuc pertinentia, quæ jam ediderat Amboesius, scilicet *Epistolam Fulconis, prioris de Diogillo; Elegiam, qua Hilarius Petri Abælardi discipulus plangit recessum præceptoris sui ex Paraclito; quatuor Epistolas Petri Venerabilis et Heloissæ de morte Abælardi et de filio Astralabio; Epitaphia Abælardi et Heloissæ; Litteras et diplomata summorum Pontificum ad Heloissam Paracliti abbatissam;* denique *seriem Abbatissarum Paraclitensium*, quam præbet *Gallia Christiana* Amboesiana ampliorem.

Hæc sunt quæ prior hic tomus amplectitur. In posteriori agmen aget *Introductio ad Theologiam*, quam mox insequetur *Epistola ad G. Episcopum Parisiensem*, qua *Introductionem* Abælardus contra Roscellinum acerrime tuetur. Postea venient *Commentarius in Epistolam Beati Pauli ad Romanos*, *Theologia Christiana*, *Ethica*, *seu liber: Scito te ipsum*, *Dialogus inter philosophum, Judæum et Christianum, Professio fidei* longe diversa ab illa quam scripsit ad Heloissam, necnon quædam *Fragmenta*. Nec deerit isti quoque volumini *Appendix* varia non parvi momenti continens: *Epitomen Theologiæ Christianæ*, quæ saltem Abælardi doctrinam refert; *Propositiones* in Senonensi concilio damnatas; *Apologeticum* Abælardi a discipulo Berengario Pictaviensi scriptum. Denique toti operi subjungentur indices rerum et præsertim nominum, in eorum usum inprimis concinnati qui scire gestiunt quæ scripta, antiqua vel recentiora, in manibus doctorum hominum duodecimo sæculo

versari solita sint, ut inde lucem aliquam eliciant obscuris illis temporibus adhibendam.

Forsan et addere licebit nihil me et juvenes optimos qui mecum laboraverunt intentatum reliquisse ut perquam commoda et accurata esset hæc editio. Textum Amboesianum contulimus cum codicibus manuscriptis, quotiescumque tale auxilium ex Bibliotheca Parisiensi, aut Turonensi Trecensive nobis parare potuimus. Locos auctorum quos laudat Abælardus, omnes aut fere omnes sedulo indagavimus, et paucissimi sunt quorum fontes non hic afferantur, seu inscii et aliud agentes eos omiserimus, seu invitos et frustra inquirentes fefellerint. Imo præmisimus libro cuique præfatiunculam breviter exponentem qua occasione natus sit, quo scriptus consilio, quinam docti viri illi edendo aut illustrando insudaverint, et qui aliquando codices a nobis illius emendandi gratia fuerint explorati.

Pluribus lectorem morari supervacaneum est. Id unum erat in votis et nunc quoque superest exoptandum, scilicet ut hæc Abælardi editio quæ tantum temporis impensæque absumpsit, et hodie in lucem infaustis prodit ominibus, civiles inter discordias quæ Galliam nostram et Europam fere omnem exagitant faciuntque ab his studiis aversas, saltem haud indigna videatur quæ longo licet intervallo comes addatur Benedictinis illis philosophorum scholasticorum editionibus, quas diurna nocturnaque manu versavi, et quarum mihi sobriam eruditionem ut æmulari pium officium visum est, sic in memoriam aliquantisper revocavisse summa laus foret et merces gratissima.

Dabam Parisiis, in ædibus Sorbonæ, mense octobri, MDCCCXLIX.

MAGISTRI[1]

PETRI ABÆLARDI[2]

ET

HELOISSÆ CONJUGIS EJUS

EPISTOLÆ.

Dum Abælardus, Sancti Gildasii abbas, vitam in periculis et anxietate continua traheret, ad amicum miseriis quoque conflictatum, longas de calamitatibus suis litteras misit, quæ quum in Heloissæ, jam in secessu Paracleti degentis, manus incidissent, ea vehementer commota statuit ad Abælardum scribere epistolam, qua solliciti animi ægritudines conjugi significaret. Cui quum paulo post Abælardus rescripsisset, commercium litterarum inter se habere inceperunt, ut de amoribus præteritis primum, dein de theologia, historia disciplinaque sacra colloquerentur.

Eæ sunt celeberrimæ Heloissæ et Abælardi Epistolæ, quas primus post Amboesium edidit Rawlinson[3], ad codicis manuscripti fidem, ut ipse prædicabat, recensitas atque emendatas. Codices Abælardi operum quum sint rariores et textus ab Amboesio datus non adeo purus videretur, nova editio eruditorum studia a principio non mediocriter commovit et deinde aliquo in pretio esse non desiit. Rawlinson vero codicis quem in manibus se habuisse gloriatur, formam describere omittit, declaratque tantum sibi « hunc mutuo datum » ab amico « cujus nomen malus pudor celat. » Præterea si ad hoc attendimus, quod lectiones ab eo propositæ multum a priore textu abhorreant neque cognitis antea codicibus confirmentur, et ad loca vere corrupta nunquam pertineant, non arbitrari non possumus editorem nullo codice usum fuisse mendaciumque sibi adornavisse, ut fidem lectionibus fictitiis faceret, quas ex conjectura in Amboesianum textum inseruisset. Ea est Orellii opinio qui in editorem doli mali convictum acerrime invehitur[4] : « Magnam quum hic promissor mihi expectationem movisset, post primam paginam accuratius examinatam statim intellexi mendacissimum hominem et nequam fuisse istum Rawlinson, neque quidquam præter ridiculas atque levissimas interpolationes obtendere voluisse lectoribus, ut Bentleium in mediæ ætatis scriptore fortasse æmularetur. » Nullo modo igitur ad textum constituendum iis lectionibus a Rawlinson allatis uti potuimus; eas tamen huic editioni subjunximus, quum ingeniosæ nobis viderentur.

[1] Vide Quercetani notam I. — [2] Vide notam II. — [3] *Petri Abælardi abbatis Ruyensis et Heloissæ abbatissæ Paracletensis Epistolæ, a prioris editionis erroribus purgatæ et Cod. Ms. collatæ* cura Ricardi Rawlinson, Londini, 1718, in-8°. — [4] *Magistri Petri Abælardi Epistola quæ est Historia Calamitatum suarum ad amicum scripta. Heloissæ et Abælardi Epistolæ quæ feruntur quatuor priores.* Additis Codd. Amboesii et Rawlinsonii variis lectionibus. Edidit J. Gaspar Orellius. Turici, 1841, in-4°. Cf. *Rerum gallicarum Script.*, t. XIV, p. 278.

Minus etiam aut potius nihil opis nobis fuit in editionibus quibusdam aliis, in quibus Epistolæ Abælardi et Heloissæ cum gallica translatione in lucem prodierunt[1]; interpretationem enim magis curæ habuerunt editores quam textum, quem, licet se emendaturos esse polliciti essent, omnino neglexere.

Spem fructus amplioris nobis fecerat ab Orellio data Calamitatum Historiæ et priorum quatuor epistolarum recensio. Vir autem eruditissimus quum nullum in potestate codicem haberet, emendationes quæ potuissent videri incertæ omisit, et solummodo operam dedit ut textum Amboesii fideliter transcriberet.

Itaque quum nulla esset litterarum Abælardi critica editio quam sequeremur, textus emendandi munus pro virili parte suscipere debuimus. Tres vel plures codices recensuerat Amboesius « quorum unum nactus erat in Armorica..... alterum ex Philippo Portæo, abbate tyronio, poeta ei amicissimo, tertium ex monasterio paracletensi. » Quo isti codices abierint incertum est, nisi unus aut alter idem sit ac codex regius 2544, qui Francisci Amboesii nomen præfert. Præter codicem illum, qui non decimo sexto sæculo anterior est et ubi multa desunt, sed in quo uno ex iis quos novimus regula sanctimonialium continetur, duos codices alios recognovimus e bibliotheca regia parisiensi 2545 et 2923, et tertium insuper e bibliotheca trecensi 802, qui videtur antiquissimus. Codex regius 2923 Francisci Petrarchæ fuit, cujus etiam manu nonnulla initio exarata fuisse putantur. Scripturæ decor atque emendata textus sinceritas dignum possessore antiquo præstat. Duos habet insuper bibliotheca regia codices sangermanenses; sed ad septimum decimum sæculum vel ad finem sexti decimi referendi sunt, et auctoritate carent. Post nonnullas paginas perlectas recensionem horum, ut inutilem, prætermisimus. In notulis et variis lectionibus omnes codices sic sunt designati : Littera A indicat codicem 2544; B cod. 2545; C cod. 2923; D. cod. trecensem; Amb. MS. varias Amboesii lectiones; RMS. eas quas Rawlinson proposuit. Quasdam quoque notulas nobis suppeditavit codex gallicus e bibliotheca regia 7273[2], in quo interpretationem litterarum Abælardi Joanni poetæ, vulgo Jean de Meung, ascriptam et nondum in lucem editam invenias.

Litteris Abælardi et Heloissæ addiderat Amboesius argumenta, quæ in nostram editionem retulimus. Luculentas etiam Andreæ Quercetani notas de *Historia Calamitatum*, quamvis longiores sint, inseruimus, quibusdam tamen emendatis et catalogo abbatissarum Paracleti in appendicem rejecto.

Miram quamdam Orellius opinionem attulit quam ob auctoris nomen non possumus præterire. Arbitratur *Historiam Calamitatum* scriptam utique ab Abælardo plenamque illi fidem esse tribuendam; sed *Litteras* subdititias esse posse suspicatur. Quibus allatam opinionem argumentis confirmare possit gravissimus judex, nescimus. Obstant non modo codicum testimo-

[1] *Les véritables Lettres d'Abaillard et d'Héloïse, tirées d'un ancien manuscrit latin trouvé dans la bibliothèque de François d'Amboise, conseiller d'État*, traduites par l'auteur de leur vie (D. Gervaise), avec des notes historiques et critiques très-curieuses. Paris, 1723, 2 vol. in-12. – *Lettres d'Héloïse et d'Abailard*, nouvelle traduction, avec le texte à côté, par J. Fr. Bastien. Paris, 1782, 2 vol. in-8°. – *Lettres d'Héloïse et d'Abailard*, édition ornée de huit figures, etc. Paris, 1796, 3 vol. in-4°. – *Ancienne Héloïse, manuscrit nouvellement retrouvé des lettres inédites d'Abailard et d'Héloïse*, trad. par de Longchamps et publ. par A. de Puyberland. Paris, 1823, 2 vol. in-8°. – *Abailard et Héloïse, avec un aperçu du* XII[e] *siècle, etc.*, par F. C. Turlot. Paris, 1823, in-8°. – *Lettres d'Abailard et d'Héloïse*, traduites sur les manuscrits de la Bibliothèque royale, par E. Oddoul. Paris, 1840, 2 vol. in-8°. – *Lettres d'Abailard et d'Héloïse*, traduction littérale par le bibl. Jacob, précédée d'une notice littéraire, historique et bibliographique, par M. Villenave. Paris, 1840, 1 vol. in-12.

nia, et universa nec interrupta omnium fides, verum etiam scribendi ratio. Abælardi enim in litteris etiam deprehendas candidum scribendi genus, et pressum et nervosum, et simul jejunitatem quamdam orationis quam in ceteris ejus operibus reperias. *Historia Calamitatum,* quæ Orellio fide digna videtur, unum est forsan omnium Abælardi operum, in quo si quis minutius omnia excutere velit, possit quædam animadvertere quæ cum ingenio auctoris cæterisque ejus operibus parum congruant. Laudanda est prorsus quæ a veris falsa secernit sagacitas, dummodo in pravam dubitandi consuetudinem non abeat.

EPISTOLA I,

QUÆ EST HISTORIA CALAMITATUM[1] ABÆLARDI, AD AMICUM SCRIPTA.

ARGUMENTUM.

Hanc epistolam ex monasterio Divi Gildasii[2], in minore Britannia sito, quod tunc ipse Petrus Abælardus abbas regebat, scribit ad amicum cujus nomen tota epistola, licet prolixa, nec ipse edit, nec etiam Heloissa, quum hujus epistolæ meminit in secunda. Est autem narratoria. Toto enim epistolæ textu suam vitam ante actam ab infantia ad illud usque tempus, quo hanc scripsit, diligenter enarrat; nullam tamen Joannis Rozelini mentionem facit, quo philosopho doctissimo præceptore usum Otho frisingensis episcopus, gravis scriptor, qui eodem vivebat tempore, affirmat. Cæterum quid, quo animo egerit vel scripserit, quid passus sit, quanta invidia æmuli in eum exarserint, graphice describit, atque obtrectatoribus suis cursim ex occasione breviter et argute respondet. Denique hanc epistolam potius ad propriam, quam ad amici consolationem scripsisse videtur, scilicet ut et præsentes calamitates ex recordatione præteritarum lenius ferret, et imminentium periculorum timorem facilius detergeret. Nullas enim amici molestias cum suis confert, ut ex comparatione graviores appareant.

Sæpe humanos affectus aut provocant, aut mitigant amplius exempla quam verba. Unde post nonnullam sermonis ad præsentem habiti consolationem, de ipsis calamitatum mearum experimentis consolatoriam ad absentem scribere decrevi: ut in comparatione mearum, tuas aut nullas, aut modicas tentationes recognoscas, et tolerabilius feras.

CAP. I. De loco nativitatis Petri Abælardi.

Ego igitur oppido quodam oriundus[3], quod in ingressu minoris Britanniæ constructum, ab urbe nannetica versus orientem octo credo miliariis remotum, proprio vocabulo Palatium appellatur. Sicut natura terræ meæ vel generis animo levis, ita et ingenio extiti[4] ad litteratoriam disciplinam facilis[5]. Patrem autem habebam[6] litteris aliquantulum imbutum antequam militari cingulo insigniretur. Unde postmodum tanto litteras amore complexus est, ut quoscunque filios haberet, litteris antequam armis instrui disponeret. Sicque profecto actum est.

De parentibus ejus.

[1] Vide not. III. — [2] Hic error est Ambocsii; namque quum Abælardus *Historiam Calamitatum* scripsit, jamdudum monasterium D. Gildasii fugerat, ut ipse monet sub finem epistolæ. — [3] Vide not. IV. — [4] *Extiti et ad literatoriam.* ABCD. — [5] Vide not. V. — [6] Vid. not. VI.

Me [1] itaque primogenitum suum quanto cariorem habebat, tanto diligentius erudiri curavit. Ego vero quanto amplius et facilius in studio litterarum profeci, tanto ardentius in [2] eis inhæsi, et in tanto earum amore illectus [3] sum, ut militaris gloriæ pompam cum hæreditate et prærogativa primogenitorum meorum fratribus derelinquens, Martis curiæ penitus abdicarem ut Minervæ gremio educarer. Et quoniam dialecticarum rationum armaturam [4] omnibus philosophiæ documentis prætuli [5], his armis alia commutavi, et trophæis bellorum conflictus [6] prætuli disputationum. Proinde diversas disputando perambulans [7] provincias, ubicunque hujus artis vigere studium audieram, peripateticorum æmulator [8] factus sum.

CAP. II. De persecutione magistri sui Guillelmi.

Perveni tandem Parisius [9] ubi jam maxime disciplina hæc florere consueverat, ad Guillelmum scilicet Campellensem [10] præceptorem meum in hoc tunc magisterio re et fama præcipuum : cum quo aliquantulum moratus primo ei acceptus, postmodum gravissimus extiti, quum nonnullas scilicet ejus sententias refellere conarer, et ratiocinari contra eum sæpius aggrederer, et nonnunquam superior in disputando viderer. Quod quidem et ipsi qui inter conscholares [11] nostros præcipui habebantur, tanto majori sustinebant indignatione, quanto posterior [12] habebar ætatis et studii tempore. Hinc calamitatum mearum, quæ nunc usque perseverant, cœperunt exordia, et quo amplius fama extendebatur nostra [13], aliena in me succensa est invidia. Factum tandem est ut supra vires ætatis meæ [14] de ingenio meo præsumens, ad scholarum regimen adolescentulus aspirarem, et locum, in quo id agerem, providerem; insigne videlicet tunc temporis Meliduni [15] castrum, et sedem regiam. Præsensit hoc prædictus magister meus, et quo longius posset scholas nostras a se removere conatus, quibus potuit modis latenter machinatus est; ut priusquam a suis recederem scholis, nostrarum præparationem præpediret [16], et provisum mihi locum auferret. Sed quoniam de potentibus terræ nonnullos ibidem habebat æmulos, fretus eorum auxilio voti mei compos extiti, et plurimorum mihi assensum ipsius invidia manifesta conquisivit. Ab hoc autem scholarum nostrarum tyrocinio [17] ita in arte dialectica nomen meum dilatari cœpit, ut non solum condiscipulorum meorum, verum etiam ipsius magistri fama contracta paulatim extingueretur. Hinc

De rectione ipsius apud Melidunum.

[1] Sic ABCD.–Transl. gallica : « Et moy qui estoie son « fils aisnés, de tant qu'il m'avoit plus chiers, de tant mist- « il plus grant cure, etc. » – Male leg. Amb. et Orell. : *Sic primogenitum.* Vide not. VII. — [2] *In* deest in BCD. — [3] *Illesus* D. – *Allectus* RMS. — [4] *Armarium* RMS. — [5] Vide not. VIII. — [6] *Certamina* RMS. — [7] *Peragrans* RMS. — [8] *Ambulator* MS. Amb. — [9] Sic CD ex mediæ ætatis consuetudine. – *Parisios* Edit. Amb. — [10] Vide not. IX. — [11] *Condiscipulos* RMS. — [12] *Inferior* RMS. — [13] *Eo gravior* præfigitur RMS. — [14] *Meæ* deest in ACD. — [15] Sic CD et MS. Amb. – *Meldunum castrum* Ed. Amb. – *Meledunum* Orell. Vide not x. — [16] Sic A. – *Nostrarum præparationem scholarum* CD.–*Scholas nostras præpediret* B. – *Priusquam a suis recederem, scholas nostras et provisum mihi locum auferret.* Edit. Amb. — [17] Sic ACD et MS. Amb. – *Exordio* B et Edit. Amb.

De rectione apud Corbolium.

factum est, ut de me amplius ipse præsumens, ad castrum Corbolii[1], quod parisiacæ urbi vicinius est, quantocius scholas nostras transferrem : ut inde videlicet crebriores[2] disputationis assultus nostra daret importunitas[3]. Non multo autem interjecto tempore ex immoderata studii afflictione correptus infirmitate coactus sum repatriare[4], et per annos aliquot a Francia quasi[5] remotus, quærebar ardentius ab iis, quos dialectica sollicitabat doctrina. Elapsis autem paucis annis, quum ex infirmitate jamdudum convalerem, præceptor meus ille Guillelmus parisiensis[6] archidiaconus, habitu pristino commutato ad regularium clericorum ordinem se convertit[7]; ea, ut referebant, intentione[8], ut quo religiosior crederetur ad majorem[9] prælationis gradum promoveretur, sicut in proximo contigit, eo catalaunensi episcopo facto. Nec tamen in suæ conversionis habitus aut ab urbe parisiaca[10], aut a consueto philosophiæ studio eum[11] revocavit : sed in ipso quoque monasterio, ad quod se causa religionis contulerat, statim more solito publicas exercuit scholas. Tum ego ad eum reversus ut ab ipso rhetoricam audirem, inter cætera disputationum nostrarum conamina, antiquam ejus de universalibus sententiam patentissimis[12] argumentorum disputationibus ipsum commutare, imo destruere compuli. Erat autem in ea sententia de communitate universalium, ut eamdem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse astrueret individuis; quorum quidem nulla esset in essentia diversitas, sed sola multitudine accidentium varietas. Sic autem istam tunc[13] suam correxit sententiam, ut deinceps rem eamdem non essentialiter, sed indifferenter[14] diceret. Et quoniam de universalibus in hoc ipso præcipua semper est apud dialecticos quæstio, ac tanta ut eam Porphyrius quoque in *Isagogis* suis, quum de universalibus scriberet, diffinire[15] non præsumeret, dicens : « Altissimum enim est hujusmodi negotium; » quum hanc ille correxisset[16], imo coactus dimisisset[17] sententiam, in tantam lectio ejus devoluta est negligentiam, ut jam ad dialecticæ lectionem[18] vix admitteretur : quasi in hac scilicet de universalibus sententia tota hujus artis consisteret summa. Hinc tantum roboris et auctoritatis nostra suscepit disciplina, ut ii, qui antea vehementius magistro illi nostro adhærebant, et maxime nostram infestabant doctrinam, ad nostras convolarent scholas; et ipse, qui in scholis parisiacæ sedis

De impugnatione magistri sui, et rectione apud Parisium.

[1] Vide not. xi. — [2] *Frequentiores* RMS. — [3] *Opportunitas* MS. Amb. — [4] *In patriam revertere* RMS. — [5] *Quasi* deest in ABCD. — [6] *Parisiacensis* CD. — [7] Vide not. xii. — [8] *Mente* RMS. — [9] *Majoris* D. — [10] *Parisius* D. — [11] *Eum* deest in ABCD. — [12] *Manifestis et maxime perspicuis* RMS. — [13] Sic BCD. – *Tunc* deest in A et Edit. Amb. — [14] Sic ABCD et MS. Amb. – Transl. gallica, fol. 3 : « Il estoit en ceste sen- « tence de la communité des universeus, que il affirmoit « que une mesme chose par essence estoit tout ensemble « en tous ses particuliers subgez, si que il n'eust en essence « nulle diversité et que toute la diversité estoit seulement « en la multitude des accidens; mais il amenda ceste « sentence qu'il tenoit lors en ceste manière que il disoit « que c'estoit une mesme chose, non pas sans différence. » – Amboesius *individualiter* male legit, ut patet e cod. sangermanensi, de quo vide *Ouvrages inédits d'Abélard*, in-4°, introd., p. cxvi et sq. — [15] *Definire* C. — [16] *Correxerit* CD et MS. Amb. — [17] *Dimiserit* CD et MS. Amb. — [18] *Ad cætera dialecticæ* CD et MS. Amb.

magistro nostro successerat, locum mihi suum offerret, ut ibidem cum cæteris nostro se traderet magisterio, ubi antea suus ille et noster magister floruerat. Paucis itaque diebus ibi me studium dialecticæ regente, quanta invidia tabescere, quanto dolore æstuare cœperit magister noster, non est facile exprimere. Nec conceptæ miseriæ æstum diu sustinens, callide aggressus est me etiam tunc removere. Et quia in me quod aperte ageret non habebat, ei scholas auferre molitus est, turpissimis[1] objectis criminibus, qui mihi suum concesserat magisterium, alio quodam æmulo meo in locum[2] ejus substituto[3]. Tunc ego Melidunum[4] reversus, scholas ibi nostras, sicut antea, constitui; et quanto manifestius ejus me persequebatur invidia, tanto mihi auctoritatis amplius conferebat, juxta illud poeticum :

De recessu a parisiensi civitate ad Melidunum.

Summa petit livor, perflant altissima venti[5].

Non multo autem post, quum ille intelligeret fere omnes discipulos[6] de religione ejus plurimum hæsitare, et de conversione ipsius vehementer susurrare, quod videlicet a civitate minime recessisset, transtulit se et conventiculum fratrum cum scholis suis ad villam quamdam ab urbe remotam. Statimque ego Meliduno Parisius redii, pacem ab illo ulterius sperans. Sed quia, ut diximus, locum nostrum ab æmulo nostro fecerat occupari, extra civitatem in monte S. Genovefæ[7], scholarum nostrarum castra posui; quasi eum obsessurus, qui locum occupaverat nostrum. Quo audito, magister noster statim ad urbem impudenter[8] rediens, scholas quas tunc habere poterat, et conventiculum fratrum ad pristinum reduxit monasterium, quasi militem suum, quem deseruerat[9], ab obsidione nostra liberaturus. Verum, quum illi prodesse intenderet, maxime nocuit. Ille quippe antea aliquos habebat qualescunque discipulos, maxime propter lectionem Prisciani[10] in qua plurimum valere credebatur. Postquam autem magister advenit, omnes penitus amisit, et sic a regimine scholarum cessare compulsus est. Nec post multum tempus, quasi jam ulterius de mundana desperans gloria, ipse quoque ad monasticam conversus[11] est vitam. Post reditum vero magistri nostri ad urbem, quos conflictus disputationum scholares nostri, tam cum ipso, quam cum discipulis ejus habuerint, et quos fortuna eventus in his bellis[12] dederit nostris, imo mihi ipsi in eis, te quoque res ipsa jam dudum edocuit. Illud vero Ajacis et temperantius loquar, et audacter proferam :

De ejus regressu ad montem S. Genovefæ, extra civitatem, et conflictu contra magistrum suum.

Si quæritis hujus
Fortunam pugnæ, non sum superatus ab illo[13].

[1] *Pessimis* AC. — [2] *Ad officium ejus* D et MS. Amb. — [3] *Constituto* RMS. — [4] Sic CD et MS. Amb. – *Meledunum* Edit. Amb. — [5] Ovidius, *de Remed. Amor.*, lib. I, v. 369. — [6] *Discretos* CD et MS. Amb. — [7] Vide not. XIII. — [8] *Fronte perfricta* RMS. — [9] *Dimiserat* ACD et MS. Amb. — [10] Sic ACD.–*Prisciani* deest in Edit. Amb. – *Lectiones Prisciani in quibus* MS. Amb. — [11] *Compulsus* D. – *Ad vitam se recepit monasticam* RMS. — [12] *Refugis velitationibus Parthicis* RMS. — [13] Ovid. *Metamorph.*, lib. XIII, v. 89.

Quod si ego taceam[1], res ipsa clamat, et ipsius rei finis indicat. Dum vero hæc agerentur, carissima mihi mater mea Lucia[2] repatriare me compulit. Quæ videlicet post conversionem Berengarii patris mei ad professionem monasticam, idem facere disponebat[3]. Quo completo, reversus sum in Franciam, maxime ut de Divinitate addiscerem, quando[4] jam sæpe fatus magister noster Guillelmus in episcopatu catalaunensi pollebat[5]. In hac autem lectione magister ejus Anselmus laudunensis maximam[6] ex antiquitate auctoritatem tunc tenebat.

De repatriatione ejus. Lucia mater. Berengarius pater.

CAP. III. Quomodo Laudunum venit ad magistrum Anselmum.

Accessi igitur ad hunc senem, cui magis longævus usus, quam ingenium vel memoria nomen comparaverat. Ad quem si quis de aliqua quæstione pulsandum accederet incertus, redibat incertior. Mirabilis quidem erat in oculis[7] auscultantium, sed nullus in conspectu quæstionantium[8]. Verborum usum habebat mirabilem, sed sensu contemptibilem[9], et ratione vacuum. Quum ignem accenderet, domum suam fumo implebat, non luce illustrabat. Arbor ejus tota in foliis aspicientibus a longe conspicua videbatur, sed propinquantibus, et diligentius intuentibus infructuosa reperiebatur. Ad hanc itaque quum accessissem ut fructum inde colligerem, deprehendi illam esse ficulneam cui maledixit Dominus[10], seu illam veterem quercum, cui Pompeium Lucanus comparat, dicens :

Stat magni nominis umbra,
Qualis frugifero quercus sublimis in agro[11].

Hoc igitur comperto, non multis diebus in umbra ejus otiosus jacui. Paulatim vero me jam rarius et rarius[12] ad lectiones ejus accedente, quidam tunc inter discipulos ejus eminentes graviter id ferebant, quasi tanti magistri contemptor fierem. Proinde illum quoque adversum me latenter commoventes, pravis suggestionibus ei me invidiosum fecerunt. Accidit autem quadam die, ut post aliquas sententiarum collationes, nos scholares invicem jocaremur. Ubi quum me quidam animo intentans interrogavisset, quid mihi de divinorum lectione librorum videretur, qui nondum nisi in physicis studueram, respondi saluberrimum quidem hujus lectionis esse studium ubi salus animæ cognoscitur, sed me vehementer mirari, quod his qui litterati sunt, ad expositiones sanctorum intelligendas, ipsa eorum scripta vel glosæ non sufficiant[13], ut alio scilicet non egeant magisterio[14]. Irridentes plurimi qui aderant, an hoc ego possem et aggredi præsumerem, requisierunt. Respondi me id si vellent experiri paratum esse. Tunc conclamantes[15] et amplius irridentes : Certe, inquiunt, et nos assentimus. Quæratur itaque[16]

[1] Sic CD.– *Tacerem* Edit. Amb. — [2] Vide not. xiv. — [3] *Se vitæ sanctioris rationi dicare disposuit* RMS.— [4] *Quoniam* MS. Amb. — [5] Vide not. xv. — [6] Vide not. xvi. — [7] *In oculis erat* D. — [8] *Quæstiones discutientium* RMS. — [9] *Vilem* RMS.—[10] Matth., c. xxi, v. 19; Marc., c. iv, v. 14. —[11] Lucan. *Phars.*, lib. IV, v. 135.— [12] Ita ABCD. – *Me jam rarius ad lectiones ejus* Edit. Amb. — [13] *Sufficiunt* ABCD. — [14] *Magistro* MS. Amb. — [15] *Inclamantes* MS. Amb. - [16] Sic ABCD et MS. Amb. - *Inquam* Edit. Amb.

et tradatur vobis[1] expositor alicujus inusitatæ[2] scripturæ, et probemus quod vos promittitis. Et consenserunt omnes in obscurissima Ezechielis prophetia. Assumpto itaque expositore statim in crastino eos ad lectionem invitavi. Qui invito mihi consilium dantes, dicebant ad rem tantam non esse properandum, sed diutius in expositione rimanda et firmanda mihi hanc inexperto vigilandum. Indignatus autem respondi non esse meæ consuetudinis per usum proficere, sed per ingenium; atque adjeci vel me penitus desiturum esse, vel eos pro arbitrio meo ad lectionem accedere non differre. Et primæ quidem lectioni nostræ pauci tunc interfuere, quod ridiculum omnibus videretur me adhuc quasi penitus sacræ lectionis expertem[3] id tam propere aggredi. Omnibus tamen qui affuerunt in tantum lectio illa grata extitit, ut eam singulari præconio extollerent, et me secundum hunc nostræ lectionis tenorem ad glosandum[4] compellerent. Quo quidem audito, ii qui non interfuerant cœperunt ad secundam et tertiam lectionem certatim accedere[5], et omnes pariter de transcribendis glosis[6] quas prima die incœperam, in ipso eorum initio plurimum solliciti esse.

Quomodo sanctos cœperit legere libros scholasticis, et novas cudere glosas.

CAP. IV. De persecutione magistri Anselmi in eum.

Hinc itaque prædictus senex vehementi commotus invidia, et quorumdam persuasionibus jam adversum me, ut supra memini, ex tunc[7] stimulatus, non minus in sacra lectione me persequi cœpit, quam antea Guillelmus noster in philosophia. Erant autem tunc in scholis hujus senis duo qui cæteris præeminere videbantur. Albericus scilicet remensis, et Lotulphus[8] lombardus; qui quanto de se majora præsumebant[9], amplius adversum me accendebantur. Horum itaque maxime suggestionibus, sicut postmodum deprehensum est, senex ille perturbatus impudenter[10] mihi interdixit incœptum glosandi opus in loco magisterii sui amplius exercere : hanc videlicet causam prætendens[11], ne si forte in illo opere aliquid per errorem scriberem, ut pote rudis adhuc in hoc studio, ei deputaretur[12]. Quod quum ad aures scholarium pervenisset, maxima commoti sunt indignatione super tam manifesta livoris calumnia, quæ nemini unquam ulterius[13] acciderat. Quæ quanto manifestior, tanto mihi honorabilior extitit, et persequendo[14] gloriosiorem effecit.

CAP. V. Quomodo reversus Parisius glosas suas, quas Lauduni legere cœperat, consummavit.

Post paucos itaque dies Parisius reversus[15], scholas mihi jam dudum destinatas atque oblatas, unde primo fueram expulsus, annis aliquibus quiete possedi; atque

[1] Sic CD et MS. Amb.-*Nobis* Edit. Amb. et AB.-Transl. gallica. fol. 7 : « Or, vous soit quit et baillé exposierres « d'aucune escripture qui ne soit pas usée, et prouvons ce « que vous prometez. Et s'accorderent tuit à une très- « oscure prophétie de Ézechiel, et quant le expositeur fu « pris, je les semons tantost à lendemain de venir ore la « leçon. » — [2] *Sacro-sanctæ* RMS. — [3] *Inexpertum* RMS. — [4] *Explicandum* RMS. — [5] *Contendere* et *concurrere* MS. Amb. — [6] *Explicationibus* RMS. — [7] *Ex illo temporis articulo* RMS. — [8] Sic ABCD et MS. Amb.-Transl. gallica, fol. 8 : *Lotulphes li lombars*.-Edit. Amb. : *Loculphus*. Sed Othoni frisingensi : *Leutaldus novariensis*. — [9] *Meliora cogitaverunt* RMS. — [10] *Imprudentia* RMS. — [11] *Simulans* RMS. — [12] *Attribueretur* RMS. — [13] *Antea* RMS. — [14] *Persecutum* MS. Amb. — [15] Vide not. XVII.

ibi in ipso statim scholarum initio glosas[1] illas Ezechielis, quas Lauduni incœperam, consummare studui. Quæ quidem adeo legentibus acceptabiles[2] fuerunt, ut me non minorem gratiam[3] in sacra lectione adeptum jam crederent, quam in philosophica viderant. Unde utriusque lectionis studio scholæ nostræ vehementer multiplicatæ quanta mihi de pecunia lucra, quantam gloriam compararent, ex fama te quoque latere non potuit. Sed quoniam prosperitas stultos semper inflat, et mundana tranquillitas vigorem enervat animi, et per carnales[4] illecebras facile resolvit : quum jam me solum in mundo superesse[5] philosophum æstimarem, nec ullam ulterius inquietationem formidarem, frena libidini cœpi laxare, qui antea vixeram continentissime[6]; et quo amplius in philosophia vel sacra lectione profeceram, amplius a philosophis et divinis immunditia vitæ recedebam. Constat quippe philosophos, nedum divinos, id est sacræ lectionis exhortationibus intentos, continentiæ decore maxime polluisse. Quum igitur totus in superbia atque luxuria laborarem, utriusque morbi remedium divina mihi gratia, licet nolenti, contulit; ac primo luxuriæ, deinde superbiæ : luxuriæ quidem, his me privando quibus hanc[7] exercebam; superbiæ vero, quæ mihi ex litterarum maxime scientia nascebatur, juxta illud apostoli : *Scientia inflat*[8], illius libri, quo maxime gloriabar, combustione me humiliando. Cujus nunc rei utramque historiam verius ex ipsa re, quam ex auditu cognoscere te volo, ordine quidem[9] quo processerunt. Quia igitur scortorum immunditiam semper abhorrebam, et ab accessu[10] et frequentatione nobilium feminarum studii scholaris assiduitate revocabar, nec laicarum conversationem[11] multum noveram ; prava mihi, ut dicitur, fortuna blandiens, commodiorem nacta est occasionem, qua me facilius de sublimitatis hujus fastigio prosterneret : imo superbissimum, nec acceptæ gratiæ memorem divina pietas humiliatum sibi vindicaret.

Erat quippe in ipsa civitate Parisius adolescentula quædam nomine Heloissa[12], neptis canonici cujusdam, qui Fulbertus vocabatur, qui eam quanto amplius diligebat, tanto diligentius in omnem quam poterat scientiam litterarum promoveri studuerat. Quæ quum per faciem non esset infima, per abundantiam litterarum erat suprema. Nam quo bonum hoc, litteratoriæ scilicet scientiæ, in mulieribus est rarius, eo amplius puellam commendabat, et in toto regno nominatissimam fecerat[13]. Hanc igitur, omnibus circumspectis, quæ amantes allicere solent, commodiorem censui in amorem mihi copulare[14], et me id facillime[15] credidi posse.

CAP. VI. Quomodo in amorem Heloissæ lapsus vulnus inde tam mentis quam corporis traxit.

[1] *Explicationes* RMS. — [2] *Gratæ fuerunt* RMS. — [3] *Gloriam* MS. Amb. — [4] *Mollissimas* RMS. — [5] *Superiorem* MS. Amb. — [6] *Castitate severissima et plus quam eremetica* RMS. — [7] Sic D. – *Hanc* deest in Edit. — [8] *Corinth. I*, cap. xviii, v. 1. — [9] *Ordine vero* RMS. — [10] Sic D. – *Excessu* Edit. Amb. — [11] *Commercium* RMS. — [12] Vide not. xviii. — [13] *Et per totum Gallorum regnum fama indolem suam mirificam disseminavit* RMS. — [14] *Attrahere* RMS. — [15] *Facere* MS. Amb.

Tanti quippe tunc nominis eram, et juventutis et formæ gratia præeminebam, ut quamcunque feminarum nostro dignarer amore, nullam vererer repulsam. Tanto autem facilius hanc mihi puellam consensuram credidi, quanto amplius eam litterarum scientiam et habere et diligere noveram, nosque etiam absentes scriptis internuntiis invicem liceret præsentare, et pleraque audacius scribere quam colloqui, et sic semper jucundis interesse colloquiis. In hujus itaque adolescentulæ amorem totus inflammatus, occasionem[1] quæsivi qua eam mihi domestica et quotidiana conversatione familiarem efficerem, et facilius ad consensum traherem. Quod quidem ut fieret, egi cum prædicto puellæ avunculo, quibusdam ipsius amicis intervenientibus, quatenus me in domum suam, quæ scholis nostris proxima erat, sub quocunque procurationis pretio susciperet; hanc videlicet occasionem prætendens[2] quod studium nostrum domestica nostræ familiæ cura plurimum præpediret[3] et impensa nimia nimium me gravaret. Erat autem cupidus[4] ille valde, atque erga neptim suam, ut amplius semper in doctrinam proficeret litteratoriam, plurimum studiosus. Quibus duobus[5] facile assensum assecutus sum, et quod optabam obtinui: quum ille videlicet et ad pecuniam totus inhiaret, et neptim suam ex doctrina nostra aliquid percepturam crederet. Super quo vehementer me deprecatus, supra quam sperare præsumerem, votis meis accessit, et amori consuluit: eam videlicet totam nostro magisterio committens, ut quoties mihi a scholis reverso vacaret, tam in die quam in nocte, ei docendæ operam darem, et eam si negligentem sentirem, vehementer constringerem. In qua re quidem quanta ejus simplicitas esset vehementer admiratus, non minus apud me obstupui, quam si agnam teneram famelico lupo committeret. Qui quum eam mihi non solum docendam, verum etiam vehementer constringendam traderet, quid aliud agebat, quam ut votis meis licentiam penitus daret, et occasionem, etiam si nollemus, offerret, ut quam videlicet blanditiis non possem, minis et verberibus facilius flecterem? Sed duo erant, quæ eum maxime a turpi suspicione revocabant, amor videlicet neptis, et continentiæ meæ fama præterita. Quid plura? primum domo una conjungimur, postmodum animo. Sub occasione itaque disciplinæ amori penitus vacabamus, et secretos recessus[6], quos amor optabat, studium lectionis offerebat[7]. Apertis itaque libris plura de amore quam de lectione[8] verba se ingerebant, plura erant oscula quam sententiæ. Sæpius ad sinus quam ad libros reducebantur manus; crebrius oculos amor in se reflectebat quam lectio in scripturam dirigebat; quoque minus suspicionis haberemus, verbera quandoque dabat amor, non furor; gratia, non ira, quæ omnium unguentorum suavitatem

[1] *Tempora mihi opportuna quibus* RMS. — [2] *Simulans* RMS. — [3] *Impediret* RMS. — [4] *Ad rem congerendam attentissimus* RMS. — [5] *Quibus quidem duobus* D. — [6] Sic ABC et MS. Amb. – *Regressus* in editionibus legitur. — [7] *Obtulit* RMS. — [8] *Philosophia* RMS.

transcenderent[1]. Quid denique? nullus a cupidis intermissus est gradus amoris, et si quid insolitum amor excogitare potuit, est additum. Et quo minus[2] ista fueramus experti gaudia, ardentius illis insistebamus, et minus in fastidium vertebantur. Et quo me amplius hæc voluptas occupaverat, minus philosophiæ vacare poteram, et scholis operam dare. Tædiosum[3] mihi vehementer erat ad scholas procedere, vel in eis morari; pariter et laboriosum[4], quum nocturnas amori vigilias, et diurnas studio conservarem[5]. Quem etiam ita negligentem et tepidum lectio tunc habebat, ut jam nihil ex ingenio, sed ex usu cuncta proferrem; nec jam nisi recitator pristinorum essem inventorum, et si qua invenire liceret carmina, essent amatoria, non philosophiæ secreta[6]. Quorum etiam carminum pleraque adhuc in multis, sicut et ipse nosti, frequentantur et decantantur regionibus, ab his maxime quos vita simul oblectat[7]. Quantam autem mœstitiam, quos gemitus, quæ lamenta nostri super hoc scholares assumerent[8], ubi videlicet hanc animi mei occupationem, imo perturbationem præsenserunt, non est facile vel cogitare. Paucos enim jam res tam manifesta decipere poterat, ac neminem (credo) præter eum, ad cujus ignominiam maxime id spectabat, ipsum videlicet puellæ avunculum. Cui quidem hoc quum a nonnullis nonnunquam suggestum fuisset, credere non poterat, tum, ut supra memini, propter immoderatam suæ neptis amicitiam, tum etiam propter anteactæ vitæ meæ continentiam cognitam. Non enim facile de his, quos plurimum diligimus, turpitudinem suspicamur. Nec in vehementi dilectione turpis suspicionis labes potest inesse. Unde et illud est beati Hieronymi in epistola *ad Sabinianum*[9] : « Solemus mala domus nostræ scire novissimi, ac liberorum ac conjugum vitia, vicinis canentibus, ignorare. » Sed quod novissime scitur, utique sciri quandoque contingit, et quod omnes deprehendunt, non est facile unum latere. Sic itaque pluribus evolutis mensibus et de nobis accidit. O quantus in hoc cognoscendo dolor avunculi! quantus in separatione amantium dolor ipsorum! quanta sum erubescentia confusus! quanta contritione super afflictione puellæ sum afflictus! quantos mœroris ipsa de verecundia mea substinuit æstus! Neuter quod sibi, sed quod alteri contigerat querebatur. Neuter sua, sed alterius plangebat incommoda. Separatio autem hæc corporum maxima erat copulatio[10] animorum, et negata sui copia amplius amorem accendebat, et verecundiæ transacta jam passio inverecundiores reddebat, tantoque verecundiæ minor extiterat passio, quanto convenientior videbatur actio[11]. Actum itaque in nobis est quod in Marte et Venere deprehensis poetica narrat

[1] *Exuperabant* RMS. — [2] *Infrequentius* RMS. — [3] *Eheu quoties me tædebat!* RMS. — [4] *Et primum displicuit* RMS. — [5] *Consecrarem* RMS. — [6] *Dumi et spinæ* RMS. — [7] Ita ACD. - *Oblectabat* Edit. Amb. - *Vita similis oblectat* MS. Amb. — [8] *Quot suspiria, hanc ob causam, nostri tyrones ex imis pectoribus ducerent* RMS. — [9] Epist. xcm, *Opp.* ex Edit. Paris. 1695-1706, in-fol., t. IV, part. II, col. 760.—[10] *Conjunctio* RMS.—[11] *Actus* D.

fabula[1]. Non multo autem post puella se concepisse comperit, et cum summa exultatione mihi super hoc illico scripsit, consulens quid de hoc ipse faciendum deliberarem. Quadam itaque nocte avunculo ejus absente, sicut nos condixeramus, eam de domo avunculi furtim sustuli, et in patriam meam sine mora transmisi[2], ubi apud sororem meam tandiu conversata est[3], donec pareret masculum quem Astralabium[4] nominavit. Avunculus autem ejus post ipsius recessum quasi in insaniam conversus[5], quanto æstuaret dolore, quanto afficeretur pudore, nemo nisi experiendo cognosceret. Quid autem in me ageret, quas mihi tenderet insidias, ignorabat. Si me interficeret, seu in aliquo corpus meum debilitaret, id potissimum metuebat ne dilectissima neptis hoc in patria mea plecteretur. Capere me et invitum alicubi coercere nullatenus valebat, maxime quum ego mihi super hoc plurimum providerem, quod eum si valeret, vel auderet, citius aggredi non dubitarem. Tandem ego ejus immoderatæ[6] anxietati admodum compatiens, et de dolo[7] quem fecerat amor, tanquam de summa proditione, meipsum vehementer accusans, conveni[8] hominem supplicando et promittendo quamcunque super hoc emendationem ipse constitueret, nec ulli mirabile id videri asserens, quicunque vim amoris expertus fuisset, et qui quanta ruina summos quoque viros ab ipso statim humani generis exordio mulieres dejecerint, memoria retineret[9]. Atque ut amplius eum mitigarem[10] supra quam sperare poterat, obtuli me ei satisfacere, eam[11] scilicet quam corruperam[12] mihi matrimonio copulando; dummodo id secreto fieret, ne famæ[13] detrimentum incurrerem. Assensit ille, et tam sua quam suorum fide et osculis eam quam requisivi concordiam mecum iniit, quo me facilius proderet[14].

CAP. VII. Dehortatio supradictæ puellæ a nuptiis.

Illico ego[15] ad patriam meam reversus amicam reduxi, ut uxorem facerem, illa tamen hoc minime approbante, imo penitus duabus de causis dissuadente; tam scilicet pro periculo, quam pro dedecore meo. Jurabat illum nulla unquam satisfactione[16] super hoc placari posse, sicut postmodum cognitum est. Quærebat etiam quam de me gloriam habitura esset, quum me ingloriosum efficeret, et se et me pariter humiliaret. Quantas ab ea mundus pœnas exigere deberet, si tantam ei lucernam auferret : quantæ maledictiones, quanta damna ecclesiæ, quantæ philosophorum lacrymæ hoc matrimonium essent secuturæ. Quam indecens, quam lamentabile[17] esset, ut quem omnibus natura creaverat,

[1] Ovidius, *Metam.* lib. IV, v. 171 et sq.; *Art. Amat.* lib. II, v. 561 et sq.— [2] Vide not. XIX. — [3] *Morata* RMS. — [4] Sic ABCD.- *Astrolabium* in editionibus legitur. Vide not. XX. — [5] *Adactus* RMS. — [6] *Immodicæ* RMS. — [7] *Et doli* RMS. — [8] *In partes meas traxi* RMS. — [9] *In memori retineret animo* RMS. — [10] *Atque ut velociores animi impetus citius sedarem præter spes* RMS. — [11] *Eam virginem* RMS. — [12] *Vitiaveram* RMS. — [13] Hæc inseruntur verba: *mihi præ omnibus carissimæ damnum* RMS.— [14] *Illaquearet* RMS. — [15] *Illico enim* D. — [16] *Expiatione* RMS. — [17] *Grave* RMS.

uni me feminæ dicarem, et turpitudini tantæ subjicerem[1]. Detestabatur vehementer hoc matrimonium, quod mihi per omnia probrosum esset, atque onerosum[2]. Prætendebat infamiam mei pariter et difficultates matrimonii, ad quas quidem vitandas nos exhortans apostolus ait[3] : « Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccabit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem parco vobis. » Et iterum : « Volo autem vos sine sollicitudine esse. » Quod si nec apostoli consilium, nec sanctorum exhortationes de tanto matrimonii jugo susciperem : saltem, inquit, philosophos consulerem, et quæ super hoc ab[4] eis vel de eis scripta sunt, attenderem[5]. Quod plerunque etiam sancti ad increpationem nostram diligenter faciunt. Quale illud est beati Hieronymi in primo *Contra Jovinianum*[6], ubi scilicet commemorat Theophrastum intolerabilibus nuptiarum molestiis, assiduisque inquietudinibus ex magna parte diligenter expositis, uxorem sapienti non esse ducendam evidentissimis rationibus[7] adstrinxisse[8], ubi et ipse illas exhortationis philosophicæ rationes tali fine concludens : « Hoc, » inquit, « et hujusmodi Theophrastus disserens, quem non suffundat christianorum? » Idem in eodem : « Cicero, » inquit, « rogatus ab Hircio ut post repudium Terentiæ, sororem ejus duceret; omnino facere supersedit, dicens non posse se et uxori et philosophiæ operam pariter dare. Non ait operam dare, sed adjunxit pariter, nolens quicquam agere quod studio æquaretur philosophiæ. » Ut autem hoc philosophici studii nunc omittam impedimentum, ipsum consule honestæ conversationis statum. Quæ enim conventio scholarium ad pedissequas, scriptoriorum ad cunabula, librorum sive tabularum ad colos, stilorum sive calamorum ad fusos? Quis denique sacris vel philosophicis meditationibus intentus, pueriles vagitus, nutricum quæ hos mitigant nænias, tumultuosam familiæ tam in viris quam in feminis turbam sustinere poterit? Quis etiam inhonestas illas parvulorum sordes assiduas tolerare valebit? Id, inquies, divites possunt, quorum palatia vel domus amplæ diversoria habent, quorum opulentia non sentit expensas, nec quotidianis sollicitudinibus cruciatur. Sed non est, inquam, hæc conditio philosophorum quæ divitum[9], nec qui opibus student vel sæcularibus implicantur curis, divinis seu philosophicis vacabunt officiis. Unde et insignes olim philosophi mundum maxime contemnentes[10], nec tam relinquentes sæculum quam fugientes, omnes sibi voluptates interdixerunt, ut in unius philosophiæ requiescerent amplexibus.

[1] Sic ABC.-*Subjacerem* Edit. Amb. — [2] *Inhonorosum* MS. Amb. — [3] *Corinth. I*, cap. VII, v. 27, 28 et 32. — [4] *Scriptis suis latent accuratis* RMS. — [5] *Observarem* RMS. — [6] *Opp.* t. IV, col. 189. — [7] *Patentissimis et efficacissimis argumentis* RMS. — [8] *Astruxisse* ABC. — [9] *Non manet vero eadem sors philosophorum ac divitum* RMS. — [10] *Aspernantes* RMS.

Quorum unus et maximus Seneca Lucilium instruens ait[1] : « Non quum vacaveris philosophandum est : omnia negligenda sunt, ut huic assideamus, cui nullum tempus satis magnum est. Non multum refert utrum omittas philosophiam an intermittas. Non enim ubi interrupta est, manet. Resistendum[2] est occupationibus, nec explicandæ sunt, sed submovendæ. » Quod nunc igitur apud nos amore Dei sustinent qui vere monachi dicuntur, hoc desiderio philosophiæ qui nobiles in gentibus extiterunt philosophi. In omni namque populo tam gentili scilicet quam judaico, sive christiano, aliqui semper extiterunt fide seu morum honestate cæteris præeminentes, et se a populo aliqua continentiæ vel abstinentiæ singularitate[3] segregantes. Apud Judeos quidem antiquitus Nazaræi, qui se Domino secundum legem consecrabant, sive filii prophetarum Eliæ vel Elisæi sectatores, quos beato attestante Hieronymo[4] monachos legimus in Veteri Testamento; novissime autem tres illæ philosophiæ sectæ, quas Josephus in libro *Antiquitatum* XVIII[5] distinguens, alios Pharisæos, alios Saducæos, alios nominat Essæos. Apud nos vero monachi, qui videlicet aut communem apostolorum vitam, aut priorem illam et solitariam Joannis[6] imitantur. Apud gentiles autem, ut dictum est, philosophi. Non enim sapientiæ vel philosophiæ nomen tam ad scientiæ perceptionem, quam ad vitæ religionem referebant, sicut ab ipso etiam hujus nominis ortu didicimus, ipsorum quoque testimonio sanctorum. Unde et illud est beati Augustini VIII *de Civitate Dei* libro, genera quidem philosophorum distinguentis[7] : « Italicum genus auctorem habuit Pythagoram Samium, a quo et fertur ipsum philosophiæ nomen exortum. Nam quum antea sapientes appellarentur qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præstare videbantur, iste interrogatus quid profiteretur, philosophum se esse respondit, id est studiosum vel amatorem sapientiæ, quoniam sapientem profiteri arrogantissimum videbatur. » Hoc itaque loco quum dicitur : « qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præstare videbantur, » aperte monstratur sapientes gentium, id est philosophos, ex laude vitæ potius quam scientiæ sic esse nominatos. Quam sobrie autem atque continenter ipsi vixerint, non est nostrum modo exemplis colligere, ne Minervam ipsam videar docere. Si autem sic laici gentilesque vixerunt, nulla scilicet professione religionis adstricti, quid te clericum atque canonicum facere oportet[8], ne divinis officiis turpes præferas voluptates, ne te præcipitem hæc Charibdis absorbeat, ne obscenitatibus istis te impudenter[9] atque irrevocabiliter immergas? Qui si clerici prerogativam non curas, philosophi saltem defende dignitatem. Si reverentia Dei contemnitur, amor saltem

[1] Epist. LXXII. — [2] *Repugnandum est* RMS. — [3] *Ratione singulari* RMS. — [4] Epist. XLIX, *ad Paulinum*; XCV, *ad Rusticum*, *Opp.* t. IV, part. II, col. 565 et 772. — [5] Cap. II. [6] *Baptistæ* RMS. — [7] Cap. II. — [8] *Qualem virum te decere oportet* RMS. Vide not. XXI. — [9] *Imprudenter* RMS.

honestatis impudentiam[1] temperet. Memento Socratem uxoratum fuisse, et quam fœdo casu hanc philosophiæ labem ipse primo luerit, ut deinceps cæteri exemplo ejus cautiores efficerentur. Quod nec ipse præterit Hieronymus ita in primo *Contra Jovinianum* de ipso scribens Socrate : « Quodam autem tempore quum infinita convicia ex superiore loco ingerenti Xanthippæ restitisset, aqua profusus immunda, nihil respondit amplius, quam capite deterso[2]: Sciebam, inquit, futurum ut ista tonitrua imber sequeretur. » Addebat denique ipsa et quam periculosum mihi esset eam reducere, et quam sibi carius existeret, mihique honestius amicam dici quam uxorem, ut me ei sola gratia conservaret, non vis aliqua vinculi nuptialis constringeret; tantoque nos ipsos ad tempus separatos gratiora de conventu nostro percipere gaudia, quanto rariora. Hæc et similia persuadens seu dissuadens, quum meam deflectere non posset stultitiam, nec me sustineret offendere; suspirans vehementer et lacrymans perorationem suam tali fine terminavit : « Unum, » inquit, « ad ultimum restat, ut in perditione[3] duorum, minor non succedat dolor quam præcessit amor[4]. » Nec in hoc ei, sicut universus agnovit mundus, prophetiæ defuit spiritus. Nato itaque parvulo nostro sorori meæ commendato, Parisius occulte revertimur, et post paucos dies, nocte secretis orationum vigiliis in quadam ecclesia celebratis, ibidem summo mane, avunculo ejus atque quibusdam nostris vel ipsius amicis assistentibus, nuptiali benedictione confœderamur. Moxque occulte divisim abscessimus, nec nos ulterius nisi raro latenterque vidimus, dissimulantes plurimum quod egeramus. Avunculus autem ipsius, atque domestici ejus, ignominiæ suæ solatium quærentes, initum matrimonium divulgare, et fidem mihi super hoc datam violare cœperunt; illa autem e contra anathematizare et jurare, quia falsissimum esset[5]. Unde vehementer ille commotus, crebris eam contumeliis afficiebat. Quod quum ego cognovissem, transmisi eam ad abbatiam quamdam sanctimonialium prope Parisius, quæ Argenteolum appellatur[6]: ubi ipsa olim puellula educata fuerat, atque erudita. Vestes quoque ei religionis, quæ conversioni[7] monasticæ convenirent, excepto velo, aptari feci, et his eam indui. Quo audito, avunculus et consanguinei seu affines ejus opinati

Prophetia Heloissæ.

Abælardus Heloissam ducit in uxorem.

[1] *Impetus tuos violentos et turpes* RMS. — [2] *Demisso* MS. Amb. — [3] *Exitio infando* RMS. — [4] Egregiam hanc Heloissæ de matrimonio orationem spectat noster Jehan de Meung in celeberrimo poemate *Roman de la Rose*, novissime edito a Meon, Parisiis, 1813, in-8°, t. II, p. 213 :

« Pierres Abailart reconfesse
Que suer Helois, l'abeesse
Du Paraclet, qui fu s'amie,
Accorder ne se voloit mie,
Por riens qu'il la préist à fame :
Ains li faisoit la genne dame
Bien entendant et bien lettrée,
Et bien amant, et bien amée,
Argumens à li chastier,
Qu'il se gardast de marier.... »

Omitto quæ sequuntur. Cf. *Manuscrits français de la Bibliothèque du Roi*, etc., auct. Paulin Paris, t. V, n° 7071, p. 39; *Abélard*, auct. Rémusat, t. I, p. 60. — [5] *Hoc esse falsissimum* RMS. — [6] Vide not. XXII. — [7] *Conversationi* ABC et MS. Amb.

sunt me nunc sibi plurimum illusisse [1], et ab ea moniali facta me sic facile expedire [2]. Unde vehementer indignati, et adversum me conjurati, nocte quadam quiescentem me atque dormientem in secreta hospitii mei camera, quodam mihi serviente per pecuniam corrupto, crudelissima et pudentissima ultione punierunt, et quam summa admiratione mundus excepit : eis videlicet corporis mei partibus amputatis [3], quibus id quod plangebant commiseram. Quibus mox in fugam conversis, duo qui comprehendi potuerunt oculis et genitalibus [4] privati sunt. Quorum alter ille fuit supradictus serviens, qui quum in obsequio meo mecum maneret, cupiditate ad proditionem [5] ductus est [6].

Quomodo castratus est.

CAP. VIII. De plaga illa corporis ejus.

Mane autem facto, tota ad me civitas congregata quanta stuperet admiratione, quanta se affligeret lamentatione [7], quanto me clamore vexarent, quanto planctu perturbarent, difficile, imo impossibile est exprimi. Maxime vero clerici, ac præcipue scholares nostri intolerabilibus me lamentis et ejulatibus [8] cruciabant, ut multo amplius ex eorum compassione quam ex vulneris læderer passione, et plus erubescentiam quam plagam [9] sentirem, et pudore magis quam dolore affligerer. Occurrebat animo quanta modo gloria pollebam, quam facili et temporali casu hæc humiliata, imo penitus esset extincta ; quam justo Dei judicio in illa corporis mei portione [10] plecterer, in qua deliqueram ; quam justa proditione is, quem antea prodideram, vicem mihi retulisset ; quanta laude mei æmuli tam manifestam æquitatem efferrent ; quantam perpetui doloris contritionem plaga hæc parentibus meis et amicis esset collatura [11] ; quanta dilatatione hæc singularis infamia universum mundum esset occupatura ; qua mihi ulterius via pateret, qua fronte in publicum prodirem omnium digitis demonstrandus [12], omnium linguis corrodendus, omnibus monstruosum [13] spectaculum futurus. Nec me etiam parum confundebat, quod secundum occidentem [14] legis litteram tanta sit apud Deum eunuchorum abominatio, ut homines amputatis vel attritis testibus eunuchizati intrare ecclesiam tanquam olentes et immundi prohibeantur, et in sacrificio quoque talia penitus animalia respuantur. Lib. *Levitici* [15] : « Omne animal, quod est contritis, vel tusis [16], vel sectis, ablatisque testiculis, non offeretis Domino. » *Deuter.* cap. XXIII : « Non intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis, et abscisso veretro, ecclesiam Dei. » In tam misera me contritione positum confusio, fateor, pudoris potius quam devotio conversionis ad monasticorum latibula claustrorum compulit,

[1] Sic ABC et MS. Amb.-*Illuxisse* legitur in editionibus præter Orellianam. — [2] *Facile posse expedire* D. — [3] Vide not. XXIII. — [4] *Pudendis* RMS. — [5] *Ad fidem prodendam* RMS. — [6] *Spe impia allectus est* RMS. — [7] *Quantis se cruciavit luctibus* RMS. — [8] *Planctibus* RMS. — [9] *Cruciatum* RMS. — [10] *Parte* RMS. — [11] *Illatura* RMS. — [12] *Denotandus* MS. Amb. — [13] *Mirum* RMS. — [14] *Occidentis* RMS. — [15] Cap. XXII, v. 24. Perperam habetur in Edit. Amb. *liber Num., cap.* LXXIV. — [16] Sic Biblia vulgata. – *Tonsis* Edit. Amb.

illa tamen prius ad imperium nostrum sponte velata, et monasterium ingressa. Ambo itaque simul sacrum habitum suscepimus[1], ego quidem in abbatia Sancti Dionysii, illa in monasterio Argenteoli supradicto. Quæ quidem, memini, quum ejus adolescentiam a jugo monasticæ regulæ tanquam intolerabili pœna plurimi frustra deterrerent ei compatientes, in illam Corneliæ querimoniam inter lacrymas et singultus prout poterat prorumpens, ait :

Abælardus fit monachus in monasterio Sancti Dionysii; Heloissa sanctimonialis apud Argenteolum.

O maxime conjux!
O thalamis indigne meis! Hoc juris habebat
In tantum fortuna caput? Cur impia nupsi,
Si miserum factura fui? Nunc accipe pœnas,
Sed quas sponte luam[2].

Atque in his verbis ad altare[3] mox properat, et confestim ab episcopo benedictum velum ab altare tulit, et se monasticæ professioni coram omnibus[4] alligavit. Vix autem de vulnere adhuc convalueram, quum ad me confluentes clerici tam ab abbate nostro, quam a meipso continuis supplicationibus efflagitabant, quatenus quod hucusque pecuniæ vel laudis cupiditate egeram, nunc amore Dei operam studio darem, attendens[5] quod mihi fuerat a Domino talentum commissum[6], ab ipso esse cum usuris exigendum; et qui divitibus maxime hucusque intenderam, pauperibus erudiendis amodo studerem; et ob hoc maxime Dominica manu me nunc tactum[7] esse cognoscerem, quo liberius a carnalibus illecebris, et tumultuosa[8] vita seculi[9] abstractus, studio litterarum vacarem; nec tam mundi quam Dei vere philosophus fierem. Erat autem abbatia illa nostra, ad quam me contuleram, secularis admodum vitæ[10] atque turpissimæ. Cujus abbas ipse[11], quo cæteris prælatione major[12], tanto vita deterior atque infamia notior erat. Quorum quidem intolerabiles spurcitias ego frequenter atque vehementer modo privatim, modo publice redarguens, omnibus me supra modum onerosum atque odiosum effeci[13], qui ad quotidianam discipulorum nostrorum instantiam[14] maxime gavisi, occasionem nacti sunt, qua me a se removerent. Diu itaque illis instantibus atque importune pulsantibus, abbate quoque nostro et fratribus intervenientibus, ad cellam quamdam recessi, scholis more solito vacaturus; ad quas quidem tanta scholarium multitudo[15] confluxit[16], ut nec locus hospitiis, nec terra sufficeret alimentis. Ubi, quod professioni meæ convenientius erat, sacræ plurimum lectioni studium intendens[17], secularium artium disciplinam, quibus amplius assuetus fueram, et quas a me plurimum requirebant,

[1] Vide not. xxiv. — [2] Luc. *Phars.* lib. VIII, v. 94 et sq. — [3] *Altari* D. — [4] Interseritur *animo maximo invito* RMS. — [5] *Animo tenaci servans* RMS. — [6] Matth. cap. xxv, v. 15. — [7] *Ictum* RMS. — [8] *Turbida* RMS. — [9] *Mundi* RMS. — [10] Vide not. xxv. — [11] Vide not. xxvi. — [12] *Dignitate sublimior* RMS. — [13] *Reddidi* RMS. — [14] *Quotidianos.... impulsus* RMS. — [15] *Turba* RMS. — [16] Vide not. xxvii. — [17] *Adhibens* RMS.

non penitus abjeci, sed de his quasi hamum quemdam fabricavi, quo illos philosophico sapore inescatos ad veræ philosophiæ lectionem attraherem, sicut et summum christianorum philosophorum Origenem consuevisse *Historia* meminit *Ecclesiastica*[1]. Quum autem in divina scriptura non minorem mihi gratiam, quam in seculari Dominus contulisse videretur, cœperunt admodum ex utraque lectione scholæ nostræ multiplicari, et cæteræ omnes vehementer attenuari. Unde maxime magistrorum invidiam atque odium adversum me concitavi, qui in omnibus quæ poterant mihi derogantes, duo præcipue absenti mihi semper objiciebant: quod scilicet proposito monachi valde[2] sit contrarium secularium librorum studio detineri, et quod sine magistro ad magisterium divinæ lectionis accedere præsumpsissem[3]; ut sic videlicet omne mihi doctrinæ scholaris exercitium interdiceretur, ad quod incessanter[4] episcopos, archiepiscopos, abbates, et quascunque poterant religiosi nominis personas incitabant.

CAP. IX. De libro theologiæ suæ, et persecutione quam sustinuit a condiscipulis.

Accidit autem mihi ut ad ipsum fidei nostræ fundamentum humanæ rationis similitudinibus disserendum primo me applicarem, et quemdam theologiæ tractatum *de Unitate et Trinitate divina*[5] scholaribus nostris componerem, qui humanas et philosophicas rationes requirebant, et plus quæ intelligi quam quæ dici possent efflagitabant: dicentes quidem verborum superfluam esse prolationem, quam intelligentia non sequeretur, nec credi posse aliquid nisi primitus intellectum, et ridiculosum esse aliquem aliis prædicare quod nec ipse, nec illi quos doceret intellectu capere possent, Domino ipso arguente quod *cæci* essent *duces cæcorum*[6]. Quem quidem tractatum quum vidissent et legissent plurimi[7], cœpit in commune omnibus plurimum placere, quod in eo pariter omnibus satisfieri super hoc quæstionibus videbatur. Et quoniam quæstiones istæ præ omnibus difficiles videbantur, quanto earum major extiterat gravitas, tanto solutionis earum censebatur major subtilitas[8]. Unde æmuli mei vehementer accensi concilium contra me congregaverunt[9], maxime duo illi antiqui insidiatores[10], Albericus scilicet et Lotulfus, qui jam defunctis magistris eorum et nostris[11], Guillelmo scilicet atque Anselmo, post eos quasi regnare se solos appetebant, atque etiam ipsis tanquam hæredes succedere. Quum autem utrique Remis scholas regerent, crebris[12] suggestionibus archiepiscopum suum Radulphum[13] adversum me commoverunt[14], ut, ascito Conano prænestino episcopo[15], qui tunc legatione fungebatur in Gallia, conventiculum quemdam sub nomine concilii[16] in suessionensi civitate celebrarent; meque invitarent quatenus illud opus cla-

Remensis archiepiscopus in Abælardum.

[1] Euseb. *Hist. Eccles.* lib. VI, cap. VII. — [2] *Maxime* RMS. — [3] *Ausissem* RMS. — [4] *Perpetuo* RMS. — [5] Vide not. XXVIII. — [6] Matth. cap. XV, v. 14. — [7] Vide not. XXIX. — [8] *Vis* RMS. — [9] *Mihi maxime contrarium elegerunt* RMS. — [10] Vide not. XXX. — [11] Vide not. XXXI. — [12] *Injustis* RMS. — [13] Sic ABC. — *Rodulphum* Edit. Amb. — [14] Vide not. XXXII. — [15] Vide not. XXXIII. — [16] Vide not. XXXIV.

Concilium contra eum.

rum, quod de trinitate composueram, mecum afferrem. Et factum est ita. Antequam autem illuc pervenirem, duo illi prædicti æmuli nostri ita me in clero et populo diffamaverunt, ut pene me populus paucosque qui advenerant ex discipulis nostris, prima die nostri adventus lapidarent, dicentes me tres Deos prædicare et scripsisse, sicut ipsis persuasum fuerat. Accessi autem, mox ut ad civitatem veni, ad legatum; eique libellum nostrum inspiciendum et dijudicandum tradidi; et me, si aliquid scripsissem quod a catholica fide dissentiret[1], paratum esse ad correptionem[2] vel satisfactionem obtuli. Ille autem statim mihi præcepit libellum ipsum archiepiscopo illisque æmulis meis deferre, quatenus ipsi me judicarent, qui me super hoc accusabant : ut illud in me etiam compleretur, « et inimici nostri sunt judices[3]. » Sæpius autem illi inspicientes atque revolventes libellum, nec quid in audientia[4] proferre adversum me auderent invenientes, distulerunt usque in finem concilii libri, ad quam anhelabant, damnationem. Ego autem singulis diebus antequam sederet[5] concilium, in publico omnibus secundum quam scripseram fidem catholicam disserebam, et cum magna admiratione omnes qui audiebant, tam verborum apertionem[6] quam sensum nostrum commendabant. Quod quum populus et clerus inspiceret, cœperunt adinvicem dicere : Ecce nunc palam loquitur, et nemo in eum aliquid dicit. Et concilium ad finem festinat, maxime in eum, ut audivimus, congregatum. Nunquid judices cognoverunt quia ipsi potius quam ille errant ? Ex quo æmuli nostri quotidie magis ac magis inflammabantur[7]. Quadam autem die, Albericus ad me animo intentandum[8] cum quibusdam discipulis suis accedens, post quædam blanda colloquia, dixit se mirari quoddam, quod in libro illo notaverat : quod scilicet, quum Deus Deum genuerit, nec nisi unus Deus sit, negarem tamen Deum seipsum genuisse. Cui statim respondi : Super hoc, si vultis, rationem proferam[9]. Non curamus, inquit ille, rationem humanam, aut sensum nostrum in talibus, sed auctoritatis verba solummodo. Cui ego : Vertite, inquam, folium libri, et invenietis auctoritatem[10]. Et erat præsto liber quem secum ipse detulerat. Revolvi ad locum quem noveram, quem ipse minime compererat, aut qui non nisi mihi nocitura quærebat. Et voluntas Dei fuit, ut cito occurreret mihi quod volebam. Erat autem sententia intitulata[11] : *Augustinus de Trinitate lib. I*[12] : « Qui putat ejus potentiæ Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errat quod non solum Deus ita non est ; sed nec spi-

[1] *Catholicæ et veræ fidei dissonum* RMS. — [2] Sic habet editio Orelliana e variant. lect. Amboes. – *Correctionem* Edit. Amb. — [3] *Deuter.* cap. XXXII, v. 31. — [4] *Cœtu* RMS. — [5] *Cederet* MS. Amb. — [6] *Explicationem* RMS. — [7] *Accensi fuerant* RMS. — [8] Sic Edit. Orell. et MS. Amb. – *Intentatis*, quod in cæteris editionibus et manuscriptis legitur, prava certe lectio est. – Translatio Gallica : « Ung jour vint à moy « Aubery, aveque aucun sien disciple, en couraigé de « moy tempter. » — [9] *Ad hoc probandum, si velitis, argumenta non sophistica audi* RMS. — [10] *Auctorem* ABC. — [11] *Gessit hunc titulum sententia* RMS. — [12] Cap. I, *Opp.*, Parisiis, 1688, in-fol., t. VIII, col. 749.

ritualis creatura, nec corporalis. Nulla enim omnino res est, quæ seipsam gignat. » Quod quum discipuli ejus qui aderant, audissent, obstupefacti erubescebant. Ipse autem, ut se quoquomodo protegeret : Bene, inquit, est intelligendum. Ego autem subjeci[1], hoc non esse novellum[2], sed ad præsens nihil attinere, quum ipse verba tantum, non sensum requisisset. Si autem sensum et rationem attendere[3] vellet, paratum me dixi ei ostendere secundum ejus sententiam, quod in eam lapsus esset hæresim, secundum quam[4] is qui pater est sui ipsius filius sit. Quo ille audito, statim quasi furibundus effectus, ad minas conversus est, asserens nec rationes meas, nec auctoritates mihi in hac causa suffragaturas esse. Atque ita recessit. Extrema vero die concilii, priusquam residerent, diu legatus ille atque archiepiscopus cum æmulis meis et quibusdam personis deliberare cœperunt, quid de meipso et libro meo[5] statueretur, pro quo maxime vocati[6] fuerant. Et quoniam ex verbis meis, aut scripto quod erat in præsenti, non habebant quod in me prætenderent, omnibus aliquantulum conticentibus, aut jam mihi minus aperte detrahentibus, Gaufridus, carnotensis episcopus[7], qui ceteris episcopis et religionis nomine et sedis dignitate præcellebat, ita exorsus est : « Nostis, domini omnes qui adestis, hominis hujus doctrinam, qualiscunque sit, ejusque ingenium, in quibuscunque studuerit, multos assentatores[8] et sequaces habuisse, et magistrorum tam suorum quam nostrorum famam maxime compressisse, et quasi ejus vineam a mari usque ad mare palmites suos extendisse. Si hunc præjudicio, quod non arbitror[9], gravaveritis, etiamsi recte, multos vos offensuros sciatis et non deesse plurimos qui eum defendere velint ; præsertim quum in præsenti scripto nulla videamus, quæ aliquid obtineant apertæ calumniæ ; et quia juxta illud Hieronymi[10] : « Semper in propatulo fortitudo æmulos habet, »

. . . . feriuntque summos
Fulgura montes[11],

videte ne plus ei nominis conferatis violenter agendo, et plus nobis criminis ex invidia, quam ei ex justitia conquiramus. « Falsus enim rumor, » ut prædictus doctor meminit[12], « cito opprimitur, et vita posterior judicat de priore. » Si autem canonice agere in eum disponitis, dogma ejus vel scriptum in medium proferatur, et interrogato libere respondere liceat, ut convictus vel confessus[13] penitus obmutescat juxta illam saltem beati Nicodemi sententiam, qua dominum ipsum liberare cupiens, aiebat[14] : « Nunquid lex nostra judicat hominem,

[1] *Subjunxi* RMS. — [2] *Novellum* ABCD. - *Novum* RMS. — [3] *Observare* RMS. — [4] *Hæresim qua is* AD. — [5] *Nostro* D. — [6] *Convocati* D. — [7] Vide not. xxxv. — [8] Sic ABCD. - *Assectatores* Edit. Amb. — [9] *Quod arbitror* D. — [10] *Quæst. Hebr. in Genes.*, procœm., *Opp.* t. II, col. 506. — [11] Horat. *Carm* lib. II, x. — [12] Epist. XLVII, *ad Furiam*, *Opp.* t. IV, col. 559. — [13] *Confusus* MS. Amb. — [14] Joan. cap. VII, v. 51.

nisi audierit ab ipso prius, et cognoverit quid faciat? » Quo audito, statim æmuli mei obstrepentes exclamaverunt : « O sapientis [1] consilium, ut contra ejus verbositatem [2] contendamus, cujus argumentis vel sophismatibus universus obsistere mundus non posset! » Sed certe multo difficilius erat cum ipso contendere Christo, ad quem tamen audiendum Nicodemus juxta Legis sanctionem invitabat. Quum autem episcopus ad id quod proposuerat eorum animos inducere [3] non posset, alia via eorum invidiam refrenare attentat [4], dicens ad discussionem tantæ rei, paucos qui aderant non posse sufficere [5], majorisque examinis causam hanc indigere; in hocque ulterius tantum suum esse consilium, ut ad abbatiam meam, hoc est monasterium Sancti Dionysii, abbas meus, qui aderat, me reduceret; ibique pluribus ac doctioribus personis convocatis, diligentiori examine quid super hoc faciendum esset statueretur. Assensit legatus huic novissimo consilio, et cæteri omnes. Inde mox legatus assurrexit, ut missam celebraret, antequam concilium intraret, et mihi per episcopum illum licentiam constitutam mandavit, revertendi scilicet ad monasterium nostrum, ibi expectaturo quod condictum [6] fuerat. Tunc æmuli mei, nihil se egisse cogitantes si extra diocesim suam hoc negotium ageretur, ubi videlicet judicium minime exercere valerent, qui scilicet de justitia minus confidebant, archiepiscopo persuaserunt hoc sibi valde ignominiosum esse [7], si ad aliam audientiam [8] causa hæc transferretur, et periculosum fieri, si sic evaderem. Et statim ad legatum concurrentes, ejus immutaverunt sententiam, et ad hoc invitum pertraxerunt, ut librum sine ulla inquisitione damnaret, atque in conspectu omnium statim combureret, et me in alieno monasterio perenni clausura cohiberet [9]. Dicebant enim ad damnationem libelli satis hoc esse debere, quod nec romani pontificis, nec Ecclesiæ auctoritate commendatum legere publice præsumpseram [10], atque ad transcribendum jam pluribus eum ipse præstitissem; et hoc perutile futurum fidei christianæ, si exemplo mei multorum similis præsumptio [11] præveniretur. Quia autem legatus ille minus quam necesse esset, litteratus fuerat, plurimum archiepiscopi consilio utebatur [12], sicut et archiepiscopus illorum. Quod quum carnotensis præsensisset episcopus, statim machinamenta hæc ad me retulit, et me vehementer hortatus est, ut hoc tanto lenius tolerarem, quanto violentius agere eos omnibus patebat; atque hanc tam manifestæ invidiæ violentiam eis plurimum obfuturam, et mihi profuturam non dubitarem; nec de clausura monasterii ullatenus perturbarer, sciens profecto legatum ipsum, qui coactus hoc faciebat, post paucos dies,

[1] Sic ABC et MS. Amb. *Sapiens* Edd. — [2] *Plurima ipsius verba sesquipedalia* RMS. — [3] *Flectere* RMS. — [4] *Conatur totis viribus* RMS. — [5] *Æquioris* inseritur RMS. — [6] *Indictum* RMS. — [7] *Fore sibi dedecori perpetuo* RMS. — [8] *Curiam* RMS. — [9] *Includeret* RMS. — [10] *Non dubitaverunt* RMS. — [11] *Audacia* RMS. — [12] Sic ABC et MS. Amb. – *Nitebatur* Edit. Amb.

quum hinc recesserit, me penitus liberaturum. Et sic me ut potuit flentem flens et ipse consolatus est.

CAP. X. De combustione ipsius libri.

Vocatus itaque statim ad concilium adfui, et sine ullo discussionis[1] examine meipsum compulerunt propria manu librum memoratum meum in ignem projicere. Et sic combustus est, ut tamen quum nihil dicere viderentur, quidam de adversariis meis id submurmuravit[2], quod in libro scriptum deprehenderat solum Deum patrem[3] omnipotentem esse. Quod quum legatus subintellexisset, valde admirans ei respondit hoc nec de puerulo[4] aliquo credi debere, quod adeo erraret, quum communis, inquit, fides et teneat et profiteatur tres omnipotentes esse. Quo audito Terricus quidam, scholarum magister, irridendo subintulit illud Athanasii[5] : « Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. » Quem quum episcopus suus increpare cœpisset, et reprimere quasi reum, qui in majestatem loqueretur, audacter ille restitit, et quasi Danielis verba commemorans, ait[6] : « Sic fatui filii Israel, non judicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filium Israel. Revertimini ad judicium, et de ipso judice judicate, qui talem judicem quasi ad instructionem fidei et correctionem erroris[7] instituistis, qui quum judicare deberet, ore se proprio condemnavit. Divina hodie misericordia innocentem patenter, sicut olim Susannam a falsis accusatoribus, liberate. » Tunc archiepiscopus assurgens, verbis, prout oportebat, commutatis, sententiam legati confirmavit, dicens : « Revera, domine, inquit, omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens spiritus sanctus. Et qui ab hoc dissentit, aperte devius est, nec est audiendus. Et modo si placet, bonum est ut frater ille fidem suam coram omnibus exponat, ut ipsa, prout oportet, vel approbetur, vel improbetur, atque corrigatur. » Quum autem ego ad profitendam et exponendam fidem meam assurgerem, ut quod sentiebam verbis propriis exprimerem, adversarii dixerunt non aliud mihi necessarium[8] esse, nisi ut symbolum Athanasii recitarem[9], quod quivis puer æque facere posset. Ac ne ex ignorantia prætenderem excusationem, quasi qui verba illa in usu non haberem, scripturam ad legendum afferri fecerunt. Legi inter suspiria, singultus et lacrymas, prout potui. Inde quasi reus et convictus abbati Sancti Medardi[10], qui aderat, traditus, ad claustrum ejus tanquam ad carcerem trahor; statimque concilium solvitur. Abbas autem et monachi illius monasterii me sibi remansurum ulterius arbitrantes, summa exultatione susceperunt, et cum omni diligentia tractantes, consolari frustra nitebantur. Deus qui judicas æquitatem, quanto tunc animi felle, quanta mentis amaritudine teipsum insanus[11] arguebam, te furibundus

[1] *Discursus* RMS. — [2] *Susurravit* RMS. — [3] *Solum patrem Deum* ABD. — [4] *Parvulo* MS. Amb. — [5] *In Symbolo.* — [6] Daniel cap. XIII, v. 48. — [7] *Errorum* MS. Amb. — [8] *Necessum* MS. Amb. — [9] *Proferrem* RMS. — [10] Vide not. XXXVI. — [11] Sic ABD. - *Infamis* Edit. Amb.

accusabam[1], sæpius repetens illam beati Antonii conquestionem[2] : « Jesu bone, ubi eras[3]? » Quanto autem dolore æstuarem, quanta erubescentia confunderer, quanta desperatione perturbarer[4], sentire tunc potui, proferre[5] non possum. Conferebam cum his quæ in corpore passus olim fueram, quanta nunc sustinerem; et omnium hominum me æstimabam miserrimum. Parvam illam ducebam proditionem in comparatione hujus injuriæ[6], et longe amplius famæ quam corporis detrimentum plangebam : quum ad illam ex aliqua[7] culpa devenerim, ad hanc me tam patentem violentiam sincera intentio amorque fidei nostræ induxissent, quæ me ad scribendum compulerant. Quum autem hoc tam crudeliter et inconsiderate factum omnes ad quos fama delatum est vehementer arguerent, singuli qui interfuerant a se culpam repellentes in alios transfundebant[8] : adeo ut ipsi quoque æmuli nostri id consilio suo factum esse denegarent, et legatus coram omnibus invidiam Francorum super hoc maxime detestaretur. Qui statim pœnitentia ductus post aliquos dies, quum ad tempus coactus satisfecisset illorum invidiæ, me de alieno eductum monasterio ad proprium remisit; ubi fere quotquot erant olim jam, ut supra memini, infestos habebam; quum eorum vitæ turpitudo et impudens conversatio[9] me suspectum penitus haberent[10], quem[11] arguentem graviter sustinerent[12]. Paucis autem elapsis mensibus, occasionem eis fortuna obtulit, qua me perdere molirentur. Fortuitu[13] namque mihi quadam die legenti occurrit quædam Bedæ sententia qua in expositione *Actuum Apostolorum* asserit Dionysium areopagitam Corinthiorum potius quam Atheniensium fuisse episcopum[14]. Quod valde eis contrarium videbatur, qui suum Dionysium esse illum areopagitam jactitant, quem ipsum atheniensem episcopum gesta ejus fuisse profitentur[15]. Quod quum reperissem, quibusdam circumstantium fratrum quasi jocando monstravi, testimonium scilicet illud Bedæ, quod nobis objiciebatur. Illi vero valde indignati, dixerunt Bedam mendacissimum scriptorem, et se Hildonium[16] abbatem suum veriorem habere testem, qui pro hoc investigando Græciam diu perlustravit, et rei veritate agnita, in gestis illius, quæ conscripsit, hanc veraciter dubitationem removit[17]. Unde quum unus eorum importuna interrogatione pulsaret, quid mihi super hac controversia, Bedæ videlicet atque Hildonii, videretur, respondi, Bedæ auctoritatem, cujus scripta universæ Latinorum frequentant Ecclesiæ[18], gratiorem mihi videri. Ex quo illi vehementer accensi,

[1] *Te furibundus accusabam* desunt in codice B. — [2] *Querimoniam* RMS. — [3] In Vitâ Antonii inter *Vitas Patrum*, opera et studio Heriberti Rosweydi, Antwerpiæ, 1628, in-fol., p. 39 — [4] *Quantus rubor faciem occupavit! Quanta fuit animi perturbatio!* RMS. — [5] *Verbis non exprimere* RMS. — [6] *Parvi illam æstimavi perfidiam hac injuria infanda collocatam* RMS. — [7] *Antiqua* MS. — [8] *Transferebant* RMS. — [9] *Prava consuetudo* RMS. — [10] *Haberet* D. — [11] *Quod* MS. Amb. — [12] *Sustineret* D. — [13] *Forte enim* RMS. — [14] Vide not. xxxvii. — [15] *Confitentur* RMS. — [16] Sic e fide omnium fere istius ætatis scriptorum. At in codicibus et editionibus, præter Orellianam, *Huldonium* legitur. — [17] *Hoc veracissime dubium solvit* RMS. — [18] *Universa colit Latinorum Ecclesia* RMS.

De persecutione abbatis sui et fratrum in eum.

clamare cœperunt, nunc me patenter ostendisse, quod semper monasterium illud nostrum infestaverim, et quod nunc maxime toti regno derogaverim, ei videlicet honorem illum auferens, quo singulariter gloriaretur, quum eorum patronum areopagitam fuisse denegarem. Ego autem respondi, nec me hoc denegasse, nec multum curandum esse[1], utrum ipse areopagita an aliunde fuerit, dummodo tantam apud Deum adeptus sit[2] coronam. Illi vero ad abbatem statim concurrentes, quod mihi imposuerant[3] nuntiaverunt. Qui libenter hoc audivit, gaudens se occasionem aliquam adipisci qua me opprimeret, utpote qui quanto cæteris turpius vivebat, magis me verebatur. Tunc concilio suo congregato, et fratribus congregatis[4], graviter mihi comminatus est, et se ad regem cum festinatione missurum dixit, ut de me vindictam sumeret, tanquam regni sui gloriam et coronam ei auferente; et me interim bene observare præcepit, donec me regi traderet. Ego autem ad regularem disciplinam, si quid deliquissem, frustra me offerebam. Tunc ego nequitiam eorum vehementer exhorrens, utpote qui tandiu[5] tam adversam habuissem[6] fortunam, penitus desperatus, quasi adversum me universus conjurasset mundus, quorumdam consensu fratrum mei miserantium, et quorumdam discipulorum nostrorum suffragio, nocte latenter aufugi, atque ad terram comitis Theobaldi[7] proximam, ubi antea in cella moratus fueram, abcessi. Ipse quippe et mihi aliquantulum notus erat, et oppressionibus meis[8] quas audierat admodum compatiebatur. Ibi autem in castro Privigni[9] morari cœpi, in cella videlicet quadam trecensium monachorum, quorum prior antea mihi familiaris extiterat, et valde[10] dilexerat : qui valde in adventu meo gavisus, cum omni diligentia me procurabat. Accidit autem quadam die, ut ad ipsum castrum abbas noster ad prædictum comitem pro quibusdam suis negotiis veniret. Quo cognito, accessi ad comitem cum priore illo, rogans eum quatenus pro me ipse intercederet ad abbatem nostrum, ut me absolveret, et licentiam daret vivendi monastice ubicunque mihi competens locus occurreret. Ipse autem, et qui cum eo erant, in consilio rem posuerunt, responsuri comiti super hoc in ipsa die, ante quam recederent. Inito autem consilio, visum est eis me ad aliam abbatiam velle transire, et hoc suæ dedecus immensum fore. Maximæ namque gloriæ sibi imputabant, quod ad eos in conversione mea divertissem, quasi cæteris omnibus abbatiis contemptis; et nunc maximum sibi imminere dicebant opprobrium, si eis abjectis, ad alios transmearem. Unde nullatenus vel me, vel comitem super hoc audierunt; imo mihi statim comminati sunt, quod nisi festinus redirem, me excommunicarent; et priori illi, ad

[1] *Interesse* RMS. — [2] *Acquisivit* RMS. — [3] *Imposituri erant* MS. Amb. — [4] *Convocatis* D. — [5] *Jam* BD. — [6] *Sensissem* RMS. — [7] Vide not. xxxviii. — [8] *Doloribus meis quos* RMS. — [9] *Pruvini* MS. Amb. Vide not. xxxix. — [10] *Plurimum* RMS.

quem refugeram, modis omnibus interdixerunt ne me deinceps retineret, nisi excommunicationis particeps esse sustineret. Quo audito, tam prior ipse quam ego valde anxiati fuimus[1]. Abbas autem in hac obstinatione[2] recedens, post paucos dies defunctus est[3]. Cui quum alius successisset[4], conveni eum cum episcopo meldensi[5], ut mihi hoc quod a prædecessore ejus petieram, indulgeret. Cui rei quum nec ille primo acquiesceret, postea intervenientibus amicis quibusdam nostris, regem et consilium ejus super hoc compellavi; et sic quod volebam impetravi[6]. Stephanus quippe regis tunc dapifer[7], vocato[8] in partem abbate et familiaribus ejus, quæsivit ab eis cur me invitum retinere vellent, ex quo incurrere facile scandalum possent, et nullam utilitatem habere; quum nullatenus vita mea et ipsorum convenire[9] possent. Sciebam autem in hoc regii consilii sententiam esse, ut quo minus regularis abbatia illa esset, magis regi esset subjecta atque utilis, quantum videlicet ad lucra temporalia; unde me facile regis et suorum assensum consequi credideram; sicque actum est. Sed ne glorationem[10] suam quam de me habebat, monasterium nostrum amitteret, concesserunt mihi ad quam vellem solitudinem transire, dummodo nulli me abbatiæ subjugarem[11]; hocque in præsentia regis et suorum utrinque assensum est et confirmatum. Ego itaque ad solitudinem quamdam, in trecensi pago, mihi antea cognitam, me contuli, ibique a quibusdam terra mihi donata, assensu episcopi terræ[12], oratorium quoddam in nomine sanctæ Trinitatis[13], ex calamis[14] et culmo primum construxi, ubi cum quodam clerico nostro latitans, illud vere Domino poteram decantare : « Ecce elongavi fugiens, et mansi solitudine[15]. »

Quod quum cognovissent scholares[16], cœperunt undique concurrere, et relictis civitatibus et castellis, solitudinem inhabitare, et pro amplis domibus, parva tabernacula sibi construere, et pro delicatis cibis, herbis agrestibus et pane cibario victitare, et pro mollibus stratis, culmum sibi et stramen comparare, et pro mensis, glebas erigere. Et vere eos priores philosophos imitari crederes, de quibus et Hieronymus in libro secundo *Contra Jovinianum* his commemorat verbis : « Per[17] sensus, quasi per quasdam fenestras, vitiorum ad animam introitus est. Non potest metropolis et arx mentis capi, nisi per portas irruerit hostilis exercitus. Si circensibus quispiam delectatur, si athletarum certamine, si mobilitate histrionum, si formis mulierum, si splendore gemmarum, vestium, et cæteris hujusmodi, per oculorum fenestras animæ capta libertas est, et impletur illud propheticum[18] : *Mors intravit per fenestras nostras*. Igitur CAP. XI.

[1] *Toti dolore immersi* RMS. — [2] *Mente obdurata* RMS. — [3] Vide not. XL. — [4] Vide not. XLI. — [5] Vide not. XLII — [6] *Votis meis ardentissimis obsecundavit* RMS. — [7] Vide not. XLIII. — [8] *Citato* RMS. — [9] *Congruere* MS. Amb. — [10] *Victoriam* RMS. — [11] *Subjicerem* RMS. — [12] Vide not. XLIV. — [13] Vide not. XLV. — [14] *Callis* D. — [15] Psalm. LIV, v. 8. — [16] Vide not. XLVI. — [17] *Quinque* interseritur ABD. — [18] *Jerem.* cap. IX, v. 21.

quum per has portas, quasi quidam perturbationum cunei ad arcem nostræ mentis intraverint, ubi erit libertas? ubi fortitudo ejus? ubi de Deo cogitatio? Maxime quum tactus depingat sibi etiam præteritas voluptates, et recordatione vitiorum cogat animam compati, et quodam modo exercere quod non agit. His igitur rationibus invitati, multi philosophorum reliquerunt frequentias urbium et hortulos suburbanos, ubi ager irriguus, et arborum comæ, et susurrus avium, fontis speculum, rivus murmurans, et multæ oculorum auriumque illecebræ, ne per luxum et abundantiam copiarum, animæ fortitudo mollesceret, et ejus pudicitia stupraretur. Inutile quippe est crebro videre per quæ aliquando captus sis, et eorum te experimento committere quibus difficulter careas. Nam et Pythagoræi hujusmodi[1] frequentiam declinantes, in solitudine et desertis locis habitare consueverant. Sed et ipse Plato, quum dives esset et torum ejus Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset vacare philosophiæ elegit academiam villam, ab urbe procul non solum desertam, sed et pestilentem : ut cura et assiduitate morborum, libidinis impetus frangerentur, discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem nisi earum rerum quas discerent. Talem et filii prophetarum, Elisæo adhærentes, vitam referuntur duxisse[2]. De quibus ipse quoque Hieronymus, quasi de monachis illius temporis, *ad Rusticum monachum,* inter cætera ita scribit[3] : « Filii prophetarum, quos monachos in Veteri legimus Testamento, ædificabant sibi casulas prope fluenta Jordanis, et turbis et urbibus derelictis, polenta et herbis agrestibus victitabant. » Tales discipuli nostri ibi super Arduzonem fluvium casulas suas ædificantes, eremitæ magis quam scholares videbantur. Quanto autem illuc major scholarium erat confluentia, et quanto duriorem[4] in doctrina nostra vitam sustinebant, tanto amplius mihi æmuli æstimabant gloriosum, et sibi ignominiosum. Qui quum cuncta quæ poterant[5] in me egissent, omnia cooperari mihi in bonum dolebant; atque ita juxta illud Hieronymi, me procul ab urbibus, foro, litibus, turbis remotum, sic quoque, ut Quintilianus ait[6], latentem invenit invidia, quia[7] apud semetipsos tacite conquerentes, et ingemiscentes, dicebant : Ecce mundus totus post eum abiit, nihil persequendo profecimus : sed magis eum gloriosum[8] effecimus. Extinguere nomen ejus studuimus, sed magis accendimus. Ecce in civitatibus omnia necessaria scholares ad manum habent, et civiles delicias contemnentes, ad solitudinis inopiam confluunt, et sponte miseri fiunt. Tunc autem præcipue ad scholarum regimen intolerabilis[9] me compulit paupertas[10], quum « fodere non valerem, et

[1] Sic Edit. et Cod. ABC. – *Cœnobii* D. — [2] *Reg.* IV, cap. VI. — [3] Epist. XCXV, *ad Rusticum, Opp.* t. IV, col. 772. — [4] *Severiorem* RMS. — [5] *Potuerant* MS. Amb. — [6] *Instit. orat.* XII, cap. VIII, X. — [7] *Qui* MS. Amb. — [8] *Clarum* RMS. — [9] Inscritur *et ridicula* RMS. — [10] Inseruntur hæc verba : *Ingenii mater* RMS.

mendicare erubescerem[1]. » Ad artem itaque, quam noveram, recurrens[2], pro labore manuum, ad officium linguæ compulsus sum. Scholares autem ultro mihi quælibet necessaria præparabant[3], tam in victu scilicet quam in vestitu vel cultura agrorum, seu in expensis ædificiorum, ut nulla me scilicet a studio cura domestica retardaret[4]. Quum autem oratorium nostrum modicam eorum portionem capere non posset, necessario ipsum dilataverunt, et de lapidibus et lignis construentes melioraverunt[5]. Quod quum in nomine[6] sanctæ Trinitatis esset fundatum, ac postea dedicatum; quia tamen ibi profugus ac jam[7] desperatus divinæ gratia consolationis aliquantulum respirassem, in memoriam hujus beneficii, ipsum Paracletum[8] nominavi. Quod multi audientes, non sine magna admiratione susceperunt, et nonnulli hoc vehementer calumniati sunt[9]; dicentes non licere Spiritui sancto specialiter magis quam Deo patri ecclesiam aliquam assignari; sed vel soli filio, vel toti simul Trinitati, secundum antiquam consuetudinem. Ad quam nimirum calumniam hic eos error plurimum induxit[10], quod inter paracletum et Spiritum paracletum nihil referre crederent, quum ipsa quoque Trinitas et quælibet in Trinitate persona, sicut Deus vel adjutor dicitur, ita et paracletus, id est consolator recte nuncupetur, juxta illud apostoli[11] : « Benedictus Deus et pater domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. » Et secundum quod Veritas ait[12] : « Et alium paracletum dabit vobis. » Quid etiam impedit, quum omnis Ecclesia in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti pariter consecretur, nec sic eorum in aliquo possessio diversa[13], quod domus Domini non ita Patri, vel Spiritui sancto adscribatur, sicut Filio? Quis titulum ejus, cujus est ipsa domus, de fronte vestibuli radere præsumat[14]? Aut quum se Filius in sacrificium Patri obtulerit, et secundum hoc in celebrationibus missarum specialiter ad Patrem orationes dirigantur, et hostiæ fiat immolatio; cur ejus præcipue altare esse non videatur, cui maxime supplicatio et sacrificium agitur? Nunquid rectius ejus cui immolatur, quam illius qui immolatur[15], altare dicendum est[16]? An melius dominicæ crucis, aut sepulcri, vel beati Michaelis, seu Joannis, aut Petri, aut alicujus sancti, qui nec ibi immolantur, nec eis immolatur, aut obsecrationes eis fiunt, altare quis esse confitebitur? Nimirum nec inter idolatras altaria vel templa aliquorum dicebantur, nisi quibus ipsi sacrificium atque obsequium impendere intendebant. Sed fortasse dicat aliquis, ideo Patri non esse vel ecclesias, vel altaria

De Paracleti appellatione.

[1] Luc. cap. xvi, v. 3.—[2] *Revertens.*—[3] *Parabant.*—[4] *Impediret* RMS.—[5] *Incolaverunt* MS. Amb.—[6] *Honore* C et MS. Amb.—[7] Sic ABD.—*Tam* Edit.—[8] *Paraclitum* C et MS. Amb.—[9] *Hanc ob causam me plurimis affecerunt contumeliis* RMS.—[10] *Adegit* RMS.—[11] *Corinth. II*, cap. I, v. 3 et 4.—[12] Joan. cap. xiv, v. 16.—[13] *Divisa* MS. Amb.—[14] *Audeat* RMS.—[15] *Immolat* D.—[16] *Nunquid rectius.... dicendum est* desunt in Cod. AB.

dedicanda, quod ejus aliquod festum[1] non existit, quod specialem ei solemnitatem tribuat. Sed hæc profecto ratio ipsi hoc Trinitati aufert, et Spiritui sancto non aufert, quum ipse quoque Spiritus ex adventu suo propriam habeat Pentecostes solemnitatem, sicut filius ex suo Natalis sui festivitatem. Sicut enim filius missus est in mundum, ita et Spiritus sanctus in discipulos[2] propriam sibi vindicat solemnitatem. Cui etiam probabilius quam alicui aliarum personarum templum adscribendum videtur, si diligentius apostolicam attendamus[3] auctoritatem, atque ipsius Spiritus operationem. Nulli enim trium personarum spirituale[4] templum specialiter adscribit apostolus, nisi Spiritui sancto. Non enim ita templum Patris, vel templum Filii dicit, sicut templum Spiritus sancti, in prima *ad Corinthios* ita scribens[5]: « Qui adhæret Domino, unus spiritus est. » Item: « An nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? » Quis etiam divinorum sacramenta beneficiorum, quæ in Ecclesia fiunt, operationi divinæ gratiæ, qua Spiritus sanctus intelligitur, nesciat specialiter adscribi? Ex aqua quippe et Spiritu sancto, in baptismo renascimur, et tunc primo quasi speciale templum Deo constituimur. In consummatione quoque septiformis Spiritus gratia traditur, quibus ipsum Dei templum adornatur atque dedicatur. Quid ergo mirum, si ei personæ cui specialiter spirituale templum apostolus tribuit, nos corporale assignemus? Aut cujus personæ rectius ecclesia esse dicitur, quam ejus cujus operationi cuncta quæ in ecclesia ministrantur beneficia specialiter assignantur? Non tamen hoc ita conjicimus[6], ut quum Paracletum primo nostrum vocaverimus oratorium, uni ipsum personæ nos dicasse fateamur; sed propter eam quam supra reddidimus causam, in memoriam scilicet nostræ consolationis, quanquam si illo quoque, quo creditur, modo id fecissemus, non esset[7] rationi adversum, licet consuetudini incognitum.

CAP. XII. De persecutione quorumdam quasi novorum apostolorum in eum.

Hoc autem loco me corpore latitante, sed fama tunc maxime[8] universum mundum perambulante, et illius poetici figmenti quod Echo dicitur[9] instar penitus recinente[10], quod videlicet plurimum vocis habeat[11], sed nihil subest: priores æmuli, quum per se jam minus valerent, quosdam adversum me novos apostolos, quibus mundus plurimum credebat, excitaverunt; quorum alter regularium canonicorum vitam, alter monachorum se resuscitasse gloriabatur[12]. Hi prædicando per mundum discurrentes, et me impudenter quantum poterant corrodentes, non modice[13] tam ecclesiasticis quibusdam quam secularibus po-

[1] Sic MS. Amb. – *Factum* Edit. Amb. — [2] *Discipulis* D. — [3] *Curemus* RMS. — [4] Sic C. et MS. Amb. – *Speciale* Edit. Amb. — [5] *Corinth. I*, cap. VI, v. 17 et 19. — [6] Sic ABC. – *Cognovimus* B. – *Agitamus* MS. Amb. – *Cogitamus* Edit. — [7] *Est* MS. Amb. — [8] Sic ABCD. – *Maxime* deest in editionibus. — [9] Ovid. *Metam*. III, v. 358 et sq. — [10] *Retinente* ABC. – *Resonante* MS. Amb. — [11] *Habet* ABC. — [12] Vide not. XLVII. — [13] *Modicum* MS. Amb.

testatibus contemptibilem[1] ad tempus effecerunt, et de mea tam fide quam vita, adeo sinistra disseminaverunt, ut ipsos quoque amicorum nostrorum præcipuos a me averterent, et si qui adhuc[2] pristini amoris erga me aliquid retinerent, hoc ipsi modis omnibus, metu illorum, dissimularent. Deus ipse mihi testis est, quoties aliquem ecclesiasticarum personarum conventum adunari noveram, hoc in damnationem meam agi credebam. Stupefactus illico quasi supervenientis ictum fulguris, expectabam ut quasi hæreticus aut profanus in conciliis traherer[3], aut synagogis. Atque ut de pulice ad leonem, de formica ad elephantem comparatio ducatur, non me mitiori animo persequebantur æmuli mei, quam beatum olim Athanasium hæretici. Sæpe autem (Deus scit) in tantam lapsus sum desperationem[4], ut Christianorum finibus excessis, ad gentes transire disponerem[5], atque ibi quiete, sub quacunque tributi pactione, inter inimicos Christi christiane vivere[6]; quos tanto magis[7] propitios me habiturum credebam, quanto me minus christianum ex imposito mihi crimine suspicarentur, et ob hoc facilius ad sectam suam inclinari posse crederent.

CAP. XIII. De abbatia ad quam assumptus est, et persecutione tam filiorum, id est monachorum, quam tyranni in eum.

Quum autem tantis[8] perturbationibus incessanter affligerer, atque hoc extremum mihi superesset consilium, ut apud inimicos Christi ad Christum confugerem; occasionem quamdam adeptus qua insidias istas paululum declinare me credidi, incidi in christianos atque monachos gentibus longo sæviores, atque pejores. Erat quippe in Britannia minore, in episcopatu Venetensi[9], abbatia quædam Sancti Gildasii Ruiensis[10], pastore defuncto desolata, ad quam me concors fratrum electio cum assensu principis terræ vocavit, atque hoc ab abbate nostro et fratribus facile impetravit; sicque me Francorum invidia ad Occidentem, sicut Hieronymum Romanorum expulit ad Orientem. Nunquam enim huic rei (sciat Deus) acquievissem, nisi ut quocunque modo has quas incessanter sustinebam oppressiones, ut dixi, declinarem. Terra quippe barbara, et terræ lingua mihi incognita erat, et turpis atque indomabilis illorum monachorum vita omnibus fere notissima, et gens terræ illius inhumana atque incomposita. Sicut ergo ille, qui imminente sibi gladio perterritus in præcipitium se collidit, et, ut puncto temporis[11] mortem unam differat, aliam incurrit: sic ego ab uno periculo in aliud scienter me contuli, ibique ad horrisoni undas Oceani, quum fugam mihi ulterius terræ postremitas[12] non præberet, sæpe in orationibus meis illud revolvebam[13]: « A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum. » Quanta enim anxietate illa etiam quam regendam susceperam indisciplinata[14] fratrum congregatio cor

[1] *Abjectum* RMS. — [2] Sic D recte. - *Et si quid adhuc* AB. - *Et qui adhuc* Edit. Amb. — [3] *Abriperer* RMS. — [4] *Eatenus spem abjeci* RMS. — [5] *Statuerem* RMS. — [6] *Vitam ducere non eligendam* RMS. — [7] Sic AC. - *Integre* Edit. — [8] *Assiduis* RMS. — [9] *Vanetensi* B. - *Venecensi* D. — [10] Sic MS. Amb. - *Rivensis* Edit. - Vulgo *de Ruys*. Vide not. XLVIII. — [11] *Ipso temporis articulo* RMS. — [12] *Extremitas* RMS. — [13] Psalm. LX, v. 3. — [14] *Male instructa* RMS.

meum die ac nocte cruciaret, quum tam animæ meæ quam corporis pericula pensarem, neminem jam latere arbitror. Certum quippe habebam quod si eos ad regularem vitam quam professi fuerant compellere tentarem[1], me vivere non posse, et[2] si hoc in quantum possem non agerem, me damnandum[3] esse. Ipsam etiam abbatiam tyrannus quidam in terra illa potentissimus ita jam diu sibi subjugaverat, ex inordinatione scilicet ipsius monasterii nactus occasionem, ut omnia loca monasterio adjacentia in usus proprios redegisset, ac gravioribus exactionibus monachos ipsos quam tributarios judæos exagitaret. Urgebant me monachi pro necessitudinibus quotidianis, quum nihil in commune haberent quod eis ministrarem, sed unusquisque de propriis olim marsupiis se et concubinas suas cum filiis et[4] filiabus sustentaret. Gaudebant me super hoc anxiari, et ipsi quoque furabantur et asportabant quæ poterant, ut quum in administratione ipsa deficerem, compellerer[5] aut a disciplina cessare, aut omnino recedere. Quum autem tota terræ illius barbaries pariter exlex et indisciplinata[6] esset, nulli erant hominum ad quorum confugere possem adjutorium, quum a moribus omnium pariter dissiderem. Foris me tyrannus ille et satellites sui assidue opprimebant, intus mihi fratres incessanter insidiabantur[7]: ut illud apostoli in me specialiter dictum res ipsa indicaret : « Foris pugnæ, intus timores[8]. » Considerabam, et plangebam quam inutilem et miseram vitam ducerem, et quam infructuose tam mihi quam aliis viverem, et quantum antea clericis profecissem, et quod nunc, eis propter monachos dimissis, nec in ipsis, nec in monachis aliquem fructum haberem, et quam inefficax in omnibus incœptis atque conatibus meis redderer, ut jam mihi de omnibus illud improperari rectissime deberet : « Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare[9]. » Desperabam penitus, quum recordarer quæ fugeram, et considerarem quæ incurrerem[10]; et priores molestias quasi jam nullas reputans, crebro apud me ingemiscens dicebam : Merito hæc patior, qui[11], Paracletum, id est consolatorem, deserens, in desolationem certam me intrusi, et minas evitare cupiens, ad certa confugi pericula. Illud autem plurimum me cruciabat, quod oratorio nostro dimisso, de divini celebratione officii ita ut oporteret providere non poteram; quoniam loci nimia paupertas vix unius hominis necessitudini sufficeret. Sed ipse quoque verus Paracletus mihi maxime super hoc desolato veram attulit consolationem, et proprio prout debebat providit oratorio. Accidit namque ut abbas noster Sancti Dyonisii prædictam illam Argenteoli[12] abbatiam, in qua religionis habitum nostra illa jam in Christo soror potius quam uxor Heloissa susceperat, tanquam ad jus monasterii sui antiquitus

[1] *Conarer* RMS. — [2] Sic ABD. – *Quod si hoc* Edit. — [3] *Damnificandum* MS. Amb. — [4] *Vel* D. — [5] *Compellerent* MS. Amb. — [6] *Rudis* RMS. — [7] *Quotidianas struxerunt insidias* RMS. — [8] *Corinth. II*, cap. VII, v. 5. — [9] Luc. cap. XIV, v. 30. — [10] *In quanta odia inciderem* RMS. — [11] *Quia* C. — [12] *Argentolii* MS. Amb. – Vide not. XLIX.

pertinentem, quocunque modo acquireret, et conventum inde sanctimonialium, ubi illa comes nostra prioratum habebat, violenter expelleret. Quæ quum diversis locis exules dispergerentur, oblatam mihi a Domino intellexi occasionem qua nostro consulerem oratorio. Illuc[1] itaque[2] reversus, eam cum quibusdam aliis de eadem congregatione ipsi adhærentibus, ad prædictum oratorium invitavi[3]; eoque illis adductis, ipsum oratorium cum omnibus ei pertinentibus concessi et donavi; ipsamque postmodum donationem nostram, assensu atque interventu episcopi terræ, papa Innocentius secundus ipsis et earum sequacibus per privilegium in perpetuum corroboravit[4]. Quas ibi quidem primo inopem sustinentes vitam, et ad tempus plurimum desolatas, divinæ misericordiæ respectus, cui devote serviebant, in brevi consolatus est, et se eis quoque verum exhibuit Paracletum, et circumadjacentes populos misericordes eis atque propitios effecit. Et plus (sciat Deus), ut arbitror, uno anno in terrenis commodis[5] sunt multiplicatæ, quam ego per centum, si ibi permansissem. Quippe quo[6] feminarum sexus est infirmior, tanto earum inopia miserabilior facile humanos commovet[7] affectus, et earum virtus tam Deo quam hominibus est gratior. Tantam autem gratiam in oculis omnium illi sorori nostræ, quæ cæteris præerat[8], Dominus annuit, ut eam episcopi quasi filiam, abbates quasi sororem, laici quasi matrem diligerent; et omnes pariter ejus religionem, prudentiam, et in omnibus incomparabilem patientiæ mansuetudinem admirabantur. Quæ quanto rarius se videri permittebat, ut scilicet clauso cubiculo sacris meditationibus atque orationibus purius vacaret, tanto ardentius ejus præsentiam atque spiritualis colloquii monita hi qui foris sunt efflagitabant.

CAP. XIV. De infamatione turpitudinis.

Quum autem omnes earum vicini vehementer me culparent quod earum inopiæ minus quam possem et deberem consulerem, et facile id nostra saltem prædicatione valerem; cœpi sæpius ad eas reverti, ut eis quoquomodo subvenirem. In quo nec invidiæ mihi murmur defuit, et quod me facere sincera charitas compellebat, solita derogantium pravitas impudentissime accusabat; dicens me adhuc quadam carnalis concupiscentiæ[9] oblectatione teneri, quasi[10] pristinæ dilectæ sustinere absentiam vix aut nunquam paterer. Qui frequenter illam beati Hieronymi querimoniam mecum volvens, qui *ad Asellam* de fictis amicis scribens, ait[11]: « Nihil mihi objicitur nisi sexus meus, et hoc nunquam objiceretur nisi quum Hierosolimam Paula proficiscitur. » Et iterum : « Antequam, » inquit, « domum sanctæ Paulæ nossem, totius in me urbis studia consonabant, omnium pene judicio dignus summo sacerdotio decernebar. Sed scio per bonam et

[1] *Illud* AD. — [2] Sic ABD. – *Namque* Edit. Amb. — [3] Vide not. LI. — [4] *Confirmavit* RMS. – Vide not. LI. — [5] *Prædiis* MS. Amb. – Vide not. LII. — [6] *Quanto* MS. Amb. — [7] *Permovet* MS. Amb. — [8] Vide not. LIII. — [9] *Coitus illiciti* RMS. — [10] Sic C. – *Qua* ABD. – *Qui* Edit. — [11] Epist. XXVIII, *ad Asellam, Opp.* t. IV, part. II, col. 66.

malam famam pervenire ad regna cœlorum. » Quum hanc, inquam, in tantum virum detractionis[1] injuriam ad mentem reducerem, non modicam hinc consolationem carpebam, inquiens : O si tantam suspicionis causam æmuli mei in me reperirent, quanta me detrectatione[2] opprimerent! Nunc vero mihi divina misericordia ab hac suspicione liberato, quomodo hujus perpetrandæ turpitudinis facultate ablata, suspicio remanet? Quæ etiam tam impudens hæc criminatio[3] novissima? Adeo namque res ista omnem hujus turpitudinis suspicionem apud omnes removet, ut quicunque mulieres observare diligentius student, eis eunuchos adhibeant : sicut de Esther[4] et cæteris regis Assueri puellis sacra narrat historia. Legimus[5] et potentem illum reginæ Candacis eunuchum universis ejus gazis præesse; ad quem convertendum et baptisandum Philippus apostolus ab angelo directus est. Tales quippe semper apud verecundas et honestas feminas tanto amplius dignitatis et familiaritatis adepti sunt quanto longius ab hac absistebant suspicione. Ad quam quidem[6] penitus removendam maximum illum christianorum philosophum Origenem, quum mulierum quoque sanctæ doctrinæ intenderet, sibi ipsi manus intulisse *Ecclesiasticæ Historiæ* liber VI[7] continet. Putabam tamen in hoc mihi magis quam illi divinam misericordiam propitiam fuisse, ut quod ille minus provide creditur egisse, atque inde non modicum crimen incurrisse, id aliena culpa in me ageret, ut ad simile opus me liberum præpararet, ac tanto minore pœna, quanto breviore ac subita, ut oppressus somno, quum mihi manus injicerent, nihil pœnæ fere sentirem. Sed quod tunc forte minus pertuli ex vulnere, nunc ex detractione[8] diutius[9] plector, et plus ex detrimento famæ quam ex corporis crucior diminutione. Sicut enim scriptum est[10] : « Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ. » Et ut beatus meminit Augustinus in sermone quodam *de Vita et Moribus Clericorum*[11] : « Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est. » Idem supra : « *Providemus,* » inquit, « *bona,* ut ait apostolus[12], *non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Propter nos, conscientia nostra sufficit in nobis. Propter alios, fama nostra non pollui, sed pollere debet in nobis. Duæ res sunt conscientia et fama. Conscientia tibi, fama proximo. » Quid autem horum invidia ipsi Christo vel ejus membris, tam prophetis scilicet quam apostolis, seu aliis patribus sanctis objiceret, si in eorum temporibus existeret, quum eos videlicet corpore integros tam familiari conversatione feminis præcipue videret sociatos[13]? Unde et beatus Augustinus in libro *de Opere Monachorum*, ipsas etiam mulieres domino Jesu

[1] *Detractationis* MS. Amb. — [2] *Infamia* RMS. — [3] *Calumnia* RMS. — [4] *Esther*, cap. II, v. 3. — [5] *Act. Apost.* cap. VIII, v. 27. — [6] Sic ABC. - *Quoque* Edit. Amb. — [7] Euseb. *Hist. Eccles.* lib. VII, cap. VII. — [8] *Obtrectatione* RMS. — [9] Sic C.-*Divitius* Edit. Amb. — [10] *Prov.*, cap. XXII, v. 1. — [11] Serm. CCCLV, *Opp.* t. V, col. 1380. — [12] *Rom.* cap. XII, v. 17. — [13] *Conjunctos* RMS.

Christo atque apostolis ita inseparabiles[1] comites adhæsisse demonstrat, ut et cum eis etiam ad prædicationem procederent. « Ad hoc enim[2], » inquit, « et fideles mulieres habentes terrenam substantiam ibant cum eis, et ministrabant eis de sua substantia, ut nullius indigerent horum quæ ad substantiam vitæ hujus pertinerent. » Et quisquis non putat ab apostolis fieri, ut cum eis sanctæ conversationis mulieres cursitarent[3] quocunque evangelium prædicabant, evangelium audiat, et cognoscat quemadmodum hoc ipsius Domini exemplo faciebant. In evangelio enim scriptum est[4] : « Deinceps et ipse iter faciebat per civitates et castella, evangelizans regnum Dei, et duodecim cum illo, et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus immundis[5], et infirmitatibus, Maria, quæ vocatur Magdalena, et Joanna, uxor Cuzæ procuratoris Herodis, et Susanna, et aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis. » Et Leo Nonus[6] contra epistolam Parmeniani *de Studio Monasterii* : « Omnino, » inquit, « profitemur non licere episcopo, presbytero, diacono, subdiacono propriam uxorem causa religionis abjicere cura sua, ut non ei victum et vestitum largiatur, sed non ut cum illa carnaliter jaceat. Sic et sanctos apostolos legimus egisse beato Paulo dicente[7] : *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut fratres Domini et Cephas?* Vide insipiens quia non dixit : Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi? sed *circumducendi;* scilicet ut mercede prædicationis sustentarentur ab eis, nec tamen deinceps foret inter eos carnale conjugium. » Ipse certe pharisæus, qui intra se de Domino ait[8] : « Hic, si esset propheta, sciret utique quæ et qualis esset mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est; » multo commodiorem, quantum ad humanum judicium spectat, turpitudinis conjecturam de Domino concipere poterat, quam de nobis isti; aut qui matrem ejus juveni commendatam[9], vel prophetas cum viduis maxime hospitari atque conversari[10] videbat, multo probabiliorem inde suspicionem contrahere. Quid etiam dixissent isti detractores nostri, si Malchum illum captivum monachum, de quo beatus scribit Hieronymus[11], eodem contubernio cum uxore victitantem conspicerent? Quanto id crimini ascriberent, quod egregius ille doctor quum vidisset, maxime commendans ait : « Erat illic senex quidam nomine Malchus, ejusdem loci indigena[12].

[1] Inseritur *fidas* RMS. — [2] Cap. IV *Opp.*, Parisiis, 1685, in-fol., t. VI, col. 478. — [3] *Circumirent* C. — [4] Luc. cap. VIII, v. 1 et sq. — [5] *Malignis* MS. Amb. — [6] Ita quidem legitur in codicibus manuscriptis et editionibus; verum nihil est quod Leo Nonus *contra Epistolam Parmeniani de studio monasterii* scripserit. Locus quem Abælardus affert, reperitur in responsione Humberti ad libellum Nicetæ presbyteri et monachi adversus Latinos editum; quam responsionem quum scripserit nomine Leonis IX, cujus erat legatus, ea recte nomine ipsius citatur in prima parte decreti Gratiani, dist. XXXI, cap. X. — [7] *Corinth. I*, cap. IX, v. 5. — [8] Luc. cap. VII, v. 39. — [9] Joan. cap. XIX, v. 27. — [10] *Reg.* III, cap. XVII, v. 10 et sq. — [11] *Vit. Malchi, Opp.* t. IV, col. 91. — [12] Tria verba ista Amboesius asserit non haberi apud beatum Hieronymum, sed eorum loco *αὐτόχθων*, vocem ejusdem sensus; leguntur tamen in editione Parisina, l. c.

Anus quoque in ejus contubernio. Studiosi ambo religionis, et sic ecclesiæ limen terentes, ut Zachariam et Elisabeth de evangelio crederes, nisi quod Joannes in medio non erat. » Cur denique a detractione sanctorum patrum se continent, quos frequenter legimus, vel etiam vidimus monasteria quoque feminarum constituere, atque eis ministrare; exemplo quidem septem diaconorum, quos pro se apostoli mensis et procurationi mulierum præfecerunt[1]? Adeo namque sexus infirmior fortioris indiget auxilio, ut semper virum mulieri quasi caput præesse apostolus statuat; in cujus etiam rei signo ipsam semper velatum habere caput præcipit[2]. Unde non mediocriter miror consuetudines has in monasteriis dudum inolevisse, quod quemadmodum viris abbates, ita et feminis abbatissæ præponantur, et ejusdem regulæ professione tam feminæ quam viri se astringant, in qua tamen pleraque continentur quæ a feminis tam prælatis quam subjectis nullatenus possunt adimpleri. In plerisque etiam locis, ordine perturbato naturali, ipsas abbatissas atque moniales clericis quoque ipsis, quibus subest populus, dominari conspicimus, et tanto facilius eos ad prava desideria inducere posse, quanto eis amplius habent præesse, et jugum illud in eos gravissimum exercere. Quod satiricus ille considerans ait[3] :

Intolerabilius nihil est quam femina dives.

CAP. XV. Hoc ego sæpe apud me pertractando, quantum mihi liceret, sororibus illis providere, et earum curam agere disposueram, et quo me amplius revererentur, corporali quoque præsentia eis invigilare, et sic etiam earum magis necessitudinibus subvenire[4]. Et quum me nunc frequentior ac major[5] persecutio filiorum quam olim fratrum affligeret, ad eas de æstu hujus tempestatis quasi ad quemdam tranquillitatis portum recurrerem, atque ibi aliquantulum respirarem, et qui in monachis nullum, aliquem saltem in[6] illis assequerer fructum; ac tanto id mihi fieret magis saluberrimum, quanto id earum infirmitati magis esset necessarium. Nunc autem ita me Satanas impedivit, ut ubi quiescere possim, aut etiam vivere, non inveniam, sed vagus et profugus, ad instar maledicti Cain[7] ubique circumferar : quem, ut supra memini, « foris pugnæ, intus timores[8] » incessanter cruciant, imo tam foris quam intus timores incessanter[9], pugnæ pariter et timores. Et multo periculosior et crebrior persecutio filiorum adversum me sævit quam hostium. Istos quippe semper præsentes habeo, et eorum insidias jugiter sustineo. Hostium violentiam in corporis mei periculum video, si a claustro procedam. In claustro autem filiorum, id est monachorum mihi tanquam abbati,

[1] *Act. Apost.* cap. VI. — [2] *Corinth. I*, cap. II, v. 5. — [3] Juvenalis sat. VI, v. 459. — [4] *Et sic etiam.... subvenire* desunt in editionibus, at leguntur in Cod. ABCD. — [5] *Gravior* RMS. — [6] *In* deest D. — [7] *Genes.* cap. IV. — [8] *Corinth. II*, cap. VII, v. 5. — [9] *Perpetuo* RMS.

hoc est patri, commissorum, tam violenta quam dolosa incessanter sustineo machinamenta. O quoties veneno me perdere tentaverunt[1]! sicut et in beato factum est Benedicto[2]. Ac si hæc ipsa causa, qua ille perversos deservit filios, ad hoc ipsum me patenter tanti patris adhortaretur exemplo, ne me certo videlicet opponens periculo, temerarius Dei tentator potius quam amator, imo mei ipsius peremptor invenirer. A talibus autem eorum quotidianis insidiis quum mihi in administratione cibi vel potus quantum possem providerem, in ipso altaris sacrificio toxicare[3] me moliti sunt, veneno scilicet calici immisso. Qui etiam quadam die quum Nanneti ad comitem in ægritudine sua visitandum venissem, hospitatum me ibi in domo cujusdam fratris mei carnalis, per ipsum qui in comitatu nostro erat famulum, veneno interficere machinati sunt, ubi videlicet me minus a tali machinatione providere crediderunt. Divina autem dispositione tunc actum est[4], ut dum cibum mihi apparatum non curarem, frater quidam ex monachis quem mecum adduxeram, hoc cibo per ignorantiam usus, ibidem mortuus occumberet, et famulus ille qui hoc præsumpserat[5], tam conscientiæ suæ, quam testimonio ipsius rei perterritus, aufugeret. Ex tunc itaque manifesta omnibus eorum nequitia, patenter jam cœpi eorum, prout poteram, insidias declinare[6], et jam[7] a conventu abbatiæ me subtrahere, et in cellulis cum paucis habitare. Qui si me transiturum aliquo præsensissent, corruptos per pecuniam latrones in viis aut semitis, ut me interficerent, opponebant[8]. Dum autem in istis laborarem periculis, forte me die quadam, de nostra lapsum equitatura, manus Domini vehementer collisit, colli videlicet mei canalem confringens. Et multo me amplius hæc fractura afflixit et debilitavit, quam prior plaga. Quandoque horum indomitam rebellionem[9] per excommunicationem coercens, quosdam eorum, quos magis formidabam, ad hoc compuli, ut fide sua seu sacramento publice mihi promitterent, se ulterius ab abbatia penitus recessuros, nec me amplius in aliquo inquietaturos[10]. Qui publice et impudentissime tam fidem datam quam sacramenta facta violantes, tandem per auctoritatem romani pontificis Innocentii, legato proprio ad hoc destinato[11], in præsentia comitis et episcoporum, hoc ipsum jurare compulsi sunt, et pleraque alia. Nec sic adhuc quieverunt. Nuper autem quum illis, quos prædixi, ejectis, ad conventum abbatiæ rediissem; et reliquis fratribus, quos minus suspicabar, me committerem, multo hos pejores quam illos reperi. Quos jam quidem non de veneno, sed de gladio in jugulum meum tractantes, cujusdam proceris terræ conductu[12] vix evasi. In quo etiam

[1] *Summa arte conati sunt* RMS. — [2] S. Gregorius, *Dialog.* lib. II, cap. III, *Opp.* Parisiis, 1705. in-fol., t. II, col. 216. — [3] Sic D. — *Intoxicare* Edit. — [4] *Deo autem aliter visum* RMS. — [5] *Jam infandum ausus est facinus* RMS. — [6] *Vitare, vel in cuniculos adversum agere* RMS. — [7] Sic D. — *Etiam* Edit — [8] *Collocabant* RMS. — [9] *Pervicaciores animos* RMS. — [10] *Perturbaturos* RMS. — [11] *Constituto* RMS. — [12] Transl. gallica : « Et à paine leur eschapeyge

adhuc laboro periculo, et quotidie quasi cervici meæ gladium imminentem suspicio, ut inter epulas vix respirem, sicut de illo legitur[1] qui quum Dionysii tyranni potentiam[2] atque opes conquisitas maximæ imputaret beatitudini[3], filo latenter appensum super se gladium aspiciens[4], quæ terrenam potentiam felicitas consequatur edoctus est. Quod nunc quoque ipse de paupere monacho in abbatem promotus, incessanter[5] experior, tanto scilicet miserior quanto ditior effectus; ut nostro etiam exemplo, eorum qui id sponte appetunt, ambitio refrenetur. Hæc, dilectissime frater in Christo, et ex diutina conversatione[6] familiarissime comes, de calamitatum mearum historia, in quibus quasi a cunabulis jugiter laboro, tuæ me desolationi atque injuriæ illatæ scripsisse sufficiat; ut, sicut in exordio præfatus sum epistolæ, oppressionem tuam[7] in comparatione mearum, aut nullam[8], aut modicam[9] esse judices; et tanto eam[10] patientius feras, quanto minorem[11] consideras, illud semper in consolationem assumens, quod membris suis de membris diaboli Dominus prædixit[12] : « Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Si mundus vos odit, scitote quoniam me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. » Et : « Omnes, » inquit apostolus[13], « qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. » Et alibi[14] : « Haud quæro hominibus placere. Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. » Et psalmista[15] : « Confusi sunt, » inquit, « qui hominibus placent, quoniam Deus sprevit eos. » Quod diligenter beatus attendens[16] Hieronymus, cujus me præcipue in contumeliis detractionum hæredem conspicio, ad Nepotianum scribens ait[17] : « *Si adhuc,* inquit apostolus, *hominibus placerem, Christi servus non essem.* Desiit placere hominibus, et servus factus est Christi. » Idem ad Asellam de fictis amicis[18] : « Gratias ago Deo meo, quod dignus sim quem mundus oderit. » Et ad Heliodorum monachum[19] : « Erras, frater, erras si putas unquam christianum persecutionem non pati. *Adversarius noster tanquam leo rugiens devorare quærens circuit*[20], et tu pacem putas? Sedet in insidiis cum divitibus. » His itaque documentis atque exemplis animati, tanto securius ista toleremus, quanto injuriosius accidunt. Quæ si non ad meritum nobis, saltem ad purgationem aliquam proficere non dubitemus. Et quoniam omnia divina dispositione[21] geruntur, in hoc se saltem quisque fidelium in omni pres-

« par le conduit d'un baron de la terre. » Dom. Gervaise autem et Nicéron *conductu terræ* vertunt *par un égout*, male ut opinor, quamvis nunc etiam inter Sancti Gildasii rudera secretum callem latere ferunt, per quem Abælardus effugisse traditur. Cf. Rémusat, l. c., t. I, p. 137.– *Auspicio maxime fausto* RMS.— [1] *Legi* D.–Cf. *Tusc. Quæst.* lib. V, cap. XXI. — [2] *Potestatem* MS. Amb. — [3] *Summæ imputaret felicitati* RMS. — [4] *Suspiciens* D. — [5] *Indesinenter* RMS. — [6] *Diutino commercio* RMS. — [7] *Tuas res adversas* RMS. — [8] *Nullas* RMS. — [9] *Modicas* RMS. — [10] *Eas* RMS. — [11] *Inferiores tecum reputes* RMS. — [12] Joan. cap. XV. v. 20 et sq. — [13] *Timoth.* cap. III, v. 12. — [14] *Galat.* cap. I, v. 10. — [15] Psalm. LII, v. 6. — [16] *Observans* RMS. — [17] Epist. XXXIV, *Opp.* t. IV, col. 364. — [18] Epist. XXVIII, *Opp.* t. IV, col. 67. — [19] Epist. V, *Opp.* t. IV, col. 8. — [20] Petri epist. I, cap. V, v. 8. — [21] *Dispensatione* MS. Amb.

sura consoletur, quod nihil inordinate fieri unquam summa Dei bonitas permittit, et quod quæcunque perverse fiunt, optimo fine ipse terminat. Unde et ei de omnibus recte dicitur[1], *fiat voluntas tua.* Quanta denique diligentium Deum illa est ex auctoritate apostolica consolatio, quæ dicit[2] : « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. » Quod diligenter ille sapientissimus attendebat, quum in *Proverbiis* diceret[3] : « Non contristabit justum quicquid ei acciderit. » Ex quo manifeste a justitia eos recedere demonstrat, quicunque pro aliquo suo gravamine his irascuntur, quæ erga se divina dispensatione geri non dubitant; et se propriæ voluntati magis quam divinæ subjiciunt, et ei quod in verbis sonat, *fiat voluntas tua,* desideriis occultis repugnant, divinæ voluntati propriam anteponentes. Vale.

[1] Matth. cap. vi, v. 10.— [2] *Rom.* cap. viii, v. 28. — [3] *Prov.* cap. xii, v. 21.

ANDREÆ QUERCETANI

TURONENSIS

NOTÆ

AD HISTORIAM CALAMITATUM PETRI ABÆLARDI.

(Ea quæ emendavimus aut addidimus uncis includuntur.)

Nota I, pag. 1.

Magistri Petri. — Sic aliquot manuscripti codices quos vidimus. Nec omnino male meo judicio. Nam, ut Guillelmus Nangius ait, auctor hic: « Magister in dialectica insignis et celeberrimus » extitit. Unde et Petrus, abbas cluniacensis, de eo loquens in epistola *ad Innocentium papam:* « Magister Petrus, » inquit, « sapientiæ vestræ, ut credo, optime notus, nuper e Francia veniens, per Cluniacum transitum fecit. » Item in epistola *ad Heloissam Paracleti abbatissam:* « Mitto etiam, sicut mandatis, magistri Petri absolutionem in charta scriptam et sigillatam. » Et necrologium vetus ecclesiæ Sancti Victoris parisiensis : « xi kal. maii obiit magister Petrus, etc. » Itemque paracletense calendarium : « viii kal. januar. obiit Petrus cluniacensis abbas, cujus concessu habet ecclesia nostra corpus magistri nostri Petri. »

Nota II, pag. 1.

Abælardi. — Sed de hoc ejus cognomento non bene sibi constant veteres. Etenim sanctus Bernardus, Otho Frisingensis, Gaufridus, Robertus Autissiodorensis, et alii, ***Abailardum*** nominant, quem auctor chronici archiepiscoporum senonensium ***Abaulardum***, canonicus turonensis anonymus ***Abaielardum***, Vincentius Belvacensis ***Abelardum*** dicunt. Nec major etiam inter scriptores gallicos convenientia. Siquidem Joannes Clopinellus Magdunensis, Philippo Pulchro regi coætaneus, ***Abayelart*** appellat, quem alter incertus poeta qui scripsit anno 1377, ***Abulart***, et calendarium paracleteum gallicum, ***Abaalarz***. Nos hac varietate non obstante, lectionem antiquorum codicum retinuimus, et cum Guillelmo Nangio, Joanne canonico regulari Sancti Victoris, ac quibusdam aliis, *Abælardum* vocavimus. [Hactenus Andreas Quercetanus. Noster quidem ipse in operibus suis se nominat : « Hoc vocabulum Abælardus mihi.... collocatum est. » Vide *Ouvrages inédits d'Abélard*, p. 212. « .... Ut Abælardus, quod mihi uni adhuc convenire arbitror. » Ibid., p. 480. Cognominis autem originem sic tradit auctor anonymus, ap. Bern. Pez *Thes. Anecdot. noviss.*, Augustæ Vindelicorum, 1721, in-fol., t. III, *Dissert. Isagog.*, p. xxii : « Petrus, qui Abelardus, a plerisque Baiolardus dicitur, natione Anglicus, primum grammaticæ et dialecticæ, hinc divinitati operam dedit. Sed quum esset inæstimandæ subtilitatis, inauditæ memoriæ, capacitatis supra humanum modum, auditor aliquando magistri Roscii, cœpit eum cum exfestucatione quadam sensuum

illius audire. Attamen imperavit sibi, ut per annum lectionibus ipsius interesset. Mox ergo socias habere, et Parisius palam dialecticæ atque divinitatis lectiones dare cœpit, et facile omnes Franciæ magistros in brevi superavit. Qui quum de quadrivio nihil audisset, clam magistro Tirrico in quasdam mathematicas lectiones aures dabat, in quibus supra quam æstimaret, obtentu difficultatis intellectus resiliebat audientis. Cui semel afflicto et indignanti per jocum magister Tirricus ait : Quid canis plenus nisi lardum bajare consuevit? Bajare autem lingere est. Exinde Bajolardus appellari cœpit. Quod nomen tanquam ex defectu quodam sibi impositum quum abdicaret, sub litteratura non dissimili Habelardum se nominari fecit, quasi qui haberet artium apud se summam et adipem. » Vere utrum an fabulose ista referantur, lector videat. Cf. Bayle, *Diction. crit.*, in voc. ABÉLARD; Nicéron, *Mémoires pour servir à l'Histoire des Hommes illustres*, t. IV, et præcipue clariss. viri Car. Rémusat egregium opus, *Abélard*, t. I, p. 14.]

Nota III, pag. 3.

Historia Calamitatum. — Genuinus epistolæ titulus, et ab auctore ipso præfixus, uti nos docet Petrarcha, scriptor gravis et eloquens, libro II *de Vita solitaria*, his verbis : « Jungam tot veteribus philosophis recentiorem unum, nec valde semotum ab ætate nostra, quem recte nescio, sed apud quosdam, ut audio, suspectæ fidei, at profecto non humilis ingenii, Petrum illum cui Abailardo cognomen est : qui ut in *Historia suarum Calamitatum* longa oratione ipse meminit, invidiæ cedens, solitudinis trecensis abdita penetravit, etc. » Hanc autem et cæteras epistolas fuisse certis capitulis distinctas, asserit Joannes Magdunensis, qui legerat, his versibus :

« Une merveilleuse parolle
Qui est escrite ès épistres,
Qui bien chercheroit ès chapitres. »

Nota IV, pag. 3.

Oppido quodam oriundus, quod.... Palatium appellatur.— Inde et *Palatinum* se in scriptis suis dialecticis, quæ penes me sunt, nuncupat. Est autem hoc oppidum, ut ipse loquitur, in ingressu minoris Britanniæ, tribus fere leucis ab urbe nannetica remotum, vulgo *Palais.*

Nota V, pag. 3.

Sicut natura terræ meæ vel generis animo levis, ita et ingenio extiti ad litteratoriam disciplinam facilis. — Haud longe aliter Otho Frisingensis episcopus, lib. I *de Reb. gestis Frederici I imper.*, cap. XLVII : « Est enim, inquit, prædicta terra, nempe Britannia, clericorum acuta ingenia et artibus applicata habentium, sed ad alia negotia pene stolidorum ferax, quales fuerunt duo fratres Bernardus et Theodoricus, viri doctissimi. » Porro Britannorum gens est illa quæ, ut Henricus, antissiodorensis monachus, scribit :

. . . inter geminos notissima clauditur amnes,
Armoricana prius veteri cognomine dicta.

Nec attinet hic referre quæ Plinius, Beda Venerabilis, et alii de Britannis Galliæ scripsere. Sunt enim omnibus notissima.

Nota VI, pag. 3.

Patrem autem habebam.—Berengarium nomine, qui postea ad monasticam professionem conversus est, ut ipse Petrus scribit infra.

Nota VII, pag. 4.

Me itaque primogenitum. — [And. Quercetanus, falsa lectione in errorem inductus, male suspicabatur Abælardum natu minorem esse fratre ejus Radulfo, cujus mentio fit in calendario paracletensi his verbis : « II non. septembris obiit *Radulfus magistri nostri Petri germanus.* »]

Nota VIII, pag. 4.

Dialecticarum rationum armaturam omnibus philosophiæ documentis prætuli. — Primi sui in dialectica præceptoris nomen prætermisit, quem tamen Otho Frisingensis Roscelinum, et Aventinus Rucelinum quemdam fuisse testantur. Othonis verba sic habent : « Habuit tamen primo præceptorem Rozelinum quemdam, qui primus nostris temporibus in logica sententiam vocum instituit. » Et Aventini lib. VI *Ann. Bojor.* : « His quoque temporibus fuisse reperio Rucelinum Britannum, magistrum Petri Abelardi, novi lycæi conditorem, qui primus scientiam vocum sive dictionum instituit, et novam philosophandi viam invenit. » At qui Britannus huic, veteri et anonymo Francorum historico Compendiensis dicitur, et Joannis etiam cujusdam in dialectica potentis sophistæ discipulus astruitur. Sic enim historicus ille, qui fragmentum historiæ Francorum a Roberto ad Philippum I regem scripsit : « In dialectica quoque hi potentes extiterunt sophistæ : Joannes, qui eamdem artem sophisticam vocalem esse disseruit, Robertus Parisiacensis, Roscelinus Compendiensis, Arnulfus Laudunensis ; hi Joannis fuerunt sectatores, qui etiam quam plures habuerunt auditores. » Nec tamen propterea suspicandum est hunc Aventino contradicere. Fieri namque potest ut Roscelinus in Britannia natus sit, ac postea clericus in ecclesia compendiensi fuerit. Et certe beccensis abbas Anselmus, qui tunc florebat, eum clericum nuncupat in epistola *ad Fulconem belvacensem episcopum*, his verbis : « Audio, quod tamen absque dubietate credere non possum, quia Roscelinus clericus dicit in Deo tres personas esse tres res ab invicem separatas, sicut sunt tres angeli, ita tamen ut una sit voluntas et potestas : aut Patrem et Spiritum sanctum esse incarnatum, et tres Deos vere posse dici, si usus admitteret. » Unde et aliquo modo conjicere licet, cur Petrus noster illius inter præceptores suos non meminit. Nam et Yvo, carnotensis episcopus, insanas aliquot sententias super quibusdam christianæ fidei articulis eum defendisse subindicat epist. VII, quamquam non exprimit quales illæ fuerint. Sed de hac re pluribus ante concilium suessionense. Nunc tantum addam ex Aventino, quod : « Eo ipso Roscelino auctore, duo aristotelicorum et peripateticorum genera esse cœperunt : unum illud vetus, locuples in rebus procreandis, quod scientiam rerum sibi vindicat ; quamobrem reales vocantur ; alterum novum, quod eam distrahit, nominales ideo nuncupati, quod avari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videntur esse assertores. In hisce duobus generibus dissidium et bellum civile est. Illius Thomas Aquinas Italus, et Joannes Duns Scotus, hujus Vuillelmus Occomensis Anglus, antesignani. » [Non pauci quidem in his rebus versatissimi, inter quos dom. Rivet et dom. Clément (Cf. *Histoire littéraire de la France*, t. IX, p. 359, et t. XII, p. 87) inficias ierunt Abælardum Roscelino præceptore usum fuisse ; quod plane refellitur ipso Abælardi testimonio, qui se Roscelini auditorem sic profitetur : « Fuit autem, memini, magistri nostri Ros. (Roscelini) tam insana sententia ut nullam rem partibus constare vellet, sed sicut solis vocibus species, ita et partes adscribebat. » Vide *Ouvr. inéd. d'Abélard*, introd., p. XLII.]

Nota IX, pag. 4.

Ad Guillelmum scilicet Campellensem. — Guillelmus hic primo fuit archidiaconus ecclesiæ parisiensis, postea regularis canonicus, ac demum episcopus catalaunensis, ut infra videbimus. Eo autem præceptore usum Abælardum docet et Otho Frisingensis, lib. I, *de Reb. gestis Friderici I, imper.*, cap. XLVII.

Nota X, pag. 4.

[Notam hanc et sequentem, quæ in Amboesiana editione ad calcem voluminis rejectæ leguntur (p. 1195-1197), huc retulimus, pro iis quæ Quercetanus festinanti nimis stylo, ut ipse fatetur, de Meliduni atque Corbolii comitibus primum disseruerat.]

Meliduni castrum, et sedem regiam. — Melduni sive Meliduni castrum et comitatum Hugo rex Francorum Buchardo Vetulo, comiti vindocinensi, ac Lavarzini domino, concessit in beneficium. Postea Rainaldus Burchardi filius, cancellarius Franciæ, et episcopus parisiensis, melidunensis comes

extitit sub Roberto Rege, sicut ex tabulis ecclesiæ Sancti Dionysii de Carcere palam est. Sed hoc mortuo, comitatus rediit ad Henricum I, Roberti filium, qui vicecomitem ibi constituit. Nam et in litteris Philippi, qui fundationem Sancti Martini de Campis a patre factam confirmavit, « Ursio vicecomes melidunensis » inter alios aulæ regiæ milites subscripsit. Denique Philippus ipse, Henrici filius, sedem regiam Meliduni posuit, ubi et vita functus est Abælardi nostri tempore, sicut testatur Suggerius, Sancti Dionysii abbas, in Vita Ludovici Grossi, Philippo geniti, his verbis : « Quumque fere sexagenarius esset, regem exuens apud Melidunum castrum super fluvium Sequanæ, præsente domino Ludovico, extremum clausit diem. »

Nota XI, pag. 5.

Ad castrum Corbolii, quod parisiacæ urbi vicinius est. — Antiquum est et hoc castrum, ac si non regum, saltem reginarum sedes. Quod ut melius intelligatur, veteres etiam Corbolii, sive Corboili, aut Curbolii comites adnotabo. Et certe antiquissimus, quem legerim, corboliensis comes fuit Haimo, qui sub annum Christi 1363 vixisse dicitur. Nam Joannes, Sancti Victoris monachus, de eo sic ad illum annum scribit : « Eodem tempore corpus beati Guenaili abbatis a Britannia propter timorem Northmannorum translatum in Gallias, Deique dispositione in castro corboliensi receptum est a comite Haymone, et in ecclesia in honore ipsius a dicto Haimone constructa honorifice collocatum est. » Et calendarium Sancti Guenaili, ad diem 21 maii : « Anniversarium solemne Haimonis comitis, fundatoris Beati Guenaili de Corbolio, qui dedit eidem ecclesiæ hospites quos habemus ultra pontem Sequanæ. » Verum si ita est, annorum longa distantia persuadet Haimonem hunc alium ab Haimone illo corboliensi comite fuisse, qui, sicut refert Odo, fossatensis monachus, « ad limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli orationis gratia Romam pergens, ibi in eodem itinere finem vitæ accepit. » Nam id versus initium regni Hugonis accidit. Et eo defuncto « Burchardus Vindocini comes, uxorem ejus nomine Elisabetham, nobili et ipsam progenie exortam, sibi conjugio copulavit : ac in eo copulæ thalamo, rex Hugo castrum Melidunum atque Corboilum, comitatumque parisiacæ urbis illi dedit. » Quare deinceps Burchardus et ipse se pro comite corboliensi gessit. Aut si postremus hic Haimo ille est qui Sancti Guenaili sive Guenaldi ecclesiam construxit, necesse videtur corpus ejus sancti serius Corbolium allatum fuisse quam præfatus Joannes adnotavit. Et hæc opinio mihi eo magis placet, quod Burchardus Elisabethæ conjugis ejus maritus, in litteris pro Sancto Guenaldo datis, illius etiam concessionis meminit, quam præfatæ ecclesiæ fecerat, his verbis : « Notum fieri volumus omnibus fidelibus clericis et laicis, quod ego Burchardus comes corboilensis, ob remedium animæ meæ, antecessorum successorumque meorum, precibus quoque Guillaudi, ejusdem loci canonici, et magistri filii mei Reinaldi, Sancto Guenailo terrulas quas Haimo comes prius dederat eidem sancto, concessi, etc. » Cæterum de Burchardo hoc corboilensi comite mentio fit etiam in calendario Sancti Guenaili, hoc modo : « Item anniversarium Burcardi comitis, qui dedit eidem ecclesiæ quosdam hospites apud Mundevillam. » Postea corboliensis comes effectus est Guillelmus, qui detectioni corporum sancti Dionysii et sociorum subscripsit, tempore Henrici I regis. Nec affirmare velim eum Elisabethæ et Haimonis I viri sui, filium extitisse. Post Guillelmum, Rainaldus comitatum tenuit adfuitque confirmationi fundationis Sancti Martini de Campis a Philippo I rege factæ, sub annum Christi 1067. Rainaldo Burchardus II successit, qui, anno 1071, claustrum Sancti Exuperii corboliensibus canonicis concessit. Et hic filium habuit Odonem, post se quoque Corbolii castri comitem, de quo tabulæ Sancti Martini de Campis ad annum 1097. Refertque Suggerius in Vita Ludovici Grossi, hunc Guidonis Rubei fratruelem fuisse, ac Stephani comitis lancea percussum interiisse. Quo facto, consanguineus ejus Hugo Creciacensis Guidonis Rubei filius, « Corbolium castrum, cujus se heredem jactabat, » Ludovico Grosso regi, Philippi filio, « cum omnibus angariis, talliis et possessionibus abjurare » coactus est. Denique Ludovicus Junior, Ludovico Grosso sive Seniore genitus, Adelæ uxori suæ terram Corbolii dotalitii nomine reliquit. Docent enim hoc litteræ Philippi II regis, Adelæ filii, Corbolii datæ anno 1180, his verbis : « Philippus, Dei gratia Francorum rex, etc. Noverint universi præsentes et futuri, quod Adela mater nostra dum terram Corbolii nomine teneret dotalitii, Petro clerico suo Beati Exuperii canonico,

intuitu servitii sui, donavit domum quam Isabellis et Bertrannus filius ejus vendiderant Heliæ Judeo, etc. » Sicque patet qualiter Corboilum castrum regia quoque sedes effectum fuerit. Imo et ab hoc tempore vicecomites etiam ibi sicut Meliduni constituti sunt a regibus. Nam tabulæ Beatæ Mariæ de Gornajo « Paganum vicecomitem de Corbolio » memorant anno 1205.

Nota XII, pag. 5.

Præceptor meus ille Guillelmus parisiensis archidiaconus, habitu pristino commutato ad regularium clericorum ordinem se convertit. — Hanc in Guillelmo commutationem habitus egregie commendat Hildebertus cenomanensis episcopus in *Epistola I*, quam ad eum scripsit : « De conversione, » inquit, « et conversatione tua lætatur et exultat anima mea, illum prosequens actione gratiarum, cujus muneris est quod tandem philosophari decreveris. Nondum quippe redolebas philosophum, quum ex acquisita philosophorum sententia, scientiæ morum tibi minime depromeres venustatem, etc. » Ingressus est autem regularem ordinem in capella quadam Sancti Victoris extra urbem parisiacam, ubi cum aliquibus discipulis monasterium illud cœpit construere, quod postea Ludovicus Grossus rex munifice consummavit, ac magnis et opulentis reditibus dotavit. Hoc enim testatur imprimis anonymus, sed vetus auctor, qui variarum abbatiarum initia collegit, et institutores earumdem annotavit, his verbis : « Eodem tempore magister Vuillelmus de Campellis, qui fuerat archidiaconus parisiensis, vir admodum litteratus et religiosus, assumens habitum canonici regularis, cum aliquibus discipulis suis extra urbem Parisius, in loco ubi erat capella quædam Sancti Victoris Martyris, cœpit ædificare monasterium clericorum. Assumpto autem illo ad episcopatum catalaunensem, venerabilis Gilduinus, ejus discipulus, primus abbas ibi factus est. » Et sic etiam intelligendum quod paulo post Abælardus subjungit : « Nec tamen, » inquit, « hic suæ conversionis habitus aut ab urbe parisiaca, aut a consueto philosophiæ studio eum revocavit; sed in ipso quoque monasterio ad quod se causa religionis contulerat, statim more solito publicas exercuit scholas. » De eo autem jam catalaunensi episcopo facto nos alibi plura. [Cf. *Script. rerum gallic.*, t. XIV, p. 279.]

Nota XIII, pag. 6.

Extra civitatem in monte Sanctæ Genovefæ. — Mons hic, Lecutitius sive Locotitius olim dictus, extra muros urbis parisiacæ fuit usque ad annum Christi 1211, quo Philippus Augustus, Francorum rex, « Urbem totam, » ut Rigordus refert, « in circuitu circumsepsit a parte australi usque ad Sequanam fluvium, ex utraque parte maximam terræ amplitudinem infra murorum ambitum concludens, et possessores agrorum et vinearum compellens, ut terras illas et vineas ad ædificandum in eis novas domos habitatoribus locarent, vel ipsimet novas ibidem domos constituerent, ut tota civitas usque ad muros plena domibus videretur. » Unde et Eugenius III, in litteris ad Odonem abbatem Sanctæ Genovefæ, dicit ecclesiam illam adhuc extra parisiacam urbem sitam anno 1150. « Eugenius, » inquit, « episcopus, servus servorum Dei, Odini primo abbati ecclesiæ Sanctæ Genovefæ, quæ secus Parisius est. » Idemque repetit adhuc Alexander III, in aliis ad Albericum abbatem litteris anno 1063 datis. Fuisse autem in hac ecclesia litterarum et scholarum publicarum sedem (etiam antequam de statu canonicorum secularium ad regularem ordinem mutaretur ope atque industria Suggerii Sancti Dionysii abbatis, injungente eidem domino Eugenio papa III, et illustri Francorum rege Ludovico VII, Philippi Augusti patre) significant, quum Petrus noster dicens se ibi scholarum suarum castra posuisse, tum eo antiquior « Hulbodus, » qui, sicut fert inscriptio vetus posita in ecclesia Sancti Joannis Baptistæ Leodiensis, « dum adolescentulus e scholari disciplina confugisset Parisius, Sanctæ Genovefæ canonicis adhæsit, » tempore Roberti regis Francorum, « et in brevi multarum scholarum instructor fuit, ubi quum aliquandiu a domino Notgero, » leodiensi episcopo, « ignoraretur, tandem canonica episcopalis sententiæ executione compulsus est redire, pluribus ibi relictis studiorum ac moralitatis insignibus. » Quare et in illius rei memoriam ac velut honorificum testimonium cancellarius universitatis parisiensis ex sola canonicorum Sanctæ Genovefæ congregatione longo postea tempore delectus est, et usque ad pontificatum Benedicti XI papæ, qui primus auctoritatem ac facultatem parem cancellario ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis concessit. [Hactenus Quercetanus. Dum autem noster in monte Sanctæ Genovefæ scholas

aut potius, ut ipse ait, castra teneret, litem aliquando habuit cum Gosvino quodam, magistri Josleni discipulo, quam sic narrat auctor Vitæ ejusdem anonymus, Alexander, ut creditur, abbas acquicinctensis, apud dom. Brial, *Scriptor. rerum gallic.*, t. XIV, p. 442-443 : « Tunc temporis magister Petrus Abailardus, multis sibi scholaribus aggregatis, in claustro Sanctæ Genovefæ schola publica utebatur; qui probatæ quidem scientiæ, sublimis eloquentiæ, sed inauditarum erat inventor et assertor novitatum; et suas quærens statuere sententias, erat aliarum probatarum improbator. Unde et in odium venerat eorum qui sanius sapiebant; et sicut manus ejus contra omnes, sic omnium contra eum armabantur. Dicebat quod nullus antea præsumpserat, ut omnes illum mirarentur. Quum igitur adinventionum ejus absurditas in notitiam pervenisset eorum qui Parisius doctrinæ causa morabantur, primo stupore, deinde zelo quodam ducti confutandæ falsitatis, cœperunt inter se quærere quis esset ex eis adversus eum disputandi negotium subiturus; indignum esse duntaxat, apud tot sapientes hujusmodi næniarum dictorem, non habere contradictorem, taliter oblatrantem baculo non arceri veritatis; plura adinventurum et liberius declamaturum, si infaustis cœptis redargutor defuisset. Quia igitur venerabilis adolescens Gosvinus efficacis erat facundiæ, sicut ingenii perspicacis, ut eum super nugis talibus conveniret suaserunt; quod difficile non fuit impetrare : fervebat enim vehementer ad hoc et anhelabat, et volentem labor esset inhibere, nisi præsumptionis notam incurrere formidaret. Magister autem Joslenus qui postea suessionensem rexit cathedram, quum nimis eum diligeret, id fieri prohibebat et congressum hujusmodi dissuadebat, « magistrum Petrum » dicens « disputatorem non esse, sed cavilla« torem; et plus vices agere joculatoris quam doctoris, et quod instar Herculis clavam non leviter abji« ceret apprehensam, videlicet quod pertinax esset in errore; et quod si secundum se non esset, « nunquam acquiesceret veritati; eum injuriam sibi facere, qui tentasset erudire derisorem; satis esse « versutias ejus intellexisse, et in ejus non abduci vanitates. » Hæc et similia dehortationi subservientia verba doctus et doctor ille deprimebat, quippe cui suppeditabat facundia et uber vena sapientiæ, quocunque voluisset eloquium derivare. Sed Gosvinus monitiones et rationes illius non attendens, licet alias eum multum revereretur, nec considerans se tironem adhuc vix juvenescentem, magistrum autem illum virum esse bellicosissimum et victoriis assuetum, assumptis sociorum aliquantis, ascendit in montem Sanctæ Genovefæ, quasi David cum Goliath duello conflicturus, qui illic auditoribus suis miras et inauditas sententias, quasi phalanges sane sapientium subsannando, detonabat.

« Quum venisset igitur ad locum certaminis, id est, scholam ejus introisset, reperit eum legentem et scholaribus suis suas inculcantem novitates. Statim autem ut loqui orsus est qui advenerat, ille torvos in eum deflexit obtutus; et quum se sciret virum ab adolescentia bellatorem, illum autem videret pubere incipientem, despexit eum in corde suo, forte non multo minus quam David sanctum spurius Philistæus. Erat enim albus quidem et decorus aspectu, sed exilis corpulentiæ et staturæ non sublimis. Quumque superbus ille ad respondendum cogeretur, et impugnans eum vehementer immineret : « Vide, » inquit, « ut sileas, et cave ne perturbes meæ seriem lectionis. » Ille, qui non ad silendum venerat, acriter insistebat; quum adversarius e contra eum habens despectui, non attenderet ad sermones oris ejus, indignum judicans a doctore tanto tantillo juveni responderi. Judicabat secundum faciem, quæ proceritate sibi contemptibilis apparebat; sed cor perspicaciter intelligens non attendebat. Quum autem ei diceretur a scholasticis suis, qui juvenculum satis noverant, ut non omitteret respondere; esse illum disputatorem acutum, et multum ei scientiæ suffragari; non esse indecens cum ejusmodi (*sic*) subire negotium disputandi, indecentissimum esse talem ulterius aspernari : « Dicat, » inquit, « si quid habet ad « dicendum. » Ille, dicendi nacta facultate, ex his unde movebatur propositionem facit adeo competentem, ut nullatenus levem et garrulam redoleret verbositatem, sed audientiam omnium sua mercaretur gravitate. Assumente illo, et affirmante isto, et affirmationibus ejus illo non valente refragari; quum divertendi ei penitus suffugia clauderentur, ab isto qui non ignorabat ejus astutias, tandem convictus est asseruisse se quod non esset consentaneum rationi. Alligato itaque forti ab eo qui intraverat domum ejus, et descendente eo de monte, qui indissolubili mutantem Prothea vultus astrinxerat nodo veritatis; quum ventum esset ad eos qui in tabernaculis scholaribus fuerant remorati, in voces exsultationis et lætitiæ proruperunt, eo quod humiliata esset turris superbiæ, murus pertinaciæ corruisset,

defecisset subsannans Israelem, contrita esset malleatoris incus et malleus mendacia fabricantes, destructa denique esset machina falsitatis; et hoc non in multitudine gravi, non auxiliis forinsecus mendicatis, non sophismatum præmeditata versutia, non extraordinaria comprimente auctoritate personali; sed ab humili, constanti, erudito et valido veritatis assertore. » (Cf. *Histoire littéraire de France*, t. XII, p. 90; *Abélard*, auct. Rémusat, t. I, p. 24 et seq.)]

Nota XIV, pag. 7.

Carissima mihi mater mea Lucia.... — Calendarium paracletense : « XIV kal. novembris obiit Lucia mater magistri nostri Petri. »

Nota XV, pag. 7.

Guillelmus in episcopatu catalaunensi.... — De Guillelmo hoc sive Vuillelmo jam catalaunensi episcopo mentio fit apud Ivonem carnotensem, epist. CCLXVIII; apud sanctum Bernardum, epist. III, et apud Othonem Frisingensem lib. I, *de Rebus gestis Friderici I*, cap. XLVII. Fuit autem ex canonico regulari Sancti Victoris assumptus ad episcopatum anno Christi 1112, ut conjicere est ex electione Gilduini discipuli ejus in abbatem primum ecclesiæ Sancti Victoris, quæ celebrata est anno 1113, et onus episcopale sustinuit annis septem ac mensibus sex. Sic enim tabulæ manuscriptæ catalaunensium episcoporum : « Guillelmus venerabilis rexit ecclesiam annos septem, menses sex. » Quibus expletis, demum fato cessit anno 1119 die 25 januarii, sicut ex his calendarii victoriani verbis discitur : « VIII kal. febr. anniversarium Vuillelmi catalaunensis episcopi, et nostri canonici. » [Cf. *Gall. christ. nov.*, t. IX, p. 877; *Hist. littér. de la France*, t. X, p. 307 et seq.]

Nota XVI, pag. 7.

Magister.... Anselmus laudunensis....—Plures eodem prope tempore Anselmi Laudunenses fuerunt. Historia namque Restaurationis Ecclesiæ laudunensis a canonico quodam ejusdem ecclesiæ conscripta, meminit Anselmi Sancti Vincentii laudunensis abbatis, qui « quum cœnobio suo fere decimis et septimis annis præfuisset, et pro utilitate ejusdem cœnobii Romam profectus fuisset, a clericis tornacensibus, qui jam quadringentis annis proprio episcopo caruerant, mirabili eventu, Deo ordinante, ibi repertus in episcopum electus est, et a domino papa Eugenio invitus et reluctans obedientiæ vinculo constrictus pontifex consecratus est, sicque per eum tornacensi ecclesiæ antiqua dignitas restituta anno ab incarnatione Domini 1145. » [Vide *Script. rer. gallic.*, t. XIV, p. 347.] Meminit et Anselmi alterius antiquioris, cognomento Beessi, « qui se simulando religiosum non parum ab omnibus laudabatur et honorabatur. Unde et pro religione sua thesaurus ecclesiæ laudunensis ei servandus traditus est cum aliis custodibus, quoniam antiqua consuetudo erat ejusdem ecclesiæ, ut septem custodibus ipse thesaurus committeretur, quorum quatuor ecclesiastici, tres vero essent laici. Sed, ut ex fine patuit, longe alius erat in corde quam homines viderent in facie. Videns enim multum sibi ab omnibus credi ex auro et lapidibus preciosis quibus cruces, festis diebus super altare ponendæ, fuerant opertæ, non exiguam partem furtim discerpens aurifici cuidam vendendi causa tradidit. » Denique et tertium Anselmum laudunensem memorat, qui super hoc thesauri furto jam detecto consultus est a reliquis ecclesiæ laudunensis canonicis, et a civibus, tanquam urbis totius lucerna et lumen. Sic enim idem auctor de eo loquitur [Vide *Script. rer. gallic.*, t. XII, p. 244.] : « Protinus ergo, » inquit « generalis conventus canonicorum et civium convocatur, quid opus sit facto discutitur, et præ omnibus magister Anselmus, tunc temporis totius urbis lucerna, consulitur. Ille, ut divinæ legis peritissimus, continuo Josuæ replicat historiam, quomodo scilicet furtum in Hierico, nullo sciente, factum Dominus jussit sorte perquiri, primo per tribus, deinde per familias ac domos, ad ultimum singillatim per viros. Instar hujus tam subtilis perquisitionis consulit magister Anselmus, ut tanti facinoris auctor judicio aquæ perquireretur, ac de singulis urbis parrochiis unus infans innocens in vase aquæ benedictæ repleto poneretur, et quæcunque parrochia sorte culpabilis reperiretur, de singulis domibus ejusdem parrochiæ unus infans in aqua poneretur, et quæcunque domus deprehensa fuisset, omnes viri vel feminæ ad eam pertinentes judicio aquæ se purgare cogerentur. » Unde et patet hunc posteriorem Anselmum,

illum ipsum esse magistrum Anselmum laudunensem, quem Petrus Abælardus dicit tunc maximam ex antiquitate auctoritatem tenuisse. Fuit autem idem canonicus et decanus ecclesiæ laudunensis, non episcopus, ut quidam inconsulte satis scripserunt. Quod ante omnes vel citatus jam scriptor docet his verbis : « Vir sapientissimus magister Anselmus tunc temporis ecclesiæ nostræ canonicus et decanus, per totum pene orbem latinum, scientiæ et eloquentiæ suæ fama notissimus. » Habuitque inter alios lectionum suarum auditores et discipulos, quum magistrum Guillelmum de Campellis archidiaconum ecclesiæ parisiacæ, de quo superius, Petrum nostrum Abælardum, qui fuit et ipse postea magister celeberrimus, Albericum Remensem, et Lotulfum Novariensem sive Lombardum, de quibus postea, tum præcipue Guillelmum cantuariensem archiepiscopum. Hoc enim testatur etiam præfatus ecclesiæ laudunensis historicus, quum ait : « Nos itaque assumpto dominæ nostræ feretro atque reliquiis, Cantuariam venimus, ubi tunc erat archiepiscopus dominus Willelmus nobis notissimus, quoniam jam dudum pro audienda lectione magistri Anselmi Laudunum petens multis diebus in episcopi domo manserat, ibique filios Radulfi, cancellarii regis Anglorum, docuerat.» Ex quibus verbis colligere est laudunensem ecclesiam tunc fuisse quasi magnum undique studiosorum conventum ; quos e multis urbibus et regionibus magistro illi Anselmo discipulos doctrinæ celebris fama contrahebat. Quo autem anno decesserit, et ubi sepultus fuerit, dicetur infra. [Cf. *Hist. litt. de la France*, t. X, p. 170 et seq.]

Nota XVII, pag. 8.

Parisius reversus scholas mihi jam dudum destinatas.... possedi. — Otho Frisingensis, lib. I *de Rebus gestis Frederici I*, cap. XLVII : « Post,» inquit de Abælardo loquens, « ad gravissimos viros Anselmum Laudunensem, Guillelmum Campellensem, Catalauni episcopum, migrans, ipsorumque dictorum pondus tanquam subtilitatis acumine vacuum judicans, non diu sustinuit. Inde magistrum induens, Parrhisius venit, plurimum inventionum subtilitate, non solum ad philosophiam necessariarum, sed et pro commovendis ad jocos animis hominum utilium, valens. » [Vide *Script. rer. gallic.*, t. XIII, p. 74.]

Nota XVIII, pag. 9.

Adolescentula quædam nomine Heloissa, neptis canonici cujusdam, qui Fulbertus vocabatur. — Vir doctus Papyrius Massonus, lib. III *Annal.*, hanc Heloissam præstanti ingenio formaque puellam, ait fuisse filiam naturalem Joannis nescio cujus parisiensis canonici. Verum id unde sumpserit, non est in promptu, nec certe concordat aut ipsius Abælardi dictis, aut calendario etiam paracletensi, quod recenset obitum Fulberti canonici, Heloissæ avunculi, corrupte tamen sub Huberti nomine, his verbis : « VII kal. januar. obiit Hubertus canonicus, dominæ Heloisæ avunculus » Quin et Fulberti canonici parisiensis meminit Ordericus uticensis monachus, lib. VII Historiæ suæ Ecclesiasticæ ; quem ut hunc quoque eumdem Heloissæ avunculum fuisse credam, ratio potissimum temporis facit. « Regnante, » inquit, « Ludovico rege, quidam canonicus nomine Fulbertus Parisius erat, qui os integrum de spina sancti Ebrulbi habebat, quod capellanus de capella Henrici regis Francorum subtraxerat, eique jam dudum pro amoris pignore dederat. Timens autem pro diversis causis illud habere, Fulcone presbytero Mauliæ mediante, accersit Guillelmum de Monsterolo priorem Mauliæ, eique reliquias tradidit deferendas uticensi ecclesiæ. » [Cf. Rémusat, *Abélard*, t. I, p. 47.]

Nota XIX, pag. 12.

Ubi apud sororem meam.... — Sorori huic Abælardi nomen Dionysia, quam reperio decessisse « II non. decembris. » Sic enim calendarium paracletensis cœnobii : « II non. decem. obiit Dionysia magistri nostri Petri germana. »

Nota XX, pag 12.

Donec pareret masculum quem Astralabium nominavit. — Heloissa ipsa scribens ad Petrum abbatem cluniacensem : « Memineritis, » inquit, « et amore Dei et nostri, Astralabii vestri, ut aliquam ei vel a parisiensi, vel alio quolibet episcopo præbendam acquiratis. » Et Petrus Heloissæ respondens : « Astralabio vestro, vestrique causa nostro, mox ut facultas data fuerit, in aliqua nobilium ecclesia-

rum præbendam libens acquirere laborabo. » Gestasse vero et Petri prænomen hunc Astralabium, sive Astrolabium, docet necrologicus liber paracletensis in hæc verba : « IV kal. novemb. obiit Petrus Astralabius magistri nostri Petri filius. » [Hactenus Quercetanus. Necrologium autem monasterii de Alta Ripa, ordinis cisterciensis, apud Helvetios, sic habet, ut retulit nobis vir eruditissimus L. de Sinner, qui locum ipse transcripserat : « I januar. anno reparatæ salutis MCLVII, obiit reverendus dominus primus hujus monasterii abbas, postulatus a domino Guillelmo de Glana fundatore ex abbatia Caroloci in Burgundiæ comitatu sita : et sub ipso fuit consecrata ecclesia altaripana a Guidone episcopo lausannensi, anno Domini MCXXXVII, in mense martis.— II januar. Commemoratio reverendorum patrum : Theodorici prioris ; Germani, Richardi abbatis MCLVII ; Cononis subprioris ; Josleni, Pontii abbatis MCLVIII ; Juliani Cellarii ; Hugonis, Wuilliermi, Astralabii abbatis MCLXII ; Gualteri et Petri. Nec non et fratrum conversorum : Martini, Borcardi, Willenci, Bossonis, Amaldrici, Viventii, Torinci, Marci, Raymundi et Mendrici. Qui omnes ex abbatia Caroloci postulati, hoc monasterium primi inhabitaverunt. — V augusti. Commemoratio reverendi domini Astrolabii (*sic*) abbatis IV. » Et ordo successionis abbatum altaripensium : « I. Girardus sancti Bernardi discipulus, ex abbatia de Caroloco in Burgundia, missus anno MCXXXVII. II. Richardus monachus Caroloci, electus (abbas) anno MCLVII. III. Pontius, monachus Caroloci, MCLVIII. IV. Astralabius, monachus Caroloci MCLXII. V. Hugo, ex nobili familia dominorum de Ponte MCLXV. » Constat ergo Astralabium quemdam, monachum cœnobii Caroloci in Burgundia, missum fuisse cum aliis a sancto Bernardo, ut monasterium Altæ Ripæ primi inhabitarent, abbatem vero electum anno 1162, tribus post annis e vita decessisse. Astralabium illum Abælardi filium fuisse forsan consentaneum est. (Vide *Fragm. de Philos. scholast.*, Paris, 1840, p. 447.) Verum et mentio fit in cartulario cœnobii buzeiensis, in Britannia, alterius Astralabii qui cum avunculo ejus Porcario canonicus ecclesiæ nannetensis fuisse fertur. Vide *Histoire de Bretagne*, auct. dom. Lobineau, Parisiis, 1707, t. II, p. 296.]

Nota XXI, pag. 14.

Quid te clericum atque canonicum facere oportet...? — Cujus ecclesiæ fuerit canonicus Abælardus nullibi reperi, nisi forte senonensis. Id enim habet chronicum manuscriptum archiepiscoporum senonensium : « Anno MCXLII inquit, magister Petrus Abaulart canonicus primo majoris ecclesiæ senonensis obiit.... Canonicus fuit, et post uxoratus. » Sed concilium provinciale, quod postea Senonis adversus eum convocatum est, huic opinioni locum dedisse quidam suspicantur. Ut ut sit, clericum sive canonicum fuisse priusquam uxorem duceret, ipsa etiam ejus uxore testante, non dubitandum est. [Alii Abælardum ecclesiæ parisiensis aut etiam turonensis canonicum fuisse contendunt. Vide clari viri Rémusat, in opere sæpe laudato, t. I, p. 40, ubi locum chronici senonensis partim a Quercetano exprompum, totum sic legas : « Ex chronico senonensi Gaufridi de Collone, monachi Sancti Petri Vivi senonensis, seculo XIII, anno Domini MCXL (*lege* XLII) magister Petrus Abaulart, canonicus primo majoris ecclesiæ senonensis, obiit : qui monasteria sanctimonialium fundavit, specialiter abbatiam de Paraclito, in quo sepelitur cum uxore. Suum epitaphium tale est : « Est satis in tumulo : Petrus hic jacet « Abaillardus. Hic (*lege* huic) soli patuit scibile quidquid erat. » Canonicus fuit et post uxoratus. »]

Nota XXII, pag. 15.

Transmisi eam ad abbatiam quamdam sanctimonialium prope Parisius, quæ Argenteolum appellatur. — Argenteoli, sive Argentolii, aut, ut veteres appellant, Argentogili abbatiam Hermenricus et uxor ejus Mummana fundarunt in pago parisiaco super fluvio Sequanæ, primumque monachos in ea posuerunt. Sed postea Normannorum incursionibus destructam Adelais regina, conjux Hugonis ac mater Roberti regum, illam a solo reædificavit, et monialibus ibi Deo sub regula Sancti Benedicti famulatoris assignavit, uti docet Helgaudus, floriacensis monachus, in Vita Roberti regis : « Mater quoque ejus, » inquit, « Adhelais admiranda satis in sancta devotione regina, construxit monasterium in territorio parisiensi, villa quæ dicitur Argentoilus, ubi numerum ancillarum Dei non minimum sub norma Sancti Benedicti vivere paratas adunavit, ad laudem et gloriam bonorum omnium Inspiratoris,

et sub honore sanctæ Dei genitricis et perpetuæ virginis Mariæ, omnipotenti Domino dedicari et consecrari voluit. » Imo et ecclesiarum ac villarum, quas plurimas eidem contulit monasterio, confirmationem impetravit a Roberto rege. Nam in chartulario manuscripto Sancti Dionysii, quod vir multiplici nobilitate et eruditione celeberrimus Jacobus Augustus Thuanus asservat in sua locupletissima bibliotheca, tale præceptum inde fecisse regem ejus filium reperi :

Donum quod fecit Robertus rex monialibus de Argentolio.

« Regis regum nutu Francorum rex Robertus, cum nostris fidelibus cunctis catholicis palam id fieri volumus. A prædecessorum nostrorum cultu, circa sacræ religionis jura constituto, nequaquam deviare volentes, hortamur omnes ad finem beatitudinis tendentes, quatenus summopere in vigilando auxilientur nobis, ad privilegia erga res Dei sanctorumque ejus corroboranda, uti recipiant ipsi nobiscum remissionem peccaminum pro hujusmodi re digne exequenda. Precibus etenim nostræ genitricis, scilicet Adelaidis reginæ insignis, cui prorsus nihil denegare, verum omnimodis devote inservire debemus, promoti, super quarumdam ecclesiarum villarumque astipulatione præcepti, quæ [1] monialibus Deo famulantibus in monasterio Sanctæ Mariæ Argentolio, ob animæ suæ, patris quoque nostri, videlicet Hugonis beatæ memoriæ, atque nostræ requiem, dedit, libenter ejus voluntati paruimus, et dictis faventes, petitionem ipsius idonea ratione persolvere curavimus. Sunt autem res collatæ hæ. In primis ea quæ possidebat Argentolio rex Hugo, donans illa Deo sacratis inibi degentibus. Ad hoc Cavenoilus, ubi haberi æstimantur mansa XXX, cum ecclesia in honore sancti Petri. Villa quoque Montiliacus cum mansis VII, et ecclesia in honore sancti Martini. In Aconiaco vero vico mansa duo. In Otrevilla similiter duo mansa et dimidium. Inter Alnedum et Lisivillam mansum I. In Villena ergo mansum I. In Satrovilla XX mansa cum duabus piscationibus. In insula Berliseia, et in ipsa villa Cornella altera piscatio. In Argentolio mercatum et theloneum rotarum atque tensamentum vini. In Lupocurte V mansa. Villa Trapas quoque, et quicquid ad eam pertinet cum ecclesia. Anilecortis vero villa, et quicquid ad eam pertinet cum ecclesia. Burduneium quoque villa, et omnia ad eam pertinentia cum ecclesia. Monsterolum quidem villa, cum ecclesia. Sanctum Loanium [2] villa cum ecclesia et molendino uno, et cum arpennis pratorum XII. Bratheias villa cum omnibus appendiciis suis et ecclesiis. Merlant quoque villa. Carisius quoque villa cum tribus molendinis atque pratis. Hec omnia supradicta prædictis monialibus data ob amorem Dei et reverentiam beatissimæ Dei genitricis Mariæ confirmamus auctoritate, quatenus semper sub plenissima defensione, et emunitatis tuitione rata permaneant. Ita videlicet ut nullus abhinc ad causas exigendas, aut freda vel tributa, aut mansiones vel paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ejus ecclesiæ tam ingenuos quam servos, super terram earum commanentes, injuste distringendos, nec ullos redditus aut illicitas occasiones requirendas nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt exigere præsumat. Sed liceat ipsis supradicta sub firmitatis defensione quieto ordine possidere, ad stipendia earum fine tenus ibi Deo militantium. Et hanc auctoritatem, ut firmior in Dei nomine habeatur, a fidelibus quoque sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, et sigilli nostri impressione signari jussimus. Actum in Pascha apud Sanctum Dionysium, anno XII regni Roberti gloriosissimi regis Francorum, indict. I. Franco cancellarius ex regio præcepto recognovi, atque subscripsi. »

Qualiter autem monialibus illis expulsis, Argentolii monasterium rursus ad monachos redierit, infra pluribus adnotabitur.

Nota XXIII, pag. 16.

Eis videlicet corporis mei partibus amputatis.... — Quomodo castratus de nocte fuerit Abælardus, et qualiter omnes parisiensis civitatis ordines ad eum mane congregati stupuerint, aut quanta se afflixerint lamentatione, plagam illam corporis ejus plangentes, feminæ præsertim, optime quoque

[1] Lege *quas*. — [2] Lege *S. Loanius*.

describit Fulco, Diogilli prior, in epistola quam ad eum tunc pro consolatione direxit. « Membra, » inquit, « quieti dederas et sopori, nullique malum inferre parabas; quum ecce manus impietatis et ferramentum exitiale sanguinem tuum innoxium gratis fundere non dubitaverunt. Plangit ergo hoc tuum vulnus et damnum venerabilis episcopi benignitas, quæ quantum licuit vacare justitiæ studuit. Plangit liberalium canonicorum ac nobilium clericorum multitudo. Plangunt cives civitatis, hoc dedecus reputantes, et dolentes suam urbem tui sanguinis effusione violari. Quid singularum feminarum referam planctum, quæ sic hoc audito lacrymis, more femineo, ora rigarunt propter te militem suum, quem amiserant, ac si singulæ virum suum aut amicum sorte belli reperissent extinctum? Tantus ergo omnium luctus extitit, ut melius videaris te debere velle periisse, quam servasse quod periit. Felix se nescit amari. Pene tota civitas in tuo dolore contabuit. Habes arrham veræ dilectionis in te, quam si prius agnovisses, nullas meo judicio divitias illi comparabiles æstimares. » Nec prætermittenda etiam sceleris tam nefandi vindicta sive justitia, quam in fine subjungit, his verbis : « Nam quidam illorum qui tibi nocuerunt, oculorum privatione, et genitalium abscisione mutilati sunt. Ille autem qui per se factum abnegat, jam ab omni possessione sua, bonorum suorum comportatione exturbatus est. » [Vide *Epistolam Fulconis* ad calcem hujusce voluminis.]

Nota XXIV, pag. 17.

Ambo itaque simul sacrum habitum suscepimus, ego quidem in abbatia Sancti Dionysii.... — Notior illa Sancti Dionysii Parisiorum antistitis abbatia, quam ut notis aliquibus indigeat. Petrum autem Abælardum in ea monachum induisse testatur vel Guillelmus Nangius in chronico sub annum Christi 1141, et ante eum Otho Frisingensis episcopus, lib. I *de Rebus gestis Frederici I*, cap. XLVII, his verbis : « Ubi (sive Parisius), occasione quadam satis nota non bene tractatus, monachus in monasterio Sancti Dionysii effectus est. Ibi die noctuque lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de litterato efficitur litteratior. » [Cf. *Script. rer. gallic.*, t. XIII, p. 654.]

Nota XXV, pag. 17.

Erat autem abbatia illa nostra.... secularis admodum vitæ atque turpissimæ.— Attamen et non adeo longe antea, reges Hugo et Robertus reformationem illius procuraverant per manum venerabilis Odilonis abbatis cluniacensis, quem Fulbertus carnotensis episcopus archangelum cognominat. Asserit enim hoc imprimis Ademarus lemovicensis monachus in chronico, quum ait : « Beati Dionysii cœnobium, quod jam pristinam monasticam corruperat regulam, rex Hugo regulari honestate sicut in ecclesiis Domini rectum erat, honestius restauravit per manum venerabilis Odilonis abbatis, et alia sanctorum nonnulla monasteria in decorem pristinæ disciplinæ revocavit. » Asserit et Iotsaldus cluniacensis monachus in Vita sancti Odilonis, lib. II, cap. IX, in hæc verba : « Lutetiæ Parisiorum proximum est monasterium Sancti Dionysii Martyris gloriosi corporis honore præclarum. Qui locus a Francorum regibus Hugone et Roberto viro Dei Odiloni fuerat commissus, ut monachili ordine, et doctrina regularis vitæ proveheretur in melius. In quo cœnobio aliquando Dei famulus commanens vitæ pabulum et salutis haustum facundo ore suis auditoribus ministrabat. Gerebat tunc officium præpositurræ senior Ivo amicabilis homo, qui bene meritum patrem observare et colere studebat, etc. »

Nota XXVI, pag. 17.

Cujus abbas ipse, quo cæteris prælatione major, tanto vita deterior....— Abbati huic Sancti Dionysii nomen Adam, qui cœpit regere monasterium anno 1094, sed utrum tam infamis vitæ fuerit uti scribit hic Abælardus, haud immerito dubitari potest. Nam et pauperum Christi curam magnam gessisse, patet vel ex his ejus litteris, quas tabulæ sandionysianæ suggesserunt :

De quinque modiis annonæ datis ab eleemosynario pauperibus.

« In Dei nomine ego Adam, Dei gratia monasterii martyris Christi Dionysii abbas, patefieri volo universitati fidelium, quod XIII nostræ prælationis anno, in terra nostra fames adeo prævaluit, ut annona

quamvis caro pretio emenda vix posset inveniri; qua inopia pauperes afflicti et pene exanimes officinis nostris multipliciter se ingerebant. Fores vero domus eleemosynæ quotidie innumeri irrumpebant, quorum afflictioni ego et fratres nostri condolentes in capitulum convenimus, et qualiter eorum penuriæ et defectioni a nobis subveniri posset tractare cœpimus. Hoc nobis tractantibus, frater Joannes, cui eleemosynam commiseramus, surrexit in medio; dixitque quoniam si domum eleemosynæ resque sibi adjacentes ab omni exactione ministerialium Sancti Dionysii, omnique mala consuetudine liberam esse concederemus, ipse quæreret v modios annonæ, et daret subventioni pauperum. Igitur quod petebat concessi fieri consensu totius capituli, etc. Hujus rei sunt testes, in primis ego Adam abbas, qui hanc chartam fieri præcepi, deinde dominus Theobaldus fossatensis abbas, Allelmus prior, etc. Actum anno ab incarnatione Domini MCXI, indict. IV, epacta IX, CCVI (concurr. VI?), cycl. X, Cl. XIV, L. VI kal. aprilis, die Paschæ IV non. aprilis, luna ejus XX, regnante domino Ludovico Philippi regis filio, anno regni ejus IV, mense maio. »

Quinimo, sunt aliæ quoque ibidem litteræ, quibus pietas et affectus ejusdem erga divini cultus honorem ac amplificationem elucere videntur, hoc modo :

Donatio Adæ, abbatis Beati Dionysii totiusque conventus, de ecclesia Sancti Petri ad ecclesiam Sancti Pauli.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Adam, Dei gratia abbas monasterii martyrum Christi Dionysii, Rustici et Eleutherii, omnibus sanctæ et universalis Ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris. Notum fieri volo omnium vestrum caritati, quod ego et capitulum nostrum, scilicet ecclesia Beati Dionysii, communi decreto et favore dedimus, et manu nostra per claves ecclesiæ [quas?] super altare posuerimus ad dotem ecclesiæ quando dedicandæ; dedimus, inquam, basilicæ Sancti Pauli ecclesiam Sancti Petri juxta se sitam liberam et quietam. Dedimus quoque potestatem ponendi in ea presbyterum et ejiciendi, salvo honore ecclesiæ nostræ. Hujus vero donationis nostræ causa est ut quotannis canonici Sancti Pauli in nocte natalis beati Dionysii cum processione veniant ad ecclesiam, in qua corpore requiescit, ibique matutinos festive decantent ante nostros. Radulfo autem presbytero de Fossa cognomine, qui præfatam ecclesiam Sancti Petri per nos tenebat, dedimus plenam præbendam in refectorio in prima mensa, ut eam plenariam habeat quandiu vixerit. Præbendam quoque panis ac vini, quam iidem canonici accipiebant in promptuario, concessimus accipi in refectorio. Qui vero dotem ipsam ecclesiæ abstulerit, et Radulfo prædicto præbendam sibi a nobis datam subtraxerit quandiu vixerit, divinæ ultioni et nostro subjaceat anathemati. Actum et datum ac roboratum in capitulo Sancti Dionysii, anno incarnati Verbi MCXIV, indict. VII, epact. XXIII, concurrente IV, anno Hludovici regis VII. Signum Adæ abbatis, Sancti Alelmi prioris, etc. »

Quare satis mirari non possum cur Abælardus etiam subjiciat se « intolerabiles » abbatis illius et monachorum Sancti Dionysii « spurcitias frequenter atque vehementer modo privatim, modo publice redarguentem, omnibus supra modum onerosum atque odiosum effecisse, » nisi forsitan eis, quos postea infensissimos habuit, aliqua saltem verborum acrimonia parem gratiam referre voluerit. [Ita Quercetanus. Attamen fatendum est Abælardo monachorum Sancti Dionysii mores vehementius redarguenti divum etiam Bernardum omnino suffragari, cujus hæc verba sunt : « Locus quippe ab antiquo nobilis et regiæ dignitatis extiterat; palatii causis regumque exercitibus deservire solebat; sine cunctatione et fraude, sua Cæsari reddebantur; sed non etiam Deo quæ Dei sunt persolvebantur æque fideliter. Quod audivimus, non quod vidimus, loquimur : claustrum ipsum monasterii frequenter, ut aiunt, stipari militibus, urgeri negotiis, jurgiis personare, patere interdum et feminis. » (Epist. LXXVIII, *Opp.*, Parisiis 1690, in-fol., t. I, col. 79. Cf. *Script. rer. gall.*, t. XX, p. 727.)]

Nota XXVII, pag. 17.

Ad quas quidem tanta scholarium multitudo confluxit, ut nec locus hospitiis, nec terra sufficeret alimentis. — Nemo brevius infinitam illam scholarium Abælardi multitudinem expressit, quam Chro-

nici mauriniacensis scriptor, quum ait [ap. dom. Brial, *Scrip. rer. gallic.*, t. XII, p. 80] : « Petrus Abailardus, monachus et abbas, vir erat religiosus, excellentissimarum rector scholarum, ad quas pene de tota latinitate viri litterati confluebant. » Sed quod summatim et uno pene verbo complexus est, id Fulco Diogilli prior etiam ante clarius ac specialius exposuerat. Nam in epistola qua consolatus est eum post castrationem [vide ad calcem hujusce voluminis, in appendice], de discipulis et auditoribus, ab Italia, Germania, Hispania, Anglia, Flandria, cunctisque Franciæ provinciis ad ejus scholas confluentibus, sic loquitur : « Roma suos tibi docendos transmittebat alumnos, et quæ olim omnium artium scientiam auditoribus solebat infundere, sapientiorem te se sapiente transmissis scholaribus monstrabat. Nulla terrarum spatia, nulla montium cacumina, nulla concava vallium, nulla via difficili licet obsita periculo et latrone quominus ad te properarent retinebat. Anglorum turbam juvenum mare interjacens et undarum procella terribilis non terrebat; sed omni periculo contempto, audito tuo nomine ad te confluebat. Remota Britannia sua animalia erudienda destinabat. Andegavenses eorum edomita feritate tibi famulabantur in suis. Pictavi, Vuascones, et Hiberi, Normannia, Flandria, Theutonicus et Suevus, tuum calere ingenium, laudare et prædicare assidue studebat. Prætereo cunctos Parisiorum civitatem habitantes, et intra Galliarum proximas et remotissimas partes, qui sic a te doceri sitiebant, ac si nihil disciplinæ non apud te inveniri potuisset. Ingenii claritate et suavitate eloquii, et linguæ absolutioris facilitate, nec non et scientiæ subtilitate permoti, quasi ad limpidissimum philosophiæ fontem iter accelerabant. » Ac ne quis inter alios de romanis scholaribus dubitet, id ipsum testatur et sanctus Bernardus licet Abælardo nostro paulo subinfensior, his epistolæ CXCIII verbis : « Securus tamen est, » nempe Petrus Abælardus, « quoniam cardinales et clericos curiæ se discipulos habuisse gloriatur. » [*Opp.*, t. I, col. 186.] Et alibi Guidonem de Castello presbyterum cardinalem, qui postea Celestinus II papa fuit, ejus quoque auditorem fuisse subindicat. [Epist. XCII, *Opp.*, t. I, col. 185.] Verum ut pontificibus maximis et cardinalibus episcopos etiam aliquos eruditiores ad majoris nominis conjungamus, Petrus ille Novariensis, seu Lombardus, a Lombardia patria cognominatus, idemque postea parisiensis episcopus, et magister sententiarum, lectiones ejus præ cæteris amplexatus est. Denique Gaufridum Antissiodorensem, et Berengarium Pictaviensem, de quorum scriptis ac doctrina dicetur alibi, discipulos illius extitisse manifestius est quam ut probationibus indigeat.

Nota XXVIII, pag. 18.

Accidit... ut... quemdam theologiæ tractatum de Unitate et Trinitate divina scholaribus nostris componerem. —Tractatus hic ille est quem edidimus ad calcem operis. [Vide edit. Amboes., p. 973-1136.] et cui varia nomina passim Abælardus ipse tribuit. In epistola enim ad Gaufridum parisiensem episcopum, Opusculum de fide sanctæ Trinitatis appellat; in Commentario super Epistolam ad Romanos, frequenter Theologiam suam, et in præfatione operis, sacræ eruditionis Summam, sive divinæ Scripturæ Introductionem. Quod autem opus illud se composuisse dicit, ut scholarium petitioni satisfaceret, qui Trinitatem fidei christianæ fundamentum, humanis et philosophicis rationibus ac similitudinibus edisseri requirebant, et plus quæ intelligi quam quæ dici possent efflagitabant; hæc tamen sola non fuisse scribendi causa vel inde colligi potest, quod libro II ipsius operis, artic. IV docet, hæreses non adeo repressas fuisse suis temporibus, ut jam nullo fidei fundamento esset opus : imo nullos in tantam olim insaniam prorupisse hæreticos, quanta nonnulli contemporaneorum suorum debacchati essent. Et apertius articulo præcedenti : « Quicquid, » inquit, « horum quislibet constituat, miror qua me fronte aliquis arguat, si cæterorum de his scribentium providentiam laudet. Nisi forte in hoc nostrum jam penitus superfluere tractatum dicat, quod et illorum documenta sufficiant, et nullæ jam ulterius quibus resistendum sit pullulent hæreses, vel nullæ de nostra fide supersint dubitationes, quæ aliquibus rationibus vel ad documentum, vel ad defensionem ejus egere videantur. Atque utinam ita sit! At vero ut innumeram multitudinem infidelium, quæ extra Ecclesiam est, tam judæorum scilicet quam ethnicorum prætercam, quis ita omnes hæreses repressas profiteri audeat, ut jam nulla apud nos fidei sint schismata, nullæ ulterius futuræ sint dissensiones? » Composuit igitur

librum illum quum scholaribus, tum ad reprimendos divinorum librorum magistros hæreticos, qui suo tempore multa catholicæ fidei vel sanctis doctrinis adversa non solum tenebant, verum etiam docebant, « quorumque unus, » inquit artic. v, « in Francia, alter in Burgundia, tertius in pago andegavensi, quartus in bituricensi, pestilentiæ cathedras tenebant. » Imo potissimum adversus hæresim unius ex illis scripsit, ut ipsemet declarat in epistola jam citata ad Gaufridum parisiensem episcopum, his verbis : « Relatum est nobis a quibusdam discipulorum nostrorum supervenientibus, quod erectus ille et semper inflatus catholicæ fidei hostis antiquus, cujus hæresis detestabilis tres Deos confiteri, imo et prædicare suessionensi concilio a patribus convicta est, atque insuper exilio punita, multas in me contumelias et minas evomuerit, viso opusculo quodam nostro de fide sanctæ Trinitatis, maxime adversus hæresim præfatam, qua ipse infamis est, conscripto. » Et lib. II ipsius opusculi, art. VII : « Alter quoque, » inqnit, « totidem erroribus involutus, tres in Deo proprietates, secundum quas tres distinguuntur personæ, tres essentias diversas ab ipsis personis et ab ipsa Divinitatis natura constituit, ut scilicet paternitas Dei vel filiatio sive processiones quædam sint tam ab ipsis personis quam ab ipso Deo diversæ. » Quis autem fuerit hæreticus iste non diu quærendum, si quod Anselmus cantuariensis archiepiscopus ad Fulconem belvacensem episcopum de Roscelino Abælardi nostri primo præceptore scripsit attendatur. Sic enim inter cætera de perversis ejus circa Trinitatem erroribus a Rainaldo rhemensi archiepiscopo damnandis loquitur : « Audio, quod tamen absque dubietate credere non possum, quia Roscelinus clericus dicit in Deo tres personas esse tres res ab invicem separatas, sicut sunt tres angeli, ita tamen ut una sit voluntas et potestas, aut Patrem et Spiritum sanctum esse incarnatum, et tres Deos vere posse dici si usus admitteret; in qua sententia asserit venerabilis memoriæ archiepiscopum Lanfrancum fuisse, et me esse. Quapropter dictum est, concilium a venerabili rhemensi archiepiscopo Rainaldo colligendum esse in proximo. Quoniam ergo puto reverentiam vestram ibi præsentem futuram, volo ut instructa sit quid pro me respondere debeat, si ratio exegerit. » Et paulo post : « Quicunque blasphemiam quam supra posui me audisse a Roscelino dici pro veritate asseruerit, sive homo, sive angelus, anathema est, et confirmando dicam, quandiu in hac persisterit pertinacia, anathema sit, omnino enim christianus non est. » Quid Abælardi dictis convenientius, aut affinius dici potest? Attamen quod Anselmus addit hunc Roscelinum asseruisse Lanfrancum, et se, in eadem cum eo fuisse sententia, manifestius adhuc convincit illum ipsum esse contra quem Petrus noster scripsit. Ait enim idem in præfata epistola ad Gaufridum : « Hic contra egregium illum præconem Christi Robertum Arbrosello contumacem ausus est epistolam confingere, et contra illum magnificum Ecclesiæ doctorem Anselmum cantuariensem archiepiscopum adeo per contumelias exarsit, ut ad regis anglici imperium ab Anglia turpiter impudens ejus contumacia sit ejecta, et vix tum cum vita evaserit. Vult eum infamiæ habere participem, ut per infamiam bonorum suam consoletur infamiam, nec nisi bonum odit, qui bonus esse non sustinet. Qui ob intemperantiam arrogantiæ suæ ab utroque regno in quo conversatus est, tam Anglorum scilicet quam Francorum, cum summo dedecore expulsus est, et in ipsa, cujus pudore canonicus dicitur, Beati Martini ecclesia, nunquam [1], ut aiunt, a canonicis verberatus, morem solitum servaverit. » Quæ verba faciunt et ad interpretationem alterius ejusdem Anselmi loci, qui scribens ad Urbanum II papam, refert quum beccense monasterium regeret præsumptam fuisse a quodam clerico in Francia talem assertionem : « Si in Deo tres sunt personæ, una tantum res, et non sunt tres res; ergo Pater cum Filio et Spiritu sancto est incarnatus. » Et postea subjungit illum in concilio a venerabili rhemensi archiepiscopo Rainaldo errorem suum abjurare coactum. Audisse tamen postea præfatæ novitatis auctorem in sua perseverantem sententia dicere, « se non ob aliud abjurasse quod dicebat, nisi quia a populo verebatur interfici. » Præterea quæ Petrus Abælardus de concilio celebrato Suessionis, et Anselmus de defensione sententiæ post abjurationem factam dixerunt, eadem quoque omnia Ivo carnotensis episcopus Roscelino tribuit his epistolæ VII verbis : « Ivo Dei gratia Carnotensium humilis episcopus Roscelino. Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Si esses ovis centesima in deserto perdita, sed gregi jam

[1] Lege *nonnunquam*.

reddita, sicut exarserat in te zelus meus, quandiu intellexi te aversum et adversum, sic requiesceret in te spiritus meus, si te cognoscerem ad doctrinam sanam conversum et reversum. Sed quia scio te post concilium suessionense in auribus quorumdam quos mecum bene nosti, pristinam sententiam tuam clandestinis disputationibus studiosissime defendisse, et eamdem quam abjuraveras, et alias non minus insanas persuadere voluisse, non potest intrare in cor meum, quod adhuc fidem tuam correxeris, quod mores in melius commutaveris. » Denique quod Aventinus de Ruscelino, sive Roscelino scribit, eum auctorem fuisse nominalium, « qui avari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videbantur esse assertores, » ab hac etiam altera, quam Abælardus adversario suo obtrudit, objectione non omnino disconvenit: « Hic, » inquit, « sicut pseudodialecticus, ita et pseudochristianus, quum in dialectica sua nullam rem partes habere æstimat, ita divinam paginam impudenter pervertit, ut eo loco quo dicitur Dominus partem piscis assi comedisse, partem hujus vocis, quæ est piscis assi, non partem rei intelligere cogatur. » Quare non mirum, si præfatus Abælardus nomine designare quis iste esset superfluum duxerit, quem tot singulares notæ singulariter notabilem faciebant. Et hæc quantum ad occasionem componendi tractatus de Trinitate sufficiant. [Vide ea quæ de eodem argumento edisserimus initio nostri secundi voluminis, ubi tractatus Abælardi reperitur.]

Nota XXIX, pag. 18.

Quem quidem tractatum cum vidissent et legissent plurimi, cœpit in commune omnibus plurimum placere. —Cujus autem vel qualis æstimationis fuerit iste liber, unicum etiam sancti Bernardi testimonium demonstrare potens est. Scribens enim ad episcopos et cardinales curiæ romanæ [epist. LXXXVIII, *Opp.*, t. I, col. 181]: « Legite, » inquit, « si placet, librum Petri Abælardi, quem dicit Theologiæ. Ad manum est enim, quum, sicut gloriatur, a pluribus lectitetur in curia. » Et epistola CXCI [*Opp.*, t. I, col. 184]: « Surrexit a mortuis liber ille, jamjam extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad Romam propagines ejus. Hæc gloriatio hominis illius, quod liber suus in curia romana habet ubi caput suum reclinet.» Sed quia libri Sententiarum Petri Lombardi episcopi parisiensis id obtinuerunt, ut soli tandem in publicis theologiæ scholis legi, vel ab antiquis retro temporibus, meruerint, plurimum adhuc ipsam Abælardi Theologiam commendasse mihi videbor, si dictum Lombardum ea potissimum in componendis illis libris usum fuisse palam fecero. Quod præstare nec difficile, nec aliquibus fortassis ingratum fuerit. Id enim ex Eulogio Joannis Cornubiensis, ipsius Lombardi discipuli discitur, ubi postquam dixit: « Magister Petrus Abailardus in Theologia sua sic disserit : « Quid est dicere Deum « fieri hominem, nisi divinam substantiam, quæ spiritualis est, humanam, quæ corporea est, sibi unire « in personam unam? » Aliquot interpositis lineis adjungit : « Quod vero a magistro Petro Abælardo hanc opinionem suam magister Petrus Lombardus acceperit, eo magis suspicatus sum, quia librum illum frequenter præ manibus habebat; et forte minus diligenter singula perscrutans, ut qui ex usu magis, quam ex arte disputandi peritiam haberet, falli poterat.» Unde et sanctus Bernardus ignoranter Abælardo ipsi librum Sententiarum attribuit in epistola CLXXXIX. Nam ut idem Abælardus in Confessione suæ fidei declarat, « nunquam liber aliquis qui Sententiarum dicatur, a se scriptus reperietur. » Verum antequam ad alia transeamus, operæ pretium fuerit hic diffusiorem operum ac scriptorum omnium hujus Abælardi disquisitionem instituere; præsertim quum Trithemius et alii qui de eo locuti sunt, pauca tantum illa recenseant quæ sanctus Bernardus attigit.

Elenchus operum Petri Abælardi.

Composuit igitur Abælardus primo Dialecticam, cujus meminit initio hujus epistolæ, et libro III Theologiæ suæ. Nam ibi male Grammaticam habet manuscriptus codex pro Dialectica, his verbis : « Quod autem nec loco moveri possit qui spiritus est, tam philosophorum quam sanctorum assertione docemur, sicut de Quantitate tractantes ostendimus quum Grammaticam scriberemus.» Et hæc Dialectica, sive Logica, propediem in philosophiæ candidatorum gratiam favente Deo seorsim excudetur. Præterea scripsit glosas in Ezechielem prophetam, et amatoria Carmina, quorum etiam pleraque, sicut

ipse ait in eadem hac epistola, suo tempore frequentabantur ac decantabantur in multis regionibus, præsertim ab eis quos similis vita delectabat.

Scripsit quoque Tractatum sive Librum Theologiæ, de quo jam superius. Item Commentarium in epistolam ad Romanos, cujus meminit sanctus Bernardus in litteris suis ad Innocentium papam. Nec non et alium librum, quem, ut loquitur idem Bernardus, inscripsit, Scito te ipsum. Videturque esse Ethica illa ad quam Abælardus ipse quasdam quæstiones remittit in commentario supradicto. Quod et confirmat Guillelmus abbas Sancti Theodorici sub finem libri III Disputationis quam Hugoni rothomagensi archiepiscopo nuncupavit, his verbis : « Scripsit autem idem Petrus aliud opusculum, quod Scito te ipsum intitulavit, et suam, ni fallor, Ethicam appellavit, » quia scilicet in eo plurima de moribus, sive ut sancti Bernardi verbis utar, de virtutibus et vitiis moraliter disputavit. Nec dubito quin librum istum legisset etiam anonymus ille poeta qui scripsit anno 1376. Nam quum Abælardus in commentario suo præfato super epistolam ad Romanos promisisset se de libero arbitrio tractaturum in Ethica, sic dictus poeta definitionem ejusdem liberi arbitrii protulit ex Abælardo :

« Pierre Abalard en un chapitre
Où il parle de franc arbitre,
Nous dit ainsi en vérité
Que c'est une habilité
D'une vonlenté raisonnable,
Soit de bien ou de mal prenable.
Par grace est à bien faire incline,
Et à mal quand elle descline. »

Verum hæc Ethica, quamvis diligentissime perquisita, nec inventa adhuc nec reperta est.

Denique composuit Abælardus Historiam calamitatum suarum, de qua mentionem facit Petrarcha; plures epistolas ad Heloissam et alios, quarum aliquæ memorantur a Joanne Clopinello Magdunensi; Regulam et institutionem sanctimonialium; Expositiones in orationem dominicam, in symbolum apostolorum, in symbolum Athanasii; Solutiones problematum Heloissæ; Sermones per anni circulum, ad virgines paracletenses, et alia quædam opuscula quæ nunc primum edidimus; Hymnos etiam ecclesiasticos, qui reperiuntur in breviario paracletensi; nec non Apologeticum pro innocentiæ suæ excusatione, quem ut alium ab Apologia sive Confessione fidei ab eodem universis Ecclesiæ filiis directa credam, hæc Othonis verba, lib. I *de Rebus gestis Frederici I*, cap. XLIX [ap. dom. Brial, *Script. rer. gallic.*, t. XIII, p. 656] me movent : « Post damnationem, » inquit, « sui dogmatis, » de qua nos postea, « ad cluniacense cœnobium se contulit, Apologeticum scribens, prædictorum capitulorum partim verba, ex toto autem sensum negans, qui sic incipit : « Ne juxta Boetianum illud, procemiis nihil afferentibus tempus teratur, ad rem ipsam veniendum est, ut innocentiam meam ipsa rerum potius quam verborum excuset prolixitas. » Hæc, inquam, verba me movent, quia non leguntur in præfata fidei confessione quam inseruimus pag. 330 hujus operis; [vid. edit. Amb.] nec inconveniens est eum quoque prolixiorem adhuc alteram pro defensione suæ Theologiæ apologiam texuisse. Quod et confirmare videtur Guillelmus abbas Sancti Theodorici libro I suæ Disputationis, quum ait : « Per Apologiam suam Theologiam impejorat, novos veteribus errores adjungit, et eos pertinaciter et contentiose defendere contendit. » Et paulo ante : « Ac primo requiro cur sanctæ religionis et magni nominis abbatem insimulet falso finxisse, quia in Theologia sua scripserit Filium esse quamdam potentiam, Spiritum sanctum nullam. Id enim in Apologia sua, quam contra abbatem Petrus ipse dirigit, se dixisse denegat; sed quod divina sapientia quædam sit potentia Patris, non Filius, et quod amor Patris et Filii sit nonnulla potentia, non Spiritus sanctus, se dixisse profitetur, et verum esse pertinaciter contendit. » At nec Apologiam istam hactenus videre contigit. Hæcque sunt omnia, ni fallor, quæ Petrus Abælardus scripsit. [Disquisitionem hanc operum Abælardi, ab Andrea Quercetano institutam, non omisimus, ne hujus commentarii aliquid inconsulte negligere videremur, quamvis et aliqua parte manca esset, et propter nostras præfatiunculas supervacanea.]

Nota XXX, pag. 18.

Duo illi antiqui insidiatores, Albericus scilicet et Lotulfus.—Utrique Anselmi Laudunensis auditores, ac in scholis ejus præeminentes cæteris, de quibus et Heloissa, epist. II, et Otho Frisingensis episcopus, lib. I *de Gestis Frederici I*, cap. XLVII, ubi « egregios viros et nominatos magistros » vocat. Jam enim et ipsi tunc Rhemis scholas regebant. Sed quem Abælardus noster Lotulfum Lombardum, ille Leutaldum Novariensem dicit. Albericus vero, Rhemensis cognominatus, a sancto etiam Bernardo laudatur epist. XIII ad Honorium papam, in qua et episcopus catalaunensis electus post obitum Guillelmi de Campellis asseritur. Sancti enim Bernardi confirmationem ejus ab Honorio postulantis verba sic habent : « De ecclesia dico, domine, catalaunensi, cujus quantum in me est, nec debeo, nec valeo dissimulare periculum. Videmus nimirum, jam jamque imminere sentimus nos, qui vicini sumus, pacem videlicet memoratæ ecclesiæ graviter mox esse turbandam, si electioni illustris illius viri, id est magistri Alberici, in quam utique totus tam clerus quam populus pari voto et voce convenerant, et conveniunt, vestræ pietatis assensum impetrare nequiverint. » Verum etsi supplex oravit, non exoravit tamen, ut palam est tum ex tabulis episcoporum catalaunensium et Abælardo, tum ex epist. LVIII ejusdem sancti Bernardi, qua manifeste docet Ebalum Guillelmo successisse. Magister autem Albericus paulo post Leodiensi canonicus effectus est, ut constat ex calendario Sancti Victoris Parisiensis, ac tandem in magisterio scholarum jam senescens, archiepiscopatum bituricensem obtinuit. Nam id notat chronologus Sancti Petri Vivi Senonensis ad annum 1139 : « Hoc anno, » inquit, « Ulgrinus, bituricensis archiepiscopus, obiit. Succedit Albericus Rhemensis. » Et apertius adhuc : « Anno 1141 Petrus de Castro bituricensis ordinatur archiepiscopus, defuncto Alberico Rhemensi magistro. »

Nota XXXI, pag. 18.

Defunctis magistris... Guillelmo... atque Anselmo. — Decessit Guillelmus Campellensis episcopus anno 1119, ut jam supra notatum est ; Anselmus vero Laudunensis anno 1116, ut scribit Joannes Sancti Victoris canonicus regularis in chronico : « Hoc anno, » inquit, « obiit vir venerabilis Anselmus Laudunensis decanus, magister nominatissimus, litterarum scientia clarus, vir morum honestate et consilii maturitate venerandus, qui inter cætera opera in Psalterio glosas marginales et interlineares ordinavit. » Quibus verbis addit et aliud chronicon manuscriptum : « Epistolas quoque Pauli, et alias utriusque Testamenti scripturas pari modo delineando exposuit ; et in eis exponendis atque glozandis juxta antiquorum patrum scripta usque ad senilem ætatem desudavit. De quo dixisse fertur Eugenius papa, quia Deus spiritum ejus suscitaverit ne Scriptura periret. Ad pontificales cathedras pluries vocatus nullatenus acquievit. » Defunctus autem Lauduni, in ecclesia Sancti Vincentii sepultus est, ubi et unus ex discipulis tali epitaphio moribus ac meritis congruo tumulum ejus decoravit :

Dormit in hoc tumulo celeberrimus ille magister
Anselmus, qui per diffusi climata mundi
Undique notitiam contraxit, et undique laudem.
Sana fides, doctrina frequens, reverentia morum,
Splendida vita, manus diffundens, actio cauta,
Sermo placens, censura vigens, correctio dulcis,
Consilium sapiens, mens provida, sobria, clemens.
Sed quas larga Dei concessit gratia dotes
Idibus invisis dissolvit julius ater.
Qua vivens viguit comitetur gratia functum.

Hic fratrem habuit Radulfum nomine, qui non mediocri quoque sapientia clarus enituit. « Per hos enim fratres, » ut in præfato adhuc chronico legitur, « sed maxime per Anselmum, magna ex parte revixit litteralis scientiæ decus, et intelligentia Scripturarum. » Quod et confirmat canonicus ille laudunensis coætaneus, qui cathedralis ecclesiæ ruinam ac restaurationem descripsit, his verbis : « Quemadmodum autem olim Dominus urbem Hierusalem destruit, et filios Israel captivari permittens, ad

consolationem tamen paucorum qui remanserant, Hieremiam prophetam ibidem cum eis reliquit, sic nobis in tanta calamitate positis duos sapientissimos viros, præfatum scilicet magistrum Anselmum, germanumque ejus magistrum Radulfum misericorditer reservavit; qui tam clericos quam laicos dulciter consolantes, et diversis Scripturarum sententiis refoventes, ne in tribulationum adversitatibus deficerent exhortabantur. »

Nota XXXII, pag. 18.

Archiepiscopum suum Radulphum adversum me commoverunt.— Ivo Carnotensis, epist. cxc, Robertus abbas ad annum 1114, Petrus Mauricius abbas cluniacensis, lib. II *Mirac.*, cap. v, et alii plerique Radulphum hunc archiepiscopum rhemensem appellant, quem tamen Sugerius in Vita Ludovici Grossi, nec non Aimoini continuator, lib. V, cap. L, Rodulphum cum Abælardo nostro dicunt [vide pag. 18, not. 13]; Lisiardus in Vita sancti Arnulfi Suessionensis episcopi, cap. xxxvi, et Nicolaus monachus in Vita sancti Godefridi episcopi ambianensis, lib. III, cap. xxiv, Rudolphum. Erat autem antea thesaurarius ecclesiæ rhemensis, et Viridis cognominabatur, ut vel ex hoc uno Petri Cluniacensis abbatis loco disci potest: « Inter quos, » inquit lib. II *Mirac.*, cap. v, « Matthæus quemdam probatioris vitæ clericum, rhemensis ecclesiæ tunc thesaurarium eligens, qui Radulfus nomine, Viridis cognomine dicebatur, ei se specialius religiosa familiaritate devovit. Dehinc rapto eodem Radulpho, et in rhemensem archiepiscopum assumpto, non deseruit quem elegerat. » Assumptus vero est ad archiepiscopatum post Manassem matris Bartholomæi Laudunensis episcopi avunculum. Sic enim in Historia laudunensis ecclesiæ legitur, his verbis: « Electus itaque (nempe Bartholomæus) unanimi totius cleri ac populi assensu ad pontificatum urbis laudunensis, domino Radulpho Rhemorum archiepiscopo, qui præfato Manassæ matris ejus avunculo successerat, præsentatur, et ab eo multisque aliis episcopis tempore Paschalis papæ et Ludovici regis Francorum celeberrime consecratus, ovibus desolatis novus pastor transmittitur. » Et apud Robertum de Monte breviter: « Anno 1114, in rhemensi metropoli post Manassem illustrem virum, exturbato Gervasio, Radulphus successit, qui Viridis cognomen habuit. »

Nota XXXIII, pag. 18.

Ascito Conano prænestino episcopo, qui tunc legatione fungebatur in Gallia. — Conani hujus, sive Cononis, Paschalis II papæ legati, meminerunt Nicolaus monachus in Vita sancti Godefridi episcopi ambianensis, lib. IV, cap. ix, Sugerius in Vita Ludovici Grossi, Robertus Autissiodorensis ad annum 1115, Guillelmus Malmesburiensis, lib. I *de Gestis pontif. angl.* et alii. Extantque etiam aliquot Goffridi Vindocinensis abbatis, et Ivonis episcopi carnotensis epistolæ ad eum scriptæ. Chronicon urspergensis abbatis Cunonem, et aliquis alius Conum nuncupat. Nec fortasse nomen id aliud est a Conradi nomine. Nam in chronico vizeliacensi reperitur ad annum 1024: « Cono, qui et Conradus, imperator Romæ.... » Cono autem hic episcopus prænestinus bis in Gallia sedis apostolicæ legatione functus est: semel sub Paschali, anno 1115, quo tria concilia celebravit Belvaci, Rhemis, et Catalauni. Sic enim docet nos vetus chronicon Sancti Petri Vivi Senonensis: « Anno 1115, » inquit, « factum est concilium Rhemis, vi cal. april. Item aliud fuerat celebratum apud Belvacum a Conone prænestino episcopo, romanæ ecclesiæ legato. Rursus in eodem anno aliud apud Catalaunum, v id. april. » Secundo, sub annum 1120, Calixto II pontifice, sicut ex præcepto Ludovici Senioris regis de ecclesia Cergiaci et rebus pertinentibus ad eam patet, his verbis: « Communicato cum palatinis nostris consilio, ad ipsam sanctissimorum martyrum (scilicet Dionysii et sociorum) basilicam cum conjuge nostra acceleravimus, et præsente venerabili episcopo domino Conone sanctæ sedis apostolicæ legato, quoniam jure et consuetudine regum francorum demigrantium insignia regni ipsi sancto martyri tanquam duci et protectori suo referuntur, coronam patris nostri ei reddidimus, pro dilatione redditionis satisfecimus, et tam pro salute animæ nostræ quam pro regni administratione, conjugis et prolis conservatione ecclesiam de Cergiaco sicut libere possidebamus, cum decimis et omnibus ad ecclesiam pertinentibus ecclesiæ restituendo, ipsis sanctis martyribus contulimus. » Et infra: « Actum publice anno incarnati Verbi 1120, regni xii, Adelaudis autem reginæ v, concedente Philippo filio nostro. » Quod confirmat et præfatus

Sancti Petri Vivi chronographus, qui refert et alterum ab eo tunc Belvaci celebratum fuisse concilium. « Anno millesimo centesimo vigesimo, » inquit, « celebratum est concilium decimo quinto calendas novembris a domino Conone prænestino, legato trium provinciarum, rothomagensis, senonensis, et rhemensis. Ad quod concilium Daimbertus archiepiscopus cum suffraganeis et abbatibus Belvaco invitatus est. » Quare non dubium quin error sit in tabulis arroasianis, ubi Cono hic obiisse dicitur anno 1117, 5 id. augusti. Nec minus perspectum est, id quod scribit Abælardus non ad primam, sed secundam ejus legationem debere referri. Nam et antea præmisit obitum Guillelmi Campellensis, qui defunctus est anno 1119, et paulo post meminit Gaufridi carnotensis episcopi, quem constat anno tantum millesimo centesimo decimo sexto Ivoni successisse.

Nota XXXIV, pag. 18.

Sub nomine concilii in suessionensi civitate. — Duplex eodem fere tempore concilium Suessionis convocatum est, primum a Rhainaldo archiepiscopo rhemensi contra Roscelinum anno 1095, de quo mentio fit ab Ivone epist. VII, ab Anselmo beccensi abbate, epist ad Fulconem belvacensem episcopum, et ab Abælardo nostro, epistola ad Gaufridum episcopum parisiensem, ut jam antea docuimus. Alterum hoc, anno 1120, præsidente Conone sedis apostolicæ legato, contra præfati Abælardi librum de Trinitate, qui et in eo, nulla sibi respondendi facultate concessa, combustus est. Id enim quum Abælardus ipse postea, tum Otho Frisingensis episcopus asserit lib. I *de Reb. gestis Frederici I*, cap. XLVII [ap. dom Brial, *Script. rer. gallic.*, t. XIII, p. 654], his verbis: « Suessionis provinciali contra eum synodo sub præsentia romanæ sedis legati congregato, ab egregiis viris et nominatis magistris Alberico Rhemense, et Leutaldo Novariensi, Sabellianus hereticus judicatus, libros quos ediderat propria manu ab episcopis igni dare coactus est, nulla sibi respondendi facultate, eo quod disceptandi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur, concessa. » Unde et succincte Bernardus epistola ad Ivonem cardinalem, de eodem Abælardo : « Damnatus est, » inquit, « Suessione cum opere suo, coram legato romanæ ecclesiæ. »

Nota XXXV, pag. 20.

Gaufridus carnotensis episcopus. — Nomine II, Ivonis successor, apostolicæque postmodum sedis legatus, de quo plura sanctus Bernardus, et qui vitam ejus conscripsit Bernardus alter, Bonæ Vallis abbas. Extant etiam aliquot Gaufridi vindocinensis abbatis ad eum epistolæ.

Nota XXXVI, pag. 22.

Inde quasi reus et convictus abbati Sancti Medardi, qui aderat, traditus. — Abbas is forsitan Anselmus ille qui sub annum Christi 1128, abbas Sancti Vincentii Laudunensis, ac tandem anno 1145, episcopus tornacensis effectus est; de quo jam nos superius ex Historia laudunensis ecclesiæ. Monasterium autem Sancti Medardi cœptum est a Clothario I, rege Francorum apud Suessiones, et a Sigiberto filio ejus expletum atque compositum, uti docet Gregorius turonensis archiepiscopus, lib. IV *Historiæ Francorum*, cap. XX, his verbis : « Tempore quoque Clotharii regis, sanctus Dei Medardus episcopus, consummato boni operis cursu, et plenus dierum, sanctitate præcipuus, diem obiit. Quem Clotharius rex cum summo honore apud Suessiones civitatem sepelivit, et basilicam super eum fabricare cœpit, quam postea Sigibertus filius ejus explevit atque composuit. » Refertque sanctus Gregorius pontifex maximus, hoc monasterium a Joanne III, prædecessore suo, caput omnium monasteriorum et abbatiarum Franciæ constitutum fuisse. Sed quia litteræ quibus id asseritur, valde suspectæ sunt, et a multis etiam falsitatis arguuntur, libet hic integram Joannis III constitutionem subjicere; quanquam et ipsa suppositionis, aut saltem adulterationis vitio non caret. Meminit enim inter cætera nominis archiepiscoporum, quod ante Pipini et Caroli Magni seculum in usu non fuit. Nec stylus quoque conformis esse videtur litteris apostolicis illius seculi. Quinimo neque monasticarum fundationum confirmationes a sede romana requiri, neque anni dominicæ incarnationis publicis instrumentis apponi, nisi longo post tempore cœperunt, uti docet alicubi doctissimus et illustrissimus cardinalis Baronius. Est autem constitutio illa sive privilegium Joannis III ejusmodi :

Privilegium Joannis III papæ, datum monasterio Sancti Medardi Suessionensis.

« Totius orbis principibus machinam mundi sub Christo principe regentibus, præsentibus scilicet et futuris, Joannes, meritorum qualitate infimus, sed Christi gratia sanctæ romanæ sedis prælatus. Suum esse, quos divinæ fidei et apostolicæ majestatis nobilitat religio, constat, ut fructu operum et affectu rerum certa demonstrent obsequia. Ob hoc, divina inspirante gratia, et præcellentissimi regis Clotharii suadente clementia, monasterio Sanctæ Mariæ et Beati Petri, quod est extra Suessorum civitatem situm, ubi dominus Medardus requiescere, et Daniel abbas præesse videtur, hoc privilegium omnimodis indulgemus, ut terras quas filius noster Clotharius ob salutem animæ suæ dedit, Cromacum scilicet, Attipiacum, et Aluvit possessionem suam in pago metensi, cum silva quæ vulgo dicitur Patella Salis, cum omni integritate teneant atque possideant, cum terris, domibus, et ædificiis, et altaribus, habeant, teneant, atque possideant. Hoc quoque auctoritate sanctæ Trinitatis et inseparabilis unitatis vice beati Petri apostoli coram rege Clothario et omnibus plebeiis Francorum, scilicet archiepiscoporum, episcoporum, judicum, et omni populo christianorum romanorum principum decernimus; ut nullus regum, antistitum, judicum, terras Sanctæ Mariæ et domini Medardi sive ecclesias vel altaria, thelonea, decimas, novas, banna et freda exigat. Nec hoc injusto præjudicio agitur contra auctorem legum vel canonum, quia nihil de canonica auctoritate minuitur, quicquid pro quietis tranquillitate et servitute Dei ad loca venerabilium sanctorum conceditur. Statuimus etiam, ut velut hæc sedes beati Petri libera constat ab omni servitio regum, et omnium potentium personarum, ita remota omni consuetudine pessima omnium regum, archiepiscoporum, episcoporum, archidiaconorum, sive judicum, præfatæ basilicæ monachi, Deo vacent, liberi, et per omnia regulæ Sancti Benedicti actibus obediant sine ulla inquietudine. Præsenti quoque privilegio hanc illis concedimus licentiam, ut defuncto abbate, quemcunque voluerint archiepiscopum, vel episcopum, causa ordinandi abbatem vocent. Similiter faciant de ordinationibus sacerdotum vel levitarum, et cæterorum graduum, quas in suo monasterio celebrent, si volunt, absque ulla contradictione archiepiscopi Rhemorum, et episcopi Suessorum. Præsenti quoque abbati, et omnibus successoribus suis inter missarum sollemnia benedictiones concedimus agere, et prædicationem ad populum facere, et reveren[dæ] sanctæ Mariæ Dei genitricis, et beati Petri apostolorum principis, et protomartyris Christi Stephani et domni Medardi, quorum honore et meritis ipse locus sacratus refulget. Ad quorum altare venerandum et præcipuum, omnes ecclesias et altaria, de omnibus terris quæ collatæ sunt vel conferentur, facta præceptione regali, et apostolica auctoritate causa honoris concedimus. Consecrationes quoque fontium, et scrutinii mysteria semper in ipso celebrentur monasterio. Chrismatis quoque ac olei ubicunque libuerit expetant benedictionem, nec ullius occasionis causa vel necessitatis a quoquam rectore tantus honor intermittatur, ne tantæ sublimitatis locus vilescat, quem caput constituimus monasteriorum totius Galliæ, nulliusque ditioni patimur esse subjectum : sed semper sub regali custodia positus, hujus sanctæ romanæ sedis antistitum auctoritate advocationem beati Petri habeat. Caveant autem omnes sanctæ Dei ecclesiæ successores et regni gubernatores, ne hoc privilegium irritum faciant, quod apostolica auctoritate sancitum, et regum manibus vere firmatum est, et consensu Baudaridi episcopi Suessorum factum, insuper et septuaginta episcoporum tali anathemate solidatum. Quicunque hujus nomine auctoritatis contradictor extiterit, vel fratres in præfata basilica inquietaverit, vel de omnibus rebus ipsi loco concessis vel concedendis aliquid abstulerit, vel aliter ordinaverit, in die revelationis Domini sit anathema maranatha, et a consortio christianitatis sequestratus, a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi alienus existat. Et cujuscunque sublimitatis vel dignitatis sit, honore suo in presenti sæculo privetur, et in exilium relegetur, et in futuro sæculo cum Juda traditore Domini in pœnis æternalibus damnetur, et cum Diabolo et angelis ejus in inferno inferiori nunquam resurgendus demergatur, nisi sanctæ congregationis animos placaverit, et sanctæ Dei Ecclesiæ ministros sibi reconciliaverit. Ego Simplicius notarius sanctæ romanæ sedis subscripsi et sigillavi. Datum in ecclesia Sancti Silvestri, v idus martii, anno dominicæ incarnationis DLXII, indictione X. »

Cæterum, quanti fecerint et alii Francorum reges post Clotharium, insignem illam Sancti Medardi

basilicam, vel id imprimis indicat quod Andreas marcianensis monachus scribit : « Ludovicum imperatorem anno XI imperii sui, impetrasse ab Eugenio papa corpus sancti Sebastiani martyris, et Suessionis in basilica Sancti Medardi collocasse, in cujus adventu multa perpetraverit Deus miracula. » [Abbas Sancti Medardi cui Abælardus traditus est, non Anselmus Laudunensis fuit, ut male suspicatur Quercetanus, verum Gaufridus, cognominatus *Collum Cervi*, qui anno 1131 catalaunensem episcopatum adeptus est. Prioratum claustralem Gaufridus Gosvino isti commiserat quem Parisiis cum Abælardo scholasticam litem habuisse supra vidimus. Quomodo autem ab eo, ipsius olim adversario, noster Petrus susceptus fuerit et habitus, enarrare non omisit auctor Vitæ Gosvini, ap. dom. Brial, *Script. rer. gallic.*, t. XIV, p. 443 : « Mittebantur illuc indocti ut erudirentur, dissoluti ut corrigerentur, cervicosi ut domarentur ; et exinde sicut pauperes subsidium, sic consilium reportabant locupletes. Unde contigit ut, quia hæc mutatio dextræ Excelsi circumquaque vulgabatur, summum quoque præsulem Innocentium non lateret, et magistrum Petrum, cujus antea meminimus, de doctrinæ convictum falsitate, et censura silentii cauteriatum, illuc transmitteret recludendum, et instar rhinocerotis indomiti disciplinæ coercendum ligamento. Susceptus est is in claustro a claustrali priore Gosvino, sicut ejusmodi decebat, in spiritu videlicet lenitatis. Sperabat namque quod facilius mansuesceret pietatis sinu quam loro disciplinæ, et didicerat amplius in pagina mentis mansuetæ quam scholæ consuetæ, nec virus in anguem mittendum, nec canem rabidum instigandum, nec flammis crepitantibus copiosiores materias immittendas. Proponebat ei pro mulcendis ejus auribus et animo deflectendo profunditatem scientiæ, immo multarum diversarum scientiarum, torrentem eloquentiæ ad quidquid vellet abundantem, numerositatem victoriarum quas conflictu litterario conquisisset, et, quod dignius esset et sublimius, professionem monasticæ sanctitatis, contemptum mundi, Domini servitutem : cuperet quodcunque necesse esset, necessitatem cogeret virtute militari ; ad id quod honestum sciret, applicaret cor, assuefaceret os, actus adaptaret ; non deputaret infortunio nec ascriberet dispendio, quod eo transmissus esset, ubi non reclusum ergastulo se experiretur, sed tantum exclusum a turbine sæculari, non compeditum, sed expeditum ; honeste tantum se haberet, et omnibus esset magister et exemplar honestatis. Hæc honeste perorab..t vir honestatis amator et honestissimus honestorum ; sed ille se consilium honestum et utile non acceptare responso manifestavit inhonesto : « Quid, » inquiens, « tam multipliciter honestatem prædicas, honestatem suades, laudas honestatem ? Multi sunt « qui disputant de speciebus honestatis, qui nesciunt quid sit honestas. » Qua temeraria responsione Gosvinus inhonoratum se non doluit, sed illum dehonestatum ; et tunc demum persensit quod dissimilibus ei verbis esset utendum, quæ mordacia licet essent, tamen metas non transirent honestatis. Et conversus ad eum : « Verum est, » inquit, « quod dixisti : multi sunt qui disputant de speciebus « honestatis qui nesciunt quid sit honestas. Sed si quid deinceps vel dixeris, vel attentaveris inhonestum « nos incedere senties ex adverso, et per insectationem contrarii sui, nos experieris, quid sit honestas, « non nescire. » Qua respondendi constantia pavefactus rhinoceros ille, quietius dies illos transigebat, patientior disciplinæ, timidior flagellorum ; et tandem cerebri factus sanioris et animi non adeo delirantis, compulsus est animadvertere quod qui calcitrat contra stimulum, sævit in ipsum.... »]

Nota XXXVII, pag. 23.

Dionysium Areopagitam Corinthiorum potius quam Atheniensium fuisse episcopum. — Hæc Bedæ sententia de Dionysio Areopagita multis etiam hodie non placet, qui Dionysium episcopum parisiensem esse illum Areopagitam contendunt. Sed quod allegant de Innocentio III, qui corpus sancti Dionysii, Corinthiorum episcopi, dedit monachis Sancti Dionysii Parisiensis, nec ipsorum opinioni plurimum favere, nec Abælardi quoque sensum auctoritate Bedæ suffultum omnino convincere videtur. Rem sic enarrat anonymus, qui de reliquiis cœnobii Sancti Dionysii scripsit : « Anno, » inquit, « ab incarnatione Domini MCCXV, Innocentius, sanctæ romanæ Ecclesiæ papa III, ad urbem generale concilium convocavit, ex omni natione quæ sub cœlo est. Pastores et prælati sanctæ matris Ecclesiæ ; patriarchæ videlicet, archiepiscopi, pontifices, et abbates, et inferioris gradus et ordinis aliæ personæ, quarum non erat numerus : reges etiam et principes diversorum populorum vel per se, vel per nuntios

affuerunt. Vir autem venerabilis abbas Beati Areopagitæ Dionysii Henricus nomine cum cæteris interesse non potuit, quia provectæ ætatis imbecillitas non permisit. Misit autem pro se, et pro ecclesia sua virum religiosum et honestum Hemericum magistrum priorem cum aliis personis ejusdem ecclesiæ, qui se loco sui prout oportunius possent domini papæ præsentiæ præsentarent. Celebratum est igitur magnum illud concilium, in quo tractatum est de fide catholica, de moribus, et de statu universalis Ecclesiæ, et de rebus aliis quas longum est hic et non necessarium enarrare. Soluto concilio concessa est singulis licentia recedendi. Dominus autem papa nolens omnibus palam facere benevolentiam, et gratiam, atque pium dilectionis affectum, quem erga venerabile cœnobium Beati Dionysii et tunc habebat, et semper habuerat, vocavit ad se præfatum Hemericum ac socios ejus, et in pignus perpetuæ charitatis dedit eis thesaurum impretiabilem, corpus videlicet sanctissimi Dionysii confessoris, Corinthiorum episcopi, ut ipsum secum, cum honore debito in Franciam transferrent, et ex parte sua ecclesiæ Beati Dionysii cum omni reverentia præsentarent. Tradidit illis præterea suæ largitionis testimoniales litteras sigillo sanctæ sedis apostolicæ roboratas. Illi vero cum condignis gratiarum actionibus, tam nobile, tam sanctum, tam denique venerandum suscipientes depositum, gratuita summi pontificis exhilarati munificentia, quam citius potuerint in Franciam remearunt. » Testimoniales autem illæ Innocentii litteræ sic ibidem conceptæ sunt :

Authenticum Innocentii papæ.

« Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sancti Dionysii Parisiensis salutem et apostolicam benedictionem. Utrum gloriosus martyr et pontifex Dionysius, cujus venerabile corpus in vestra requiescit ecclesia, sit ille censendus qui Areopagita vocatur ab apostolo Paulo conversus, diversæ sunt sententiæ diversorum. Quidam autem fatentur Dionysium Areopagitam in Græcia fuisse mortuum et sepultum, aliumque Dionysium extitisse qui fidem Christi Francorum populis prædicavit. Alii vero asserunt illum post mortem beati Pauli venisse Romam, et a sancto Clemente papa in Galliam destinatum; aliumque fuisse qui mortuus est in Græcia, et sepultus. Utrumque tamen egregium in opere et sermone præclarum. Nos autem neutri volentes præjudicare sententiæ, sed vestrum cupientes honorare monasterium, quod immediate ad romanam spectat Ecclesiam, sacrum beati Dionysii pignus, quod bonæ memoriæ P. tit. Sancti Marcelli presbyter cardinalis tunc apostolicæ sedis legatus de Græcia tulit in urbem, vobis per dilectos filium Hemericum priorem et quosdam alios nuntios monasterii vestri ad generale concilium destinatos devote dirigimus : ut quum utrasque reliquias habueritis, nulla de cætero remaneat dubitatio, quin sacræ beati Dionysii Areopagitæ reliquiæ apud vestrum monasterium habeantur. Vos igitur eas reverenter suscipite, hanc nobis vicissitudinem rependentes, ut in orationibus vestris specialis semper ad Deum commemoratio nostri fiat, et secundum oblationem eorumdem nuntiorum vestrorum anniversaria obitus nostri memoria sollemniter celebretur. Omnibus autem qui ad has sacras reliquias venerandas devote convenerint, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis auctoritate apostolica relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis et remissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Data Laterani pridie non. januarii, pontificatus nostri anno XVIII. »

Verum quod attinet ad Abælardum, quum fratres ejus graviter ei comminarentur, et de eo vindictam sumere vellent, quod eorum patronum Areopagitam fuisse denegasset, aliquando tandem palinodiam cantare compulsus est. Epistolam enim direxit Adæ abbati suo : « Adversus eos, qui ex auctoritate Bedæ presbyteri arguere conabantur Dionysium Areopagitam fuisse Dionysium Corinthiorum episcopum, et non magis fuisse Atheniensium episcopum, » quam tamen et per dubitationem conclusit, his verbis : « Denique, ut hanc litem variarum sententiarum pacatissimo fine sopire penitus valeamus, facile fortassis, si duos Dionysios Corinthiorum episcopos extitisse ponamus, et Bedam veracem poterimus tenere, et nihil per opinionem accipere : ita quidem ut unus ex Dionysiis Corinthiorum episcopis, et Dionysius Areopagita idem sit de quo Beda scribit, et in diversis temporibus idem Athe-

nis et Corintho præesset episcopus, et postmodum a sancto Clemente Galliarum sit ordinatus apostolus : alius vero ex Dionysiis Corinthiorum episcopis, ille fuerit Dionysius, de quo Ecclesiastica Historia et Hieronymus meminerunt. » Quicquid sit, non multum curandum est, ut inquit idem Abælardus, utrum ipse Dionysius episcopus parisiensis Areopagita, an aliunde fuerit, dummodo tantam apud Deum adeptus sit coronam.

Nota XXXVIII, pag. 24.

Ad terram comitis Theobaldi. — Theobaldus hic, sive Theobaudus, II fuit ejus nominis, comes tricassinæ civitatis et Privigni, qui decessit anno 1151.

Nota XXXIX, pag. 24.

In castro Privigni morari cœpi, in cella videlicet quadam trecensium monachorum. — Cellam Sancti Aygulfi intelligit, quam Theobaldus I instituit apud Privignum, et in ea monachos Sancti Petri Trecensis posuit, anno Christi 1048, ut ex Henrici regis diplomate patet, his verbis : « Quidam summæ nobilitatis comes Teobaldus nomine nostræ serenitatis adiit præsentiam, rogans et obnixe postulans, ut sibi in quadam ecclesia, Sancti videlicet Aigulphi sub pruvinensi oppido sita, quam de nobis beneficiose tenebat, liceret monachos de monasterio Domni Petri Trecassini Cellensis cognominati primitive ponere, et ad Dei servitium perpetualiter, et continue, quod inibi prius negligenter agebatur, administrandum destinare, etc. » Porro tabulæ Sanctæ Genovefæ Parisiensis mentionem etiam faciunt, « nundinarum Sancti Aigulfi apud Pruvinum, » anno 1220. Nec extra rem sunt aliæ quoque paracletensis chartularii litteræ, quibus « frater Felix humilis abbas monasterii Sancti Petri de Cella trecensis, et Guichardus prior Sancti Aigulphi de Pruvino, » memorantur sub annum Christi 1271.

Nota XL, pag. 25.

Abbas autem in hac obstinatione recedens, post paucos dies defunctus est. — Adam scilicet, sive Adamus Sancti Dionysii abbas, de quo jam superius. Decessit autem anno 1123, ut ex electione successoris ejus mox apparebit.

Nota XLI, pag. 25.

Cui quum alius successisset... — Successor hic Adæ fuit Sugerius, tunc absens. Residebat enim apud Callixtum II papam, missus a rege Ludovico Grosso pro quibusdam regni Franciæ negotiis. Quod ipse docet in Vita Ludovici regis, dum ait : « Occurrit subito puer familiaris, qui meos meque recognoscens, lætus et tristis, domini nostri bonæ memoriæ abbatis Adæ antecessoris decessum denuntiat, communemque de persona nostra pleno conventu factam electionem. » Electumque eodem quo decessor ejus Adam defunctus est, anno nempe 1123, subindicat etiam alibi. Nam in præcepto de hominibus villæ Beati Dionysii, quos postea libertati tradidit, annum Christi 1125, administrationis suæ tertium numerat, his verbis : « Actum in monasterio Beati Dionysii in generali conventu, præsidente domino Suggerio venerabili abbate ejusdem monasterii, tertio administrationis ejus anno, incarnationis autem dominicæ MCXXV, die dominica idus martii, luna VII, ind. III, epacta XIV, concurrente III, regnante Ludovico glorioso et illustri Francorum rege, XVII administrationis suæ anno, et præsentem condonationem confirmante. Ego Suggerius abbas subscripsi. » Et infra : « Ego Gregorius domini Suggerii abbatis cancellarius relegi et subscripsi. »

Nota XLII, pag. 25.

Conveni eum cum episcopo meldensi. — Nondum bene mihi constat quis hic meldensis episcopus. Et tamen aut Burchardum, aut Manassem ejus successorem affirmare possum. Nam in tabulario Sancti Martini de Campis invenio Burchardum adhuc superstitem anno 1122, episcopatus sui tertio, Manassem vero jam cœpisse regere meldensem ecclesiam anno 1125, quo « cclesiam de Chosiaco Sancto Martino dedit, quum candelis de festivitate beatæ Mariæ, cum tortellis de festivitate sancti Stephani, cum XVIII denariis infra XII dies natalis Domini a presbytero persolvendis, cum decimis tam majoribus quam minoribus ad eamdem ecclesiam, et ad capellam de Marroliis pertinentibus : et

consilio etiam domini Gaufridi carnotensis episcopi, XL solidos singulis annis a presbytero de beneficiis ejusdem ecclesiæ persolvendos. »

Nota XLIII, pag. 25.

Stephanus quippe regis tunc dapifer...— Nec hinc certe magis præcisa temporis illius definitio potest erui. Nam et Stephanus dapifer, regis Ludovici litteris etiam anno 1120 atque 1122, subscripsisse legitur in archivis Sancti Dionysii. Quare prætermissa disquisitione ista, videndum jam potius quis fuerit hic dapifer sive senescallus Stephanus. Hugo de Cleriis in commentario de majoratu et senescalcia Franciæ comitibus olim Andegavensibus hereditaria, docet fuisse Stephanum de Garlanda, Guillelmi de Garlanda dapiferi successorem, his verbis : « Guillelmus de Garlanda tunc Franciæ senescallus recognovit in illo colloquio hominium se debere comiti Fulconi de senescalcia Franciæ, et inde fuit in voluntate comitis. Post Guillelmum fuit senescallus Stephanus de Garlanda, qui fecit hominium comiti. » Sed quod auctor ille non prodit, alibi didici, nempe Stephanum eumdem Guillelmi de Garlanda, nec non Anselli vel Anselmi dapiferi, Gillebertique buticularii fratrem fuisse. Sic enim asseritur in charta Ludovici Grossi, fundationem Beatæ Mariæ de Gornaio confirmantis, quæ quanquam prolixa, non incongrue tamen hic apponi poterit, quum præsertim ad illustrandum auctoris nostri locum maxime faciat. Sic igitur se habet :

Charta Ludovici Grossi.

« Ego Ludovicus Dei dispensante misericordia in regem Francorum sublimatus, notum fieri volo cunctis fidelibus tam futuris quam et instantibus, quod ecclesiam Sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Joannis Evangelistæ super Matronam fluvium juxta Gornaium castrum sitam, Guido Rubeus, et uxor ejus Adhelaida pari ab ipso fundamento devotione construxerunt. Et quum multa illi contulissent beneficia, eam cum omnibus ad ipsam pertinentibus monachis Sancti Martini de Campis perpetuo habendam concesserunt. Ut autem eorum dona, quæ prædictæ ecclesiæ dederunt, ab aliorum beneficiis distinguamus, eadem dona nominatim subscribi præcipimus. Primum eorum donum monachis Sancti Martini de Campis, ut dictum est, collatum hoc est : præfata ecclesia cum suis clausuris, et cum omni adjacente ambitu, capella de Gornaio, terra de Luabum, molendinum apud Gornaium; apud Russiacum ecclesia cum atrio, et tertia parte ejusdem villæ. Hæc sunt specialiter Guidonis et uxoris suæ Adelaydæ dona prædictis monachis ab eisdem collata. Cunctis præterea innotescere volumus, quod Ansellus de Garlanda dapifer noster supradicto monasterio tribuit apud Russiacum duas ejusdem villæ partes, et sic totam omnino villam concessit monachis excepto nemore, et ipsum nemus eisdem monachis et eorum hospitibus ad ardendum et hospitandum, et ad propriæ necessitatis usum. Nusiellum quoque, ecclesiam scilicet, et quicquid ad illam pertinet, cum hospitibus, terris, pratis, vineis, cum nemore et molendino, sicut monachi ea possident, illi donavit. Decimam insuper de Bercorellis, et duas partes decimæ de Bercheriis. Tertiam vero partem cum atrio Balduinus de Claciaco monachis dedit, assensu Anselmi dapiferi nostri. Totam quoque decimam de Ponteuz, et apud Torciacum medietatem decimæ, quæ dicitur Sancti Martini, et ecclesiam Essoniæ cum atrio et decima, Anselmus eidem monasterio contulit. Hospites vero in eodem atrio commanentes Stephanus frater ejusdem Anselmi ei monasterio concessit. Apud Canoilum quicquid Albertus de Bri, ecclesiam scilicet cum decima, prata, et terram, et nemus monachis præfati monasterii concessit, ipso Ansello annuente, ex cujus feodo habebat. His et aliis beneficiis bonæ memoriæ Ansellus præfatum ditavit monasterium, et Christum heredem fecit, fratribus suis Stephano, Vuillelmo, et Gilleberto concedentibus. In vodo, quod est inter Gornaium et Kalam, XV arpenta pratorum habent, V de dono nostro, VII de dono Alberici de Montefirmo, et tria de aliorum fidelium beneficio. Nos autem hæc omnia prædicta dona, Guidonis videlicet Rubei, et uxoris ejus, et Anselli dapiferi nostri, et Stephani fratris sui, et Balduini de Claciaco, et Alberici de Montefirmo, et volumus et approbamus, et quantum ad nostram pertinet majestatem in perpetuum omnino confirmamus. Terram quoque et nemus de Campo Mulloso, quem Arnulfus de Corquerellis, annuente Pagano de Montegaio, prædictis

monachis dedit, nos eidem ecclesiæ confirmamus. Eidem etiam ecclesiæ confirmamus terram, et nemus quod dicitur Raimundi. Actum Parisius anno incarnati Verbi MCXXIV, Adelaidis reginæ VII. Signum Stephani dapiferi, signum Gilleberti buticularii, signum Hugonis constabularii, signum Alberici camerarii. Data per manum Stephani cancellarii. »

Verum hæc charta scrupulum ingerit, qui paulo diligentius excutiendus est. Nam et Stephanum dapiferum, et Stephanum cancellarium simul subscriptos habet. Quum tamen Annales maurinia-censis cœnobii, quos Teulfus, et aliquot loci illius monachi scripserunt, eumdem faciant Stephanum de Garlanda dapiferum cum Stephano cancellario regis. Teulfi verba sunt hæc Annalium libro II : « Defuncto Vuillelmo Anselli dapiferi germano, Stephanus cancellarius, frater amborum, major regiæ domus effectus est. Hoc retroactis generationibus fuerat inauditum, ut homo qui diaconatus fungebatur officio, militiæ simul post regem duceret principatum. Hic vir industrius, et sæculari præditus sapientia, cum multis ecclesiasticorum bonorum redditibus, tum familiaritate regis, quam sic habebat, ut ei potius a quibusdam diceretur imperare quam servire, temporali felicitate supra cæteros mortales nostris temporibus efflorebat. Tradita vero nepti sui in conjugio Almarico de Monte-forti, cum honore de Rupeforti, qui puellæ de matrimonio obvenerat, tumefactus oblitusque sui Adelam reginam frequentissimis molestiis sibi reddidit infestam, odiisque crescentibus, rege turbato, depositus ab honore, pulsatur a curia. Ipse vero veluti quadam correptus insania, regnum turbare totis viribus enititur, et viri in armis strenui, Amalrici dico, fretus auxiliis, patriam hanc bellis accendit. Sed quum suos affectus deducere non posset ad effectus, reversus ad semetipsum, senescal-ciam, quam jure possidere se dicebat hereditario, dimisit, et cum rege Ludovico, Adelaide regina interveniente, pacificatus est. » [Vide *Script. rer. gallic.*, t. XII, p. 75.] Ex quibus quantus et qualis fuerit Stephanus de Garlanda dapifer facillime potest judicari. Sed ut eum fuisse credam Stephanum illum cancellarium, qui postea parisiensis episcopus factus est, adduci nequeo. Multa enim in antiquis et fide dignis monumentis occurrunt, quæ contrarium persuadere videntur. Et primo, tabulæ Sancti Martini referunt Stephanum parisiensem episcopum, « ecclesiam Sancti Dionysii quæ dicitur de Car-cere, quam diu manus laica injuste invaserat, quæ etiam suo tempore ad manus regias redacta fuerat, ipsam in manibus suis redditam ex consensu, petitione et voluntate regis Ludovici, annuente Adelaide regina, et Henrico ejusdem ecclesiæ abbate concedente, in perpetuum donasse Sancto Martino de Campis anno Christi MCXXXIII. » In litteris vero Henrici abbatis Sancti Germani de Pratis memorantur « servientes Stephani de Garlanda, » qui sub annum adhuc 1138, « castrum gurnaicum cum appendiciis in advocatione tenebat pro Almarico Eboredi comite neptis suæ filio, cui idem castrum hereditario jure successerat. » Secundo, tumulus Stephani parisiensis episcopi, qui decessit anno 1140, eum primo cancellarium, post episcopum fuisse, nulla dapiferi vel senescalli mentione facta, demon-strat, hoc modo : « Hic jacet felicis memoriæ reverendus pater et dominus Stephanus, quondam Franciæ cancellarius, post parisiensis episcopus, etc. » Denique, quod luce meridiana clarius est, tabulæ Beatæ Mariæ de Gornaio referunt simul et « Stephanum parisiensem episcopum, et Stephanum dapiferum Gornaium tenentem. » Quare dubio hoc ita remoto, jam subjungendum restat, Stephano de Garlanda Radulphum Peronæ, seu Viromanduorum comitem in senescalcia successisse. Quod aperte testatur Hugo de Cleriis quum ait : « Post Stephanum fuit senescallus, Radulphus Peronæ comes, qui similiter fecit hominia et servitium. » Post Radulphum Theobaldus Magnus, comes ble-sensis, dapiferi munere functus est sub Ludovico Juniore. Post Theobaldum Magnum Theobaldus alter filius ejus, itidem comes blesensis, Philippi Augusti senescallus extitit. Et sic de cæteris.

Nota XLIV, pag. 25.

Assensu episcopi terræ. — Hatonis scilicet episcopi trecensis, posteaque cluniacensis monachi, de quo multa Petrus Venerabilis abbas Cluniaci, sanctus Bernardus, et alii ejusdem ævi scriptores in epistolis.

Nota XLV, pag. 25.

Oratorium quoddam in nomine sanctæ Trinitatis... construxi.— Tacet hoc loco, quod alibi refert ac sæpe repetit, oratorium illud se, quum in nomine sanctæ Trinitatis fundatum ac dedicatum esset, quia tamen ibi profugus ac jam desperatus divinæ gratia consolationis aliquantulum respirasset, in memoriam hujus beneficii Paracletum sive Paraclitum nominasse. Quod asserunt etiam Robertus Autissiodorensis, chronicon Sancti Petri Vivi Senonum, et alii. Construxitque illud in pago trecensi, super fluvium Arduzonem sive Ardiconem, in parochia Quinceii, vicina Nogento super Sequanam. Guillelmus Nangius in chronico : « Construxerat enim monasterium in episcopatu trecensi juxta Nogentum super Sequanam in quodam prato ubi legere solitus fuerat. » Et Innocentius II, in litteris ad Heloissam : « Heloissæ, » inquit, « abbatissæ, cæterisque sororibus in oratorio quod in pago trecensi, in parrochia Quinceii, supra fluvium Arduconem situm est. » Vocant autem illud romani pontifices, « paracletense cœnobium, oratorium Sanctæ Trinitatis, Paracletum, et oratorium Sancti Spiritus.» Sed de eo plura adhuc postea. [Adde quod Petrus noster effigiem sanctissimæ Trinitatis in oratorio Paracleti collocari curaverat, quam Mabillon his verbis describit, *Annal. ordin. S. Bened.* lib. LXXIV, cap. XIX, t. VI, p. 85 : « Antequam Abælardi Paracletum dimittamus, haud ab re videtur hic observare trium sanctissimæ Trinitatis cui dedicatum ejus loci oratorium est, personarum extantes figuras, ad humanam staturam ex uno lapide fabrefactas, quas Abælardus ipse fabricari curavit, insolito, ut in omnibus insolitus erat, modo. Pater in medio positus est cum toga talari, stola e collo pendente et ad pectus decussata, atque ad cingulum adstricta; cum corona clausa in capite et globo in sinistra manu; pallio superindutus, quod ad duas inde personas extenditur, cujus e fibula pendit lembus deauratus his verbis adscriptis : *Filius meus es tu.* Ad Patris dexteram stat Filius cum simili toga, sed absque cingulo, habens in manibus crucem pectori appositam, et ad sinistram partem lembum cum his verbis : *Pater meus es tu.* Ad sinistram extat Spiritus sanctus cum simili toga indutus, decussatas super pectus habens manus cum hoc dicto : *Ego utriusque spiraculum.* Filius coronam spineam, Spiritus sanctus olearem gerit. Uterque respicit Patrem, qui calceatus est, non duæ aliæ personæ. Eadem in tribus vultus species et forma. » Vide etiam quæ de eodem argumento disseruerunt D. Gervaise, *Vie d'Abeillard*, t. II, p. 229 ; Alexandre Lenoir, *Musée des monuments français*, t. I, tab. n° 516 ; et clariss. vir Rémusat, in opere sæpe laudato, t. I, p. 109 et sq.]

Nota XLVI, pag. 25.

Quod quum cognovissent scholares, cœperunt undique concurrere. — Franciscus Petrarcha, lib. II, de Vita solitaria : « Qui Petrus Abælardus, » inquit, « invidiæ cedens, solitudinis trecensis abdita penetravit, etsi non sine magno undique studiosorum conventu, quos e multis urbibus solitario illi discipulos doctrinæ celebris fama contraxerat, sine reqoie tamen optata, quam sibi radicitus tenax livor, odiumque convulserant. »

Nota XLVII, pag. 28.

Alter regularium canonicorum vitam, alter monachorum se resuscitasse gloriabatur. — Sanctos Nortbertum canonicæ præmonstratensium congregationis institutorem, et Bernardum monastici cisterciensium ordinis promotorem præcipuum intelligit. Quorum hic primus clarævallensis cœnobii abbas, benedictus est a Guillelmo de Campellis episcopo catalaunensi sub annum 1114, episcopatu lingonensi vacante, sicut in chronico victoriano legitur, posteaque trecentorum et amplius monachorum pater esse meruit. Ille vero, teste veteri laudunensis ecclesiæ canonico, « post paucos annos novi luminis, novæque conversionis, nec solum interius, sed etiam exterius candoris novus inventor et inceptor, dominus scilicet Nortbertus, de Lotharingia Franciam adveniens, divina præcedente et comitante gratia in episcopatu laudunensi primam illam vineam plantavit, quæ in charitate radicata et fundata jam emisit propagines suas, et vino fortitudinis suæ, quod lætificat cor hominis, jam ubertim inebriavit plures principes et judices terræ, juvenes, et virgines, senes cum junioribus. Ita ut fortiter

inebriati nihil aliud quærant nisi laudare nomen Domini, cantare ei canticum novum. » Nec omnino male loco huic convenire videtur, quod auctor chronici lemovicensis refert ad annum 1130 : « Sub his, » inquit, « temporibus, ordo canonicus præmonstratensium, et monasticus cisterciensium quasi duæ olivæ in conspectu Dei pietatis lumen et devotionis pinguedinem mundo ministrabant, et quasi vites fructiferæ religionis palmites circumquaque propagabant, et per omnes fere christiani orbis terminos bonæ opinionis paulatim odore diffuso novas abbatias, ubi antea cultus Dei non fuerat, construebant. Unde et in Syriam et Palestinam de utroque ordine fratres missi nonnullas abbatias ædificaverunt. Eratque circa ea tempora pulchra ac decora facies ecclesiæ diversorum ordinum ac professionum circumdata varietate, dum hinc præmonstratenses, inde cistercienses monachi, inde etiam diversi habitus atque professionis sanctimoniales et mulieres Deo devotæ in continentia atque paupertate sub obedientiæ jugo regulariter viventes, fervore religionis se invicem provocarent, et nova certatim diversis in locis monasteria fundarent. » Utrique tamen illi duorum ejusmodi ordinum propagatores fellis et acrimoniæ pleni fuerunt in Abælardum nostrum, ut vel ex solis aliquot epistolis liquet quas Bernardus Innocentio pontifici romano et cardinalibus adversus eum scripsit.

Nota XLVIII, pag. 29.

Erat in Britannia minore.... abbatia quædam Sancti Gildasii Ruiensis. — Abbatia hæc omnium Britanniæ abbatiarum antiquissima. Nam sanctus ipse Gildasius, sive Gildas, cognomento Sapiens, in majore Britannia natus, illius prima fundamenta jecit tempore Childerici regis Merovei filii. Quod ne minus probabiliter dixisse videar, producam testimonium auctoris anonymi, sed veteris ac fide digni, qui Vitam ac res gestas sancti Gildæ scripsit : « Quum Dei jussu, » inquit, « pervenisset Gildas in Armoricam quondam Galliæ regionem (tunc autem a Britannis, a quibus possidebatur, Britannia dicebatur), ab eis honorifice et cum gaudio magno susceptus est. » Et paulo post : « Veniens itaque ad quoddam castrum in monte Reuvysii, in prospectu maris situm, ibi potioris fabricæ construxit monasterium, atque in eo claustra cœnobitali ritu perfecit. » Itemque rursus : « Positum est autem corpus sancti viri in ecclesia quam ipse in antiquo castro Reusii construxerat. Ubi per multa annorum curricula servabatur, et ab universa Britannorum gente venerabiliter colebatur, quoniam innumerabiles ibi fiebant virtutes. » Unde patet et cur cœnobium illud Sancti Gildæ Ruiensis nomen obtinuerit. Verum postea bellis in Britannia supervenientibus, interfectoque crudeliter ab impiis religioso comite Britonum Salomone, non modo locus ipse penitus, cum alio, nomine Lochmenech, desertus atque destructus est, sed etiam habitatores eorum regiones alienas petere compulsi sunt, ac novas in bituricensi pago sedes eligentes, secum corpus pretiosum sancti Gildæ detulerunt, et in dolensi monasterio posuerunt, ubi bituricus princeps Ebbo benigniter eos suscepit, quod diserte confirmatur ab auctore chronici lemovicensis, in hæc verba : « Per idem tempus, » inquit, nempe versus annum Christi 907, « in Bithurica in castro dolensi fundatum est cœnobium nobile quod Dolense vocatur, ab Ebbone viro illustri domino prædicti castri. Hic devotus vir post paululum a Britannia plures monachos fugientes cum multis sanctorum reliquiis religiose suscepit, qui Normannorum rabiem mortis metu evaserant. Hi corpus beati Gildasii abbatis ad dolense cœnobium detulerunt. Cui Dei electus idem Ebbo proprium cœnobium juxta castellum suum ex alia aquæ parte construxit, ubi illius venerabile corpus cum multorum sanctorum reliquis honorabiliter conditum requiescit. » Nec tamen propterea ruiense monasterium, quum omnipotenti Domino placuisset ut restauraretur, illo deinceps adhuc sancti Gildæ nomine minus gavisum est. Nam Gaufridus tandem comes, totius Britanniæ principatum adeptus, ut refert idem qui supra Vitæ sancti Gildæ scriptor, « rogavit Goslinum floriacensis tunc monasterii abbatem, qui etiam postea bituricensi ecclesiæ præfuit archiepiscopus, ut transmitteret sibi Felicem monachum ad restauranda monasteria, quæ erant in sua regione solo tenus destructa. Anno igitur incarn. dominicæ MVIII, missus est Felix a supradicto abbate ad Gaufredum comitem, qui honorifice ab eo susceptus est, atque prædicta cœnobia, » nempe Ruiense, et Lochmenech, « ei donavit cum omnibus appendiciis suis : commendavitque illum fratri suo Judicæli episcopo venetensi, in cujus diocesi ipsa monasteria erant. » Et aliquando post : « Quum autem dubitaret quem potiorem locum de duobus

statueret sedem abbatiæ habere, ducem Alanum episcopumque venetensem super hac re consuluit. Illi convocatis nobilibus viris, aliquibus etiam episcopis, statuerunt locum Sancti Gildæ, qui erat antiquior, et terræ fertilitate, frumenti etiam et vini, arborumque pomiferarum abundantior : diversorum quoque magnorum piscium generibus suis temporibus affluentior. » Atque hæc forte diffusius quam oportuit a me relata sunt, sed occasione potissimum Petri Abælardi, qui et ipse Brito, demum ad illam etiam Sancti Gildæ abbatiam concordi fratrum electione cum assensu principis terræ vocatus est, ut propriis verbis declarat. Et certe quod abbas fuerit in Britannia, licet tacito abbatiæ nomine, testatur quoque Guillelmus Nangius quum ait : « Petrus Abælardus magister in dialectice insignis et celeberrimus, primo uxoratus, deinde Sancti Dionysii in Francia monachus, post in Britannia, unde natus fuerat, abbas constitutus. »

Nota XLIX, pag. 30.

Accidit... ut abbas... Sancti Dionysii prædictam illam Argenteoli abbatiam... tanquam ad jus monasterii sui antiquitus pertinentem... acquireret.—Fuit Argenteoli monasterium ab ipsis fundatoribus abbatiæ Sancti Dionysii subjectum. Postea tamen Carolus magnus illud Theodradæ filiæ suæ commisit. Quæ congregatis ibi sanctimonialibus eo pacto tenuit, ut post mortem ejus in usum ecclesiæ Sancti Dionysii reverteretur. Quod manifeste docet hoc Ludovici et Lotharii imperatorum præceptum e cartulario Sancti Dionysii depromptum :

Confirmatio Ludovici et Lotharii imperatorum, super ecclesia Argentolii, quam dedit Hermenricus et uxor sua Mumma[1] Sancto Dionysio.

« In nomine Domini Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius divina ordinante providentia imperatores augusti. Si ea, quæ a Deum timentibus hominibus ad loca divino cultui dedicata, sollemni donatione largita vel condonata sunt, et postea qualibet occasione inde abstracta esse noscuntur, nostra auctoritate ad statum suum revocamus, et iterum nostræ jussionis oraculo confirmamus : hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem adipiscendam, seu stabilitatem imperii nostri roborandam pertinere confidimus. Ideo notum sit omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quam et futurorum industriæ, quia illustris femina, soror videlicet nostra Theodrada Deo sacrata, nostræ suggessit mansuetudini, qualiter compertum habuisset, quod monasterium vocabulo Argentolium situm in pago parisiaco super fluvium Sequanam, quod ipsa primo per beneficium domni et genitoris nostri Karoli serenissimi imperatoris, et postea per nostram largitionem tenebat, ad monasterium beati et gloriosi Christi martyris Dionysii, ubi præsenti tempore vir venerabilis Hilduinus abbas, et sacri palatii nostri archicapellanus, rector præesse videtur, pertinere deberet. Petiitque ut pro mercedis nostræ augmento ad statum pristinum illud revocari fecissemus [faceremus?], eo videlicet modo ut memoratum monasterium post suum ab hac luce discessum, si tamen aliud monasterium ei antea in comparatione pro ipso a nobis datum non fuerit, aut propria voluntate eum dimittere non voluerit, ad potestatem monasterii Sancti Dionysii absque ulla contrarietate vel cujusquam interrogatione reciperetur. Nos vero audita illius salubri ac religiosa petitione, prædictum venerabilem virum Hilduinum, quia præsens aderat, si quid de hac re compertum haberet interrogamus. Qui statim donationem cujusdam Deum timentis ac religiosi hominis nomine Ermenrici, ac conjugis suæ Nummanæ, qui præfatum monasterium in suo proprio construxerant, et id per testamenti paginam ad Beati Dionysii martyris Christi monasterium sollemni donatione contulerant, nec non et præceptum confirmationis Lotharii quondam regis, quod super eamdem donationem conscribere jusserat, nobis petitioni memoratæ dilectæ sororis nostræ Theodradæ annuere, et sicut petebat, per nostram auctoritatem sæpedictum monasterium argentogilum ad potestatem Sancti Dionysii, pretiosissimi Christi martyris, revocare. Quapropter hanc nostræ auctoritatis confirmationem fieri præcipimus, per quam omnimodis decernimus atque jubemus, ut jam dictum monasterium argentogilum post ipsius dilectæ sororis nostræ ab hac vita discessum ad monasterium et potestatem sæpedicti beatissimi Christi martyris

[1] Lege *Nummana*.

Dionysii, ad quam primitus ob Dei amorem, et ipsorum sanctorum reverentiam piamque intercessionem a supradictis Dei fidelibus traditum vel condonatum fuisse noscitur, absque ullius personæ contradictione, aut nostra vel successorum nostrorum interrogatione recipiatur, et in jure ac dominatione ipsius monasterii cum omni integritate vel appendiciis suis quicquid ibidem præsenti tempore cernitur pertinere revocetur. Et si forte contigerit, ut eadem soror nostra ipsum monasterium aut spontanea voluntate, ut diximus, aut pro commutatione alterius monasterii ante finem vitæ suæ dimittere velit : tunc nihilominus absque ulla contradictione, aut expectata consignatione, ad præfati beatissimi martyris Christi Dionysii monasterium, sicut supra insertum est, perpetualiter ad habendum recipiatur, et in postmodum nullo unquam tempore ulla qualibet dignitate aut potestate prædicta persona rectoribus monasterii præfati, ac beatissimi Christi martyris Dionysii aliquam requisitionem facere, aut ullam calumniam ingerere præsumat : sed liceat illis sine cujuslibet injusta interrogatione præfatum monasterium argentogilum, sicut cæteras res ad beati Dionysii potestatem simili modo condonatas ac pertinentes, quieto ordine tenere ac disponere. Et quicquid pro opportunitate atque utilitate ipsius ecclesiæ secundum christianæ religionis regulam facere voluerint, liberam in omnibus habere potestatem. Et ut hæc auctoritas confirmationis seu redditionis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manibus propriis nostris subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus. — Signum Ludovici serenissimi imperatoris, signum Lotharii gloriosissimi Augusti. Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit. »

Sed quum Normanni cœnobium illud diruissent, Adelais Hugonis regis uxor ipsum restauravit, ac rursus in eo sanctimoniales constituit, quæ inibi usque ad Suggerii Sancti Dionysii abbatis tempora remanserunt. Qualiter autem hic eas inde expulerit, et abbatiam antiquo sui monasterii juri vindicarit sub annum Christi 1127, sic ipse narrat in libello de rebus a se gestis : « Quum ætate, » inquit, « docibili adolescentiæ meæ antiquas armarii possessionum revolverem chartas, et immunitatum biblos propter multorum calumniatorum improbitates frequentarem, crebro manibus recurrebat de cœnobio argentoilensi fundationum charta ab Hermenrico et conjuge ejus Numma, in qua continebatur, quod a tempore Pipini regis, Beati Dionysii abbatiæ extiterat, sed quadam occasione contractus incommodi in tempore Caroli Magni filii ejus alienata fuerat. Præfatus enim imperator quamdam filiam suam matrimonium humanum recusantem ibidem abbatissam sanctimonialium constituit, eo pacto ut post mortem ejus in usum ecclesiæ reverteretur; sed turbatione regni filiorum filii ejus, videlicet filii pii altercatione, quoadusque super vixerat, perfici non potuit. Unde quum antecessores nostri sæpius super hoc laborantes parum profecissent, communicato cum fratribus nostris consilio, nuntios nostros et chartas antiquas fundationis et donationis et confirmationum privilegia bonæ memoriæ papæ Honorio Romam delegavimus, postulantes ut justitiam nostram canonico investigaret et restitueret scrutinio. Qui, ut erat vir consilii et justitiæ tutor, tam pro nostra justitia quam pro enormitate monacharum ibidem male viventium, eumdem nobis locum cum appendiciis suis, ut reformaretur ibi religionis ordo, restituit. Rex vero Ludovicus Philippi charissimus, dominus et amicus noster eamdem restitutionem confirmavit, et quæcunque regalia ibidem habebat auctoritate regiæ majestatis, ecclesiæ præcepto. » Et in Vita Ludovici Grossi : « Papa Honorius vir gravis et severus, qui quum justitiam nostram de monasterio argentoilensi puellarum miserrima conversatione infamato, tum legati sui Matthæi albanensis episcopi, tum domini carnotensis, parisiensis, suessionis, domini etiam archiepiscopi rhemensis Rainaldi, et multorum virorum testimonio cognovisset : præcepta regum antiquorum Pipini, Caroli Magni, Ludovici Pii, et aliorum, de jure loci præfatis nuntiis nostris oblata perlegisset, curiæ totius persuasione, tam pro nostra justitia, quam pro earum fœtida enormitate, Beato Dionysio et restituit, et confirmavit. »

Nota L, pag. 31.

Quæ... quum exules dispergerentur... eam (Heloissam) cum quibusdam aliis de eadem congregatione psi adhærentibus ad prædictum oratorium invitavi. — Sanctimonialium Argenteoli sic a monasterio suo

dejectarum aliæ in cœnobium Beatæ Mariæ de Footel, seu de Nemore translatæ sunt, ut colligitur ex his Henrici Sancti Dionysii abbatis litteris : « Henricus Dei gratia abbas, et conventus Beati Dionysii, universis qui præsentes litteras viderint, in Domino salutem. Notum facimus, quod quum inter nos ex una parte, et abbatissam et moniales de Footel ex altera, tam super possessione quam proprietate ecclesiæ Beatæ Mariæ de Argentolio, qui [quæ?] est prioratus cum suis appendiciis, quæstio verteretur, auctoritate apostolica, coram domino priore Sancti Victoris parisiensis, sancto succentore silvanectensi, et magistro R. de Orson, canonico noviomensi, pro bono pacis promisimus dictis monialibus, quo[d] dabimus et assignabimus eis in terris suis in territorio de Trembleyo decimam, quæ singulis annis valeat decem libras, infra xv dies post factam compositionem, etc. Actum anno Domini MCCVII. » Ea enim conditione cœnobium illud ad jus pristinum abbatis Sancti Dionysii reductum fuerat, ut monialibus loca provideret, ubi possent salvare animas suas. Heloissam vero, quæ prioratum conventus habebat, cum quibusdam aliis de eadem congregatione ipsi adhærentibus, Petrus Abælardus ad Paracletum oratorium suum invitavit, eamque ibi abbatissam cæteris præfecit. Quod testatur etiam Guillelmus Nangius quum ait: « Sed ibi Heloissam, quæ per industriam Suggerii abbatis Sancti Dionysii in Francia postmodum ejecta, venire fecit cum nonnullis monialibus religiosis. Quæ ibi abbatissa effecta. » Et ante eum Robertus Autissiodorensis : « Hic, » inquit, « Abælardus subtilissimus mirabilisque philosophus construxerat cœnobium in territorio trecassino, in prato quodam ubi legere solitus fuerat : in quo sanctimoniales plurimas episcopali auctoritate congregavit, quod Paracletum nominavit. Quibus sanctimonialibus Heloissam quondam uxorem suam religiosam feminam, et litteris tam hebraicis, quam latinis adprime eruditam præfecit abbatissam »

Nota LI, pag. 31.

Papa Innocentius II... per privilegium... corroboravit.—[Privilegium hoc datum est anno 1131 extatque cum aliis pontificum romanorum ad Heloissam rescriptis in Appendice hujus voluminis. Quare hic illud repetere superfluum duximus.]

Nota LII, pag. 31.

Plus... ut arbitror, uno anno in terrenis commodis sunt multiplicatæ. — Circumadjacentes nempe populi misericordes eis atque propitii plurima largiti sunt. Sed ante alios « Milo dominus Nogennii, » sicut in tabulis paracletensibus legitur, « in cujus territorio paracletense constructum est oratorium, ei loco donavit culturas tres, unam inter Brusletum et viam, alteram juxta Carmam, tertiam juxta viam Triagnelli ad sinistram. Concessit insuper prædicto loco quæcunque homines sui de universo feodo suo ei darent. Dedit etiam usuarium nemoris sui de Monte Morvei omni tempore ad omnia necessaria ipsius loci, nec non et totum mareschium in riveria Ardutionis loco illi adjacens tam ad hortos faciendos, quam ad cætera necessaria. Quæ omnia in dedicatione ipsius oratorii, seu benedictione cimiterii, et omnimodam immunitatem totius loci coram omni populo qui aderat, in manu domini trecensis episcopi posuit, et sic in perpetuum confirmavit, præsentibus Hilduino Decano, Hilduino Magno, Stephano Ridel, Rainaldo Carnail. Die insuper illo, quo sanctimoniales oratorium ingressæ possederunt, donavit eis piscationem totam Ardutionis fluvioli penitus immunem a Sancto Albino usque Quinceium. Qui etiam pro comitissa nepte sua in sanctimonialem suscepta dedit furnum de Sancto Albino cum usuario nemoris quod Furmis habebat, præsentibus Ansello de Triagnello, Milone sancto, et Petro fratre suo. Pro anima Hugonis filii sui ibidem sepulti dedit culturam ad Noereth cum tertia parte de Guamnoveriis, præsentibus illis qui sepulturæ affuerunt. Simon quoque de Nogennio dedit de alodio suo culturas duas, unam scilicet in qua ipsum oratorium constructum est, et aliam in monte Limarsum in præsentia Hulduini decani et Milonis de Nogennio. Hubertus de Nogennio duo jugera terræ ante ipsum oratorium per manum Milonis de Nogennio. » Atque hæc omnia confirmavit aliquanto post Theobaldus comes trecensis, scilicet anno 1146, « laudante filia præfati Milonis Isabel, et Girardo genero suo, Freerio, Josfrido, Gaucherio, Stephano, nepotibus

ejus. » Ipseque etiam monialibus illis modium frumenti singulis annis, et totam piscationem in molendinis suis apud Pontes dedit, ut in litteris domini Eugenii III papæ supra relatis continetur.

Ad hæc, « Galo et Adelaudis uxor ejus soror Ermelinæ quæ se Deo et ecclesiæ Paracleti in sanctimonialem dedit, laudaverunt et concesserunt Deo et dictæ ecclesiæ Paracleti et sanctimonialibus ibidem Deo servientibus medietatem molendini de Crevecor, et vineas etiam de Crevecor, et XL solidos census : et in hoc censu habuerunt sanctimoniales Paracleti censum Pruvini, et hoc quod restabat ad percipiendum de XL solidis ceperunt apud Lezinas. Hæcque concessio facta est apud Pruvinum in præsentia comitis Theobaldi, et Mathildis comitissæ uxoris ejus, et per manum etiam ipsius comitis. Qui comes, ut hæc stabilis et inconvulsa permaneret, eam sigilli sui auctoritate corroborari præcepit anno ab incarn. Domini MCXXXIII, regnante Ludovico rege Francorum, Hainrico archiepiscopo senonensi cathedra residente, Hatone vero episcopo Trecensium existente. »

Ludovicus quoque ipse Francorum rex eisdem « sanctimonialibus de Paracleto in perpetuum concessit, ut nunquam de quibuslibet rebus, quas ipsæ vel servientes ipsarum ad usus earumdem emerent vel pro suis necessitatibus de suis propriis rebus venderent, aliquam illi vel successoribus suis consuetudinem in tota terra sua persolverent. Quod ut ratum et inconcussum permaneret, scripto commendari præcepit, et ne posset a posteris infringi, sigilli sui auctoritate corroboravit publice apud Sanctum Germanum in Leya, anno incarnati Verbi MCXXXV, regni sui XXVII, Ludovico filio suo in regem sublim[at]o anno III. »

Præterea Mathildis comitissa, Theobaldi conjux, abbatiam in loco Pomerii constructam a se, paracletensi cœnobio subditam esse voluit. Et pro concessione prædicti loci, quem Heloissa ipsa, prima Paracleti abbatissa, religiosorum interventu virorum ei dederat ad constructionem, « dedit comitissa ecclesiæ Paracleti tres modios frumenti per singulos annos in molendino suo Provini sub Crevecor, laude filiorum suorum comitum Henrici, Theobaldi, et Stephani, » sicut est in litteris Hugonis archiepiscopi senonensis hac de re confectis; quas etiam supra cum pontificum romanorum rescriptis integras retulimus. [Vide ad calcem hujusce voluminis in appendice.] Insuper confirmavit decimam de Sancto Martino de Campis et de Boal, quam Guillelmus clericus ejus dedit post decessum ecclesiæ Paracleti et sanctimonialibus ibidem Deo servientibus, anno 1154, regnante Ludovico Francorum rege, Hugone archiepiscopo senonensi existente. Nec non et alia plurima bona eidem cœnobio contulit, quæ recitare longum ac fastidiosum foret.

Denique « Hato ipse trecensis episcopus medietatem omnis decimæ de Sancto Albino, et medietatem candelarum in purificatione beatæ Mariæ dedit : Milo de Quinceio, miles, de assensu uxoris suæ Petronillæ, et filii sui Garnerii, et filiæ suæ Isabel, quicquid habebat in decima de Quinceio. » Ansellus dominus Trianguli prioratum conventualem Beatæ Mariæ de Triangulo in trecensi diocesi, nec non Ansellus filius ejus, medietatem totius nemoris quod vocatur Couldroy, in territorio de Marcelliaco. Alii, quorum nomina non reperi, prioratus de Leavalle, in eadem diocesi, de Neofortio in Meldensi, et Sancti Martini de Beaurain in Belvacensi. « Manasses Meldensis episcopus octavam partem tam magnæ quam parvæ decimæ de Melnillo, et medietatem minutæ decimæ de Tilliis, et quartam partem minutæ decimæ de Sancto Maximo. Beucelina, uxor Guerrici de Pontibus, quæ se monialem in Paracleto reddidit, domum cum cellario Sesamiæ sitam. Nobilis mulier Helia de Villamauro relicta Milonis de Pruvino quondam marescalci Campaniæ decem libras annui redditus de proprio patrimonio suo. Maria trecensis comitissa plateam suam Provini. Demum Agnes de Marigniaco pro susceptione sui duas partes minutæ decimæ villæ Marigniacy. Manasses nepos ejus tertiam partem, Theobaldus ejus filius tertiam partem laudante Letuisa uxore illius. » Atque hi sunt præcipui paracletensis monasterii benefactores : quibus et aliquot alios addere possem. Sed ad ea quæ notanda supersunt, festinat stylus.

Nota LIII, pag. 31.

Illi sorori nostræ quæ cæteris præerat. — Heloissam dicit primam Paracleti abbatissam, de cujus doctrina et religione sic paucis Petrus Cluniacensis abbas ad eam scribens : « Necdum, » inquit, « metas adolescentiæ excesseram, necdum in juveniles annos evaseram, quando nomen non quidem

adhuc religionis tuæ, sed honestorum tamen et laudabilium studiorum tuorum mihi fama innotuit. Audiebam tunc temporis mulierem, licet necdum seculi nexibus expeditam, litteratoriæ scientiæ et studio secularis sapientiæ summam operam dare. Quo efferendo studio tuo, et mulieres omnes evicisti, et pene viros universos superasti. Mox vero, juxta verba apostoli, ut complacuit ei qui te segregavit ab utero matris tuæ, per gratiam suam, longe in melius disciplinarum studia commutasti, et pro logica Evangelium, pro physica apostolum, pro Platone Christum, pro Academia claustrum tota jam et vere philosophica mulier elegisti. » Religiosam quoque feminam et tam hebraicis quam latinis litteris adprime eruditam fuisse testatur autissiodorensis monachus, nec non ipsum paracletense calendarium gallicum his verbis : « Heloise mere et premiere abesse de ceans, de doctrine et religion tres resplendissante. » Quod apertius adhuc declarat Abælardus ipse suis ad eam scriptis epistolis. Et in Exhortatione de litterarum studio ad virgines paracletenses : « Magisterium, » inquit, « habetis in matre, quod ad omnia vobis sufficere, tam ad exemplum scilicet virtutum, quam ad doctrinam litterarum potest : quæ non solum latinæ, verum etiam tam hebraicæ quam græcæ non expers litteraturæ, sola hoc tempore illam trium linguarum adepta peritiam videtur, quæ ab omnibus in beato Hieronymo tanquam singularis gratia prædicatur. » [Elenchum abbatissarum monasterii paracletensis quem And. Quercetanus hic inseruerat, auctum et emendatum retulimus ad calcem hujusce voluminis.]

Verum ut hæc Notæ, quæ ab Abælardo cœperunt, in eum similiter desinant, paucis nunc adhuc subjungendum quod ipse in Historia calamitatum suarum omisit, nempe condemnationem alteram libri sui de Trinitate Senonis factam, de qua sic Otho Frisingensis inter cæteros, lib. I *de Rebus gestis Frederici I*, cap. XLVIII : « Sedente in urbe Roma Innocentio, in Francia vero Ludovico senioris Ludovici filio regnante, Petrus Abælardus, ab episcopis abbateque Bernardo denuo ad audientiam apud Senonas evocatur, præsentibus Ludovico rege, Theobaldoque; palatino comite, et aliis nobilibus, de populoque innumeris. Ubi dum de fide sua discuteretur, seditionem populi timens, apostolicæ sedis præsentiam appellavit. Episcopi vero simul et abbas missa ad romanam ecclesiam legatione, ac eis pro quibus impetebatur capitulis, damnationis ejus sententiam in litteris reportaverunt. »

Idem narrant etiam continuator Sigeberti, Robertus Autissiodorensis, Guillelmus Nangius, Vincentius Belvacensis, Joannes Sancti Victoris canonicus, chronici turonensis scriptor, et alii. Sed aliter quam omnes, acrioreque animo Gaufridus clarævallensis monachus lib. III Vitæ sancti Bernardi, cap. V [*Script. rer. gallic.*, t. XIV, p. 371], quum ait : « Fuit in diebus illis Petrus Abailardus, magister insignis, et celeberrimus in opinione scientiæ, sed de fide perfide dogmatizans Cujus quum blasphemiis plena gravissimis volitare undique scripta cœpissent, profanas novitates vocum et sensuum viri eruditi atque fideles ad Dei hominem, sanctum Bernardum, detulerunt : qui nimirum solita bonitate et benignitate desiderans errorem corrigi, hominem non confundi, secreta illum admonitione convenit. Cum quo etiam tam modeste tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret universa. Cæterum, quum recessisset ab eo Petrus idem, consiliis stimulatus iniquis, et ingenii sui viribus plurimoque exercitio disputandi infeliciter fidens, resiliit a proposito saniori. Expetens denique senonensem metropolitanum, quod in ejus ecclesia celebrandum foret in proximo grande concilium, clarævallensem causatur abbatem suis in occulto detrahere libris. Addit quoque paratum se esse in publico sua defendere scripta, rogans ut prædictus abbas, dicturus si quid haberet, ad concilium vocaretur. Factum est ut postulavit. Sed vocatus abbas venire penitus recusavit, suum hoc non esse renuntians. Postea tamen magnorum virorum monitis flexus, ne videlicet ex ipsius absentia scandalum populo, et cornua crescerent adversario, demum pergere acquievit, tristis quidem, nec sine lacrymis annuens, sicut in epistola ad papam Innocentium ipse testatur, in qua plenius ludicidiusque negotium omne prosequitur. Affuit dies, et ecclesia copiosa convenit, ubi a Dei famulo Petri illius in medium scripta prolata sunt, et erroris capitula designata. Demum illi optio data est, aut sua esse negandi, aut errorem humiliter corrigendi, aut respondendi, si posset, objiciendis sibi rationibus pariter et sanctorum testimoniis patrum. At ille, nec volens resipiscere, nec valens resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur; ut tempus redimeret,

sedem apostolicam appellavit. Sed et postea ab egregio illo catholicæ fidei advocato monitus, vel jam sciens in personam suam nihil agendum, responderet tam libere quam secure, audiendus tantum, et ferendus in omni patientia, non sententia aliqua feriendus : hoc quoque omnimodis recusavit. Nam et confessus est postea suis, ut aiunt, quod ea hora maxima quidem ex parte memoria ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, et interior fugerit sensus. Nihilominus tamen ecclesia quæ convenerat dimisit hominem, multavit abominationem, a persona abstinens, sed dogmata prava condemnans. Quando vero Petrus ille refugium inveniret in sede Petri tam longe dissidens a fide Petri? Et ipsum ergo auctorem eadem sententia cum erroribus suis apostolicus præsul involvens, scripta incendio, scriptorem silentio condemnavit. » Quidquid sit, Berengarius Pictaviensis Abælardi quondam auditor, hæc videns, nomen ac famam doctoris ac præceptoris sui tunc contra omnes tueri ausus est. Scripsitque pro eo Apologiam illam, quam inter ejus opera nunc etiam ex bibliotheca regis christianissimi cudendam curavimus [Vide tomum alterum hujusce novæ editionis in Appendice], etsi plenam ingentis acrimoniæ contra sanctum Bernardum. Quare et ob hoc postea culpatus a multis, se excusavit quod adolescens, et joco potius quam serio scripsisset. Id enim testatur ipsemet in epistola ad episcopum mimatensem, et ex eo Franciscus Petrarcha in Apologia, ubi « virum non infacundum » vocat, his verbis : « Damnavit Bernardus clarævallensis abbas Petrum Abælardum litteratum quondam virum. Huic iratus Berengarius Pictaviensis, vir et ipse non infacundus ac discipulus Petri, contra Bernardum librum unum scripsit non magni quidem corporis, sed ingentis acrimoniæ. De quo postmodum a multis increpatus, se excusavit quod adolescens scripsisset, et quod sibi viri sanctitas nondum penitus nota esset. »

Soluto autem illo conventu, qui celebratus est anno 1140, infelix Abælardus incertus quid ageret, Cluniacum se contulit, ubi humaniter exceptus est a Petro Mauricio dicto Venerabili, ejusque et cisterciensis abbatis opera, paulo post idem et sanctus Bernardus collocuti inimicitias posuere. Quod et ipse cluniacensis abbas Innocentio II significavit. Nec tamen propterea Abælardus Apologeticum pro suæ innocentiæ excusatione scribere destitit. Quod quum innotuisset Guillelmo Sancti Theodorici abbati, qui sanctum Bernardum intimo diligebat affectu, seque transtulerat ad ordinem cisterciensem apud Signiacum, ubi feliciter obiit, Cantici Canticorum reliquit expositionem, ut adversus eum styli sui acumen dirigeret. Hoc enim declarat ipse Guillelmus in epistola ad fratres de Monte Dei, his verbis : « Sunt præterea et alia opuscula nostra, libellus de Sacramento altaris, Meditationes novitiis ad orandum formandis spiritibus non usquequaque inutiles, et super Canticum Canticorum ad illum locum, paululum quum pertransissem, eum inveni quem diligit anima mea. Nam contra Petrum Abælardum, qui prædictum opus ne perficerem effecit : neque enim integrum mihi fore arbitrabar tam delicato intus vacare otio, ipso foris fines fidei nostræ nudo ut dicitur gladio tam crudeliter depopulante. » Composuit autem tres libros, sub nomine *Disputationis catholicorum patrum contra dogmata Petri Abælardi*, quos et sapientissimo præsuli Hugoni Rothomagensium archiepiscopo dedicavit. Suntque illi procul dubio, de quibus Gaufredus, monachus cisterciensis, in epistola data ad Henricum cardinalem albanensem, quem sciebat interfuisse rhemensi concilio, ubi Eugenius III papa Gislebertum pictaviensem episcopum absolverat potius, quam condamnaverat, hoc modo loquitur : « Audivi etiam quod super damnatione Petri Abælardi diligentia vestra desideret plenius nosse similiter veritatem, cujus libellos piæ memoriæ dominus Innocentius papa II, in urbe Roma et in ecclesia Beati Petri incendio celebri concremavit, apostolica auctoritate hæreticum illum denuntians. Nam et ante plures annos venerabilis quidam cardinalis et legatus romanæ ecclesiæ, Cono nomine, regularis quondam canonicus ecclesiæ Sancti Nicolai de Arvasia, theologiam ejus suessione concilium celebrans, similiter concremaverat, ipsum Petrum præsentem arguens, et convictum de hæretica pravitate condemnans. Unde vestro si placuerit desiderio, per libellum de Vita sancti Bernardi et per ejus epistolas missas ad curiam satisfiet. Inveni tamen in Claravalle libellum cujusdam abbatis nigrorum monachorum, quo errores ejusdem Petri notantur, quem et olim me vidisse recordor : sed a multis annis, ut custodes librorum asserunt, studiose quæsitus, primus quaternio non potuit inveniri. Propter quod propositi nostri est in Franciam destinare ad monasterium cujus abbas extitit, qui eundem librum composuit, et si recuperare potero, transcribi facere codicem totum, et mittere vobis. Credo enim quod vestræ

inquisitioni sufficere debeat, ut cognoscatis, quæ, quemadmodum, quare sint condemnata. » [Vide dom. Brial, *Script. rer. gall.*, t. XIV, p. 331.] Ac ne quis miretur quod de primo quaternione illius libri dicit, habeo nunc ipsissimum exemplar dono viri docti et humani Nicolai Camusatii canonici ecclesiæ trecensis, in cujus capite scriptum adhuc legitur : « Deest unus quaternus, qui tenuerit obedientiam scriptorum, illum requirat. » [Istud de quo Quercetanus loquitur opus publici juris fecit B. Tissier, *Bibliotheca Patrum cistercensium*, t. IV (Bonofonte, 1660-1669, in-fol.). Habet autem auctorem anonymum nec tribui potest Guillelmo a Sancto Theodorico cujus partus legitimus, scilicet *Disputatio adversus Petrum Abælardum*, uno libro contenta, in eadem Bibliotheca paulo supra invenitur.]

Verum et Gaufredus etiam ille, primo Abælardi auditor, indeque cisterciensis monachus, Autissiodorensis vulgo cognominatus, adversus eumdem Abælardum præceptorem suum scripsit. Quod vel ante omnes asserit Helinandus, alter in Frigido Monte monachus, qui et ipse quædam Gaufridi verba refert in hunc modum [*Script. rer. gallic.*, t. XIV, p. 370] : « Hujus Petri aliquando fuerat discipulus Gaufredus autissiodorensis, qui multo tempore fuit notarius sancti Bernardi, qui inter cætera de eodem Petro dixit : « Ego mihi aliquando recolo magistrum fuisse illum, qui pretium redemptionis nostræ evacuans, nihil aliud in sacrificio dominicæ passionis commendabat, nisi virtutis exemplum, et amoris incentivum. Quod enim Scripturæ perhibent de potestate diaboli pretioso illo sanguine humanum genus esse redemptum, in eo solo constare dicebat, quod exemplum nobis exhibitum est usque ad mortem pro veritate et justitia certandi, et adhibitum est velut quoddam incentivum amoris; quum ex impenso amore data est occasio redamandi. Et quidem magna sunt hæc et vera, sed non sola. Benedictus Deus, qui mihi simul et vobis magistrum dedit postea meliorem, per quem prioris redarguit ignorantiam, et insolentiam confutavit, secundum quem tria specialia in passione sua Christus nobis exhibuit, exemplum virtutis, incentivum amoris, et sacrificium redemptionis. Quod tertium evacuanti heretico nihil prodesse tria cætera potuerunt. Hæc et alia multa dictus Gaufredus contra Petrum magistrum suum fortiter et catholice scripsit. » Eadem verba recitant et Vincentius belvacensis lib. XXI *Speculi historialis* cap. XVII, et Joannes monachus Sancti Victoris in chronico sub annum Christi 1140.

Interim vero Abælardus in morbum incidit, et valetudinis causa Cabilonum ab abbate suo Petro missus, ibi in monasterio Sancti Marcellini cluniacensis ordinis excessit e vita, die 21 aprilis anno Christi 1142, anno ætatis suæ 63. Hoc enim prodit calendarium vetus paracletense gallico sermone conscriptum his verbis : « Maistre Pierre Abaelard, fondateur de ce lieu et instituteur de sainte reli-« gion, trespassa le XXI avril, aagé de LXIII ans. » Nec referre opus est quanta cum austeritate, pœnitentia, devotione postremum illum vitæ suæ terminum clauserit. Petrus ipse Mauricius, abbas ejus, id optime diffuseque descripsit in epistola ad Heloissam Paracleti abbatissam, quam nos etiam supra jam inseruimus. [Vide ad calcem hujusce voluminis in appendice.] Sed non prætereundnm quod cum eodem Petro testantur Robertus Autissiodorensis, Guillelmus Nangius et alii, scilicet, Heloissam illam quondam Abælardi conjugem, « magnam post ejus mortem ei in assiduis precibus fidem servasse, corpusque ejus de loco ubi obierat ad prædictum Paracleti monasterium transtulisse. » Denique et ipsa, sicut in chronico turonensi legitur, « in ægritudine posita præcipit ut mortua intra mariti tumulum poneretur. Et sic eadem defuncta ad tumulum deportata, maritus ejus qui multis diebus ante eam defunctus fuerat, elevatis bracchiis illam recepit, et ita eam amplexatus, bracchia sua strinxit. » [Fragmenta chronici turonensis habentur apud dom. Brial, *Script. rer. gallic.*, t. XII; sed locus a Quercetano allatus hic non legitur. Si autem reliquiarum Abælardi et Heloissæ fata noscere velis, vide clariss. vir. Rémusat t. I, p. 264 et seq., et *Seriem abbatissarum monasterii paracletensis* in appendice hujus voluminis.]

EPISTOLA II,

QUÆ EST HELOISSÆ AD PETRUM DEPRECATORIA.

ARGUMENTUM.

Quum Heloissa quondam Abælardi amica, postea uxor, ac tandem monasterio paracletensi, quod ipse sibi discipulorum fortunis a fundamentis eduxerat, ab eo præfecta, epistolam ejus ad amicum legisset : hanc ad eum scribit, orans ut de suis periculis vel liberatione ad se rescribat, quo vel luctus, vel gaudii ejus particeps efficiatur. Expostulat etiam quod ad se post monasticam professionem non scripserit, quum antea plures amatorias mitteret litteras. Suum denique erga illum tum præteriti temporis turpem et carnalem amorem, tum præsentis castum et spiritualem exponit ac acerbe queritur se ab illo æque non redamari. Est autem epistola multis affectibus et querulis planctibus more femineo affatim plena : ubi pectus femineum multa eruditione exuberans intueri liceat.

Domino suo, imo patri, conjugi suo, imo fratri; ancilla sua, imo filia; ipsius uxor, imo soror; Abælardo Heloissa.

Missam ad amicum pro consolatione epistolam, dilectissime, vestram ad me forte quidam nuper attulit. Quam ex ipsa statim tituli fronte vestram esse considerans[1], tanto ardentius eam cœpi legere, quanto scriptorem ipsum charius amplector, ut cujus rem perdidi, verbis saltem tanquam ejus quadam imagine recreer. Erant, memini, hujus epistolæ verba[2] fere omnia felle et absinthio plena, quæ scilicet nostræ conversionis miserabilem historiam, et tuas, unice, cruces assiduas referebant. Complesti revera in epistola illa quod in exordio ejus amico promisisti, ut videlicet in comparatione tuarum suas molestias nullas vel parvas reputaret[3]. Ubi quidem expositis prius magistrorum tuorum in te persecutionibus, deinde in corpus tuum summæ proditionis[4] injuria, ad condiscipulorum quoque tuorum, Alberici videlicet Rhemensis et Lotulfi Lombardi execrabilem invidiam, et infestationem nimiam stylum contulisti. Quorum quidem suggestionibus quid de glorioso[5] illo theologiæ tuæ opere, quid de te ipso quasi in carcere damnato actum sit non prætermisisti. Inde ad abbatis tui fratrumque falsorum machinationem accessisti, et detractiones illas tibi gravissimas duorum illorum pseudoapostolorum a prædictis æmulis in te commotas, atque ad scandalum plerisque subortum de nomine Paracleti oratorio præter consuetudinem imposito : denique ad intolerabiles illas et adhuc continuas in te persecutiones[6], crudelissimi scilicet illius exactoris, et pessimorum, quos filios nominas, monachorum profectus, miserabilem historiam consummasti. Quæ cum siccis oculis neminem vel legere

[1] *Mecum reputans* RMS. — [2] Sic ABC. – *Verba* desunt in Edd. — [3] *Existimaret* RMS. — [4] *Perfidiæ* RMS. — [5] *Eximio* RMS. — [6] Sic ABC. – *Continuas vitæ persecutiones* Edit. Amb.

vel audire posse æstimem : tanto dolores meos amplius renovarunt, quanto diligentius singula[1] expresserunt et eo magis auxerunt, quo in te adhuc pericula crescere retulisti; ut omnes pariter de vita tua desperare cogamur, et quotidie ultimos illos de nece tua rumores trepidantia nostra corda et palpitantia pectora expectent. Per ipsum itaque, qui te sibi adhuc quoquo modo protegit, Christum obsecramus; quatenus ancillulas ipsius et tuas crebris[2] litteris de his, in quibus adhuc fluctuas, naufragiis[3] certificare digneris; ut nos saltem quæ tibi solæ remansimus, doloris vel gaudii participes[4] habeas. Solent etenim dolenti nonnullam afferre consolationem qui condolent, et quodlibet onus pluribus impositum levius sustinetur, sive defertur. Quod si paululum hæc tempestas quieverit, tanto amplius maturandæ sunt litteræ, quanto sunt jucundiores futuræ. De quibuscunque autem nobis scribas, non parvum nobis remedium conferes; hoc saltem uno quod te nostri memorem esse monstrabis. Quam jucundæ vero sint absentium litteræ[5] amicorum, ipse nos exemplo proprio Seneca docet, ad amicum Lucilium quodam loco sic scribens[6] : « Quod frequenter mihi scribis, gratias ago. Nam quo uno modo potes te mihi ostendis. Nunquam epistolam tuam accipio, quin protinus una simus. Si imagines nobis amicorum absentium jucundæ sunt, quæ memoriam renovant, et desiderium absentiæ falso atque inani solatio levant, quanto jucundiores sunt litteræ, quæ amici absentis veras notas afferunt? » Deo autem gratias, quod hoc saltem modo præsentiam tuam nobis reddere nulla invidia prohiberis, nulla difficultate præpediris, nulla, obsecro, negligentia retarderis. Scripsisti ad amicum prolixæ consolationem epistolæ, et pro adversitatibus[7] quidem suis, sed de tuis. Quas videlicet tuas diligenter commemorans, quum ejus intenderes[8] consolationi, nostræ plurimum addidisti[9] desolationi, et dum ejus mederi vulneribus cuperes, nova quædam nobis vulnera doloris inflixisti, et priora auxisti. Sana, obsecro, ipse quæ fecisti, qui quæ alii fecerunt curare satagis. Morem quidem amico et socio gessisti, et tam amicitiæ quam societatis debitum persolvisti; sed majore te debito nobis astrinxisti, quas non tam amicas quam amicissimas, non tam socias quam filias convenit nominari, vel si quod dulcius et sanctius vocabulum[10] potest excogitari. Quanto autem debito te erga eas obligaveris, non argumentis, non testimoniis indiget, ut quasi dubium comprobetur : et si omnes taceant, res ipsa clamat. Hujus quippe loci tu post Deum solus es fundator, solus hujus oratorii constructor, solus hujus congregationis ædificator. Nihil hic super alienum ædificasti fundamentum. Totum quod hic est, tua[11] creatio est. Solitudo hæc feris tantum, sive latronibus vacans, nullam hominum habitatio-

[1] Inseritur *calumniis teterrimis* RMS. — [2] *Frequentioribus* RMS. — [3] *Naufragus* C et MS. Amb. — [4] *Foras* RMS. — [5] *Epistolæ* RMS. — [6] Epist. XL. — [7] *Rebus adversis* RMS. — [8] *Studeres* MS. Amb. — [9] *Adjecisti* RMS. — [10] *Nomen* RMS. — [11] *Tuum* RMS.

nem noverat, nullam domum habuerat. In ipsis cubilibus ferarum, in ipsis latibulis latronum, ubi nec nominari Deus solet, divinum erexisti tabernaculum, et Spiritus sancti proprium dedicasti[1] templum. Nihil ad hoc ædificandum ex regum vel principum opibus intulisti, quum plurima posses et maxima, ut quidquid fieret, tibi soli posset ascribi. Clerici sive scholares huc certatim ad disciplinam tuam confluentes omnia ministrabant necessaria; et qui de beneficiis vivebant ecclesiasticis, nec oblationes facere noverant, sed suscipere, et qui manus ad suscipiendum non ad dandum habuerant, hic in oblationibus faciendis prodigi atque importuni fiebant. Tua itaque, vere tua hæc est proprie in sancto proposito novella plantatio[2], cujus adhuc teneris maxime plantis frequens, ut proficiant, necessaria est irrigatio. Satis ex ipsa feminei sexus natura debilis est hæc plantatio, et est infirma, etiamsi[3] non esset nova. Unde diligentiorem culturam exigit et frequentiorem, juxta illud apostoli[4] : « Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. » Plantaverat apostolus atque fundaverat in fide per prædicationis suæ doctrinam Corinthios, quibus scribebat. Rigaverat postmodum eos ipsius apostoli discipulus Apollo sacris exhortationibus, et sic eis incrementum virtutum divina largita est gratia. Vitis alienæ vineam, quam non plantasti, in amaritudinem tibi conversam, admonitionibus sæpe cassis, et sacris frustra sermonibus excolis. Quid tuæ debeas attende, qui sic curam impendis alienæ. Doces et admones rebelles, nec proficis. Frustra ante porcos divini eloquii margaritas spargis. Qui obstinatis tanta impendis, quid obedientibus debeas considera[5]. Qui tanta hostibus largiris, quid filiabus debeas meditare. Atque ut cæteras omittam, quanto erga me te obligaveris debito, pensa : ut quod devotis communiter debes feminis, unicæ tuæ devotius solvas. Quot autem et quantos tractatus in doctrina, vel exhortatione, seu etiam consolatione sanctarum feminarum sancti patres consummaverint[6], et quanta eos diligentia composuerint, tua melius excellentia quam nostra parvitas[7] novit. Unde non mediocri admiratione nostræ tenera conversionis initia tua jam dudum oblivio movit, quod nec reverentia Dei, nec amore nostri, nec sanctorum patrum exemplis admonitus fluctuantem me et jam diutino mœrore confectam, vel sermone præsentem, vel epistola absentem consolari tentaveris[8]. Cui quidem tanto te majore debito noveris obligatum, quanto te amplius nuptialis fœdere sacramenti constat esse astrictum; et eo te magis mihi obnoxium, quo te semper, ut omnibus patet, immoderato amore complexa sum. Nosti[9], charissime, noverunt omnes, quanta in te ami-

[1] *Accepisti* RMS. — [2] *Nova colonia, tua nova plantatio* RMS. — [3] Sic D. – *Est infirma, etsi non esset nova* Edit. Amb. — [4] *Corinth.* I, cap III, v. 6. — [5] *In pectore versa* RMS. — [6] Sic ABD. – *Consummaverint* deest in editionibus. — [7] *Tenuitas* RMS. — [8] *Studueris* RMS. — [9] *Nostri* perperam legitur in Amb. et Rawl. Edd.

serim, et quam miserabili[1] casu summa et ubique nota proditio[2] me ipsam quoque mihi tecum abstulerit, et incomparabiliter[3] major sit dolor ex amissionis modo quam ex[4] damno. Quo vero major est dolendi causa, majora sunt consolationis adhibenda remedia, non utique ab alio, sed a teipso, ut qui solus es in causa dolendi, solus sis in gratia consolandi. Solus quippe es qui me contristare, qui me lætificare, seu consolari valeas. Et solus es qui plurimum id mihi debeas, et tunc maxime quum universa quæ jusseris in tantum impleverim, ut quum te in aliquo offendere non possem, meipsam pro jussu tuo perdere sustinerem. Et quod majus est, dictuque mirabile, in tantam versus[5] est amor insaniam, ut quod solum appetebat, hoc ipse sibi sine spe recuperationis auferret, quum ad tuam statim jussionem[6] tam habitum ipsa quam animum immutarem : ut te tam corporis mei quam animi unicum possessorem[7] ostenderem. Nihil unquam (Deus scit) in te nisi te requisivi; te pure, non tua concupiscens. Non matrimonii fœdera, non dotes aliquas expectavi, non denique meas voluptates aut voluntates, sed tuas, sicut ipse nosti, adimplere studui. Et si uxoris[8] nomen sanctius ac validius videtur, dulcius mihi semper extitit amicæ vocabulum; aut, si non indigneris, concubinæ vel scorti; ut, quo me videlicet pro te amplius humiliarem, ampliorem apud te consequerer gratiam, et sic etiam excellentiæ tuæ[9] gloriam minus læderem. Quod et tu ipse tui gratia oblitus penitus non fuisti, in ea, quam supra memini, *ad Amicum* epistola pro consolatione directa; ubi et rationes nonnullas, quibus te a conjugio nostro infaustis thalamis revocare conabar, exponere non es dedignatus, sed plerisque tacitis, quibus amorem conjugio, libertatem vinculo præferebam. Deum testem invoco, si me Augustus universo præsidens mundo matrimonii honore dignaretur, totumque mihi orbem confirmaret in perpetuo præsidendum, carius mihi et dignius videretur tua dici meretrix, quam illius imperatrix. Non enim quo quisque ditior sive potentior, ideo et melior; fortunæ illud est, hoc virtutis. Nec se minime venalem æstimet esse quæ libentius ditiori quam pauperi nubit, et plus in marito sua quam ipsum concupiscit. Certe quamcunque ad nuptias hæc concupiscentia[10] ducit, merces ei potius quam gratia debetur. Certum quippe est eam res ipsas, non hominem sequi, et se, si posset, velle prostituere ditiori. Sicut inductio illa Aspasiæ philosophæ apud socraticum Æschinem cum Xenophonte et uxore ejus habita manifeste convincit[11]. Quam quidem inductionem quum prædicta philosopha ad reconciliandos invicem illos proposuisset, tali fine ipsam[12] conclusit : « Quia

[1] *Funesto* RMS. — [2] *Eviratio* RMS. — [3] *Sine dubio* RMS. — [4] Inseritur *ipso* RMS. — [5] *Mutatus* RMS. — [6] *Tuo confestim jussu* RMS. — [7] *Dominum* RMS. — [8] Inseritur *carrissimum* RMS. — [9] *Indolis tuæ perspicacioris* RMS. — [10] *Hæc auri sacra fames* RMS. — [11] *Demonstrat* RMS. - Cicer. *de Invent.* I, xxxi. — [12] Sic ABD. - *Ipsam* deest Edd.

nisi hoc peregeritis, ut neque vir melior, neque femina in terris lectior sit, profecto semper id quod optimum putabis esse multo maxime requiretis, ut et tu maritus sis quam optimæ, et hæc quam optimo viro nupta sit. » Sancta profecto hæc et plus quam philosophica est sententia ipsius potius sophiæ quam philosophiæ dicenda. Sanctus hic error, et beata fallacia in conjugatis, ut perfecta dilectio [1] illæsa custodiat matrimonii fœdera non tam corporum continentia, quam animorum pudicitia. At quod error cæteris, veritas mihi manifesta contulerat, quum quod illæ videlicet de suis æstimarent maritis, hoc ego de te, hoc mundus universus non tam crederet quam sciret; ut tanto verior in te meus amor existeret, quanto ab errore longius absisteret. Quis etenim regum aut philosophorum tuam exæquare famam poterat? Quæ te regio, aut civitas, seu villa videre non æstuabat [2]? Quis te, rogo, in publicum procedentem conspicere non festinabat, ac discedentem collo erecto, oculis directis non insectabatur? Quæ conjugata, quæ virgo non concupiscebat [3] absentem, et non exardebat [4] in præsentem? Quæ regina vel præpotens femina gaudiis meis non invidebat vel thalamis? Duo autem, fateor, tibi specialiter inerant, quibus feminarum quarumlibet animos statim allicere poteras: dictandi videlicet, et cantandi gratia [5]; quæ cæteros minime philosophos assecutos esse novimus. Quibus quidem quasi ludo quodam laborem exercitii [6] recreans philosophici, pleraque amatorio [7] metro vel rhythmo composita reliquisti carmina, quæ præ nimia suavitate tam dictaminis [8] quam cantus sæpius frequentata, tuum in ore omnium nomen incessanter tenebant: ut etiam illitteratos melodiæ dulcedo tui [9] non sineret immemores esse. Atque hinc maxime in amorem tui feminæ suspirabant. Et quum horum pars maxima carminum nostros decantaret amores, multis me regionibus brevi tempore nuntiavit, et multarum in me feminarum accendit invidiam. Quod enim bonum animi vel corporis tuam non exornabat adolescentiam? Quam tunc mihi invidentem, nunc tantis privatæ deliciis compati calamitas mea non compellat? Quem vel quam, licet hostem primitus, debita compassio mihi nunc non emolliat? Quæ [10] plurimum nocens, plurimum, ut nosti, sum innocens. Non enim rei effectus, sed efficientis affectus in crimine est; nec quæ fiunt, sed quo animo fiunt, æquitas [11] pensat. Quem autem animum in te semper habuerim, solus qui expertus es judicare potes. Tuo examini cuncta committo, tuo per omnia cedo testimonio. Dic unum, si vales, cur [12] post conversionem nostram, quam tu solus facere decrevisti, in tantam tibi negligentiam atque oblivionem venerim, ut nec

[1] *Inviolatus amor illæsa* RMS. — [2] *Ardebat* RMS. — [3] *Optavit* RMS. — [4] *Exarsit* RMS. — [5] *Eloquii potentis vis et musici oris grata peritia* RMS. — [6] *Gymnasmatis* RMS. — [7] *Amatori* D. — [8] *Sermonis compti* RMS. — [9] *Et immusicos melodis tui harmonia bene docta non* RMS. — [10] Sic C. — *Et plurimum* Edd. — [11] *Justitia* RMS. — [12] Sic ABC. — *Cum* Edd.

colloquio præsentis recreer, nec absentis epistola consoler: dic, inquam, si vales, aut ego quod sentio, imo quod omnes suspicantur dicam. Concupiscentia te mihi potius quam amicitia sociavit, libidinis ardor potius quam amor. Ubi igitur quod desiderabas cessavit, quidquid propter hoc exhibebas pariter evanuit. Hæc, dilectissime, non tam mea est quam omnium conjectura[1], non tam specialis quam communis, non tam privata quam publica. Utinam mihi soli sic videretur, atque aliquos in excusationem sui amor tuus inveniret, per quos dolor meus paululum resideret. Utinam occasiones[2] fingere possem, quibus te excusando mei quoquo modo tegerem[3] vilitatem. Attende, obsecro, quæ requiro: et parva hæc videbis et tibi facillima. Dum tui præsentia fraudor, verborum saltem votis[4], quorum tibi copia est, tuæ mihi imaginis præsenta dulcedinem[5]. Frustra te in rebus dapsilem expecto, si in verbis avarum sustineo. Nunc vero plurimum a te me promereri credideram, quum omnia propter te compleverim[6], nunc in tuo maxime perseverans obsequio. Quam quidem juvenculam ad monasticæ conversationis asperitatem non religionis devotio, sed tua tantum pertraxit jussio[7]; ubi si nihil a te promerear, quam frustra laborem dijudica. Nulla mihi super hoc merces expectanda est a Deo, cujus adhuc amore nihil me constat egisse. Properantem te ad Deum secuta sum habitu, imo præcessi. Quasi enim memor uxoris Loth retro conversæ[8], prius me sacris vestibus et professione monastica quam teipsum Deo mancipasti. In quo, fateor, uno minus te de me confidere vehementer dolui atque erubui. Ego autem (Deus scit) ad Vulcania loca te properantem præcedere vel sequi pro jussu tuo minime dubitarem. Non enim mecum animus meus, sed tecum erat[9]. Sed et nunc maxime si tecum non est, nusquam est. Esse vero sine te nequaquam potest. Sed ut tecum bene sit, age, obsecro. Bene autem tecum fuerit, si te propitium invenerit, si gratiam referas pro gratia, modica pro magnis, verba pro rebus. Utinam, dilecte, tua de me dilectio minus confideret, ut sollicitior esset! Sed quo te amplius nunc securum reddidi, negligentiorem sustineo. Memento obsecro quæ fecerim, et quanta debeas attende. Dum tecum carnali fruerer voluptate[10], utrum id amore, vel libidine agerem, incertum pluribus habebatur[11]. Nunc autem finis indicat quo id inchoaverim principio. Omnes denique mihi voluptates interdixi, ut tuæ[12] parerem voluntati. Nihil mihi reservavi, nisi sic tuam nunc præcipue fieri. Quæ vero tua sit iniquitas perpende, si merenti amplius persolvis minus, imo nihil penitus: præsertim quum parvum sit quod exigeris, et tibi facillimum. Per ipsum

[1] *Sententia* RMS. — [2] *Tempora* RMS. — [3] *Celarem* RMS. — [4] *Notis* MS. Amb. — [5] *Verum solamen* RMS. — [6] *Compleam* RMS. — [7] *Tua solum coegerunt, mihi in æternum colende, mandata* RMS. — [8] *Genes*, cap. XIX, v. 26. — [9] *Habitavit* RMS. — [10] *Sacra illa connubiali et gratissima* RMS. — [11] *Sub judice lis fuit* RMS. — [12] Inseritur *solæ* (sic) RMS.

itaque, cui te obtulisti, Deum te obsecro, ut quoquo modo[1] potes tuam mihi præsentiam reddas, consolationem videlicet mihi aliquam rescribendo; hoc saltem pacto, ut sic recreata divino alacrior vacem obsequio. Quum me ad temporales olim voluptates[2] expeteres, crebris me epistolis visitabas, frequenti carmine tuam in ore omnium Heloissam ponebas. Me plateæ omnes, me domus singulæ resonabant. Quanto autem rectius me nunc in Deum, quam tunc in libidinem excitares? Perpende, obsecro, quæ debes, attende quæ postulo; et longam epistolam brevi fine concludo[3]. Vale, unice.

[1] *Quomodo* D. — [2] *Priores eas delicias nobismet semper reminiscendas* RMS. — [3] *Ad exitum perduco* RMS.

EPISTOLA III,

QUÆ EST RESCRIPTUM PETRI AD HELOISSAM.

ARGUMENTUM.

Superiori epistolæ Heloissæ respondet Abælardus, ac se candide excusat, quod tanto tempore ad illam non scripserit, minime de incuria in eam venisse: sed quod de prudentia, doctrina, pietate, et religione ejus tantum confideret, ut eam vel exhortatione, vel consolatione non indigere crederet. Monet autem ut ad se rescribat, quid sibi exhortationis vel consolationis divinæ ab eo rescribi velit: et ipse ejus desiderio faciet satis. Rogat eam, ut tam ipsa quam sacer ejus virginum ac viduarum chorus se apud Deum precibus juvet, quantas apud ipsum vires oratio maxime uxorum pro viris habeat, luculenter ex scripturarum auctoritate disserens, et commemoratis precibus, quæ hactenus in ipso monasterio pro se a sacris feminis fierent ad Deum singulis horis canonicis, alias item quæ pro salute absentis fiant instituit. Præterea rogat ut quocunque modo vel loco eum ex hac vita migrare contingeret, defuncti corpus ad paracletense cœnobium deferri, ibique sepeliri curaret.

Heloissæ dilectissimæ sorori suæ in Christo Abælardus frater ejus in ipso.

Quod post nostram a seculo ad Deum conversionem nondum tibi aliquid consolationis vel exhortationis scripserim, non negligentiæ meæ, sed tuæ, de qua semper plurimum confido, prudentiæ imputandum est. Non enim eam his indigere credidi, cui abundanter quæ[1] necessaria sunt divina gratia impertivit; ut tam verbis quam exemplis errantes valeas docere[2], pusillanimes consolari, tepidos exhortari, sicut et facere jam dudum consuevisti, quum sub abbatissa prioratum obtineres. Quod si nunc tanta diligentia tuis provideas filiabus, quanta tunc sororibus, satis esse credimus, ut jam omnino superfluam doctrinam vel exhortationem nostram arbitremur. Sin autem humilitati tuæ aliter videtur, et in iis etiam quæ ad Deum pertinent magisterio nostro atque scriptis indiges, super his quæ velis scribe mihi, ut ad ipsam rescribam prout Dominus mihi annuerit. Deo autem gratias, qui gravissimorum et assiduorum periculorum meorum sollicitudinem vestris cordibus[3] inspirans, afflictionis[4] meæ participes vos fecit; ut orationum suffragio vestrarum divina miseratio me protegat, et velociter Sathanam sub pedibus nostris conterat. Ad hoc autem præcipue *Psalterium*, quod a me sollicite requisisti, soror in seculo quondam chara, nunc in Christo charissima, mittere maturavi. In quo videlicet pro nostris magnis et multis excessibus, et quotidiana periculorum meorum instantia[5], juge Domino sacrificium immoles orationum. Quantum autem locum apud Deum et sanctos

[1] *Quæcunque* D. — [2] *Informare* RMS. — [3] *Cordibus* deest in D. — [4] *Sortis iniquæ* RMS. — [5] *Assiduitate* RMS.

ejus fidelium orationes obtineant, et maxime mulierum pro charis suis, et uxorum pro viris, multa nobis occurrunt testimonia et exempla. Quod diligenter attendens apostolus[1], sine intermissione orare nos admonet. Legimus Dominum Moysi dixisse[2] : « Dimitte me ut irascatur furor meus. » Et Jeremiæ[3] : « Tu vero, » inquit, « Noli orare pro populo hoc, et non obsistas mihi. » Ex quibus videlicet verbis manifeste Dominus ipse profitetur orationes sanctorum quasi quoddam frenum iræ ipsius immittere, quo scilicet ipsa coerceatur, ne quantum merita peccantium exigunt, ipsa in eos sæviat. Ut quem ad vindictam justitia quasi spontaneum ducit, amicorum supplicatio flectat[4], et tanquam invitum quasi vi quadam retineat[5]. Sic quippe oranti vel oraturo dicitur[6] : « Dimitte me, et ne obsistas mihi. » Præcipit Dominus ne oretur pro impiis[7]. Orat justus, Domino prohibente, et ab ipso impetrat quod postulat, et irati judicis sententiam immutat. Sic quippe de Moyse subjunctum est[8] : « Et placatus factus est Dominus de malignitate quam dixit facere populo suo. » Scriptum est alibi[9] de universis operibus Dei[10] : « Dixit, et facta sunt. » Hoc autem loco et dixisse memoratur quod de afflictione populus meruerat, et virtute orationis præventus[11], non implesse quod dixerat. Attende itaque quanta sit orationis virtus, si quod jubemur oremus, quando id quod orare prophetam Deus prohibuit, orando tamen obtinuit, et ab eo quod dixerat, eum avertit. Cui et alius propheta dicit[12] : « Et quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis Audiant id atque advertant principes terreni[13], qui occasione præpositæ et edictæ justitiæ suæ obstinati magis quam justi reperiuntur, et se remissos videri erubescunt, si misericordes fiant, et mendaces, si edictum suum mutent, vel quod minus provide statuerunt, non impleant, et si verba rebus emendent. Quos quidem recte dixerim Jephthæ comparandos, qui quod stulte voverat stultius adimplens, unicam[14] interfecit[15]. Qui vero ejus membrum fieri cupit[16], tunc cum psalmista dicit[17] : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. Misericordia, » sicut scriptum est[18], « judicium exaltat, » attendens quod alibi Scriptura comminatur[19], « judicium sine misericordia in eum qui misericordiam non facit. » Quod diligenter ipse psalmista considerans[20], ad supplicationem uxoris Nabal Carmeli, juramentum quod ex justitia fecerat, de viro ejus scilicet et ipsius domo delenda, per misericordiam cassavit[21]. Orationem itaque justitiæ prætulit, et quod vir deliquerat, supplicatio uxoris delevit. In quo quidem tibi, soror, exemplum proponitur, et securitas datur, ut si hujus oratio

[1] *Thessal. II*, cap. v, v. 17. — [2] *Exod.*, cap. xxxii, v. 10. — [3] *Jerem.*, cap. vii, v. 16. — [4] *Preces flectant* RMS. — [5] *Retineant* RMS. — [6] *Exod.*, cap. xxxii, v. 10. — [7] *Jerem.*, cap. vii, v. 16. — [8] *Exod.*, cap. xxxii, v. 14. — [9] *Alicubi* RMS. — [10] Psalm. xxxii, v. 9. — [11] *Interceptus* RMS. — [12] *Habacuc*, cap. iii, v. 2. — [13] *Terrestres* RMS. — [14] Inseritur *sibique charissimam natam* RMS. — [15] *Judic.*, cap. ii, v. 39. — [16] *Qui* inseritur male D. — [17] Psalm. c, v. 1. — [18] *Jacob.*, cap. ii, v. 13. — [19] Ibid. — [20] *Perpendens* RMS. — [21] *Incassum reddidit* RMS.

apud hominem tantum obtinuit, quid apud Deum tua pro me audeat instruaris. Plus quippe Deus, qui pater est noster, filios diligit, quam David feminam supplicantem. Et ille quidem pius et misericors habebatur, sed ipsa pietas et misericordia Deus est. Et quæ tunc supplicabat mulier secularis erat et laica, nec ex sanctæ devotionis professione Domino copulata[1]. Quod si ex te minus ad impetrandum sufficias, sanctus qui tecum est tam virginum quam viduarum conventus, quod per te non potes, obtinebit. Quum enim discipulis Veritas dicat[2]: « Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum; » et rursum: « Si duo ex vobis consenserint de omni re quam petierint, fiet illud a Patre meo; » quis non videat quantum apud Deum valeat sanctæ congregationis frequens oratio? Si, ut apostolus asserit[3], « multum valet oratio justi assidua, » quid de multitudine sanctæ congregationis sperandum est? Nosti, charissima soror, ex homelia beati Gregorii XXXVIII, quantum suffragium invito seu contradicenti fratri oratio fratrum mature[4] attulerit. De quo jam ad extremum ducto quanta periculi anxietate miserrima ejus anima laboraret, et quanta desperatione et tædio vitæ fratres ab oratione revocaret, quid ibi diligenter scriptum sit tuam minime latet prudentiam. Atque utinam confidentius te et sanctarum conventum sororum ad orationem invitet, ut me scilicet vobis ipse vivum custodiat, per quem, Paulo attestante[5], mortuos etiam suos de resurrectione mulieres acceperunt. Si enim Veteris et Evangelici Testamenti paginas revolvas, invenies maxima resuscitationis miracula solis vel maxime feminis exhibita fuisse, pro ipsis vel de ipsis facta. Duos quippe mortuos suscitatos ad supplicationes maternas Vetus commemorat Testamentum, per Eliam scilicet[6], et ipsius discipulum Elisæum[7]. Evangelium vero trium tantum mortuorum suscitationem a Domino factam continet, quæ, mulieribus exhibita, maxime illud quod supra commemoravimus apostolicum dictum rebus suis confirmant[8]: « Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. » Filium quippe viduæ ad portam civitatis Naym suscitatum matri reddidit, ejus compassione compunctus[9]. Lazarum quoque[10] amicum suum[11] ad obsecrationem sororum ejus, Mariæ videlicet ac Marthæ, suscitavit[12]. Quo etiam archisynagogi filiæ hanc ipsam gratiam ad petitionem patris impendente[13], « mulieres de resurrectione mortuos suos acceperunt, » quum hæc videlicet suscitata proprium de morte receperit corpus, sicut illæ corpora suorum. Et paucis quidem intervenientibus hæ factæ sunt resuscitationes. Vitæ vero nostræ conservationem multiplex vestræ devotionis oratio facile obtinebit;

[1] *Conjuncta* RMS. — [2] Matth, cap. XVIII, v. 20. — [3] *Jacob.*, cap. V, v. 16. — [4] Sic ABC. - *Naturæ* Edd. præter Orellianam. — [5] *Hebr.*, cap. II, v. 35. — [6] *Reg. III*, cap. XVII, v. 17. — [7] *Reg. IV*, cap. IV. — [8] *Hebr.*, cap. II, v. 35. — [9] Luc., cap. VII, v. 15. - *Commiseratione vere paterna* RMS. — [10] *Quippe* D. — [11] *Rogatus* RMS. — [12] Joann., cap. II, v. 44. — [13] Matth., cap. IX, v. 25.

quarum tam abstinentia quam continentia Deo sacrata quanto ipsi gratior habetur, tanto ipsum propitiorem inveniet. Et plerique fortassis horum qui suscitati sunt, nec fideles extiterunt, sicut nec vidua prædicta [1], cui non roganti filium Dominus suscitavit, fidelis extitisse legitur. Nos autem invicem non solum fidei colligat integritas, verum etiam ejusdem religionis professio sociat. Ut autem sacrosanctum collegii vestri nunc omittam conventum, in quo plurimarum virginum ac viduarum devotio Domino jugiter deservit, ad te unam veniam, cujus apud Deum sanctitatem plurimum non ambigo posse, et quæ potes mihi præcipue debere, maxime nunc [2] in tantæ adversitatis laboranti discrimine. Memento itaque semper in orationibus tuis ejus, qui [3] specialiter est tuus, et tanto confidentius in oratione vigila, quanto id esse tibi recognoscis justius, et ob hoc ipsi qui orandus est acceptabilius. Exaudi, obsecro, aure cordis, quod sæpius audisti aure corporis. Scriptum est in *Proverbiis* [4]: « Mulier diligens corona est viro suo. » Et rursum [5] : « Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, et hauriet jucunditatem a Domino. » Et iterum: « Domus et divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens. » Et in *Ecclesiastico* [6]: « Mulieris bonæ beatus vir. » Et post pauca [7] : « Pars bona, mulier bona. » Et juxta auctoritatem apostolicam [8], « Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem. » Cujus quidem rei experimentum in regno præcipue nostro, id est Francorum, divina specialiter [9] exhibuit gratia, quum ad orationem videlicet uxoris magis quam ad sanctorum prædicationem [10], Clodoveo rege ad fidem Christi converso, regnum sic universum divinis legibus mancipaverunt, ut exemplo maxime superiorum ad orationis [11] instantiam [12] inferiores provocarentur. Ad quam quidem instantiam dominica nos vehementer invitans parabola : « Ille, » inquit [13], « si perseveraverit pulsans, dico vobis quia si non dabit ei eo quod amicus illius sit, propter improbitatem ejus surgens dabit ei quotquot habet necessarios. » Ex hac profecto, ut ita dicam, orationis improbitate, sicut supra memini, Moyses divinæ justitiæ severitatem enervavit [14], et sententiam immutavit. Nosti, dilectissima, quantum charitatis affectum præsentiæ meæ conventus olim vester in oratione solitus sit exhibere. Ad expletionem namque quotidie singularum horarum specialem pro me Domino supplicationem hanc offerre consuevit, ut responso proprio cum versu ejus præmissis et decantatis, preces his et collectam in hunc modum subjungeret : Responsum. « Non me derelinquas, nec discedas a me, Domine [15]. » Versus. « In adjutorium meum semper intende, Domine [16]. » Preces. « Salvum fac

[1] Luc., cap. VII, v. 15. — [2] Sic D. — *Nunc* deest in Edit. — [3] *Ex omnibus* RMS. — [4] *Prov.*, cap. XII, v. 4. — [5] *Proverb.*, cap. XVIII, v. 22. — [6] *Eccles.*, cap. XXVI, v. 1. — [7] Ibid., v. 3. — [8] *Corinth. I*, cap. VII, v. 14. — [9] *Præcipue* RMS. — [10] *Conciones* RMS. — [11] *Ad orationis* desunt in Cod. D perperam. — [12] *Vim insitam* RMS. — [13] Luc., cap. XI, v. 8. — [14] *Exod.*, c. XXXII, v. 14. — [15] Psalm. XXXVII, v. 22. — [16] Psalm. LXIX, v. 1.

servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat[1]. » Oratio[2]. « Deus, qui per servulum tuum ancillulas tuas in nomine tuo dignatus es aggregare, te quæsumus, ut tam ipsi quam nobis in tua tribuas perseverare[3] voluntate. Per Dominum, etc. » Nunc autem absenti mihi tanto amplius orationum vestrarum opus est suffragio, quanto majoris anxietate periculi constringor. Supplicando itaque postulo, et postulando supplico, quatenus præcipue nunc absens experiar quam vera charitas vestra erga absentem extiterit, singulis videlicet horis expletis hunc orationis propriæ modum adnectens: Responsum. « Ne derelinquas me, Domine pater et dominator vitæ meæ, ut non corruam in conspectu adversariorum meorum, ne gaudeat de me inimicus meus[4]. » Versus. « Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi[5], ne gaudeat. » Preces. « Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto, et de Sion tuere eum. Esto ei, Domine, turris fortitudinis a facie inimici. Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat[6]. » Oratio[7]. « Deus, qui per servum tuum ancillulas tuas in nomine tuo dignatus es aggregare, te quæsumus, ut eum ab omni adversitate protegas, et ancillis tuis incolumem reddas. Per Dominum, etc. » Quod si me Dominus in manibus inimicorum tradiderit, scilicet ut ipsi prævalentes me interficiant, aut quocunque casu viam universæ carnis absens a vobis ingrediar[8]; cadaver obsecro nostrum ubicunque vel sepultum vel expositum jacuerit, ad cimiterium vestrum deferri faciatis, ubi filiæ nostræ[9], imo in Christo sorores, sepulcrum nostrum sæpius videntes, ad preces pro me Domino fundendas amplius invitentur. Nullum quippe locum animæ dolenti de peccatorum suorum errore desolatæ tutiorem ac salubriorem arbitror, quam eum qui vero paracleto, id est consolatori proprie consecratus est, et de ejus nomine specialiter insignitus. Nec Christianæ sepulturæ locum rectius apud aliquos fideles, quam apud feminas Christo devotas consistere censeo, quæ de Domini Jesu Christi sepultura sollicitæ[10], eam unguentis pretiosis, et prævenerunt et subsecutæ sunt, et circa ejus sepulcrum plangentes[11], sicut scriptum est[12]: « Mulieres sedentes ad monumentum lamentabantur flentes Dominum. » Primo ibidem de resurrectione ejus angelica apparitione et allocutione sunt consolatæ, et statim ipsius resurrectionis gaudia, eo bis eis apparente, percipere meruerunt, et manibus contrectare. Illud autem demum super omnia postulo, ut quæ nunc de corporis mei periculo nimia sollicitudine laboratis, tunc præcipue de salute

[1] Psalm. CI, v. 2. — [2] *Oremus* MS. Amb. — [3] *Perseverantium* D perperam. — [4] *Eccli.*, cap. XXIII, v. 1, 3. — [5] Psalm. XXXIV, v. 2. — [6] Psalm. CI, v. 2. — [7] *Oremus* MS. Amb. — [8] *Absens vobis* D. — [9] *Vestræ* MS. Amb. — [10] Marc., cap. XVI, v. 1 et seq. — [11] *Plurimis lacrymis urgentes* RMS. — [12] Matth., cap. XXVII, v. 61.

animæ sollicitæ, quantum dilexeritis vivum exhibeatis defuncto, orationum videlicet vestrarum speciali quodam et proprio suffragio :

Vive, vale, vivantque tuæ valeantque sorores,
Vivite, sed Christo [1], quæso, mei memores.

[1] *Domino* MS. Amb.

EPISTOLA IV,

QUÆ EST RESCRIPTUM HELOISSÆ AD PETRUM.

ARGUMENTUM.

Plena planctibus et doloribus est epistola. Plangit enim Heloissa et suam, et monacharum suarum, atque ipsius Abælardi miseram conditionem, accepta planctus occasione ex postrema præcedentis epistolæ parte, ubi de sua ex hac vita migratione meminit Abælardus. Multis utitur affectibus, quibus lectorem ad compassionem suarum et Abælardi movet, ut forte etiam lacrymas excutiat. Plangit et ipsius Abælardi plagam. Multa etiam de ipsis in corpore carnalibus desideriis inardescentibus, quæ aliquando cum ipso experta fuerat Abælardo, conqueritur. Proinde exteriorem et apertam religionem suam non incongrue extenuat, ac illam simulationi potius quam pietati ascribit; se Abelardi sui orationibus juvari postulat, atque suas laudes humiliter rejicit.

Unico suo post Christum unica sua in Christo.

Miror, unice meus, quod præter consuetudinem epistolarum, imo contra ipsum ordinem naturalem rerum, in ipsa fronte salutationis epistolaris me tibi præponere præsumpsisti : feminam videlicet viro, uxorem marito, ancillam domino, monialem monacho et sacerdoti, diaconissam abbati. Rectus quippe ordo est et honestus, ut qui ad superiores vel ad pares scribunt, eorum quibus scribunt nomina suis anteponant. Sin autem ad inferiores, præcedunt scriptionis[1] ordine qui præcedunt rerum dignitate. Illud etiam non parva admiratione suscepimus, quod quibus consolationis remedium afferre debuisti, desolationem auxisti; et quas mitigare debueras, excitasti lacrymas. Quæ enim nostrum siccis oculis audire possit, quod circa finem epistolæ posuisti dicens[2] : « Quod si me Dominus in manus inimicorum tradiderit, ut me scilicet prævalentes interficiant, etc. » O charissime, quo id animo cogitasti, quo id ore dicere sustinuisti[3]? Nunquam ancillulas suas adeo Deus obliviscatur, ut eas tibi superstites reservet. Nunquam nobis vitam illam concedat, quæ omni genere mortis sit gravior. Te nostras exequias celebrare, te nostras Deo animas convenit commendare, et quas Deo aggregasti ad ipsum præmittere; ut nulla amplius de ipsis perturberis sollicitudine, et tanto lætior nos subsequaris, quanto securior de nostra salute jam fueris. Parce, obsecro, domine, parce hujusmodi dictis, quibus miseras miserrimas facias; et ut ipsum, quodcunque vivimus, ne nobis auferas ante mortem. Sufficit diei malitia sua[4], et dies illa omnibus, quos inveniet,

[1] *Scribendi vero* RMS. — [2] Vide supra pag. 83. — [3] Inseritur : *Et non possum in silentio obruere illud poeticum ad meas res apprime spectans :*

Quis talia fando
Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulyssis
Temperet a lacrymis? RMS.

[4] Matth., cap. VI, v. 34.

satis secum sollicitudinis afferet omni amaritudine involuta. « Quid enim necesse est, » inquit Seneca [1], « mala arcessere, et ante mortem vitam perdere? » Rogas, unice, ut quocunque casu nobis absens hanc vitam finieris, ad cimiterium nostrum corpus tuum adferri faciamus, ut orationum scilicet nostrarum ex assidua tui memoria ampliorem assequaris fructum. At vero quomodo memoriam tui a nobis labi posse suspicaris? aut quod orationi tempus tunc erit commodum, quando summa perturbatio nihil permittet quietum? quum nec anima rationis sensum, nec lingua sermonis retinebit usum? quum mens insana in ipsum, ut ita dicam, Deum magis irata quam pacata, non tam orationibus ipsum placabit quam querimoniis irritabit? Flere tunc miseris tantum vacabit, non orare licebit, et te magis subsequi quam sepelire maturandum erit, ut potius et nos consepeliendæ simus, quam sepelire possimus. Quæ quum in te nostram amiserimus vitam, vivere, te recedente, nequaquam poterimus. Atque utinam nec tunc usque possimus! Mortis tuæ mentio [2] mors quædam nobis est. Ipsa autem mortis hujus veritas quid, si nos invenerit, futura est? Nunquam Deus annuat, ut hoc tibi debitum superstites persolvamus, ut hoc tibi patrocinio subveniamus, quod a te penitus expectamus. In hoc utinam te præcessuræ, non secuturæ! Parce itaque, obsecro, nobis, parce itaque unicæ saltem tuæ, hujusmodi scilicet supersedendo verbis, quibus tanquam gladiis mortis nostras transverberas animas, ut quod mortem prævenit ipsa morte gravius sit. Confectus mœrore animus quietus non est [3], nec Deo sincere potest vacare mens perturbationibus occupata [4]. Noli, obsecro, divinum impedire servitium, cui nos maxime mancipasti. Omne inevitabile, quod quum acciderit, mœrorem maximum secum inferet, ut subito veniat optandum est, ne timore inutili diu ante cruciet, cui nulla succurri providentia potest. Quod et poeta bene considerans Deum precatur [5] dicens:

> Sit subitum quodcunque paras, sit cæca futuri
> Mens hominum fati. Liceat sperare timenti [6].

Quid autem, te amisso, sperandum mihi superest? Aut quæ in hac peregrinatione causa remanendi, ubi nullum nisi te remedium habeam [7], et nullum aliud in te nisi hoc ipsum quod vivis omnibus de te mihi aliis voluptatibus interdictis, cui nec præsentia tua concessum est frui, ut quandoque mihi reddi valeam? O si fas sit dici, crudelem mihi per omnia Deum! o inclementem clementiam! o infortunatam fortunam! quæ jam in me universi conaminis sui tela in tantum consumpsit, ut quibus in alios sæviat, jam non habeat! Plenam in me pharetram

[1] Epist. XXIV. — [2] Inseritur *etiam cogitatis* RMS. — [3] *Nunquam quiescit* RMS. — [4] *Tantis et tam sævis tempestatibus* RMS. — *Agitata* RMS. — [5] *Secum revolvens divos his precibus petit* RMS. — [6] Lucan. *Pharsal.*, lib. II, v. 14, 15. — [7] *Vel opem* RMS.

exhausit, ut frustra jam alii bella ejus formident. Nec si ei adhuc telum aliquod superesset, locum in me vulneris inveniret. Unum inter tot vulnera metuit, ne morte supplicia finiam; et quum interimere non cesset, interitum tamen quem accelerat, timet. O me miserarum miserrimam! infelicium infelicissimam, quæ quanto universis in te feminis prælata sublimiorem obtinui gradum, tanto hinc prostrata graviorem in te et in me pariter perpessa sum casum! Quanto quippe altior ascendentis gradus, tanto gravior corruentis casus[1]. Quam mihi nobilium ac[2] potentium feminarum fortuna unquam præponere potuit aut æquare? Quam denique adeo dejecit et dolore conficere potuit? Quam in te[3] mihi gloriam contulit? Quam in te mihi ruinam intulit? Quam mihi vehemens in utramque partem extitit, ut nec in bonis nec in malis modum habuerit[4]? Quæ, ut me miserrimam omnium faceret, omnibus ante beatiorem effecerat, ut, quum tanta perdidi pensarem, tanto me majora consumerent lamenta, quanto me majora oppresserant damna; et tanto major amissorum succederet dolor, quanto major possessorum præcesserat amor et summæ voluptatis gaudia summa mœroris terminaret tristitia. Et, ut ex injuria major indignātio surgeret, omnia in nobis æquitatis jura pariter sunt perversa. Dum enim solliciti amoris gaudiis frueremur, et, ut turpiore, sed expressiore vocabulo[5] utar, fornicationi[6] vacaremus, divina nobis severitas[7] pepercit. Ut autem illicita licitis correximus[8], et honore conjugii turpitudinem fornicationis operuimus, ira Domini manum suam super nos vehementer aggravavit[9], et immaculatum non pertulit torum, qui diu ante sustinuerat pollutum. Deprehensis in quovis adulterio viris hæc satis esset ad vindictam pœna quam pertulisti. Quôd ex adulterio promerentur alii, id tu ex conjugio incurristi, per quod jam te omnibus satisfecisse confidebas injuriis. Quod fornicatoribus[10] suis adulteræ, hoc propria uxor tibi contulit. Nec quum pristinis vacaremus voluptatibus, sed quum jam ad tempus segregati, castius viveremus, te quidem Parisius scholis præsidente, et me ad imperium tuum Argenteoli cum sanctimonialibus conversante, divisis itaque sic nobis adinvicem[11] ut tu studiosius scholis, ego liberius orationi sive sacræ lectionis meditationi vacarem, et tanto nobis sanctius quanto castius degentibus, solus in corpore luisti quod duo pariter commiseramus. Solus in pœna fuisti, duo in culpa, et qui minus debueras, totum pertulisti. Quanto enim amplius te pro me humiliando satisfeceras et me pariter et totum genus meum sublimaveras, tanto te minus tam apud Deum quam apud illos proditores obnoxium pœnæ reddideras. O me miseram in tanti

[1] Inscritur *et cum Claudiano*

Tollor in altum
Ut casu graviore ruam RMS.

— [2] *Ac* deest D. — [3] *Vitæ* B et MS. Amb. — [4] *Posuerit* RMS. — [5] *Sermonibus expressioribus* RMS. — [6] *Veneri minus licitæ* RMS. — [7] *Justitia* RMS. — [8] *Correxerimus* D. — [9] *Graviorem reddidit* RMS. — [10] *Scortatoribus* RMS — [11] *Ab invicem* C et MS. Amb.

sceleris causa progenitam! O summam in viros summos et consuetam feminarum perniciem! Hinc de muliere cavenda scriptum est in *Proverbiis*[1]: « Nunc ergo, fili, audi me, et attende verbis oris mei. Ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis ejus. Multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Viæ inferi domus ejus penetrantes in interiora mortis. » Et in *Ecclesiaste*[2]: « Lustravi universa animo meo, et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus. Vincula enim sunt manus ejus. Qui placet Deo, effugiet eam. Qui autem peccator est, capietur ab illa. » Prima statim mulier de paradiso[3] virum captivavit[4], et quæ ei a Domino creata fuerat in auxilium, in summum ei conversa est exitium. Fortissimum illum Nazaræum Domini et angelo nuntiante conceptum Dalila sola superavit[5], et eum inimicis proditum et oculis privatum ad hoc tandem dolor compulit, ut se pariter cum ruina hostium opprimeret. Sapientissimum omnium Salomonem sola quam sibi copulaverat mulier infatuavit[6], et in tantam compulit insaniam, et eum quem ad ædificandum sibi Dominus templum elegerat, patre ejus David, qui justus fuerat, in hoc reprobato, ad idololatriam ipsa usque in finem vitæ dejiceret, ipso, quem tam verbis quam scriptis prædicabat atque docebat, divino cultu derelicto. Job sanctissimus[7] in uxore novissimam atque gravissimam sustinuit pugnam, quæ eum ad maledicendum Deo stimulabat. Et callidissimus tentator[8] hoc optime noverat, quod sæpius expertus fuerat, virorum videlicet ruinam in uxoribus esse facillimam. Qui denique etiam usque ad nos consuetam extendens malitiam, quem de fornicatione sternere non potuit, de conjugio tentavit; et bono male est usus, qui malo male uti non est permissus. Deo saltem super hoc gratias, quod me ille ut supra positas feminas in culpam ex consensu non traxit, quam tamen in causam commissæ malitiæ ex affectu convertit. Sed et si purget animum meum innocentia, nec hujus reatum sceleris consensus incurrat; peccata tamen multa præcesserunt, quæ me penitus immunem ab hujus reatu sceleris esse non sinunt. Quod videlicet diu ante carnalium[9], illecebrarum voluptatibus serviens, ipsa tunc merui quod nunc plector, et præcedentium in me peccatorum sequentia merito facta sunt pœna. Etiam malis initiis perversus imputandus est exitus. Atque utinam hujus præcipue commissi dignam agere valeam pœnitentiam, ut pœnæ illi tuæ vulneris illati ex longa saltem pœnitentiæ contritione vicem quoquo modo recompensare[10] queam; et quod tu ad horam in corpore pertulisti, ego in omni vita, ut justum est, in contritione mentis suscipiam, et hoc tibi saltem modo, si non Deo, satisfaciam. Si enim vere miserrimi

[1] *Prov.*, cap. VII, v. 24 et sq. — [2] *Eccles.*, cap. VII, v. 26 et sq. — [3] *Genes.*, cap. III, v. 6. — [4] *Illaqueavit* RMS. — [5] *Judic.*, cap. XVI, v. 4 et sq. — [6] *Reg. III*, cap. II. — [7] *Job.*, cap. II, v. 9 et sq. — [8] *Inferorum princeps* RMS. — [9] *Illicitarum* RMS. — [10] *Rependere* RMS.

mei animi profitear infirmitatem, qua pœnitentia Deum placare valeam non invenio, quem super hac semper injuria summæ crudelitatis arguo; et ejus dispensationi contraria, magis eum ex indignatione offendo, quam ex pœnitentiæ satisfactione [1] mitigo. Quomodo etiam pœnitentia peccatorum dicitur, quantacunque sit corporis afflictio, si mens adhuc ipsam peccandi retinet voluntatem, et pristinis æstuat desideriis? Facile quidem est quemlibet confitendo peccata seipsum accusare, aut etiam in exteriori satisfactione corpus affligere; difficillimum vero est a desideriis maximarum voluptatum avellere animum. Unde et merito sanctus Job [2] quum præmisisset : « Dimittam adversum me eloquium meum, » id est laxabo linguam, et aperiam os per confessionem in peccatorum meorum accusationem, statim adjunxit [3] : « Loquar in amaritudine animæ meæ. » Quod beatus exponens Gregorius [4] : « Sunt, » inquit, « nonnulli, qui apertis vocibus culpas fatentur, sed tamen in confessione gemere nesciunt, et lugenda gaudentes dicunt. » « Unde [5] qui culpas suas detestans loquitur, restat necesse est ut has in amaritudine animæ [6] loquatur, ut hæc ipsa amaritudo puniat [7] quidquid lingua per mentis judicium accusat. » Sed hæc quidem amaritudo veræ pœnitentiæ quam rara sit beatus diligenter attendens Ambrosius [8] : « Facilius, » inquit, « inveni qui innocentiam servaverunt, quam qui pœnitentiam egerunt. » In tantum vero illæ, quas pariter exercuimus, amantium voluptates dulces mihi fuerunt, ut nec displicere mihi, nec vix a memoria labi possint. Quocunque loco me vertam, semper se oculis meis cum suis ingerunt desideriis. Nec etiam dormienti suis illusionibus parcunt. Inter ipsa missarum solemnia, ubi purior esse debet oratio, obscena earum voluptatum phantasmata ita sibi penitus miserrimam captivant [9] animam, ut turpitudinibus illis magis quam orationi vacem. Quæ quum ingemiscere debeam de commissis, suspiro potius de amissis. Nec solum quæ egimus, sed loca pariter et tempora in quibus hæc egimus, ita tecum nostro infixa sunt animo, ut in ipsis omnia tecum agam, nec dormiens etiam ab his quiescam. Nonnunquam et [10] ipso motu corporis animi mei cogitationes deprehenduntur, nec a verbis temperant improvisis. O vere me miseram, et illa conquestione [11] ingemiscentis animæ dignissimam! « Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus [12]? » Utinam et quod sequitur veraciter addere queam! « Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. » Hæc te gratia, charissime, prævenit, et ab his tibi stimulis una corporis plaga medendo multas in anima sanavit, et in quo tibi amplius adversari Deus creditur, propitior

[1] *Piaculo* RMS. — [2] *Job.*, cap. x, v. 1. — [3] Ibid., ibid. — [4] *Moralium* lib. IX, cap. XLIII, *Opp.* Parisiis, 1705, in-fol., t. I, col. 319. — [5] Ibid., cap. XLIV. — [6] *Inter acerbissimos dolores* RMS. — [7] *Ut hi puniant* RMS. — [8] *De pœnitentia* lib. II, cap. x, *Opp.*, Parisiis, 1690, in-fol., t. II, col. 436. — [9] *Implicant* RMS. — [10] *Etiam* C. — [11] *Querela* RMS. — [12] *Rom.*, cap. VII, v. 24.

invenitur : more quidem fidelissimi medici, qui non parcit dolori, ut consulat saluti. Hos autem in me stimulos carnis, hæc incentiva libidinis ipse juvenilis fervor ætatis, et jucundissimarum experientia voluptatum, plurimum accendunt, et tanto amplius sua me impugnatione opprimunt, quanto infirmior est natura quam oppugnant. Castam me prædicant, qui non deprehenderunt hypocritam. Munditiam carnis conferunt[1] in virtutem, quum non sit corporis, sed animi virtus. Aliquid laudis apud homines habens, nihil apud Deum mereor, qui cordis et renum probator est, et in abscondito videt. Religiosa hoc tempore[2] judicor, in quo jam parva pars religionis non est hypocrisis; ubi ille maximis extollitur[3] laudibus, qui humanum non offendit judicium. Et hoc fortassis aliquo modo laudabile, et Deo acceptabile quoquo modo videtur, si quis videlicet exterioris operis exemplo quacunque intentione non sit ecclesiæ scandalo, nec jam per ipsum apud infideles nomen Domini blasphemetur, nec apud carnales professionis suæ ordo infametur. Atque hoc quoque nonnullum est divinæ gratiæ donum, et cujus videlicet munere venit[4] non solum bona facere, sed etiam a malis abstinere. Sed frustra istud præcedit, ubi illud non succedit, sicut scriptum est[5] : « Declina a malo, et fac bonum[6]. » Et frustra utrumque geritur quod amore Dei non agitur. In omni autem (Deus scit) vitæ meæ statu, te magis adhuc offendere quam Deum vereor : tibi placere amplius quam ipsi appeto. Tua me ad religionis habitum jussio, non divina traxit dilectio. Vide quam infelicem, et omnibus miserabiliorem ducam vitam, si tanta hic frustra sustineo et nihil habitura remunerationis in futuro. Diu te[7], sicut multos, simulatio mea fefellit, ut religioni deputares hypocrisim : et ideo nostris te maxime commendans orationibus, quod a te expecto, a me postulas. Noli, obsecro, de me tanta præsumere, ne mihi cesses orando subvenire. Noli æstimare sanam, ne medicaminis subtrahas gratiam. Noli non egentem credere, ne differas in necessitate subvenire. Noli valetudinem putare, ne prius corruam, quam sustentes labentem. Multis ficta sui laus nocuit, et præsidium quo indigebant, abstulit. Per Isaiam Dominus clamat[8] : « Popule meus, qui te beatificant ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. » Et per Ezechielem[9] : « Væ quæ consuitis, » inquit, « pulvillos sub omni cubitu manus, et cervicalia sub capite ætatis universæ ad decipiendas animas. » Et contra autem per Salomonem dicitur[10] : « Verba sapientum quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi, qui videlicet vulnera nesciunt palpare, sed pungere. » Quiesce, obsecro, a laude mea[11], ne turpem adulationis notam et mendacii crimen incurras, aut si quod in me suspicaris bonum, ipsum

[1] *Conjiciunt* C. — [2] *Corde* MS. Amb. — [3] *Exaggeratur* RMS. — [4] *Fluit* RMS. – *Ardentius* RMS. — [5] Psalm. xxxvi, v. 27. — [6] *Bona* C. — [7] Sic CD. – *Sicut multos* Edit. Amb. — [8] *Isai.*, cap. iii, v. 12. — [9] *Ezech.*, cap. xiii, v. 18. — [10] *Eccles.*, cap. xii, v. 11. — [11] *Cessa quæso me laudibus tuis ad astra ferre* RMS.

laudatum vanitatis[1] aura ventilet. Nemo medicinæ peritus interiorem morbum ex exterioris habitus inspectione dijudicat. Nulla quidquid meriti apud Deum obtinent, quæ reprobis æque ut electis communia sunt. Hæc autem ea sunt, quæ exterius aguntur, quæ nulli sanctorum tam studiose peragunt, quantum hypocritæ. « Pravum est cor hominis, et inscrutabile etiam : quis cognoscet illud[2]? » Et : « Sunt viæ hominis quæ videntur rectæ : novissima autem illius deducunt ad mortem[3]. » Temerarium est in eo judicium hominis, quod divino tantum reservatur examini. Unde et scriptum est[4] : « Ne laudaveris hominem in vita. » Ne tunc videlicet hominem laudes, dum laudando facere non laudabilem potes. Tanto autem mihi tua laus in me periculosior est, quanto gratior : et tanto amplius ea capior et delector, quanto amplius tibi per omnia placere studeo. Time, obsecro, semper de me potius quam confidas, ut tua semper sollicitudine adjuver. Nunc vero præcipue timendum est, ubi nullum incontinentiæ meæ superest in te remedium. Nolo me ad virtutem exhortans, et ad pugnam provocans, dicas[5] : « Nam virtus in infirmitate perficitur, » et[6] « Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. » Non quæro coronam victoriæ. Satis est mihi periculum evitare. Tutius evitatur periculum, quam committitur bellum. Quocunque me angulo cœli Deus collocet, satis mihi faciet. Nullus ibi cuiquam invidebit, quum singulis quod habebunt suffecerit. Cui quidem consilio nostro ut ex auctoritate quoque robur adjungam, beatum audiamus Hieronymum[7] : « Fateor imbecillitatem meam, nolo spe victoriæ pugnare, ne perdam aliquando victoriam. » Quid necesse est certa dimittere, et incerta sectari?

[1] *Levitatis* RMS. — [2] *Jerem.*, cap. XVII, v. 9. — [3] *Prov.*, cap. XIV, v. 12. — [4] *Eccli.*, cap. II, v. 30. — [5] *Corinth. II*, cap. XII, v. 9. — [6] *Timoth.*, cap. II, v. 5. — [7] *Opp.*, t. IV, p. 288.

EPISTOLA V,

QUÆ EST RESCRIPTUM PETRI RURSUS AD HELOISSAM.

ARGUMENTUM.

Quatuor capitibus, quibus totam novissimam Heloissæ epistolam constare dicit, argute respondet Abælardus, singulorumque rationes prosequitur, non tam ut seipsum excuset, quam ut ipsam doceat, hortetur, et consoletur Heloissam. Primo quidem rationem ponit, qua in postremis litteris suis nomen ejus suo præposuerit. Secundo, quod suorum periculorum et mortis mentionem egerit, se ab ea adjuratum fecisse exponit. Tertium de laudum suarum rejectione approbat : modo id sincere et sine laudis fiat cupiditate. Quarto de sua utriusque conversionis occasione ad vitam monasticam fusius prosequitur. Plagam in corporis sui fœda parte, quam illa plangebat, sic extenuat, ut eam utrique saluberrimam, et multorum bonorum causam esse profiteatur, comparatione turpium ejusdem pudendæ partis actorum : atque eam ob rem divinam extollit sapientiam et clementiam. Multa denique passim ponuntur ad doctrinam et exhortationem atque consolationem Heloissæ. Ponitur et brevis oratio qua monachæ paracletenses Abælardo et Heloissæ Deum propitiarent.

Sponsæ Christi servus ejusdem.

In quatuor, memini, circa quæ tota[1] epistolæ tuæ novissimæ summa consistit, offensæ tuæ commotionem[2] expressisti. Primo quidem super hoc conquereris[3], quod præter consuetudinem epistolarum, imo etiam contra ipsum naturalem ordinem[4] rerum, epistola nostra tibi directa te mihi in salutatione præposuit. Secundo, quod quum vobis consolationis potius remedium afferre debuissem, desolationem auxi, et quas mitigare debueram lacrymas excitavi, illud videlicet ibidem adjungens : « Quod si me Dominus in manus inimicorum tradiderit, ut me scilicet prævalentes interficiant, etc. » Tertio vero veterem illam et assiduam querelam tuam in Deum adjecisti, de modo videlicet nostræ conversionis[5] ad Deum, et crudelitate proditionis illius[6] in me commissæ. Denique accusationem tui contra nostram in te laudem opposuisti, non cum supplicatione modica, ne id deinceps præsumerem. Quibus quidem singulis rescribere decrevi, non tam pro excusatione mea, quam pro doctrina vel exhortatione tua; ut eo scilicet libentius petitionibus assentias nostris, quo eas rationabilius factas intellexeris; et tanto me amplius exaudias in tuis, quanto reprehensibilem minus invenies in meis; tantoque amplius verearis contemnere, quanto minus videris dignum reprehensione[7].

De ipso autem nostræ salutationis, ut dicis, ordine præpostero, juxta tuam

[1] Sic ABC. – *Tota* deest in Edit. — [2] *Culpæ tuæ dulcissimæ offensionem* RMS. — [3] *Conquerens* AB. – *Consequens* D perperam. — [4] *Communem naturæ ritum* RMS. — [5] *Conversationis* MS. Amb. et D. — [6] *Perfidia illius infanda* RMS. — [7] *Objurgatione* RMS.

quoque, si diligenter attendas, actum est sententiam. Id enim quod omnibus patet, tu ipsa indicasti, ut quum videlicet ad superiores scribitur, eorum nomina præponantur. Te vero ex tunc me superiorem factam intelligas, quo domina mea esse cœpisti, Domini mei sponsa effecta, juxta illud beati Hieronymi ad Eustachium ita scribentis[1] : « Hæc idcirco domina mea, Eustachium, scribo. Dominam quippe debeo vocare sponsam Domini mei. » Felix talium commercium nuptiarum, ut homunculi miseri prius uxor, nunc in summi regis thalamis sublimeris, nec ex hujus honoris privilegio priori tantummodo viro, sed quibuscunque servis ejusdem regis prælata. Ne mireris igitur si tam vivus quam mortuus me vestris præcipue commendem orationibus, quum jure publico constet apud dominos plus eorum sponsas intercedendo posse, quam ipsorum familias, dominas amplius quam servos. In quarum quidem typo regina illa et summi regis sponsa diligenter describitur, quum in psalmo dicitur[2] : « Astitit regina a dextris tuis. » Ac si aperte dicatur : Ista juncto latere sponso familiarissime adhæret, et pariter incedit, cæteris omnibus quasi a longe absistentibus[3] vel subsequentibus. De hujus excellentia prærogativæ sponsa in canticis exultans, illa, ut ita dicam, quam Moyses duxit[4], Ethiopissa dicit[5] : « Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem. Ideo dilexit me rex, et introduxit me in cubiculum suum. » Et rursum[6] : « Nolite considerare quod fusca sum, quia decoloravit me sol. » In quibus quidem verbis quum generaliter anima describatur[7] contemplativa, quæ specialiter sponsa Christi dicitur, expressius tamen ad vos hoc pertinere ipse etiam vester exterior habitus loquitur. Ipse quippe cultus exterior nigrorum aut vilium indumentorum, instar lugubris habitus bonarum viduarum mortuos quos dilexerant viros plangentium, vos in hoc mundo, juxta apostolum[8], vere viduas et desolatas ostendit, stipendiis ecclesiæ sustentandas. De quarum etiam viduarum luctu super occisum earum sponsum Scriptura commemorat, dicens[9] : « Mulieres sedentes ad monumentum lamentabantur flentes Dominum. » Habet autem Æthiopissa exteriorem in carne nigredinem[10], et quantum ad exteriora pertinet, cæteris apparet feminis deformior, quum non sit tamen in interioribus dispar, sed in plerisque etiam formosior atque candidior, sicut in ossibus seu dentibus. Quorum videlicet dentium candor in ipso etiam commendatur sponso, quum dicitur[11] : « Et dentes ejus lacte candidiores. » Nigra itaque in exterioribus, sed formosa in interioribus est; quia in hac vita crebris adversitatum tribulationibus corporaliter afflicta, quasi in carne nigrescit exterius, juxta illud apostoli[12] : « Omnes qui volunt pie vivere in Christo tribulatio-

[1] Epist. XVIII, *Opp.* t. IV, p. 27. — [2] Psalm. XLIV, v. 10. — [3] *Adsistentibus* MS. Amb. — [4] *Num.*, cap. XII, v. 1. — [5] *Cantic.*, cap. I, v. 4. — [6] Ibid., v. 5. — [7] *Pingatur* RMS. — [8] *Timoth. I*, cap. V, v. 16. — [9] Matth., cap. XXVII, v. 61. — [10] *Nigritiem* RMS. — [11] *Genes.*, cap. XLIX, v. 12. — [12] *Timoth. II*, cap. III, v. 12.

nem patientur. » Sicut enim candido prosperum, ita non incongrue nigro designatur adversum. Intus autem quasi in ossibus candet, quia in virtutibus ejus anima pollet, sicut scriptum est[1] : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus. » Ossa quippe, quæ interiora sunt, exteriori carne circumdata, et ipsius carnis, quam gerunt vel substentant, robur ac fortitudo sunt, bene animam exprimunt, quæ carnem ipsam, cui inest, vivificat, sustentat, movet atque regit, atque ei omnem valetudinem ministrat. Cujus quidem est candor sive decor, ipsæ quibus adornatur virtutes. Nigra quoque est in exterioribus, quia dum in hac peregrinatione adhuc exulat, vilem et abjectam se tenet in hac vita; ut in illa sublimetur, quæ est abscondita cum Christo in Deo, patriam jam adepta. Sic vero eam sol verus decolorat, quia cœlestis amor sponsi eam sic humiliat, vel tribulationibus[2] cruciat, ne eam scilicet prosperitas extollat. Decolorat eam sic, id est, dissimilem eam a cæteris facit, quæ terrenis inhiant, et seculi quærunt gloriam, ut sic ipsa vere lilium convallium per humilitatem efficiatur : non lilium quidem montium, sicut illæ videlicet fatuæ virgines, quæ de munditia carnis, vel abstinentia exteriore apud se intumescentes, æstu tentationum[3] aruerunt. Bene autem filias Hierusalem, id est, imperfectiores alloquens fideles, qui filiarum potius quam filiorum nomine digni sunt, dicit[4] : « Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. » Ac si apertius dicat : Quod sic me humilio, vel tam viriliter adversitates sustineo, non est meæ virtutis, sed ejus gratiæ, cui deservio. Aliter solent hæretici vel hypocritæ, quantum ad faciem hominum[5] spectat, spe terrenæ gloriæ sese vehementer humiliare, vel multa inutiliter tolerare. De quorum quidem hujusmodi abjectione vel tribulatione quam sustinent, vehementer mirandum est; quum sint omnibus miserabiliores hominibus, qui nec præsentis vitæ bonis, nec futuræ fruuntur. Hoc itaque sponsa diligenter considerans dicit : Nolite mirari cur id faciam. Sed de illis mirandum est, qui inutiliter terrenæ laudis desiderio æstuantes, terrenis se privant commodis, tam hic quam in futuro miseri. Qualis quidem fatuarum virginum continentia est quæ a janua sunt exclusæ[6]. Bene etiam, quia nigra est, ut diximus, et formosa, dilectam et introductam se dicit in cubiculum regis, id est in secretum vel quietem contemplationis, et lectulum illum de quo eadem alibi dicit[7] : « In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. » Ipsa quippe nigredinis deformitas occultum potius quam manifestum, et secretum magis quam publicum amat[8]. Et quæ talis est uxor, secreta potius viri gaudia quam manifesta desiderat, et in lecto magis vult sentiri quam in mensa videri. Et frequenter accidit, ut nigrarum

[1] Psalm. XLIV, v. 14. — [2] *Doloribus* RMS. — [3] *Impulsuum satanicorum* RMS. — [4] *Cantic.*, cap. I, v. 5. — [5] *Hominis* C. — [6] Matth., cap. XXV, v. 1 et sq. — [7] *Cantic.*, cap. III, v. 1. — [8] Inseritur *neque cum horatiana illa pictura* :

Optat sub luce videri. RMS.

caro feminarum quanto est in aspectu deformior, tanto sit in tactu suavior [1]; atque ideo earum voluptas [2] secretis gaudiis quam publicis gratior sit et convenientior, et earum viri, ut illis oblectentur, magis eas in cubiculum introducunt, quam ad publicum educunt. Secundum quam quidem metaphoram bene spiritualis sponsa quum præmisisset [3]: « Nigra sum, sed formosa, » statim adjunxit [4]: « Ideo dilexit me rex, et introduxit me in cubiculum suum, » singula videlicet singulis reddens. Hoc est, quia formosa, dilexit : quia nigra, introduxit; formosa, ut dixi, intus virtutibus, quas diligit sponsus : nigra exterius corporalium tribulationum adversitatibus. Quæ quidem nigredo, corporalium scilicet tribulationum, facile fidelium mentes ab amore terrenorum avellit, et ad æternæ vitæ desideria suspendit, et sæpe a tumultuosa seculi vita trahit [5] ad secretum contemplationis; sicut in Paulo illo videlicet nostræ, id est monachalis vitæ primordio actum esse beatus scribit Hieronymus [6]. Hæc quoque abjectio indumentorum vilium secretum magis quam publicum appetit, et maxima vilitatis [7] ac secretioris loci, qui nostræ præcipue convenit professioni, custodienda est. Maxime namque ad publicum procedere pretiosus provocat cultus, quem a nullo appeti nisi ad inanem gloriam et seculi pompam beatus Gregorius [8] inde convincit : « Quod nemo his in occulto se ornat, sed ubi conspici queat [9]. » Hoc autem prædictum sponsæ cubiculum illud est, ad quod ipse sponsus in Evangelio invitat orantem, dicens [10] : « Tu autem quum oraveris, intra in cubiculum, et clauso ostio, ora Patrem tuum; » ac si diceret : Non in plateis vel publicis locis, sicut hypocritæ. Cubiculum itaque dicit secretum a tumultibus et aspectu seculi locum, ubi quietius et purius orari possit : qualia sunt scilicet monasticharum solitudinum secreta, ubi claudere ostium jubemur, id est aditus omnes obstruere, ne puritas orationis casu aliquo præpediatur, et oculus noster infelicem animam deprædetur. Cujus quidem consilii, imo præcepti divini multos hujus habitus nostri contemptores adhuc graviter sustinemus, qui quum divina celebrant officia, claustris vel choris eorum reseratis, publicis tam feminarum quam virorum aspectibus impudenter se ingerunt, et tunc præcipue, quum in solemnitatibus pretiosis polluerint ornamentis, sicut et ipsi quibus ostentant, seculares homines. Quorum quidem judicio tanto festivitas habetur celebrior, quanto in exteriori ornatu est ditior, et in epulis copiosior. De quorum quidem cæcitate

[1] Ad imam RMS folii partem hæc occurrunt verba, recentiori scripta manu : *Egregie probant hoc feminæ inter Afros.*— [2] *Templo Veneri dicato* RMS. — [3] *Cantic.*, cap. I, v. 4. — [4] Ibid., v. 3. — [5] *Erigit* RMS. — [6] *Vit. Pauli*, *Opp.* t. IV, col. 69. — [7] *Humilitatis* MS. Amb. — [8] Homil. XL, *Opp.* t. I, p. 1655. — [9] Inseritur : *Sic imbelles illaqueavit animos horatianus ille Eutrapelus qui*

Cuicunque nocere volebat,

Vestimenta dabat preciosa.

Et dogma illud pro certo habeatur

Beatus enim jam

Cum pulchris tunicis nova sumit consilia et spes. RMS.

— [10] Matth., cap. VI, v. 6.

miserrima et pauperum Christi religioni penitus contraria tanto est silere honestius quanto loqui turpius. Qui penitus judaizantes consuetudinem suam sequuntur pro regula, et irritum fecerunt mandatum Dei per traditiones suas; non quod debeat, sed quod soleat attendentes, quum, ut beatus etiam meminit Augustinus[1], Dominus dixerit[2]: « Ego sum veritas, » non : Ego sum consuetudo. Horum orationibus, quæ aperto scilicet fiunt ostio, qui voluerit se commendet. Vos autem quæ in cubiculum cœlestis regis ab ipso introductæ, atque in ejus amplexibus quiescentes, clauso semper ostio ei totæ vacatis, quanto familiarius ei adhæretis, juxta illud apostoli[3] : « Qui adhæret Domino unus spiritus est, » tanto puriorem et efficaciorem habere confidimus orationem, et ob hoc vehementius earum efflagitamus opem. Quas etiam tanto devotius pro me faciendas esse credimus, quanto majore nos invicem charitate colligati sumus.

Quod vero mentione periculi in quo laboro, vel mortis quam timeo, vos commovi, juxta ipsam quoque tuam factum est exhortationem, imo etiam adjurationem. Sic enim prima, quam ad me direxisti, quodam loco continet epistola : « Per ipsum itaque qui te sibi adhuc quoquo modo protegit Christum obsecramus, quatenus ancillulas ipsius et tuas crebris litteris de his, in quibus adhuc fluctuas, naufragiis certificare digneris : ut nos saltem quæ tibi solæ remansimus, doloris vel gaudii participes habeas. Solent enim dolenti nonnullam afferre consolationem qui condolent, et quodlibet onus pluribus impositum levius sustinetur sive defertur. » Quid igitur arguis, quod vos anxietatis meæ participes feci, ad quod me adjurando compulisti? Numquid in tanta vitæ, qua crucior, desperatione gaudere vos convenit? Nec doloris sociæ, sed gaudii tantum vultis esse, nec flere cum flentibus, sed gaudere cum gaudentibus? Nulla major verorum et falsorum differentia est amicorum, quam quod illi adversitati, isti prosperitati se sociant. Quiesce, obsecro, ab his dictis, et hujusmodi querimonias compesce, quæ a visceribus charitatis absistunt[4] longissime. Aut si adhuc in his offenderis, me tamen in tanto periculi positum articulo, et quotidiana desperatione vitæ, de salute animæ sollicitum esse convenit, et de ipsa, dum licet, providere. Nec tu, si me vere diligis, hanc exosam providentiam habebis. Quin etiam si quam de divina erga me misericordia spem haberes, tanto amplius ab hujus vitæ ærumnis liberari me cuperes, quanto eas conspicis intolerabiliores. Certum quippe tibi est, quod quisquis ab hac vita me liberet, a maximis pœnis eruet. Quas postea incurram incertum est, sed a quantis absolvar dubium non est. Omnis vita misera jucundum exitum habet, et quicunque aliorum anxietatibus vere compatiuntur et condolent, eas finiri desiderant[5], et cum damnis

[1] *Opp.* Parisiis, 1694, in-fol., t. IX, col. 182. — [2] *Joan.*, cap. XIV, v. 16. — [3] *Corinth. I*, cap. VI, v. 17. — [4] *Longo absunt intervallo* RMS. — [5] *Summo ardore æstuant* RMS.

etiam suis, si quos anxios vident vere diligunt, nec tam commoda propria quam illorum in ipsis attendunt. Sic diu languentem filium mater etiam morte languorem finire desiderat, quem tolerare ipsa non potest, et eo potius orbari sustinet quam in miseria consortem habere. Et quicunque amici præsentia plurimum oblectatur, magis tamen beatam esse vult ejus absentiam quam præsentiam miseram; quia quibus subvenire non valet, ærumnas[1] tolerare non potest. Tibi vero nec nostra, vel etiam misera, concessum est frui præsentia. Nec ubi tuis in me commodis aliquid provideas, cur me miserrime vivere malis quam felicius mori non video. Quod si nostras protendi miserias in commoda tua desideras, hostis potius quam amica convinceris. Quod si videri refugis, ab his, obsecro, sicut dixi, quiesce querimoniis.

Approbo autem, quod reprobas laudem; quia in hoc ipso te laudabiliorem ostendis. Scriptum est enim[2]: « Justus in primordio accusator est sui, » et[3] « Qui se humiliat se exaltat. » Atque utinam sic sit in animo tuo sicut in scripto! Quod si fuerit, vera est humilitas tua, ne pro nostris evanuerit verbis. Sed vide, obsecro, ne hoc ipso laudem quæras, quo laudem fugere videris, et reprobes[4] illud ore, quod appetas corde. De quo ad Eustochium virginem sic inter cætera beatus scribit Hieronymus[5]: « Naturali ducimur malo. Adulatoribus nostris libenter favemus, et quanquam nos respondeamus indignos, et callidior rubor ora suffundat, attamen ad laudem suam intrinsecus anima lætatur. » Talem et lascivæ calliditatem Galateæ Virgilius describit, quæ quod volebat fugiendo appetebat, et simulatione repulsæ amplius in se amantem incitabat:

Et fugit ad salices (inquit), et se cupit ante videri[6].

Antequam lateat cupit se fugientem videri, ut ipsa fuga, qua reprobare consortium juvenis videtur, amplius acquirat. Sic et laudes hominum dum fugere videmur, amplius erga nos excitamus, et quum latere nos velle simulamus, ne quis scilicet in nobis quid laudet agnoscat, amplius attendimus[7] in laudem nostram imprudentes[8], quia eo laude videmur digniores. Et hæc quidem quia sæpe accidunt dicimus, non quia de te talia suspicemur, qui de tua non hæsitamus humilitate. Sed ab his etiam verbis te temperare[9] volumus, ne his qui te minus noverint videaris, ut ait Hieronymus[10], « fugiendo gloriam quærere. » Nunquam te mea laus inflabit, sed ad meliora provocabit, et tanto studiosius quæ laudavero amplecteris, quanto mihi amplius placere satagis. Non est laus nostra testimo-

[1] Sic D. — *Ærumnis* Edd. — [2] *Prov.*, cap. XVIII, v. 17. — [3] Luc., cap. XVIII, v. 14. — [4] *Culpes* RMS. — [5] Epist. LXXXVI, *Opp.* t. IV. — [6] Virgil. ecl. III, v. 21. — [7] *Accendimus* MS. Amb. – *Accedimus* C. – *Ascendimus* D. — [8] *Impudentes* MS. Amb. — [9] *Obtemperare* D. — [10] Epist. LXXXVI, *ad Eustochium*, *Opp.* t. IV, p. 671.

nium tibi religionis, ut hinc aliquid extollentiæ sumas[1]. Nec de commendatione[2] cujusquam amicis credendum est, sicut nec inimicis de vituperatione.

Superest tandem ut ad antiquam illam, ut diximus, et assiduam querimoniam tuam veniamus, quia videlicet de nostræ conversionis modo Deum potius accusare præsumis, quam glorificare, ut justum est, velis. Hanc jam dudum amaritudinem animi[3] tui tam manifesto divinæ misericordiæ consilio evanuisse credideram; quæ quanto tibi periculosior est, corpus tuum pariter et animam conterens, tanto miserabilior est, et mihi molestior. Quæ quum mihi per omnia placere, sicut profiteris, studeas, hoc saltem uno ut me non crucies, imo ut mihi summopere placeas, hanc depone, cum qua mihi non potes placere, neque mecum ad beatitudinem pervenire. Sustinebis illuc me sine te pergere, quem etiam ad vulcania profiteris te sequi velle[4]? Hoc saltem uno religionem appete, ne a me ad Deum, ut credis, properante dividaris; et tanto libentius quanto quo veniendum nobis est beatius est; ut tanto scilicet societas nostra sit gratior, quanto felicior. Memento quæ dixeris, recordare quæ scripseris, in hoc videlicet nostræ conversionis modo, quo mihi Deus amplius adversari creditur, propitiorem mihi, sicut manifestum est, extitisse. Hoc uno saltem hæc ejus dispositio tibi placeat, quod mihi sit saluberrima, imo mihi pariter et tibi, si rationem vis doloris admittat. Nec te tanti boni causam esse doleas, ad quod te a Deo maxime creatam esse non dubites. Nec quia id tulerim plangas, nisi quum martyrum passionum, ipsiusque dominicæ mortis commoda te contristabunt. Nunquid si id mihi juste accidisset, tolerabilius ferres, et minus te offenderet? Profecto si sic fieret, eo modo contingeret quo mihi esset ignominiosius, et inimicis laudabilius, quum illis laudem justitia, et mihi contemptum acquireret culpa, nec jam quisquam quod actum est accusaret, aut[5] compassione mei moveretur. Ut tamen et hoc modo hujus amaritudinem doloris leniamus, tam juste quam utiliter id monstrabimus nobis accidisse, et rectius in conjugatos quam in fornicantes ultum Deum fuisse. Nosti post nostri confœderationem conjugii, quum Argenteoli cum sanctimonialibus in claustro conversabaris[6], me die quadam privatim ad te visitandam venisse, et quid ibi tecum meæ libidinis egerit intemperantia[7] in quadam etiam parte ipsius refectorii, quum quo alias[8] diverteremus, non haberemus. Nosti, inquam, id impudentissime[9] tunc actum esse in tam reverendo loco et summæ Virgini consecrato. Quod, etsi alia cessent flagitia, multo graviore dignum sit ultione[10]. Quid pristinas fornicationes et im-

[1] *De tua indole superbias* RMS. — [2] *Encomiis* RMS. — — [3] *Acrem animi dolorem* RMS. — [4] Inseritur *Heu quam male consentit utrumque nostrum astrum musæ venusinæ longe dissonum!* RMS.—[5] Sic AD.-*Ut* Ed. Amb.—[6] *Conversareris* C. — [7] *Fervor intempestivus* RMS. — [8] *Videlicet alias* A. - *Videlicet* D. — [9] *Summa impietate* RMS. — [10] *Vindicta* RMS.

pudentissimas referam pollutiones, quæ conjugium præcesserunt? Quid summam denique proditionem meam, qua de te ipsa tuum, cum quo assidue in ejus domo convivebam, avunculum tam turpiter seduxi? Quis me ab eo juste prodi non censeat, quem tam impudenter[1] ante ipse prodideram? Putas ad tantorum criminum ultionem momentaneum illius plagæ dolorem sufficere? Imo tantis malis tantum debitum esse commodum? Quam plagam divinæ sufficere justitiæ credis ad tantam contaminationem, ut diximus, sacerrimi loci suæ matris? Certe nisi vehementer erro, non tam illa saluberrima plaga in ultionem horum conversa est, quam quæ quotidie indesinenter sustineo. Nosti etiam quando te gravidam in meam transmisi patriam, sacro habitu indutam monialem te finxisse, et tali simulatione tuæ, quam nunc habes, religioni irreverenter illusisse. Unde etiam pensa quam convenienter ad hanc te religionem divina justitia, imo gratia traxerit nolentem, cui verita non es illudere, volens ut in ipso luas habitu quod in ipsum deliquisti, et simulationis mendacio ipsa rei veritas remedium præstet, et falsitatem emendet. Quod si divinæ in nobis justitiæ nostram velis utilitatem adjungere, non tam justitiam quam gratiam Dei quod tunc egit in nobis poteris appellare. Attende itaque, attende, charissima, quibus misericordiæ suæ retibus a profundo hujus tam periculosi maris nos Dominus piscaverit, et a quantæ Charibdis voragine naufragos licet invitos extraxerit, ut merito uterque nostrum in illam perrumpere[2] posse videatur vocem[3]: « Dominus sollicitus est mei. » Cogita et recogita, in quantis ipsi nos periculis constitueramus[4], et a quantis nos eruerit Dominus; et narra semper cum summa gratiarum actione, « quanta fecit Dominus animæ nostræ[5], » et quoslibet iniquos de bonitate Domini desperantes nostro consolare exemplo, ut advertant omnes quid supplicantibus atque petentibus fiat, quum tam[6] peccatoribus et invitis tanta præstentur beneficia. Perpende altissimum in nobis divinæ consilium pietatis, et quam misericorditer judicium suum Dominus in correptionem verterit, et quam prudenter[7] malis quoque ipsis usus sit, et impietatem pie deposuerit, ut unius partis corporis mei justissima plaga duabus mederetur animabus. Confer periculum et liberationis modum. Confer languorem et medicinam. Meritorum causas inspice, et miserationis affectus admirare. Nosti quantis turpitudinibus immoderata mea libido[8] corpora nostra addixerat[9], ut nulla honestatis vel Dei reverentia in ipsis etiam diebus dominicæ passionis, vel quantarumcunque solemnitatum ab hujus luti volutabro me revocaret. Sed et te nolentem, et[10] prout poteras reluctantem et dissuadentem, quæ natura infirmior eras, sæpius minis ac flagellis

[1] *Animo tam ingrato* RMS. — [2] *Prorumpere* MS. Amb. — [3] Psalm. XXXIX, v. 18. — [4] Sic D. - *Constituti eramus* Ed. Amb. — [5] Psalm. LXV, v. 16. — [6] *Jam* MS. Amb. — [7] *Prudentia quanta* RMS. — [8] *Immodicus meus et illicitus æstus* RMS. — [9] *Addixerant* RMS. — [10] *Totis viribus* RMS.

ad consensum trahebam. Tanto enim tibi concupiscentiæ ardore copulatus eram, ut miseras illas et obscenissimas voluptates, quas etiam nominare confundimur, tam Deo quam mihi ipsi præponerem; nec jam[1] aliter consulere posse divina videretur clementia, nisi has mihi voluptates sine spe ulla omnino interdiceret[2]. Unde justissime et clementissime, licet cum summa tui avunculi proditione, ut in multis crescerem, parte illa corporis[3] sum minutus[4], in qua libidinis regnum erat, et tota hujus concupiscentiæ causa consistebat: ut juste illud plecteretur membrum, quod in nobis commiserat totum, et expiaret patiendo quod deliquerat oblectando; et ab his me spurcitiis, quibus me totum quasi luto immerseram, tam mente quam corpore circumcideret; et tanto sacris etiam altaribus idoniorem efficeret, quanto me nulla hinc amplius carnalium[5] contagia pollutionum revocarent. Quam clementer etiam in eo tantum me pati voluit membro, cujus privatio et animæ saluti consuleret, et corpus non deturparet[6], nec ullam officiorum ministrationem præpediret[7], imo ad omnia, quæ honeste geruntur, tanto me promptiorem efficeret, quanto ab hoc hujus concupiscentiæ[8] jugo maximo amplius liberaret. Quum itaque membris his vilissimis, quæ pro summæ turpitudinis exercitio pudenda vocantur, nec proprium sustinent nomen, me divina gratia mundavit potius quam privavit, quid aliud egit quam, ad puritatem munditiæ conservandam sordida removit et vitia? Hanc quidem munditiæ puritatem nonnullos sapientium vehementissime appetentes inferre etiam sibi manum audivimus, ut hoc a se penitus removerent concupiscentiæ[9] flagitium. Pro quo etiam stimulo carnis auferendo et apostolus[10] perhibetur Dominum rogasse, nec exauditum esse. In exemplo est ille magnus christianorum philosophus Origenes[11], qui ut hoc in se penitus incendium extingueret, manus sibi inferre veritus non est; ac si illos ad litteram vere beatos intelligeret, qui seipsos propter regnum cœlorum castraverunt[12], et tales illud veraciter implere crederet, quod de membris scandalizantibus nobis præcipit Dominus[13], ut ea scilicet a nobis abscindamus et projiciamus, et quasi illam Isaiæ prophetiam[14] ad historiam magis quam ad mysterium duceret, per quam cæteris fidelibus eunuchos Dominus præfert, dicens: « Eunuchi si custodierint sabbata mea, et elegerint quæ volui, dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus. Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. » Culpam tamen non modicam Origenes incurrit, dum per pœnam corporis remedium culpæ quærit. Zelum quippe Dei habens[15], sed non secundum scientiam, homicidii incurrit reatum,

[1] Sic D.-*Tam* Ed. Amb. — [2] *Intercideret* MS. Amb. — [3] *Corporis mei* ABD. — [4] *Imminutus* ABD.— [5] *Turpium ac fœdorum* RMS. — [6] *Macularet* RMS. — [7] *Impediret* MS. Amb. — [8] Sic D.-*Hoc* deest A.-*Hujus* deest Ed. Amb. — [9] *Æstum libidinis effrenatæ* RMS.—[10] *Corinth. II*, cap. XII, v. 7. — [11] Euseb. *Hist. eccles.*, lib. VI, cap. VII. — [12] Matth., cap. XIX, v. 12.—[13] Matth., cap. XVIII, v. 9. — [14] Isai., cap. LVI, v. 4 et 5. — [15] *In animo gerens* RMS.

inferendo sibi manum. Suggestione diabolica[1] vel errore maximo, id ab ipso constat esse factum, quod miseratione Dei in me est ab alio perpetratum. Culpam evito, non incurro. Mortem mereor, et vitam assequor. Vocor, et reluctor. Insto criminibus[2], et ad veniam trahor invitus. Orat apostolus, nec exauditur[3]. Precibus instat, nec impetrat. Vere « Dominus sollicitus est mei[4]. » Vadam igitur et narrabo « quanta fecit Dominus animæ meæ[5]. » Accede et tu, inseparabilis comes, in una gratiarum actione, quæ et culpæ particeps facta es et gratiæ. Nam et tuæ Dominus non immemor salutis, imo plurimum tui memor, qui etiam sancto quodam nominis præsagio, te præcipue suam fore præsignavit, quum te videlicet Heloissam[6] ex proprio nomine suo, quod est Heloim, insignivit : ipse, inquam, clementer disposuit in uno duobus consulere, quos diabolus in uno nitebatur extinguere. Paululum enim antequam hoc accideret, nos indissolubili lege sacramenti nuptialis invicem astrinxerat, quum cuperem te mihi supra modum dilectam in perpetuum retinere, imo quum ipse jam tractaret ad se nos ambos hac occasione convertere. Si enim mihi antea matrimonio non esses copulata, facile in discessu meo a seculo, vel suggestione parentum, vel carnalium oblectatione voluptatum, seculo inhæsisses. Vide ergo quantum sollicitus nostri fuerit Dominus, quasi ad magnos aliquos nos reservaret usus, et quasi indignaretur aut doleret illa litteralis scientiæ talenta, quæ utrique nostrum commiserat, ad sui nominis honorem non dispensari : aut quasi etiam de incontinentissimo servulo[7] vereretur quod scriptum est[8] : « Quia mulieres faciunt etiam apostatare sapientes, » sicut et[9] de sapientissimo certum est Salomone[10]. Tuæ vero prudentiæ talentum quantas quotidie Domino referat usuras, quæ multas Domino jam spirituales filias peperisti, me penitus sterili permanente, et in filiis perditionis inaniter laborante! O quam detestabile damnum! quam lamentabile incommodum, si carnalium voluptatum sordibus vacans, paucos cum dolore pareres mundo, quæ nunc multiplicem prolem cum exultatione parturis cœlo, nec esses plus quam femina, quæ nunc etiam viros transcendis, et quæ maledictionem Evæ in benedictionem vertisti Mariæ! O quam indecenter manus illæ sacræ, quæ nunc etiam divina revolvunt volumina, curæ muliebris obscenitatibus deservirent! Ipse nos a contagiis hujus cœni, a voluptatibus hujus luti dignatus est erigere[11], et ad seipsum vi quadam attrahere, qua percussum voluit Paulum convertere, et hoc ipso fortassis exemplo nostro alios quoque litterarum[12] peritos ab hac deterrere præsumptione. Ne te id igitur, soror,

[1] *Suadela inferorum principis impia* RMS. — [2] Inseritur *totus criminibus* RMS. — [3] *Corinth. II*, cap. xii, v. 8. — [4] Psalm. xxxix, v. 18. — [5] Psalm. lxv, v. 16. — [6] Inseritur *id est divinam* ABD. — [7] *Servulo suo* AB. — [8] *Eccles.*, cap. xix, v. 2. — [9] Sic ABD. – *Et* deest Edd. — [10] *Reg. III*, cap. ii, v. 1 et sq. — [11] *Eruere* MS. Amb. — [12] *Encyclopediæ omnium artium liberalium* RMS.

obsecro, moveat, nec patri paterne nos corrigenti sis molesta; sed attende quod scriptum est[1] : « Quos diligit Deus, hos corripit[2]. Castigat[3] autem omnem filium quem recipit. » Et alibi[4] : « Qui parcit virgæ, odit filium. » Pœna est[5] hæc momentanea, non æterna; purgationis, non damnationis. Audi prophetam, et confortare[6] : « Non judicabit Dominus bis in id ipsum, et non consurget duplex tribulatio. » Attende summam illam et maximam veritatis adhortationem[7] : « In patientia vestra possidebitis animas vestras. » Unde et Salomon[8] : « Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. » Non[9] te ad lacrymas aut ad compunctionem movet unigenitus Dei innocens pro te et omnibus ab impiissimis comprehensus, distractus, flagellatus, et velata facie illusus, et colaphizatus, sputis conspersus, spinis coronatus, et tandem in illo crucis tunc tam ignominioso patibulo inter latrones suspensus, atque illo tunc horrendo et execrabili genere mortis interfectus? Hunc semper, soror, verum tuum et totius Ecclesiæ sponsum præ oculis habe, mente gere. Intuere hunc exeuntem ad crucifigendum pro te et bajulantem sibi crucem. Esto de populo et mulieribus quæ plangebant et lamentabantur eum, sicut Lucas his verbis narrat[10] : « Sequebatur autem multa turba populi et mulierum, quæ plangebant et lamentabantur eum. » Ad quas quidem benigne conversus, clementer eis prædixit futurum in ultionem suæ mortis exitium, a quo quidem si saperent cavere sibi per hoc possent. « Filiæ, » inquit[11], « Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos, et collibus : Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? » Patienti sponte pro redemptione tua compatere, et super crucifixo pro te compungere. Sepulcro ejus mente semper assiste[12], et cum fidelibus feminis lamentare et luge. De quibus etiam ut jam supra memini scriptum est : « Mulieres sedentes ad monumentum lamentabantur flentes Dominum. » Para cum illis sepulturæ ejus unguenta, sed meliora spiritualia quidem, non corporalia : hæc enim requirit aromata qui non suscepit[13] illa. Super his toto devotionis affectu compungere. Ad quam quidem compassionis compunctionem ipse etiam per Jeremiam fideles adhortatur dicens[14] : « O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus. » Id est si super aliquo patiente ita est per compassionem dolendum, quum ego scilicet solus sine culpa

[1] *Prov.*, cap. III, v. 12. — [2] *Corrigit* ABD. — [3] *Flagellat* MS. Amb. — *Hebr.*, cap. XII, v. 6. — [4] *Prov.*, cap. XIII, v. 24. — [5] *Est* deest CD. — [6] Nahum, cap. I, v. 9. — [7] Luc., cap. XXI, v. 19. — [8] *Prov.*, cap. XVI, v. 32. — [9] *Num* MS. Amb. — [10] Luc., cap. XXIII, v. 27. — [11] Ibid., v. 28 et sq. — [12] *Sepulcrum ejus sub pectore semper fideliter serva* RMS. — [13] *Susceperit* D. — [14] *Lament.*, cap. I, v. 12.

quod alii deliquerint luam. Ipse autem est via per quam fideles de exilio transeunt ad patriam. Qui etiam crucem, de qua sic clamat, ad hoc nobis erexit scalam. Hic pro te occisus est unigenitus Dei, oblatus est, quia voluit. Super hoc uno compatiendo dole, dolendo compatere. Et quod per Zachariam prophetam de animabus devotis prædictum est comple : « Plangent, » inquit[1], « planctum quasi super unigenitum, et dolebunt super eum ut doleri solet in morte primogeniti. » Vide, soror, quantus sit planctus his qui regem diligunt super morte primogeniti ejus et unigeniti. Intuere quo planctu familia, quo mœrore tota consummatur curia; et, quum ad sponsam unigeniti mortui perveneris, intolerabiles ululatus ejus non sustinebis. Hic tuus, soror, planctus, hic tuus sit ululatus, quæ te huic sponso felici copulasti matrimonio. Emit te iste non suis, sed seipso. Proprio sanguine emit te, et redemit. Quantum jus in te habeat vide, et quam pretiosa sis intuere. Hoc quidem pretium suum apostolus attendens, et in hoc pretio quanti sit ipse, pro quo ipsum datur, perpendens, et quam tantæ gratiæ vicem referat adnectens : « Absit mihi, » inquit, « gloriari[2], nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » Major es cœlo, major es mundo; cujus pretium ipse conditor mundi factus est. Quid in te, rogo, viderit, qui nullius eget, ut pro te acquirenda usque ad agonias tam horrendæ atque ignominiosæ mortis certaverit? Quid in te, inquam, quærit nisi teipsam? Verus est amicus, qui te ipsam, non tua, desiderat[3]. Verus est amicus, qui pro te moriturus dicebat[4] : « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Amabat te ille veraciter, non ego. Amor meus, qui utrumque nostrum peccatis involvebat, concupiscentia, non amor dicendus est. Miseras in te meas voluptates implebam, et hoc erat totum quod amabam. Pro te, inquis, passus sum, et fortassis verum est : sed magis per te, et hoc ipsum invitus; non amore tui, sed coactione mei; nec ad tuam salutem, sed ad dolorem. Ille vero salubriter, ille pro te sponte passus est, qui passione sua omnem curat languorem, omnem removet passionem. In hoc, obsecro, non in me tua tota sit devotio, tota compassio, tota compunctio. Dole in tam innocentem tantæ crudelitatis perpetratam iniquitatem : non justam in me æquitatis vindictam, imo gratiam, ut dictum est, in utrosque summam. Iniqua enim es, si æquitatem non amas; et iniquissima, si voluntati, imo tantæ gratiæ Dei scienter es adversa. Plange tuum reparatorem, non corruptorem; redemptorem, non scortatorem; pro te mortuum Dominum, non viventem servum, imo nunc primum de morte vere liberatum. Cave, obse-

[1] Zachar., cap. XII, v. 10. — [2] *Galat.*, cap. VI, v. 14. — [3] *Exoptat* RMS. — [4] Joan., cap. XV, v. 13.

cro, ne, quod dixit Pompeius mœrenti Corneliæ, tibi improperetur turpissime:

> Vivit post prælia Magnus :
> Sed fortuna perit; quod defles, illud amasti [1].

Attende, precor, id, et erubesce, nisi admissas turpitudines impudentissimas commendes. Accipe itaque soror, accipe, quæso, patienter quæ nobis acciderunt misericorditer. Virga hæc est patris, non gladius persecutoris. Percutit pater ut corrigat, ne feriat hostis ut occidat. Vulnere mortem prævenit, non ingerit : immittit ferrum, ut amputet morbum. Corpus vulnerat, et animam sanat. Occidere debuerat, et vivificat. Immunditiam resecat, ut mundum relinquat. Punit semel ne puniat semper. Patitur unus ex vulnere ut duobus parcatur a morte. Duo in culpa, unus in pœna. Id quoque tuæ infirmitati naturæ divina indulgetur miseratione, et quodam modo juste. Quo enim naturaliter sexu infirmior eras, et fortior continentia, pœnæ minus eras obnoxia. Refero Domino et in hoc grates [2], qui te tunc et a pœna liberavit, et ad coronam reservavit; et quum me una corporis mei passione semel ab omni æstu hujus concupiscentiæ, in qua una totus per immoderatam incontinentiam occupatus eram, refrigeravit [3] ne corruam; multas adolescentiæ tuæ majores animi passiones ex assidua carnis suggestione [4] reservavit ad martyrii coronam. Quod licet te audire tædeat, et dici prohibeas, veritas tamen id loquitur manifesta. Cui enim semper est pugna, superest et corona; quia non coronabitur « nisi qui legitime certaverit [5]. » Mihi vero nulla superest corona, quia nulla subest certaminis causa. Deest materia pugnæ, cui ablatus est stimulus concupiscentiæ. Aliquid tamen esse æstimo si quum hinc nullam percipiam coronam, nonnullam tamen evitem pœnam, et dolore unius momentaneæ pœnæ multis fortassis indulgeatur æternis. Scriptum est quippe de hujus miserrimæ vitæ hominibus, imo jumentis [6] : « Computruerunt jumenta in stercoribus suis. » Minus quoque meritum meum minui conqueror, dum tuum crescere non diffido. Unum quippe sumus in Christo, una per legem matrimonii caro. Quicquid est tuum, mihi non arbitror alienum. Tuus autem est Christus, quia facta es sponsa ejus. Et nunc, ut supra memini, me habes servum, quem olim agnoscebas dominum : magis tibi tamen amore nunc spirituali [7] conjunctum, quam timore subjectum. Unde et de tuo nobis apud ipsum patrocinio amplius confidimus, ut id obtineam ex tua quod non possum ex oratione propria, et nunc maxime quum quotidiana periculorum aut perturbationum instantia nec vivere me, nec orationi sinat vacare. Nec illum beatissimum imitari eunuchum

[1] Lucan. *Phars.* lib. VIII, v. 84 et 85. — [2] Sic D. — *Domino in hoc gratias* Edd. — [3] *Refrigeraverit* D. — [4] *Ex assiduo carnis impulsu* RMS. — [5] *Timoth. II*, cap. II, v. 5. — [6] *Job.*, cap. I, v. 17. — [7] *Puriori* RMS.

potentem in domo Candacis reginæ Æthiopum[1], qui erat super omnes gazas ejus, et de tam longinquo venerat adorare in Hierusalem. Ad quem revertentem missus est ab angelo Philippus apostolus[2], ut eum converteret ad fidem : quod jam ille meruerat per orationem vel sacræ lectionis assiduitatem. A qua quidem ut nec in via tunc vacaret licet ditissimus et gentilis, magno divinæ dispensationis actum est beneficio, ut locus ei Scripturæ occurreret, qui opportunissimam[3] conversionis ejus occasionem apostolo præberet. Ne quid vero hanc petitionem nostram impediat, vel impleri differat, orationem quoque ipsam, quam pro nobis domino supplices dicatis[4], componere et mittere tibi maturavi :

« Deus, qui ab ipso humanæ creationis exordio, femina de costa viri formata, nuptialis copulæ sacramentum maximum sanxisti, quique immensis honoribus vel de desponsata nascendo, vel miracula inchoando nuptias sublimasti, meæque etiam fragilitatis incontinentiæ utcunque tibi placuit olim hoc remedium indulsisti : ne despicias ancillulæ tuæ preces, quas pro meis ipsis charique mei[5] excessibus in conspectu majestatis tuæ supplex effundo. Ignosce, o benignissime, imo benignitas ipsa; ignosce tot[6] et tantis criminibus nostris, et ineffabilis misericordiæ tuæ multitudinem, culparum nostrarum immensitas experiatur. Puni, obsecro, in præsenti reos, ut parcas in futuro. Puni ad horam, ne punias in æternum. Accipe in servos virgam correctionis, non gladium furoris. Afflige carnem ut conserves animas. Adsis purgator, non ultor; benignus magis quam justus; pater misericors, non austerus Dominus. Proba nos, Domine, et tenta, sicut de semetipso rogat propheta[7], ac si aperte diceret : Prius vires inspice, ac secundum eas tentationum onera moderare. Quod et beatus Paulus fidelibus tuis promittens ait[8] : « Potens est enim Deus, qui non patietur vos tentari supra id « quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum ut possitis sustinere.» Conjunxisti nos, Domine, et divisisti, quando placuit tibi, et quo modo placuit. Nunc[9] quod, Domine, misericorditer cœpisti, misericordissime comple; et quos a se semel divisisti in mundo, perenniter tibi conjungas in cœlo, spes nostra, pars nostra, expectatio nostra, consolatio nostra, Domine qui es benedictus in secula. Amen. »

Vale in Christo, sponsa Christi, in Christo vale, et Christo vive. Amen.

[1] Sic C. – *Eunuchum* et *in domo* desunt in editionibus, quæ perobscura lectio videtur, et certe mutila, præsertim si translatorem gallicum adeas, qui sic vertit hunc locum fol. 118 : « Ne resemble celui très beneure chastré, puis- « sant en la maison Candace, la royne des Éthiopiens, « qui estoit sus toutes les richesses de cele royne. » — [2] *Act. Apost.*, cap. VIII, v. 29. — [3] *Maxime idoneam* RMS. — [4] *Dicatis* deest D perperam. — [5] *Tanquam meis* MS. Amb. — [6] Sic D. – *Tot* deest Edd. — [7] Psalm. XXV, v. 2. — [8] *Corinth. I*, cap. X, v. 13. — [9] *Hoc* MS. Amb.

EPISTOLA VI,

QUÆ EST EJUSDEM HELOISSÆ AD EUMDEM PETRUM.

ARGUMENTUM.

Duo potissimum in hac epistola sibi et suis monachabus Heloissa rescribi ab Abælardo exorat : quorum alterum est, ut eas doceat unde monacharum ordo originem duxit. Alterum est, ut eis aliquam scribat regulam, et certam vivendi formulam præscribat, quæ solis conveniat feminis, quod a nullo sanctorum patrum antea tentatum fuerat. Hoc ut peteret, adducta videtur quibusdam benedictinæ regulæ capitibus, quæ a feminis vix aut nullo omnino modo sine maximo periculo impleri possunt : de quibus tam docte disserit, ut ipsam regulam solis viris, non autem feminis a sancto institutore scriptam convincere videatur. Unde indignum judicat tam gravia femineo sexui infirmiori onera imponi, quam virili fortiori. Suam autem et ipsa opinionem apponit, quare sancti Patres monachabus regulas non præscripserint, asserens feminis sufficere, si clericis et viris ecclesiasticis secularibus, vel monachis, qui canonici regulares dicuntur, in continentia et abstinentia non sint inferiores. Prolixe etiam de moderata dispensatione et discreta consideratione beati Benedicti, qua suam temperavit regulam, atque de ipsa regulæ observantia disputat : nimirum de interdicto esu carnium, et concesso vini usu. Fusius quoque de operibus exterioribus agit cum ipsorum extenuatione, quibus interiora præfert. Postremo monet Abælardum, ut tanta discretione cuncta sive de jejuniorum vel divinorum ratione temperet, ut feminei sexus consultum velit infirmitati. Et hic feminæ eruditionem, et pectus omni doctrina refertum animadvertere poteris. Quid enim pretiosæ mercis in tam divite apotheca non invenias, sive philosophiam, sive theologiam, vel etiam eloquentiam requiras? O sæculum illud felix, talem intueri feminam, in qua quid primum, quid postremum admireris addubites!

Domino specialiter, sua singulariter.

Ne me forte in aliquo de inobedientia causari[1] queas, verbis etiam immoderati doloris tuæ frenum impositum est jussionis, ut ab his mihi saltem in scribendo temperem, a quibus in sermone non tam difficile quam impossibile est providere[2]. Nihil enim minus in nostra est potestate quam animus, eique magis obedire cogimur quam imperare possimus. Unde et quum nos ejus affectiones stimulant, nemo earum subitos impulsus ita repulerit, ut non in effecta facile prorumpant, et se per verba facilius effluant quæ promptiores animi passionum sunt notæ, secundum quod scriptum est[3] : « Ex abundantia[4] cordis os loquitur. » Revocabo itaque manum a scripto, in quibus linguam a verbis temperare non valeo. Utinam sic animus dolentis parere promptus sit, quemadmodum dextera scribentis. Aliquod tamen dolori[5] remedium vales conferre, si non hunc omnino possis auferre. Ut enim insertum clavum alius expellit, sic cogitatio nova priorem excludit, quum alias intentus animus priorum memoriam dimittere cogitur aut intermittere. Tanto vero amplius cogitatio quælibet animum occupat, et ab aliis deducit, quanto quod cogitatur honestius æstimatur, et quo intendimus

[1] *Accusari* RMS. — [2] *Cavere* RMS. — [3] Matth. cap. XII, v. 34. — [4] Interseritur *enim* D. — [5] *Dolori* deest D.

animum magis videtur necessarium. Omnes itaque nos Christi ancillæ, et in Christo filiæ tuæ, duo nunc a tua paternitate supplices postulamus, quæ nobis admodum necessaria providemus. Quorum quidem alterum est, ut nos instruere velis unde sanctimonialium ordo cœperit, et quæ nostræ sit professionis auctoritas. Alterum vero est, ut aliquam nobis regulam instituas, et scriptam dirigas; quæ feminarum sit propria, et ex integro nostræ conversationis [1] statum habitumque describat : quod nondum a Patribus sanctis actum esse conspeximus. Cujus quidem rei defectu et indigentia nunc agitur, ut ad ejusdem regulæ professionem tam mares quam feminæ in monasteriis suscipiantur, et idem institutionis monasticæ jugum imponitur infirmo sexui æque ut forti. Unam quippe nunc regulam Beati Benedicti apud Latinos feminæ profitentur æque ut viri. Quam sicut viris solummodo constat scriptam esse, ita et ab ipsis tantum impleri posse tam subjectis pariter [2] quam prælatis. Ut enim cætera nunc omittam regulæ capitula, quid ad feminas quod de cucullis, femoralibus, et scapularibus ibi scriptum est [3]? Quid denique ad ipsas de tunicis aut de laneis ad carnem indumentis, quum earum humoris superflui menstruæ purgationes hæc omnino refugiant? Quid ad ipsas etiam, quod de abbate statuitur [4], ut ipse lectionem dicat evangelicam, et post ipsam hymnum incipiat? Quid de mensa abbatis seorsim cum peregrinis et hospitibus constituenda [5]? Nunquid nostræ convenit religioni, ut vel nunquam hospitium viris præbeatur [6], aut cum his quos susceperit viris abbatissa comedat? O quam facilis ad ruinam animarum virorum ac mulierum in unum cohabitatio! Maxime vero in mensa, ubi crapula dominatur et ebrietas, et vinum in dulcedine bibitur, in quo est luxuria. Quod et beatus præcavens Hieronymus, ad matrem et filiam scribens meminit dicens [7] : « Difficile inter epulas servatur pudicitia. » Ipse quoque poeta luxuriæ turpitudinisque doctor libro *Amatoriæ Artis* intitulato quantam fornicationis occasionem [8] convivia maxime præbeant studiose exequitur, dicens [9] :

> Vinaque quum bibulas sparsere Cupidinis alas,
> Permanet, et cœpto stat gravis ille loco....
> Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit;
> Tunc dolor et curæ, rugaque frontis abit....
> Illic sæpe animos juvenum rapuere puellæ,
> Et Venus in venis, ignis in igne furit [10].

Nunquid et si feminas solas hospitio susceptas ad mensam admiserint, nullum

[1] *Conversionis* C et MS. Amb. – *Professionis* MS. Amb. — [2] Pariter patet BC. — [3] Regula Sancti Benedicti, cap. LV. — [4] Regula Sancti Benedicti, cap. XI. – [5] Regula Sancti Benedicti, cap. LVI. — [6] ~~Sic D~~. – *Præbeat* Edd. — [7] Epist. LXXXIX, *Opp.* t. IV, p. 732. — [8] *Quot tempora impunitati et lasciviæ opportuna* RMS. — [9] Ovid., *de Arte Amandi*, lib. I, v. 233 et sq. — [10] *Fuit* ABC.

ibi latet periculum ? Certe in seducenda muliere nullum est æque facile ut lenocinium muliebre, nec corruptæ mentis turpitudinem ita prompte cuiquam mulier committit sicut mulieri. Unde et prædictus Hieronymus maxime secularium accessus feminarum vitare propositi sancti feminas adhortatur[1]. Denique si, viris ab hospitalitate nostra exclusis, solas admittamus feminas, quis non videat quanta exasperatione viros offendamus[2], quorum beneficiis monasteria sexus infirmi egent, maxime si eis a quibus plus accipiunt minus aut omnino nihil largiri videantur? Quod si prædictæ regulæ tenor a nobis impleri non potest, vereor ne illud apostoli Jacobi in nostram quoque damnationem dictum sit[3] : « Quicunque totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. » Quod est dicere : De hoc[4] ipso reus statuitur qui peragit multa, quod non implet omnia; et transgressor legis efficitur ex uno, cujus impletor non fuerit nisi omnibus consummatis ejus præceptis. Quod ipse statim diligenter exponens apostolus adjecit[5] : « Qui enim dixit : Non mœchaberis, dixit et : Non occides. Quod si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis. » Ac si aperte dicat : Ideo quilibet reus fit de transgressione uniuscujuslibet[6] præcepti, quia ipse Dominus, qui præcipit unum, præcipit et aliud. Et quodcunque legis violetur præceptum, ipse contemnitur qui legem non in uno, sed in omnibus pariter mandatis constituit[7]. Ut autem prætercam[8] illa regulæ instituta, quæ penitus observare non possumus, aut sine periculo non valemus : ubi unquam ad colligendas messes conventus monialium exire, vel labores agrorum habere[9] consuevit, aut suscipiendarum feminarum constantiam uno anno probaverit, easque tertio perlecta regula, sicut in ipsa jubetur, instruxerit? Quid rursum stultius quam viam ignotam[10], nec adhuc demonstratam aggredi? Quid præsumptuosius[11] quam eligere ac profiteri vitam quam nescias, aut votum facere quod implere non queas? Sed et quum omnium virtutum discretio[12] sit mater, et omnium bonorum mediatrix[13] sit ratio; quis aut virtutem aut bonum censeat quod ab istis dissentire videatur? Ipsas quippe virtutes excedentes modum atque mensuram, sicut Hieronymus asserit[14], inter vitia reputari convenit. Quis autem ab omni ratione ac discretione[15] sejunctum non videat, si ad imponenda onera eorum, quibus imponuntur, valetudines prius non discutiantur, ut naturæ constitutionem humana sequatur industria? Quis asinum sarcina tanta[16], qua dignum

[1] Epist. XVIII, *ad Eustochium, Opp.* t. IV, p. 33. — [2] *Quanta futura sint incommoda si viros offendamus* RMS. — [3] Jacob., cap. II, v. 10. — [4] *De hoc etiam ipso* ABC. — [5] Jacob., cap. II, v. 11. — [6] *Omnium præceptorum* RMS. — [7] Interseruntur hæc verba : *Et omnibus animum eis obsequentem flagitat* RMS. — [8] *Omittam* RMS. — [9] *Pati* RMS. — [10] *Vel non tritam* RMS. — [11] *Ecquid plus inscitiæ indicat* RMS. — [12] *Prudentia* RMS. — [13] *Moderatrix* C et MS. Amb. — [14] Epist. LXXXVI, *ad Eustochium, Opp.* t. IV, p. 683. — [15] *Prudentia* RMS. — [16] Amboesius immerito conjicit deesse hic *onerat*, vel aliquid simile. Transl. gallica : « Qui jugeroit que ung asne fust aussi « digne de si grans charges come un éliffans ? »

judicat elephantem? Quis tanta pueris aut senibus quanta viris injungat? Tanta debilibus scilicet quanta fortibus, tanta infirmis quanta sanis, tanta feminis quanta maribus? Infirmiori videlicet sexui quanta et forti? Quod diligenter beatus papa Gregorius attendens, *Pastoralis* sui cap. XIV [1], tam de admonendis quam de præcipiendis ita distinxit : « Aliter igitur admonendi sunt viri, atque aliter feminæ : quia illis gravia, istis vero sunt injungenda leviora ; et alios magna exerceant, istas vero levia demulcendo convertant. » Certe et qui monachorum regulas scripserunt, nec solum de feminis omnino tacuerunt, verum etiam illa statuerunt quæ eis nullatenus convenire sciebant : satis commode innuerunt nequaquam eodem jugo regulæ tauri et juvencæ premendam esse cervicem, quia quos dispares natura creavit æquari labore non convenit. Hujus autem discretionis [2] beatus non immemor Benedictus, tanquam omnium justorum spiritu plenus, pro qualitate hominum aut temporum cuncta sic moderatur in regula, ut omnia, sicut ipsemet uno concludit [3] loco, mensurate fiant. Primo itaque ab ipso incipiens abbate præcipit eum ita subjectis præsidere, « ut secundum unius, » inquit, « cujusque qualitatem vel intelligentiam, ita se omnibus conformet et aptet, ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum in augmentatione boni gregis gaudeat... [4], suamque fragilitatem semper suspectus sit, memineritque calamum quassatum non conterendum [5]... Discernat et tempora, cogitans discretionem [6] sancti Jacob dicentis [7] : « Si greges meos plus in ambu-
« lando fecero laborare, morientur cuncti una die. » Hæc ergo aliaque testimonia discretionis [8] matris virtutum sumens, sic omnino temperet, ut et fortes sit quod cupiant, et infirmi non refugiant [9]. » Ad hanc quidem dispensationis moderationem indulgentia pertinet puerorum, senum et omnino debilium, lectoris seu septimanariorum, coquinæ ante alios refectio, et in ipso etiam conventu, de ipsa cibi vel potus qualitate seu quantitate pro diversitate hominum providentia [10]. De quibus quidem singulis ibi diligenter scriptum est. Ipsa quoque statuta jejunii tempora pro qualitate temporis vel quantitate laboris ita relaxat, prout naturæ postulat infirmitas. Quid, obsecro, ubi iste, qui sic ad hominum et temporum qualitatem omnia moderatur, ut ab omnibus sine murmuratione proferri [11] queant quæ instituuntur : quid, inquam, de feminis provideret, si eis quoque pariter ut viris regulam institueret? Si enim in quibusdam regulæ rigorem pueris, senibus, et debilibus pro ipsa naturæ debilitate vel infirmitate temperare cogitur : quid de fragili sexu provideret, cujus maxime debilis et infirma natura

[1] *Pastor.*, part. III, cap. I, *Opp.* t. II, p. 35. — [2] *Rationis optimæ normæ* RMS. — [3] Regula Sancti Benedicti, cap. XLVIII. — [4] Regula Sancti Benedicti, cap. II. — [5] Regula Sancti Benedicti, cap. LXIV. — [6] *Prudentiam* RMS. — [7] *Genes.*, cap. XXXIII, v. 13. — [8] *Prudentiæ* RMS. — [9] Regula Sancti Benedicti, cap. LXIV. — [10] Regula Sancti Benedicti, cap. XXXV-XLI. — [11] *Profiteri* RMS.

cognoscitur[1]? Perpende itaque, quam longe absistat ab omni rationis discretione[2], ejusdem regulæ professione tam feminas quam viros obligari, eademque sarcina tam debiles quam fortes onerari. Satis esse nostræ arbitror infirmitati, si nos ipsis ecclesiæ rectoribus, et qui in sacris ordinibus constituti sunt clericis, tam continentiæ quam abstinentiæ virtus æquaverit, maxime quum Veritas dicat[3]: « Perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus. » Quibus etiam pro magno reputandum esset, si religiosos laicos æquiparare possemus[4]. Quæ namque in fortibus parva censemus, in debilibus admiramur. Et juxta illud Apostoli[5]: « Virtus in infirmitate perficitur. » Ne vero laicorum religio pro parvo ducatur qualis fuit Abrahæ, David, Job[6], licet conjugatorum, Chrysostomus in epistola *ad Hebræos*, sermone VII[7], nobis occurrit, dicens: « Sunt multa in quibus poterit laborare ut bestiam illam incantet. Quæ sunt ista? labores, lectiones, vigiliæ. Sed quid ad nos hæc, » inquit, « qui non sumus monachi? Hæc mihi dicis? Dic Paulo, quum dicit[8]: « Vigilantes in omni patientia et oratione, » quum dicit[9]: « Carnis curam ne « feceritis in concupiscentiis. » Non enim hæc monachis scribebat tantum, sed omnibus qui erant in civitatibus. Non enim secularis homo debet aliquid amplius habere monacho quam cum uxore concumbere tantum. Hic enim habet veniam, in aliis autem nequaquam: sed omnia æqualiter sicut monachi agere debet[10]. Nam et beatitudines, quæ a Christo dicuntur[11], non monachis tantum dictæ sunt. Alioquin universus mundus peribit, et in angustum inclusit ea quæ virtutis sunt. Et quomodo honorabiles sunt nuptiæ, quæ nobis tantum impediunt? » Ex quibus quidem verbis aperte colligitur, quod quisquis evangelicis præceptis continentiæ virtutem addiderit, monasticam perfectionem implebit. Atque utinam ad hoc nostra religio conscendere posset, ut Evangelium impleret, non transcenderet: ne plus quam christianæ appeteremus esse. Hinc profecto, ni fallor, sancti decreverunt Patres, non ita nobis sicut viris generalem aliquam regulam, quasi novam legem, præfigere, nec magnitudine[12] votorum nostram infirmitatem onerare, attendentes[13] illud Apostoli[14]: « Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. » Et iterum[15]: « Lex autem subintravit ut abundaret delictum. » Idem quoque maximus continentiæ prædicator de infirmitate nostra plurimum confidens, et quasi ad secundas nuptias urgens juniores viduas: « Volo, » inquit[16], « juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario. » Quod et beatus Hieronymus saluber-

[1] *Quid de fragili.... cognoscitur* desunt in C; at leguntur in cæteris codicibus. — [2] *Scopo erret* RMS. — [3] Luc., cap. VI, v. 40. — [4] *Quibus etiam.... possemus* desunt C. — [5] *Corint. II*, cap. XII, v. 9. — [6] Sic C et Ed. Amb. — *Jacob* MS. Amb. — [7] Ap. sancti Chrysostomi *Opp.*, Parisiis, 18:8, t. XII, p. 113. — [8] *Ephes.*, cap. VI, v. 18. — [9] *Rom.*, cap. XIII, v. 14. — [10] *Omnibus vero monasticis officiis viribus æquatis eum fungi oportet* RMS. — [11] Matth., cap. V. — [12] *Nec numero plus justo* RMS. — [13] *Studiose curantes* RMS. — [14] *Rom.*, cap. IV, v. 15. — [15] *Rom.*, cap. V, v. 20. — [16] *Timoth. I*, cap. V, v. 14.

rimum esse considerans, Eustochio[1] de improvisis feminarum votis consulit, his verbis[2]. « Si autem et illæ, quæ virgines sunt, ob alias tamen culpas, non solvantur : quid fiet illis, quæ prostituerunt membra Christi, et mutaverunt templum Spiritus sancti in lupanar? Rectius fuerat homini subisse conjugium, ambulasse per plana, quam altiora intendentem in profundum inferni cadere. » Quarum etiam temerariæ professioni sanctus Augustinus consulens, in libro *de Continentia viduali* ad Julianum scribit his verbis[3] : « Quæ non cœpit deliberet, quæ aggressa est perseveret. Nulla adversario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio. » Hinc etiam canones nostræ infirmitati consulentes decreverunt, diaconissas ante quadraginta annos ordinari non debere, et hoc cum diligenti probatione; quum a viginti annis liceat diaconos promoveri. Sunt et in[4] monasteriis, qui regulares dicuntur canonici Beati Augustini quamdam, ut aiunt, regulam profitentes, qui se inferiores monachis nullatenus arbitrantur, licet eos et vesci carnibus et lineis uti videamus. Quorum quidem virtutem si nostra exæquare[5] infirmitas posset, nunquid pro minimo habendum esset? Ut autem nobis[6] de omnibus cibis tutius ac lenius indulgeatur, ipsa quoque natura providit, quæ majore scilicet sobrietatis virtute sexum nostrum præmunivit. Constat quippe multo parciore sumptu et alimonia minore feminas quam viros sustentari posse, nec eas tam leviter inebriari physica protestatur. Unde et Macrobius Theodosius *Saturnaliorum* libro VII meminit his verbis[7] : « Aristoteles : Mulieres, inquit, raro inebriantur[8], crebro senes. Mulier humectissimo est corpore. Docet hoc et levitas cutis et splendor. Docent præcipue assiduæ purgationes superfluo exonerantes corpus humore. Quum ergo epotum vinum in tam largum ceciderit humorem, vim suam perdit, nec facile cerebri sedem ferit fortitudine ejus extincta. » Item[9] : « Muliebre corpus crebris purgationibus deputatum, pluribus consertum foraminibus ut pateat in meatus, et vias præbeat humori in egestionis exitum confluenti. Per hæc foramina vapor vini celeriter evanescit. Contra senibus siccum est corpus, quod probat asperitas et scallor cutis. » Ex his itaque perpende quanto tutius ac justius naturæ et infirmitati nostræ cibus quislibet[10] et potus indulgeri possit, quarum videlicet corda crapula et ebrietate gravari facile non possunt : quum ab illa nos cibi parcitas, ab ista feminei corporis qualitas, ut dictum est, protegat. Satis nostræ esse infirmitati et maximum imputari debet, si continenter ac sine proprietate viventes, et officiis occupatæ divinis, ipsos ecclesiæ duces vel religiosos laicos in victu adæquemus, vel eos denique qui regulares canonici dicuntur, et se præcipue vitam apostolicam sequi profitentur.

[1] *Eustochio* Ed. Amb. — [2] Epist. XVIII, *ad Eustochium*, Opp., t. IV, p. 29. — [3] *De Bono Viduitatis*, cap. IX, Opp. t. VI, p. 375. — [4] *In* deest D. — [5] *Adæquare* MS. Amb. — [6] Sic D. – *Nobis* deest Edd. — [7] Cap. V. — [8] *Ebriantur* D. — [9] Cap. V. — [10] *Quilibet* MS. Amb.

Magnæ postremo providentiæ est, his qui Deo se per votum obligant, ut minus voveant, et plus exequantur, ut aliquid semper debitis gratia superaddat[1]. Hinc enim per semetipsam Veritas ait[2] : « Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt, dicite : Servi inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus. » Ac si aperte diceret : Ideo inutiles et quasi pro nihilo, ac sine meritis reputandi, quia debitis tantum exsolvendis contenti nihil ex gratia superaddidimus[3]. De quibus quidem gratis superaddendis ipse quoque Dominus alibi parabolice loquens ait[4] : « Sed et si quid supererogaveris, ego quum rediero, reddam tibi. » Quod quidem hoc tempore multi monasticæ religionis temerarii professores si diligentius attenderent, et in quam professionem jurarent, animadverterent[5], atque ipsum regulæ tenorem studiose perscrutarentur : minus per ignorantiam offenderent, et per negligentiam peccarent. Nunc vero indiscrete omnes fere pariter ad monasticam conversationem[6] currentes inordinate suscepti inordinatius vivunt, et eadem facilitate qua ignotam regulam profitentur, eam contemnentes, consuetudines quas volunt pro lege statuunt[7]. Providendum itaque nobis est, ne id oneris feminæ præsumamus, in quo viros fere jam universos succumbere videamus, imo et deficere. Senuisse jam mundum conspicimus, hominesque ipsos cum cæteris quæ mundi sunt, pristinum naturæ vigorem amisisse, et juxta illud Veritatis[8], ipsam charitatem non tam multorum quam fere omnium refriguisse ; ut jam videlicet pro qualitate hominum ipsas propter homines scriptas vel mutari, vel temperari[9] necesse sit regulas. Cujus quidem discretionis ipse quoque, beatus non immemor Benedictus ita se monasticæ districtionis[10] rigorem temperasse fatetur, ut descriptam a se regulam comparatione priorum institutorum non nisi quamdam honestatis institutionem et quamdam conversationis inchoationem reputet dicens[11] : « Regulam autem hanc descripsimus, ut hanc observantes aliquatenus vel honestatem morum aut initium conversationis nos demonstremus habere. Cæterum ad perfectionem conversationis qui festinat, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarum observatio perducat hominem ad celsitudinem perfectionis. » Item[12] : « Quisquis ergo ad cœlestem patriam festinas, hanc minimam inchoationis regulam adjuvante Christo perfice, et tunc demum ad majora doctrinæ virtutumque culmina Deo protegente pervenies. » Qui, ut ipse ait[13], quum legamus olim sanctos Patres uno die *Psalterium* explere solere, ita psalmodiam tepidis temperavit, ut in ipsa per hebdomadam distributione psalmorum, minore ipsorum numero monachi quam clerici contenti essent[14].

[1] *Superaddant* CD. — [2] Luc., cap. XVII, v. 10. — [3] *Superaddimus* D. — [4] Luc., cap. X, v. 35. — [5] *Anima providerent* D. — [6] *Conversionem* CD et MS. Amb. — [7] *Statuerint* D. — [8] Matth., cap. XXIV, v. 12. — [9] Sic D. *Temperare* Edd. — [10] Sic. – *Discretionis* Edd. – *Prudentiæ* RMS. — [11] Regula Sancti Benedicti, cap. LXXIII. — [12] Ibid., ibid. — [13] Regula Sancti Benedicti, cap. XVIII. — [14] Sic MS. Amb. – *Sint* Edd.

Quid etiam tam religioni quietique monasticæ contrarium est, quam quod luxuriæ fomentum maxime præstat et tumultus excitat, atque ipsam Dei in nobis imaginem, qua præstamus cæteris, id est rationem delet? Hoc autem vinum est, quod supra omnia victui pertinentia plurimum Scriptura damnosum asserit, et caveri admonet. De quo et maximus ille sapientum in *Proverbiis* meminit, dicens[1] : « Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas. Quicunque his delectatur, non erit sapiens. » « Cui væ[2]? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffosio oculorum? nonne his qui morantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, quum splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa. Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator amisso clavo; et dices : Verberaverunt me, sed non dolui : traxerunt me, et ego non sensi. Quando evigilabo, et rursus vina reperiam? » Item[3] : « Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum; quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas; et ne forte bibant et obliviscantur judiciorum, et mutent[4] causam filiorum pauperis. » Et in *Ecclesiastico* scriptum est[5] : « Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguunt sensatos. » Ipse quoque Hieronymus ad Nepotianum scribens de vita clericorum[6], et quasi graviter indignans quod sacerdotes legis ab omni quod inebriare[7] potest, abstinentes, nostros in hac abstinentia superent : « Nequaquam, » inquit, « vinum redoleas, ne audias illud philosophi : « Hoc non est osculum porrigere, sed vinum[8] « propinare. » Vinolentos sacerdotes et Apostolus damnat[9], et lex vetus prohibet[10] : « Qui altario deserviunt, vinum et siceram non bibant. » Sicera hebræo sermone omnis potio nuncupatur quæ inebriare potest, sive illa quæ fermento conficitur, sive pomorum succo, aut favi decoquitur in dulcedinem, et herbarum potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus aqua pinguior colatur. Quidquid inebriat, et statum mentis evertit, fuge similiter ut vinum. Ecce quod regum deliciis interdicitur, sacerdotibus penitus denegatur, et cibis omnibus periculosius esse constat. Ipse tamen tam spiritualis vir beatus Benedictus dispensatione quadam præsentis ætatis indulgere monachis cogitur. « Licet, » inquit[11], « legamus vinum monachorum omnino non esse : sed quia nostris temporibus hoc[12] monachis persuaderi non potest, etc. » Legerat, ni fallor, quod in *Vitis Patrum* scriptum est his verbis[13] : « Narraverunt

[1] *Prov.*, cap. XX, v. 1. — [2] *Prov.*, cap. XXIII, v. 29 et sq. — [3] *Prov.*, cap. XXXI, v. 4 et 5. — [4] *Mittant* D. — [5] *Eccli.*, cap. XIX, v. 2. — [6] Epist. XXXIV, *ad Nepotianum*, *Opp.* t. IV, p. 364. — [7] *Inebriari* D. — [8] *Vinum* deest D. — [9] *Timoth. I*, cap. III, v. 3. — [10] *Levit.*, cap. X, v. 9. — [11] Regula Sancti Benedicti, cap. XL. — [12] *His* D. — [13] *Vitæ Patrum*, opera et studio Heriberti Rosweydi, Antwerpiæ 1628, in-fol., p. 570.

quidam abbati pastori de quodam monacho, quia non bibebat vinum, et dixit eis quia vinum monachorum omnino non est. » Item post aliqua : « Facta est aliquando celebratio missarum in monte abbatis Antonii, et inventum est ibi cenidum[1] vini. Et extollens unus de senibus parvum vas calicem portavit ad abbatem Sisoi, et dedit ei. Et bibit semel, et secundo, et accepit, et bibit. Obtulit ei et tertio. Sed non accepit, dicens · « Quiesce, frater; an[2] nescis quia est « Satanas ? » Et iterum de abbate Sisoi : « Dicit ergo Abraham discipulis ejus : « Si « occurritur in sabbato et dominica ad ecclesiam, et biberit tres calices, ne mul- « tum[3] est? » Et dixit senex : « Si non esset Satanas, non esset multum. » Ubi unquam, quæso, carnes a Deo damnatæ sunt vel monachis interdictæ? Vide, obsecro, et attende qua necessitate regulam temperet in eo etiam quod periculosius est monachis, et quod eorum non esse noverit, quia videlicet hujus abstinentia temporibus suis monachis jam persuaderi non poterat. Utinam eadem dispensatione et in hoc tempore ageretur, ut videlicet in his, quæ media boni et mali atque indifferentia dicuntur, tale temperamentum fieret; ut quod jam persuaderi non valet, professio non exigeret, mediisque omnibus sine scandalo concessis, sola interdici peccata sufficeret; et sic quoque in cibis sicut in vestimentis dispensaretur, ut quod vilius comparari posset ministraretur, et per omnia necessitati, non superfluitati consuleretur. Non enim magnopere sunt curanda quæ nos regno Dei non præparant, vel quæ nos minime Deo commendant. Hæc vero sunt omnia quæ exterius geruntur, et æque reprobis ut electis[4], æque hypocritis ut religiosis communia sunt. Nihil quippe inter judæos et christianos ita separat sicut exteriorum operum et interiorum discretio, præsertim quum inter filios Dei et diaboli sola charitas discernat[5], quam plenitudinem legis et finem præcepti Apostolus vocat[6]. Unde et ipse hanc operum gloriam prorsus extenuans, ut fidei præferat justitiam, Judæam[7] alloquens dicit[8] : « Ubi est gloriatio tua? exclusa est. Per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei. Arbitramur eum hominem justificari per fidem sine operibus legis. » Item[9] : « Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura[10]? Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. » Et rursum : « Ei, » inquit[11], « qui non operatur, credenti autem in Deum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei. » Idem etiam omnium ciborum esum christianis indulgens, et ab his ea quæ justificant distinguens : « Non est, » inquit[12], « regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto. » Omnia quidem munda sunt, sed malum

[1] *Cenidium* C. — [2] *Aut nescis* D. — [3] *Multo* D. — [4] Sic CD. – *Dejectis* perperam in editionibus habetur. — [5] *Decernat* C. — [6] *Rom.*, cap. XIII, v. 10. — [7] *Judæum* D. — [8] *Rom.*, cap. III, v. 27. — [9] *Rom.*, cap. IV, v. 2 et 4. — [10] *Genes.*, cap. XV, v. 6. — [11] *Rom.*, cap. IV, v. 5. — [12] Ibid., cap. XIV, v. 17.

est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offendatur, aut scandalizetur, aut infirmetur. Non enim hoc loco ulla cibi comestio interdicitur, sed comestionis offensio; qua videlicet quidam ex conversis Judæis scandalizabantur, quum viderent ea quoque comedi quæ lex interdixerat. Quod quidem scandalum apostolus etiam Petrus cupiens evitare, graviter ab ipso est objurgatus, et salubriter correctus, sicut ipsemet Paulus ad Galatas scribens commemorat[1]. Qui rursus Corinthiis scribens[2] : « Esca autem nos non commendat Deo. » Et rursum[3] : « Omne quod in macello venit manducate. » « Domini est terra et plenitudo ejus[4]. » Et ad Colossenses[5] : « Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu. » Et post aliqua[6] : « Si mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis? Ne tetigeritis neque gustaveritis, neque contrectaveritis quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præceptum et doctrinas hominum. » Elementa hujus mundi vocat prima legis rudimenta secundum carnales observantias, in quarum videlicet doctrina, quasi in addiscendis litteralibus elementis, primo se mundus, id est carnalis adhuc populus exercebat. Ab his quidem elementis, id est carnalibus observantiis tam Christi quam sui, mortui sunt; quum nihil his debeant, jam non in hoc mundo viventes, hoc est inter carnales figuris intendentes, et decernentes, id est distinguentes quosdam cibos vel quaslibet res ab aliis, atque ita dicentes : Ne tetigeritis hæc vel illa. Quæ scilicet tacta, vel gustata, vel contrectata, inquit Apostolus, sunt in interitum animæ ipso suo usu, quo videlicet ipsis ad aliquam etiam utimur humilitatem[7] : secundum, inquam, præceptum et doctrinas hominum, id est carnalium et legem carnaliter intelligentium, potius quam Christi vel suorum. Hic enim quum ad prædicandum ipsos destinaret apostolos, ubi magis ipsi ab omnibus scandalis providendum erat, omnium tamen ciborum esum eis ita indulsit, ut apud quoscunque suscipiantur hospitio, ita sicut illi victitent, edentes scilicet et bibentes quæ apud illos sunt[8]. Ab hac profecto dominica suaque disciplina illos recessuros ipse jam Paulus per Spiritum providebat, de quibus ad Timotheum scribit dicens[9] : « Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium, mendacium, prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognoverunt veritatem; quia omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim [per] verbum Dei et

[1] *Galat.*, cap. II, v. 11. — [2] *Corinth. I*, cap. VIII, v. 8. — [3] *Corinth. I*, cap. x, v. 25, 26. — [4] Psalm. XXIII, v. 1. — [5] *Coloss.*, cap. II, v. 16. — [6] Ibid., v. 20 et sq. — [7] *Vilitatem.* – *Utilitatem* MS. Amb. — [8] Luc., cap. x, v. 8. — [9] *Timoth. I*, cap. IV, v. 1 et sq.

orationem. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, et enutritus verbis fidei, et bonæ doctrinæ, quam assecutus es. » Quis denique Joannem ejusque discipulos abstinentia nimia se macerentes ipsi Christo ejusque discipulis in religione non præferat, si corporalem oculum ad exterioris abstinentiæ intendat exhibitionem [1]? De quo etiam ipsi discipuli Joannis adversus Christum et suos murmurantes, tanquam adhuc in exterioribus judaizantes, ipsum interrogaverunt Dominum, dicentes [2] : « Quare nos et pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant? » Quod diligenter attendens beatus Augustinus, et quid inter virtutem et virtutis exhibitionem referat distinguens [3], ita quæ fiunt exterius pensat, ut nihil meritis superaddant opera. Ait quippe sic in libro *de Bono conjugali* [4] : « Continentia, non corporis, sed animæ virtus est. Virtutes autem animi aliquando in corpore manifestantur, aliquando in habitu : sicut martyrum virtus apparuit in tolerando passiones. » Item : « Jam enim erat in Job patientia, quam noverat Dominus et cui testimonium perhibebat [5], sed hominibus innotuit tentationis examine. » Item : « Verum ut apertius intelligatur quomodo sit virtus in habitu, etiam si non sit in opere, loquor de exemplo de quo nullus dubitat catholicorum. Dominus Jesus quod in veritate carnis esurierit, et sitierit, et manducaverit, et biberit, nullus ambigit eorum qui ex ejus Evangelio fideles sunt. Num igitur non erat in illo continentiæ virtus a cibo et potu, quanta erat in Joanne Baptista? « Venit enim Joannes non manducans et bibens, et dixe- « runt : Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans et bibens, et dixerunt [6] : « Ecce homo vorax et potator vini, amicus publicanorum et peccatorum. » Item : « Deinde ibi subjecit quum de Joanne ac de se illa dixisset : « Justificata est sapientia « a filiis suis [7], » qui virtutem continentiæ vident in habitu animi semper esse debere : in opere autem pro rerum ac temporum opportunitate manifestari, sicut virtus patientiæ sanctorum martyrum. » Quocirca sicut non est impar meritum patientiæ in Petro, qui passus est, et in Joanne qui passus non est [8] : sic non est impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham, qui filios generavit; et illius enim cœlibatus, et illius connubium pro distributione temporum Christo militaverunt. Sed continentiam Joannes et in opere, Abraham vero in solo habitu habebat. Illo itaque tempore, quum et lex dies patriarcharum subsequens maledictum dixit qui non excitaret semen in Israel [9], et qui non poterat non promebat, sed tamen habebat. Ex quo autem venit plenitudo temporis ut diceretur [10] : « Qui potest capere capiat; qui habet,

[1] *Si exteriori rerum formæ, si jejuniis illis Baptistæ severissimis solum confidat* RMS. — [2] Marc., cap. II, v. 18. — [3] Sic D. – *Attendens* Edit. Amb. — [4] Cap. XXI, *Opp.* t. VI, p. 333. — [5] *Job,* cap. I, v. 8. — [6] Matth., cap. II, v. 19. — [7] Ibid., ibid. — [8] *Impar meritum.... passus non est* desunt in C. — [9] *Deuter.*, cap. XXV, v. 7 et sq. — [10] Matth., cap. XIX, v. 12.

operetur; qui operari noluerit, non se habere mentiatur. » Ex his liquide verbis colligitur solas apud Deum merita virtutes obtinere, et quicunque virtutibus pares sunt quantumcunque distent operibus, æqualiter a Christo[1] promereri. Unde quicunque sunt vere christiani, sic toti circa interiorem hominem sunt occupati, ut eum scilicet virtutibus ornent, ac vitiis mundent : ut de exteriori nullam vel minimam assumant curam. Unde et ipsos legimus apostolos ita rusticane[2] et velut inhoneste ipso etiam Domini comitatu se habuisse, ut velut omnis reverentiæ atque honestatis obliti, quum per sata transirent[3], spicas vellere, fabricare, et comedere more puerorum non erubescerent, nec de ipsa etiam manuum ablutione, quum cibos essent accepturi, sollicitos esse. Qui quum a nonnullis quasi de immunditia arguerentur, eos Dominus excusans: « Non lotis, » inquit[4], « manibus manducare non coinquinat hominem. » Ubi et statim generaliter[5] adjecit, ex nullis exterioribus animam inquinari, sed ex his tantum quæ de corde prodeunt, « quæ sunt, » inquit[6], « cogitationes, adulteria, homicidia, etc. » Nisi enim prius prava voluntate animus corrumpatur, peccatum esse non poterit quidquid exterius agatur in corpore. Unde et bene ipsa quoque adulteria sive homicidia ex corde procedere dicit, quæ et sine tactu[7] corporum perpetrantur, juxta illud[8] : « Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo. » Et[9] « Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. » Et tactis vel læsis corporibus minime peraguntur, quando videlicet per violentiam opprimitur aliqua, vel per justitiam coactus judex interficere reum. « Omnis » quippe « homicida, » sicut scriptum est[10], « non habet partem in regno Dei[11]. » Non itaque magnopere quæ fiunt, sed quo animo fiant pensandum est, si illi placere studemus, qui cordis et renum probator est, et in abscondito videt, « qui judicabit occulta hominum, » Paulus inquit[12], « secundum Evangelium meum, » hoc est secundum meæ prædicationis doctrinam. Unde et modica viduæ oblatio, quæ fuit duo minuta[13], id est quadrans[14], omnium divitum oblationibus copiosis prælata est ab illo cui dicitur[15]: «Bonorum meorum non eges; » cui magis oblatio ex offerente quam offerens placet ex oblatione, sicut scriptum est[16] : « Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. » Ut videlicet prius devotionem offerentis inspiceret, et sic ex ipso[17] donum oblatum gratum haberet. Quæ quidem animi devotio tanto major in Deo habetur, quanto in exterioribus quæ fiant minus confidimus. Unde et Apostolus post communem ciborum indulgentiam, de qua, ut supra meminimus, Timotheo scribit, de exercitio quoque corporalis laboris adjunxit, dicens[18] :

[1] Sic C. -*Ab ipso* Edd. — [2] *Rusticiter* RMS. — [3] Matth., cap. XII, v. 1. — [4] Matth., cap. XV, v. 20. — [5] *Generatim* RMS. — [6] Matth., cap. XV, v. 19. — [7] *Contactu* MS. Amb. — [8] Matth., cap. V, v. 28. — [9] *Ep. I* Joann., cap. III, v. 5. — [10] Ibid., ibid. — [11] *Christi et Dei* D. — [12] *Rom.*, cap. II, v. 16. — [13] *Duo tresses* RMS. — [14] Marc., cap. XII, v. 42. — [15] Psalm. XV, v. 2. — [16] *Genes.*, cap. IV, v. 4. — [17] *Ipsa* MS. Amb. — [18] *Timoth. I*, cap. IV, v. 7, 8.

« Exerce autem te ipsum ad pietatem; nam corporalis exercitatio admodum utilis est : pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. » Quoniam pia mentis in Deum devotio, et hic ab ipso meretur necessaria, et in futuro perpetua. Quibus quidem documentis quid aliud docemur quam christiane sapere, et cum Jacob de domesticis animalibus refectionem patri providere, non cum Esau de silvestribus curam sumere [1], et in exterioribus judaizare. Hinc et illud est Psalmistæ [2]: « In me sunt, Deus, vota tua, quæ [3] reddam laudationes tibi. » Ad hoc quoque illud adjunge poeticum [4] :

Ne te quæsiveris extra.

Multa sunt et innumerabilia tam secularium quam ecclesiasticorum doctorum testimonia, quibus ea quæ sunt [5] exterius et indifferentia [6] vocantur, non magnopere curanda esse docemur. Alioquin legis opera, et servitutis ejus, sicut ait Petrus [7], importabile jugum evangelicæ libertati esset præferendum, et suavi jugo Christi, et ejus oneri levi. Ad quod quidem suave jugum et onus leve per semetipsum Christus nos invitans : « Venite, » inquit [8], « qui laboratis et onerati estis. » Unde et prædictus apostolus quosdam jam ad Christum conversos, sed adhuc opera legis retineri [9] censentes vehementer objurgans, sicut in *Actibus Apostolorum* scriptum est [10], ait : « Viri fratres, quid tentatis Deum imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari, quemadmodum et illi. » Et tu ipse, obsecro, non solum Christi, verum etiam hujus imitator apostoli discretione sicut et nomine, sic operum præcepta moderare, ut infirmæ convenit naturæ, et ut divinæ laudis plurimum vacare possimus officiis. Quam quidem hostiam, exterioribus omnibus sacrificiis reprobatis, Dominus commendans ait [11] : « Si esurivero, non dicam tibi; meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, et redde altissimo vota tua, et invoca me in die tribulationis, et eruam te, et honorificabis me. » Nec id quidem ita loquimur, ut laborem operum corporalium respuamus, quum necessitas postulaverit. Sed ne ista magna putemus quæ corpori serviunt, et officii divini celebrationem præpediunt [12]; præsertim quum ex auctoritate apostolica id præcipue devotis indultum sit feminis, ut alienæ procurationis sustententur officiis magis, quam de opere proprii laboris. Unde ad Timotheum Paulus [13] : « Si quis fidelis habet viduas, subministret

[1] *Genes.*, cap. XXVII. — [2] Psalm. LV, v. 12. — [3] *Quas* MS. Amb. — [4] Pers. sat. I, v. 7. — [5] *Fiunt* D. — [6] *Ex indifferentia* C et MS. Amb. — [7] Matth., cap. XXIII, v. 4. — [8] Matth., cap. XI, v. 28. — [9] Sic C. – *Retinere* Edit. Amb. — [10] *Act. Apost.*, cap. XV, v. 10. — [11] Psalm. XLIX, v. 12, 13 et 14. – [12] *Impediunt* MS. Amb. – [13] *Timoth. I*, cap. V, v. 16.

illis, et non gravetur ecclesia, ut his quæ veræ viduæ sunt sufficiat. » Veras quippe viduas dicit quascunque Christo devotas, quibus non solum maritus mortuus est, verum etiam [1] mundus crucifixus est, et ipsæ mundo. Quas recte de dispendiis ecclesiæ tanquam de propriis sponsi sui redditibus sustentari convenit. Unde et Dominus ipse matri suæ procuratorem apostolum [2] potius quam virum ejus prævidit [3], et apostoli septem diaconos, id est ecclesiæ ministros, qui devotis ministrarent feminis, instituerunt [4]. Scimus quidem et Apostolum Thessalonicensibus scribentem [5] quosdam otiose vel curiose viventes adeo constrinxisse, ut præciperet, quoniam, si quis non vult operari, non manducet; et beatum Benedictum [6] maxime pro otiositate [7] vitanda opera manuum injunxisse. Sed nunquid Maria otiose sedebat [8], ut verba Christi audiret, Martha tam ei quam Domino laborante, et de quiete sororis tanquam invida murmurante, quasi quæ sola pondus diei et æstus portaverit? Unde et hodie frequenter murmurare eos cernimus, qui in exterioribus laborant, quum his qui divinis occupati sunt officiis terrena ministrant. Et sæpe de his, quæ tyranni rapiunt, minus conqueruntur, quam quæ desidiosis, ut aiunt, istis et otiosis exsolvere coguntur. Quos tamen non solum verba Christi audire, verumetiam in his assidue legendis et decantandis occupatos considerant esse. Nec attendunt [9] non esse magnum, ut ait Apostolus [10], si eis communicent corporalia, a quibus expectant spiritualia. Nec indignum esse, ut qui terrenis intendunt, his qui spiritualibus occupantur deserviant. Hinc etenim ex ipsa quoque legis sanctione ministris ecclesiæ hæc salubris otii libertas concessa, ut tribus Levi nihil hæreditatis terrenæ perciperet, quo expeditius Domino deserviret; sed de labore aliorum decimas et oblationes susciperet [11]. De abstinentia quoque jejuniorum, quam magis vitiorum quam ciborum Christiani appetunt, si quid ecclesiæ institutioni superaddi decreveris, deliberandum est, et quod nobis expedit instituendum. Maxime vero de officiis ecclesiasticis, et de ordinatione psalmorum providendum est; ut in hoc saltem, si placet, nostram exoneres infirmitatem. Ne quum *Psalterium* per hebdomadam expleamus, eosdem necesse sit psalmos repeti. Quam etiam beatus Benedictus [12], quum eam pro visu suo distribuisset, in aliorum quoque actione sua id reliquit admonitio: ut si cui melius videretur aliter ipsos ordinaret. Attendens videlicet, quod per temporum successionem ecclesiæ decor creverit, et quæ prius rude susceperat fundamentum, postmodum ædificii nacta est ornamentum. Illud autem præ omnibus diffinire te volumus, quid de evangelica lectione in vigiliis

[1] Sic D. – *Verum et mundus* Edit. Amb. — [2] Joann., cap. XIX, v. 26, 27. — [3] *Providit* MS. Amb. — [4] *Act. Apost.*, cap. VI. — [5] *Thessal. II*, cap. III, v. 10. — [6] Reg. S. Bened., cap. XLVIII. — [7] *Ignavia* RMS. — [8] Luc., cap. X, v. 39. — [9] *Cogitant* RMS. — [10] *Corinth. I*, cap. IX, v. 11. — [11] *Num.*, cap. XVIII, v. 21. — [12] Reg. S. Bened., cap. XVIII.

nocturnis nobis agendum sit. Periculosum quippe videtur eo tempore ad nos sacerdotes aut diaconos admitti, per quos hæc lectio recitetur, quas præcipue ab omni hominum accessu atque aspectu segregatas esse convenit : tum ut sincerius Deo vacare possimus, tum etiam ut a tentatione tutiores simus. Tibi nunc, domine, dum vivis, incumbit instituere de nobis quid in perpetuum tenendum sit nobis. Tu quippe post Deum hujus loci fundator, tu per Deum nostræ congregationis es plantator, tu cum Deo nostræ sis religionis institutor. Præceptorem alium post te fortassis habituræ sumus, et qui[1] super alienum aliquid[2] ædificet fundamentum. Ideoque veremur de nobis minus futurus sollicitus, vel a nobis minus audiendus, et qui denique, si æque velit, non æque possit. Loquere tu nobis, et audiemus. Vale.

[1] *Quid* D. — [2] *Aliud* MS. Amb.

EPISTOLA VII,

QUÆ EST RURSUM PETRI AD HELOISSAM, DE ORIGINE SANCTIMONIALIUM.

ARGUMENTUM.

Abælardus ab Heloissa superiore epistola rogatus, ut ei et sodalibus ejus, de origine ordinis monialium scriberet, hac epistola ejus et illarum voluntati amplissime respondet : ipsumque ordinem a primitiva Ecclesia, imo et ab ipso Domini Servatoris sacro deducit collegio, et quid Philo Judæus, quid *Tripartita Historia* de primis ascetis narrent recenset. Sexum autem femineum in singulis ejus gradibus miris effert laudibus, nec solum in christianis vel judæis, sed etiam in gentilibus sive paganis feminis laudes virginitatis latissime percurrit. Nihil denique tota fere continet epistola, quam feminei sexus elegantissimum encomium : latius tamen virginitatis laudem prosequitur, cujus etiam apud paganos miri actus leguntur.

Charitati tuæ, charissima soror, de ordine tuæ professionis tam tibi quam spiritualibus filiabus tuis sciscitanti, unde scilicet monialium cœperit religio, paucis si potero succincteque rescribam. Monachorum siquidem sive monialium ordo a Domino nostro Jesu Christo religionis suæ formam plenissime sumpsit. Quamvis et ante ipsius incarnationem nonnulla hujus propositi tam in viris quam in feminis præcesserit inchoatio. Unde et Hieronymus ad Eustochium scribens[1], « Filios, » inquit, « prophetarum, quos monachos legimus in Veteri Testamento, etc. » Annam quoque viduam templo et divino cultui assiduam evangelista commemorat[2], quæ pariter cum Simeone Dominum in templo suscipere, et prophetia repleri meruerit. Finis itaque Christus justitiæ, et omnium bonorum consummatio, in plenitudine temporis veniens, ut inchoata perficeret bona, vel exhiberet incognita; sicut utrumque sexum vocare venerat atque redimere, ita utrumque sexum in vero monachatu suæ congregationis dignatus est adunare : ut inde tam viris quam feminis hujus professionis daretur auctoritas, et omnibus perfectio vitæ proponeretur quam imitarentur. Ibi quippe cum apostolis cæterisque discipulis, cum matre ipsius sanctarum legimus[3] conventum mulierum ; quæ scilicet seculo abrenunciantes, omnemque proprietatem abdicantes, ut solum possiderent Christum, sicut scriptum est[4] : « Dominus pars hæreditatis meæ, » devote illud compleverunt, quo omnes secundum regulam a Domino traditam conversi a[5] seculo ad hujus vitæ communitatem initiantur : « Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus[6]. » Quam devote autem

[1] Epist. xcv, *Opp.* t. IV, col. 772. Non ad Eustochium virginem, sed ad Rusticum dirigitur. — [2] Luc., cap. II, v. 25 et 7. — [3] Luc., cap. VIII, v. 2. — [4] Psalm. xv, v. 5. — [5] Sic D. - *Conversi seculo* Edd. — [6] Luc., cap. XIV, v. 33.

Christum hæ beatissimæ mulieres ac vere moniales secutæ fuerint, quantamque gratiam et honorem devotioni earum tam ipse Christus quam postmodum apostoli exhibuerint, sacræ diligenter historiæ continent. Legimus in Evangelio[1] murmurantem Pharisæum, qui hospitio Dominum susceperat, ab ipso esse correctum[2], et peccatricis mulieris obsequium hospitio ejus longe esse prælatum. Legimus[3] et Lazaro jam resuscitato cum cæteris discumbente, Martham sororem ejus solam mensis ministrare, et Mariam copiosi libram unguenti pedibus dominicis infundere, propriisque capillis ipsos extergere, hujusque copiosi unguenti odore domum ipsam impletam fuisse, ac de pretio ipsius, quia tam inaniter consumi videretur, Judam in concupiscentiam ductum, et discipulos indignatos esse. Satagente itaque Martha de cibis, Maria disponit[4] de unguentis, et quem illa reficit interius, hæc lassatum refovet[5] exterius. Nec nisi feminas Domino ministrasse scriptura commemorat evangelica[6]. Quæ proprias etiam facultates in quotidianam ejus alimoniam dicabant, et ei præcipue hujus vitæ necessaria procurabant. Ipse discipulis in mensa, ipse in ablutione pedum humillimum se ministrum exhibebat[7]. A nullo vero discipulorum, vel etiam virorum, hoc eum suscepisse novimus obsequium : sed solas, ut diximus, feminas in his vel cæteris humanitatis obsequiis ministerium impendisse. Et sicut in illo Marthæ, ita in isto novimus obsequium Mariæ[8]. Quæ quidem in hoc exhibendo tanto fuit devotior, quanto ante fuerat criminosior. Dominus, aqua in pelvim missa, illius ablutionis peregit officium; hoc vero ipsa ei lacrymis intimæ compunctionis, non exteriori aqua exhibuit. Ablutos discipulorum pedes linteo Dominus extersit; hæc pro linteo capillis usa est. Fomenta unguentorum insuper addidit, quæ nequaquam Dominum adhibuisse legimus. Quis etiam ignoret mulierem intantum de ipsius gratia præsumpsisse, ut caput quoque ejus superfuso delibuerit unguento? Quod quidem unguentum non de alabastro extractum, sed fracto alabastro memoratur effusum, ut nimiæ devotionis vehemens exprimeretur desiderium, quæ ad nullum[9] ulterius usum illud reservandum censebat, quo in tanto usa sit obsequio. In quo etiam ipsum jam unctionis defectum factis ipsis exhibet, quem antea Daniel futurum prædixerat[10] : postquam videlicet ungeretur[11] Sanctus sanctorum. Ecce enim Sanctum sanctorum mulier inungit, et eum pariter hunc esse quem credit, et quem verbis propheta præsignaverat, factis ipsa proclamat. Quæ est ista, quæso, Domini benignitas; aut quæ mulierum dignitas, ut tam caput quam pedes suos ipse non nisi feminis præberet inungendos? Quæ est ista, obsecro, infirmioris sexus prærogativa, ut summum Christum omnibus Spiritus sancti unguentis ab

[1] Luc., cap. VII, v. 37 et sq. — [2] *Correptum* C. — [3] Joan., cap. XII, v. 3. — [4] Sic D.-*Disposuit* Edd. — [5] *Fovet* CD. — [6] Luc., cap. VIII, v. 2. — [7] Joan., cap. XIII, v. 5. — [8] Marc., cap. XIV, v. 3. — [9] Sic D. -*Multum* Edd. — [10] Dan., cap. IX, v. 24. — [11] *Inungeretur* D.

ipsa ejus conceptione delibutum[1] mulier quoque inungeret, et quasi corporalibus sacramentis eum in regem et sacerdotem consecrans, Christum, id est unctum, corporaliter ipsum efficeret? Scimus primum a patriarcha Jacob[2] in typum Domini lapidem unctum fuisse. Et postmodum regum sive sacerdotum unctiones, seu quælibet unctionum sacramenta non nisi viris celebrare permissum est; licet baptizare nonnunquam mulieres præsumant. Lapidem olim patriarcha templum, nunc et altare pontifex oleo sanctificat. Viri itaque sacramenta figuris imprimunt; mulier vero in ipsa operata est veritate, sicut et ipsa protestatur Veritas dicens[3]: « Bonum opus operata est in me. » Christus ipse a muliere, Christiani a viris inunguntur: caput ipsum scilicet a femina, membra a viris. Bene autem effudisse unguentum, non stillasse super caput ejus mulier memoratur. Secundum quod de ipso sponsa in canticis præcinit dicens: « Unguentum effusum nomen tuum[4]. » Hujus quoque unguenti copiam per illud, quod a capite usque ad oram vestimenti defluxit[5], psalmista mystice præfigurat, dicens[6]: « Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Quod descendit in oram vestimenti ejus. » Trinam David unctionem, sicut et Hieronymus in psalmo XXVI meminit, accepisse legimus; trinam et Christum sive Christianos: pedes quippe Domini, sive caput, muliebre susceperunt unguentum; mortuum vero ipsum Joseph ab Arimathia et Nicodemus, sicut refert Joannes[7], cum aromatibus sepelierunt. Christiani quoque trina sanctificantur unctione: quarum una fit in baptismo, altera in confirmatione, tertia vero infirmorum est. Perpende itaque mulieris dignitatem[8], a qua vivens Christus bis inunctus, tam in pedibus scilicet quam in capite, regis et sacerdotis suscepit sacramenta. Myrrhæ vero et aloes unguentum, quod ad conservanda corpora mortuorum adhibetur, ipsius dominici corporis incorruptionem futuram præsignabat, quam etiam quilibet electi in resurrectione sunt adepti[9]. Priora autem mulieris[10] unguenta singularem ejus tam regni quam sacerdotii demonstrant dignitatem: unctio quidem capitis superiorem, pedum vero inferiorem. Ecce regis[11] etiam sacramentum a muliere suscipit, qui tamen oblatum a viris sibi regnum suscipere respuit, et ipsis eum in regem rapere volentibus aufugit. Cœlestis, non terreni regis mulier sacramentum peragit; ejus, inquam, qui de semetipso postmodum ait[12]: « Regnum meum non est de hoc mundo. » Gloriantur episcopi quum, applaudentibus populis, terrenos inungunt reges, quum mortales consecrant sacerdotes, splendidis et inauratis vestibus adornati, et sæpe his benedicunt, quibus Dominus maledicit. Humilis

[1] Isai., cap. XI, v. 2. — [2] *Genes.*, cap. XXVIII, v. 18. — [3] Marc., cap. XIV, v. 6. — [4] *Cant. Cant.*, cap. I, v. 2. — [5] *Defluit* CD et MS. Amb. — [6] Psalm. CXXXII, v. 2. — [7] Joan., cap. XIX, v. 38. — [8] Luc., cap. VII, v. 38. — Joan., cap. XII, v. 3. — [9] *Adepturi* D et MS. Amb. — [10] Sic D. – *Mulieres* Edd. perperam. — [11] *Rex* MS. Amb. — [12] Joan., cap. XVIII, v. 36.

mulier non mutato habitu, non præparato cultu, ipsis quoque indignantibus apostolis hæc in Christo sacramenta peragit; non prælationis officio, sed devotionis [1] merito. O magnam fidei constantiam! o inestimabilem charitatis ardorem, quæ « omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet [2]. » Murmurat Pharisæus [3] dum a peccatrice pedes dominici inunguntur: indignantur patenter apostoli, quod de capite quoque mulier præsumpserit. Perseverat ubique [4] mulieris fides immota, de benignitate Domini confisa, nec ei in utroque dominicæ commendationis desunt suffragia. Cujus quidem unguenta quam accepta, quam grata Dominus habuerit, ipsemet profitetur quum sibi hæc reservari postulans indignanti Judæ dixit [5]: « Sine illam ut in die sepulturæ meæ servet illud. » Ac si diceret: Ne repellas hoc ejus obsequium a vivo, ne devotionis ejus exhibitionem in hac quoque re auferas defuncto. Certum quippe est, sepulturæ quoque dominicæ sanctas mulieres aromata parasse. Quod tunc ista utique minus satageret, si nunc repulsa verecundiam sustinuisset. Qui etiam quasi de tanta mulieris præsumptione discipulis indignantibus, et ut Marcus meminit [6], in eam frementibus, quum eos mitissimis fregisset responsis, in tantum hoc extulit beneficium, ut ipsum Evangelio inserendum esse censeret, et cum ipso pariter ubique prædicandum esse prædiceret; in memoriam scilicet et laudem mulieris, quæ id fecerit in quo non mediocris arguebatur præsumptionis. Quod nequaquam de aliis quarumcunque personarum obsequiis auctoritate dominica sic commendatum esse legimus atque sancitum. Qui etiam [7] viduæ pauperis eleemosynam omnibus templi præferens oblationibus, quam accepta sit ei feminarum devotio diligenter ostendit. Ausus quidem est Petrus seipsum et coapostolos suos [8] pro Christo omnia reliquisse profiteri. Et Zachæus [9] desideratum Domini adventum suscipiens, dimidium bonorum suorum pauperibus largitur, et in quadruplum, si quid defraudavit, restituit. Et multi alii majores in Christo seu pro Christo [10] fecerunt expensas, et longe pretiosiora in obsequium obtulerunt divinum, vel pro Christo reliquerunt. Nec ita tamen dominicæ commendationis laudem adepti sunt, sicut feminæ. Quarum quidem devotio quanta semper erga eum extiterit, ipse quoque dominicæ vitæ exitus patenter insinuat. Hæ quippe, ipso apostolorum principe negante, et dilecto Domini fugiente, vel cæteris dispersis apostolis, intrepidæ perstiterunt: nec eas a Christo vel in passione, vel in morte formido aliqua, vel desperatio separare potuit. Ut eis specialiter illud Apostoli congruere videatur [11]: « Quis nos separabit a charitate Dei? Tribulatio an angustia? »

— [1] Sic ACD. — *Dilectionis* MS. Amb. — *Delationis* Edd. — [2] *Corinth. I*, cap. XIII, v. 10. — [3] Luc., cap. VII, v. 39. — [4] *Utique* MS. Amb. — [5] Joan., cap. XII, v. 7. — [6] Marc., cap. XIV, v. 9. — [7] Marc., cap. XII, v. 43. — [8] *Commilitones Apostolos* RMS. — [9] Luc., cap. XIX, v. 8. — [10] Inseritur *non indecoras* RMS. — [11] *Rom.*, cap. VIII, v. 35.

Unde Matthæus, quum de se pariter et cæteris retulisset[1] : « Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt, » perseverantiam postmodum supposuit mulierum, quæ ipsi etiam crucifixo quantum permittebatur assistebant. « Erant, » inquit[2], « ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ fuerant Jesum a Galilæa, ministrantes ei. » Quas denique ipsius quoque sepulcro immobiliter adhærentes idem diligenter evangelista describit, dicens[3] : « Erant autem Maria Magdalene, et altera Maria sedentes contra sepulcrum. » De quibus etiam mulieribus Marcus commemorans ait[4] : « Erant autem et mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Magdalene, et Maria Jacobi minoris, et Joseph mater, et Salome. Et quum esset in Galilea sequebantur eum, et ministrabant ei, et aliæ multæ quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam. » Stetisse autem juxta crucem, et crucifixo se etiam astitisse Joannes, qui prius aufugerat, narrat; sed perseverantiam præmittit[5] mulierum, quasi earum exemplo animatus esset ac revocatus. « Stabant, » inquit[6], « juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Quum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem, etc. » Hanc autem sanctarum constantiam mulierum, et discipulorum defectum longe ante beatus Job in persona Domini prophetavit[7], dicens[8] : « Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. » In osse quippe, quod carnem et pellem sustentat et gestat, fortitudo est corporis. In corpore igitur Christi, quod est Ecclesia, os ipsius dixit christianæ fidei stabile fundamentum, sive fervor ille charitatis, de quo canitur[9] : « Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. » De quo et Apostolus[10] : « Omnia, » inquit, « suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. » Caro autem in corpore pars interior est, et pellis exterior. Apostoli ergo interiori animæ cibo prædicando intendentes, et mulieres corporis necessaria procurantes, carni comparantur et pelli. Quum itaque carnes consumerentur, os Christi adhæsit pelli ; quia scandalizatis in passione Domini apostolis, et de morte ipsius desperatis, sanctarum devotio feminarum perstitit immobilis, et ab osse Christi minime recessit ; quia fidei, vel spei, vel charitatis constantiam intantum retinuit, ut nec a mortuo mente disjungerentur aut corpore. Sunt et viri naturaliter[11] tam mente quam corpore feminis fortiores. Unde et merito per carnem, quæ vicinior est ossi, virilis natura ; per pellem muliebris infirmitas designatur. Ipsi quoque apostoli, quorum est reprehendendo lapsus aliorum mordere, dentes Domini dicuntur. Quibus tantummodo labia, id est verba, potius quam facta remanserant, quum jam desperati de Christo magis loquerentur, quam pro Christo quid

[1] Matth., cap. XXVI, v. 56. — [2] Ibid., cap. XXVII, v. 55. — [3] Ibid., v. 61. — [4] Marc., cap. XV, v. 40 et 41. — [5] *Missam facit* RMS. — [6] Joan., cap. XIX, v. 25. — [7] *Prædixit* RMS. — [8] *Job*, cap. XIX, v. 20. — [9] *Cantic.*, cap. VIII, v. 7. — [10] *Corinth. I*, cap. XIII, v. 7. — [11] *A natura* RMS.

operarentur. Tales profecto illi erant discipuli, quibus in castellum Emaus euntibus, et loquentibus adinvicem de his omnibus quæ acciderant ipsi, apparuit, et eorum desperationem [1] correxit. Quid denique Petrus vel cæteri discipulorum præter verba tunc habuerunt, quum ad dominicam ventum esset passionem, et ipse Dominus futurum eis de passione sua scandalum prædixisset? « Et si omnes, » inquit Petrus [2], « scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. » Et iterum [3]: « Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. » Dixerunt, inquam, potius quam fecerunt. Ille enim primus et maximus apostolorum, qui tantam in verbis habuerat constantiam, ut Domino diceret [4]: « Tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire; » cui tunc et Dominus Ecclesiam suam specialiter committens, dixerat [5]: « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, » ad unam ancillæ vocem ipsum negare non veretur. Nec semel id agit, sed tertio ipsum adhuc viventem denegat, et a vivo pariter omnes discipuli uno temporis puncto fugiendo devolant: a quo nec in morte vel mente vel corpore feminæ sunt disjunctæ. Quarum beata illa peccatrix mortuum etiam quærens, et Dominum suum confitens, ait [6]: « Tulerunt Dominum de monumento. » Et iterum [7]: « Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti [8], et ego eum tollam. » Fugiunt arietes, imo et pastores dominici gregis: remanent oves intrepidæ. Arguit hos Dominus tanquam infirmam carnem, quod in articulo etiam passionis suæ nec una hora cum eo potuerunt vigilare. Insomnem ad sepulcrum illius noctem in lacrymis feminæ ducentes, resurgentis gloriam primæ videre meruerunt. Cui fideliter in mortem quantum dilexerint vivum, non tam verbis quam rebus exhibuerunt. Et de ipsa etiam, quam [9] circa ejus passionem et mortem habuerunt sollicitudinem, resurgentis vita primæ sunt lætificatæ. Quum enim, secundum Joannem, Joseph ab Arimathia, et Nicodemus corpus Domini ligantes linteis cum aromatibus sepelirent; refert Marcus de earum studio, quod Maria Magdalene et Maria Joseph aspiciebant ubi poneretur. De his quoque Lucas commemorat dicens [10]: « Secutæ autem mulieres, quæ cum Jesu venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus, et revertentes paraverunt aromata. » Nec satis videlicet habentes aromata Nicodemi, nisi et adderent sua. Et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum; juxta Marcum vero, quum transisset sabbatum, summo mane in ipso die resurrectionis venerunt ad monumentum Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome. Nunc quoniam devotionem earum ostendimus, honorem quem meruerint [11] prosequamur. Primo angelica visione sunt consolatæ de

[1] *Spem abjectam* RMS. — [2] Matth., cap. XXVI, v. 33. — [3] Ibid., v. 35. — [4] Luc., cap. XXII, v. 33. — [5] Ibid., v. 32. — [6] Joan., cap. XX, v. 2. — [7] Joan., cap. XX, v. 15. — [8] *Posuisti eum* D. — [9] *Quia* MS. Amb. — [10] Luc., cap. XXIII, v. 55 et 56. — [11] *Meruerunt* D.

resurrectione Domini jam completa : demum ipsum Dominum primæ viderunt et tenuerunt. Prior quidem Maria Magdalene, quæ cæteris ferventior erat; postea ipsa simul, et aliæ, de quibus scriptum est, quod post angelicam visionem[1] « exierunt de monumento, currentes nuntiare discipulis resurrectionem Domini. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens : Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. Tunc ait Jesus : Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam. Ibi me videbunt. » De quo et Lucas prosecutus ait[2] : « Erat Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc. » Quas etiam ab angelo primum fuisse missas ad apostolos nuntiare hæc non reticet Marcus[3], ubi, angelo mulieribus loquente, scriptum est : « Surrexit : non est hic. Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia præcedet vos in Galilæam. » Ipse etiam Dominus primo Mariæ Magdalenæ apparens, ait illi[4] : « Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum. » Ex quibus colligimus has sanctas mulieres quasi apostolas super apostolos esse constitutas, quum ipsæ ad eos vel a Domino vel ab angelis missæ summum illud resurrectionis gaudium nuntiaverunt, quod expectabatur ab omnibus, ut per eas apostoli primum addiscerent quod toti mundo postmodum prædicarent. Quas etiam post resurrectionem Domino occurrente salutari ab ipso evangelista supra memoravit : ut tam occursu suo quam salutatione quantam erga eas sollicitudinem et gratiam haberet ostenderet. Non enim aliis proprium salutationis verbum, quod est : « Avete, » eum legimus protulisse : imo et[5] salutatione antea discipulos inhibuisse, quum eis diceret[6] : « Et neminem per viam salutaveritis. » Quasi hoc privilegium nunc usque devotis feminis reservaret, quod per semetipsum eis exhiberet, immortalitatis gloria jam potitus. *Actus* quoque *Apostolorum* quum referant statim post ascensionem Domini apostolos a monte Oliveti Hierusalem rediisse, et illius sacrosancti conventus religionem diligenter describant, non est devotionis sanctarum mulierum perseverantia prætermissa, quum dicitur[7] : « Hi erant omnes perseverantes unanimiter in orationibus cum mulieribus, et Maria matre Jesu. » Ut autem de Hebræis prætermittamus feminis, quæ primo conversæ ad fidem vivente adhuc Domino in carne, et prædicante, formam hujus religionis inchoaverunt, de viduis quoque Græcorum, quæ ab apostolis postea susceptæ sunt consideremus; quanta scilicet diligentia, quanta cura ab apostolis et ipsæ tractatæ sint, quum ad ministrandum eis gloriosissimus signifer christianæ militiæ Stephanus protomartyr cum quibusdam aliis spiritalibus viris ab ipsis apostolis fuerit constitutus. Unde in eisdem

[1] Matth., cap. xxviii, v. 8 et sq. — [2] Luc., cap. xx, v. 10. — [3] Marc., cap. xvi, v. 6 et 7. — [4] Joan., cap. xx, v. 17. — [5] Sic D. – *Imo ista* Edd. — [6] Luc., cap. x, v. 4. — [7] *Act. Apost.*, cap. i, v. 14.

Actibus Apostolorum scriptum est[1] : « Crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim apostoli multitudinem discipulorum, dixerunt : Non est æquum derelinquere nos Verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex omnibus vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram multitudine. Et elegerunt Stephanum plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timotheum, et Parmænam, et Nicolaum Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus. » Unde et continentia Stephani admodum commendatur, quod ministerio atque obsequio sanctarum feminarum fuerit deputatus. Cujus quidem obsequii ministratio, quam excellens sit, et tam Deo quam ipsis apostolis accepta, ipsi tam propria oratione quam manuum impositione protestati sunt : quasi hos, quos in hoc constituebant, adjurantes ut fideliter agerent, et tam benedictione sua quam oratione eos adjuvantes ut possent. Quam etiam Paulus administrationem ad apostolatus sui plenitudinem ipse sibi vindicans[2] : « Nunquid[3] non habemus, » inquit, « potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut et cæteri apostoli ? » Ac si aperte diceret : Nunquid et sanctarum mulierum conventus nos habere ac nobiscum in prædicatione ducere permissum est, sicut cæteris apostolis ? ut ipsæ videlicet eis in prædicatione de sua substantia necessaria ministrarent. Unde Augustinus in libro *de Opere Monachorum*[4] : « Ad hoc, » inquit, « et fideles mulieres habentes terrenam substantiam ibant cum eis, et ministrabant eis de sua substantia, ut nullius indigerent horum quæ ad substantiam hujus vitæ pertinent. » Item[5] : « Quod quisquis non putat ab apostolis fieri, ut cum eis sanctæ conversationis mulieres circumirent quocunque evangelium prædicabant : Evangelium audiant, et cognoscant quemadmodum hoc ipsius Domini exemplo faciebant.... In evangelio enim scriptum est[6] : « Deinceps et ipse iter faciebat per civitates et castella evangelizans regnum Dei, et duodecim cum illo, « et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus immundis, et infirmitatibus, « Maria quæ vocatur Magdalene, et Joanna uxor Cuzæ procuratoris Herodis, et « Susanna, et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. » Ut hinc quoque pateat Dominum etiam in prædicatione sua proficiscentem ministratione mulierum corporaliter sustentari, et eas ipsi pariter cum apostolis quasi inseparabiles comites adhærere. Demum[7] vero hujus professionis religione in feminis pariter

[1] *Act. Apost.*, cap. VI, v. 1 et sq. — [2] *Corinth. I*, cap. IX, v. 5. — [3] *Nunquid etiam* D. — [4] *Opp.* t. VI, cap. IV, col. 478. — [5] Ibid., cap. VI, col. 479. — [6] Luc. cap. VIII, v. 1 et sq. — [7] *Deinde* MS. Amb.

ut in viris multiplicata, in ipso statim Ecclesiæ nascentis exordio æque sicut viri, ita et feminæ propriorum per se monasteriorum habitacula possederunt. Unde et *Ecclesiastica Historia* laudem Philonis disertissimi Judæi, quam non solum dixit, verum etiam magnifice scripsit de alexandrina sub Marco ecclesia, ita inter cætera libro II, capitulo XVI commemorat : « In multis est, » inquit, « orbis terræ partibus hoc genus hominum. » Et post aliqua : « Est autem in singulis locis consecrata orationi domus, quæ appellatur senivor (*sic*), vel monasterium [1]. » Item infra[2] : « Itaque non solum subtilium intelligunt hymnos veterum, sed ipsi faciunt novos in Deum, omnibus eos et metris et sonis honesta satis et suavi compage modulantes. » Item, plerisque de abstinentia eorum[3] præmissis, et divini cultus officiis, adjecit[4] : « Cum viris autem, quos dicimus, sunt et feminæ, in quibus plures jam grandævæ sunt virgines, integritatem ac castitatem corporis non necessitate aliqua, sed devotione servantes; dum sapientiæ studiis semet gestiunt non solum anima, sed etiam[5] corpore consecrare, indignum ducentes libidini mancipare vas ad capiendam sapientiam præparatum, et edere mortalem partum eas, a quibus divini verbi concubitus sacrosanctus et immortalis expetitur : ex quo posteritas relinquatur nequaquam corruptelæ mortalitatis obnoxia. » Item ibidem de Philone : « Etiam de conventibus eorum scribit, ut seorsum quidem viri, seorsum etiam in eisdem locis feminæ congregentur, et ut vigilias, sicut apud nos fieri mos[6] est, peragant. » Hinc illud est in laude christianæ philosophiæ, hoc est monasticæ prærogativæ, quod *Tripartita* commemorat *Historia*, non minus a feminis quam a[7] viris arreptæ. Ait quippe sic libro I, cap. XI : « Hujus elegantissimæ philosophiæ princeps fuit quidem, sicuti quidam dicunt, Elias propheta, et Baptista Joannes. » Philo autem pythagoricus suis temporibus refert undique egregios Hebræorum in quodam prædio circa stagnum Maria in colle positum philosophatos. Habitaculum vero eorum, et cibos, et conversationem talem introducit, qualem et nos nunc apud Ægyptiorum monachos esse conspicimus. Scribit eos ante solis occasum non gustare cibum, vino semper et sanguinem habentibus abstinere, cibum eis esse panis, et salis, et hysopy, et potum aquæ; mulieres eis cohabitare seniores virgines, propter amorem philosophiæ spontanea voluntate nuptiis abstinentes. Hinc et illud est Hieronymi in libro *de Illustribus Viris*, capitulo VIII de laude Marci et Ecclesiæ, sic scribentis : « Primus Alexandriæ Christum annuntians constituit ecclesiam tantæ doctrinæ, et vitæ continentiæ, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo, disertissimus Judæorum, videns Alexandriæ primam

[1] Ἐν ἑκάστῃ δὲ ἔστιν οἴκημα ἱερὸν ὃ καλεῖται σεμνεῖον ἢ μοναστήριον. Euseb., *Hist. Eccles.*, lib. II, cap. XVI. — [2] Ibid., ibid. — [3] Sic D. – *Eorum* deest Edd. — [4] Euseb., *Hist. Eccles.*, lib. II, cap. XVI. — [5] *Et* D. — [6] Moris C. — [7] Sic D. – *A* deest Edd.

ecclesiam adhuc judaizantem, in laudem gentis suæ librum super eorum conversione scripsit, et quomodo Lucas narrat[1] Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia, sic et ille quod Alexandriæ sub Marco doctore fieri cernebat memoriæ tradidit.» Item cap. xi : « Philo Judæus, natione Alexandrinus, de genere sacerdotum idcirco a nobis inter scriptores ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci evangelistæ apud Alexandriam scribens ecclesia, in nostrorum laude versatus est, non solum eos ibi, sed in multis quoque provinciis esse commemorans, et habitacula eorum dicens monasteria. » Ex quo apparet tamen primum Christo credentium fuisse ecclesiam, quales nunc monachi esse imitantur et cupiunt, ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur et psalmis, doctrinæ quoque et continentiæ, quales et Lucas refert primum Hierosolimæ fuisse credentes[2]. Quod si veteres revolvamus historias, reperiemus in ipsis feminas in his quæ ad Deum pertinent, vel ad quamcunque religionis singularitatem, a viris non fuisse disjunctas. Quas etiam pariter, ut viros, divina cantica non solum cecinisse, verumetiam composuisse sacræ tradunt historiæ. Primum quippe canticum deliberatione israelitici populi non solum viri, sed etiam mulieres Domino decantaverunt : hinc statim divinorum officiorum in ecclesia celebrandorum auctoritatem ipsæ adeptæ. Sic quippe scriptum est[3] : « Sumpsit ergo Maria prophetes, soror Aaron, tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinebat dicens : « Cantemus Domino, gloriose « enim magnificatus est.» Nec ibi quidem Moyses commemoratur propheta, nec[4] præcinisse dicitur, sicut Maria, nec tympanum aut chorum viri habuisse referuntur sicut mulieres. Quum itaque Maria præcinens prophetes commemoratur, videtur ipsa non tam dictando vel recitando, quam[5] prophetando canticum istud protulisse. Quæ etiam quum cæteris præcinere describitur, quam ordinate sive concorditer psallerent demonstratur. Quod autem non solum voce, verum etiam tympanis et choris cecinerint, non solum earum maximam devotionem insinuat, verum etiam mystice spiritalis cantici in congregationibus monasticis formam diligenter exprimit. Ad quod et Psalmista nos exhortatur dicens[6] : « Laudate eum in tympano et choro, » hoc est in mortificatione carnis, et concordia illa charitatis, de qua scriptum est[7] : « Quia multitudinis credentium erat cor unum et anima una. » Nec vacat etiam a mysterio, quod egisse ad cantandum referuntur, in quo animæ contemplativæ jubili figurantur, quæ dum ad cœlestia se suspendit, quasi terrenæ habitationis castrum[8] deserit, et de ipsa contemplationis suæ in-

[1] *Act. Apost.*, cap. ii, v. 44. — [2] *Act. Apost.*, cap. iv, v. 32. — [3] *Exod.*, cap. xv, v. 20 et 21. — [4] *Nec* deest D. — [5] *Ex ore et animo numinis plenis* RMS. — [6] Psalm. cl, v. 4. — [7] *Act. Apost.*, cap. iv, v. 32. — [8] *Castra* D.

tima dulcedine hymnum spiritalem summa exultatione Domino persolvit. Habemus ibi quoque Delboræ[1], et Annæ, nec non Judith viduæ cantica, sicut et in evangelio Mariæ matris Domini. Quæ videlicet Anna Samuelem parvulum suum offerens tabernaculo Domini[2], auctoritatem suscipiendorum infantium monasteriis dedit. Unde Isidorus fratribus in cœnobio honorianensi[3] constitutis cap. v: « Quicunque, » inquit, « a parentibus propriis in monasterio fuerit[4] delegatus, noverit se ibi perpetuo mansurum. Nam Anna Samuelem puerum Deo obtulit. Qui et in ministerio templi, quo a matre fuerat[5] functus, permansit, et ubi constitutus est deservivit. » Constat etiam filias Aaron pariter cum fratribus suis ad sanctuarium et hæreditariam sortem Levi adeo pertinere, ut hinc quoque eis Dominus alimoniam instituerit, sicut scriptum est in libro *Numeri*, ipso ad Aaron sic dicente[6]: « Omnes primitias sanctuarii, quas offerunt filii Israel Domino, tibi dedi, et filiis ac filiabus tuis jure perpetuo. » Unde nec a clericorum ordine mulierum religio disjuncta videtur. Quas etiam ipsis nomine conjunctas esse constat, quum videlicet[7] tam diaconissas quam diaconos appellemus, ac si in utrisque tribum Levi, et quasi levitas agnoscamus. Habemus etiam in eodem libro votum illud maximum, et consecrationem Nazaræorum Domini æque feminis sicut et viris esse institutum, ipso ad Moysem Domino sic dicente[8]: « Loquere ad filios Israel, et dices ad eos: « Vir sive mulier quum fecerint votum ut sanctificentur, et « se voluerint Domino consecrare, vino et omni quod inebriare potest abstinebunt. « Acetum ex vino et ex qualibet alia potione, et quicquid de uva exprimitur non « bibent. Uvas recentes siccasque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto « Domino consecrantur. Quidquid ex vinea est ab uva passa usque ad acinum non « comedent omni tempore separationis suæ. » Hujus quidem religionis illas fuisse arbitror excubantes ad ostium tabernaculi, de quarum speculis Moyses vas composuit, in quo lavarentur Aaron et filii ejus, sicut scriptum est[9]: « Apposuit Moyses labrum æneum in quo lavarentur Aaron et filii ejus; quod fecit de speculis mulierum quæ excubabant[10] ad ostium tabernaculi. » Diligenter magnæ devotionis earum fervor describitur quæ clauso etiam tabernaculo, foribus ejus adhærentes sanctarum vigiliarum excubias celebrabant, noctem etiam ipsam in orationibus ducentes, et ab obsequio divino viris quiescentibus non vacantes. Quod vero clausum eis tabernaculum memoratur vita pœnitentium congrue designatur, qui ut se durius pœnitentiæ lamentis[11] afficiant, a cæteris segregantur. Quæ profecto vita specialiter monasticæ professionis esse perhibetur, cujus videlicet ordo nihil aliud esse dicitur quam quædam parcioris pœnitentiæ forma. Tabernaculum vero

[1] *Debore* C et MS. Amb. — [2] *Reg.* I, cap. I, v. 25. — [3] *Honoriacensi* MS. Amb. — [4] Sic C. – *Fuit* Edd. — [5] *Fuerat* deest D. — [6] *Numer.*, cap. XVIII, v. 19. — [7] *Esse constitutum videlicet* D. — [8] *Numer.*, cap. VI, v. 2 et sq. — [9] *Exod.*, cap. XXVIII, v. 8. — [10] *Excubant* D. — [11] *Doloribus* RMS.

ad cujus ostium excubabant, illud est mystice intelligendum, de quo ad Hebræos Apostolus scribit[1] : « Habemus altare, de quo non habent edere hi qui tabernaculo deserviunt, » id est quo participare digni non sunt qui corpori suo, in quo hic quasi in castris ministrant, voluptuosum impendunt obsequium. Ostium vero tabernaculi finis est vitæ præsentis, quando hinc anima exit de corpore, et futuram ingreditur vitam. Ad hoc ostium excubant qui de exitu hujus vitæ et introitu futuræ solliciti sunt, et sic pœnitendo disponunt hunc exitum, ut illum mereantur introitum. De hoc quidem quotidiano introitu et exitu sanctæ ecclesiæ illa est oratio Psalmistæ[2] : « Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum. » Tunc enim simul introitum et exitum nostrum custodit, quum nos hinc exeuntes et jam per pœnitentiam purgatos illuc statim introducit. Bene autem prius introitum quam exitum nominavit, non tam videlicet ordinem quam dignitatem attendens; quum hic exitus vitæ mortalis in dolore sit, ille vero introitus æternæ summa sit exultatio. Specula vero earum opera sunt exteriora, ex quibus animæ turpitudo vel decor dijudicatur, sicut ex speculo corporali qualitas humanæ faciei. Ex istis earum speculis vas componitur in quo se abluant Aaron et filii ejus, quando sanctarum feminarum opera et tanta infirmi sexus in Deo constantia pontificum et presbyterorum negligentiam vehementer increpant, et ad compunctionis lacrymas præcipue movent, et si prout oportet, ipsi earum sollicitudinem gerant, hæc ipsarum opera peccatis illorum veniam per quam abluantur præparant. Ex his profecto speculis vas sibi compunctionis beatus parabat Gregorius, quum sanctarum virtutem feminarum, et infirmi sexus in martyrio victoriam admirans, et ingemiscens quærebat : « Quid barbari dicturi sunt[3] viri, quum tanta pro Christo delicatæ puellæ sustineant, et tanto agone sexus fragilis triumphet, ut frequentius ipsum gemina virginitatis et martyrii corona pollere noverimus? » Ad has quidem, ut dictum est, ad ostium tabernaculi excubantes, et quæ jam quasi Nazareæ Domini suam ei viduitatem consecraverant, beatam illam Annam pertinere non ambigo, quæ singularem Domini Nazaræum Dominum Jesum Christum in templo cum sancto Simeone pariter meruit suscipere[4], et ut plus quam propheta fieret, ipsum eadem hora qua Simeon per spiritum agnoscere et præsentem demonstrare ac publice prædicare. Cujus quidem laudem evangelista diligentius prosecutus ait : « Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis et vixerat cum viro suo annis septem, a virginitate sua. Et hæc vidua erat usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. Et hac ipsa hora superveniens confitebatur Domino, et loquebatur omnibus qui expectabant re-

[1] *Hebr.*, cap. XIII, v. 10. — [2] Psalm. CXXI, v. 8. — [3] *Dicturi sint* D. — [4] Luc., cap. II, v. 36 et sq.

demptionem Hierusalem[1]. » Nota singula quæ dicuntur, et perpende quam studiosus in hujus viduæ laude fuerit evangelista, et quantis præconiis excellentiam[2] ejus extulerit. Cujus quidem prophetissæ gratiam quam habere solita erat, et parentem ejus, et tribum, et post septem annos, quos cum viro sustinuerat, longævum sanctæ viduitatis tempus quo se Domino mancipaverat, et assiduitatem ejus in templo, et jejuniorum et orationum instantiam, confessionem laudis, quas grates Domino referebat et publicam ejus prædicationem de promisso et nato Salvatore diligenter expressit; et Simeonem quidem jam superius evangelista de justitia, non de prophetia commendaverat, nec in eo tantæ continentiæ vel abstinentiæ virtutem, nec divini sollicitudinem obsequii fuisse memoravit, nec de ejus ad alios prædicatione quidquam adjecit. Hujus quoque professionis[3] atque propositi illæ sunt veræ viduæ, de quibus ad Timotheum scribens Apostolus ait[4]: « Viduas honora, quæ veræ viduæ sunt. » Item[5]: « Quæ autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus nocte ac die. Et hoc præcipe[6] ut irreprehensibiles sint. » Et iterum[7]: « Si quis fideles habet viduas subministret illis, et non gravetur Ecclesia, ut his quæ veræ viduæ sunt sufficiat. » Veras quippe viduas dicit quæ viduitatem suam secundis nuptiis non[8] dehonestaverunt, vel quæ devotione magis quam necessitate sic perseverantes Domino se dicarunt. Desolatas dicit quæ sic omnibus abrenuntiant, ut nullum terreni solatii subsidium retineant, vel qui earum curam agant non habent. Quas quidem et honorandas esse præcipit, et de stipendiis Ecclesiæ censet sustentari tanquam de propriis redditibus sponsi earum Christi. Ex quibus etiam quales ad diaconatus ministerium sint eligendæ diligenter describit, dicens[9]: « Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio suscepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne bonum opus consecuta est. Adolescentiores autem viduas devita. » Quod quidem beatus exponens Hieronymus: « Devita, » inquit[10], « in ministerio diaconatus præponere[11], ne malum pro bono detur exemplum, si videlicet juniores ad hoc eligantur quæ ad tentationem proniores et natura leviores: nec per experientiam longævæ ætatis providæ malum exemplum his præbeant, quibus maxime bonum dare debuerant. » Quod quidem malum[12] exemplum in junioribus viduis, quia jam Apostolus certis didicerat experimentis, aperte profitetur, et consilium insuper adversum hoc præbet.

[1] *Israel* MS. Amb. — [2] *Summam ejus flagrantemque pietatem celebravit* RMS. — [3] *Perfectionis* MS. Amb. — [4] *Timoth. I*, cap. v, v. 3. — [5] Ibid., v. 5. — [6] Sic D. – *Præcipue* Edd. — [7] *Timoth. I*, cap. v, v. 16. — [8] Inseritur *nota turpissimi adulterii a primævis christianis inusti non dedecoraverunt* RMS. — [9] *Timoth. I*, cap. v, v. 9, 10 et 11. — [10] Comm. in epist. *ad Timoth.*, *Opp.* t. V, col. 1092. Hunc commentarium pene omnes Hieronymo abjudicant, Pelagio tribuunt. — [11] Sic AD. – *Præponere* non legitur in edit. Amb. — [12] Sic ACD. – *Malum* deest in Edd.

Quum enim præmisisset : « Adolescentiores autem viduas devita, » causam hujus rei et consilii sui medicamentum statim apposuit, dicens[1] : « Quum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul autem et otiosæ discunt circumire domos : non solum otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario, maledicti gratia. Jam enim quædam conversæ sunt retro Sathanam. » Hanc quoque Apostoli providentiam, de diaconissis scilicet eligendis, beatus Gregorius secutus, Maximo siracusano episcopo scribit, his verbis[2] : « Juvenculas abbatissas vehementissime prohibemus. Nullum igitur episcopum fraternitas tua nisi sexagenariam virginem, cujus vitam atque mores exegerint, velare permittat. » Abbatissas quippe quas nunc dicimus antiquitus diaconissas vocabant, quasi ministeriales potius quam matres. Diaconus quippe minister interpretatur, et diaconissas ab administratione potius quam a prælatione nuncupandas esse censebant, secundum quod ipse Dominus tam exemplis quam verbis instituit, dicens[3] : « Qui major est vestrum, erit minister vester. » Et iterum[4] : « Nam quis major est, qui recumbit an qui ministrat ? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. » Et alibi[5] : « Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. » Unde et Hieronymus hoc ipsum nomen abbatis, quo jam gloriari multos noverat, ex ipsa Domini auctoritate non mediocriter ausus est arguere. Qui videlicet eum locum exponens quo scriptum[6] est in epistola *ad Galatas*[7] : « Clamantem : Abba pater. » « Abba, » inquit[8], « hebraicum est, hoc ipsum significans quod pater. Quum autem abba pater hebræo syroque sermone dicatur, et Dominus in Evangelio præcipiat[9], nullum patrem vocandum esse nisi Deum : nescio qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus. Et certe ipse præcepit hoc, qui dixerat non esse jurandum. Si non juramus, nec patrem quempiam nominemus. Si de patre interpretabimur aliter, et de jurando aliter sentire cogemur. » Ex his profecto diaconissis Phœben illam fuisse constat, quam Apostolus Romanis diligenter commendans, et pro ea exorans, ait[10] : « Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio ecclesiæ, quæ est in Cenchris : ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis, et assistatis ei in quocunque negotio vestro indiguerit. Etenim ipsa quoque astitit multis, et mihi ipsi. » Quem quidem locum tam Cassiodorus quam Claudius exponentes, ipsam illius ecclesiæ

[1] *Timoth.*, cap. v, v. 11 et sq. — [2] *Epist.*, lib. IV, 11, *Opp.* t. II, col. 692. — [3] Matth., cap. xxiii, v. 11. — [4] Luc., cap. xxiii, v. 27. — [5] Matth., cap. xx, v. 28. — [6] *Qui scriptus* MS. Amb. — [7] *Galat.*, cap. iv, v. 6. — [8] Comm. in epist. *ad Galat.*, lib. II, cap. iv, *Opp.* t. IV, p. 268. — [9] Matth., cap. v, v. 34. — [10] *Rom.*, cap. xvi, v. 1 et 2.

diaconissam fuisse profitentur. Cassiodorus : « Significat, » inquit, « diaconissam fuisse matris ecclesiæ. Quod in pactibus Græcorum hodie usque quasi militiæ causa peragitur. Quibus et baptizandi usus in ecclesia non negatur. » Claudius[1] : « Hic locus, » inquit, « apostolica auctoritate docet etiam feminas in ministerio ecclesiæ constitui, in quo officio positam Phœben apud ecclesiam, quæ est Cenchris, Apostolus magna cum laude et commendatione prosequitur. » Quales etiam ipse ad Timotheum scribens inter ipsos colligens diaconos simili morum instructione vitam earum instituit. Ibi quippe ecclesiasticorum ministeriorum[2] ordinans gradus, quum ab episcopo ad diaconos descendisset : « Diaconos, » inquit[3], « similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. » Et : « Hi autem probentur primum et sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas esse, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diacones sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint, et suis domibus. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu. » Quod itaque ibi de diaconibus dixit, « non bilingues : » hoc de diaconissis dicit, « non detrahentes. » Quod ibi « non multo vino deditos, » hic dicit « sobrias. » Cætera vero, quæ ibi sequuntur, hic breviter comprehendit dicens[4], « fideles in omnibus. » Qui etiam sicut episcopos sive diaconos esse prohibet digamos[5], ita et diaconissas unius viri uxores instituit esse, ut jam supra meminimus : « Vidua, » inquit[6], « eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem viduas devita. » In qua quidem diaconissarum descriptione vel instructione, quam diligentior fuerit Apostolus quam in præmissis tam episcoporum quam Diaconorum institutionibus facile est assignare. Quippe quod ait, « in operibus bonis testimonium habens, » vel, « si hospitio recepit, » nequaquam in diaconibus memoravit. Quod vero adjecit, « si sanctorum pedes lavit, si tribulationem, etc., » tam in episcopis quam in diaconis tacitum est. Et episcopos quidem et diaconos dicit « nullum crimen habentes. » Istas vero non solum irreprehensibiles esse præcipit, verum etiam « omne opus bonum subsecutas » dicit. Caute etiam de maturitate ætatis earum providit, ut in omnibus auctoritatem habeant, dicens : « non minus sexaginta annorum, » et non solum vitæ earum, verum etiam ætati longævæ in multis pro-

[1] Locus iste legitur in commentario nondum edito Claudii, taurinensis episcopi, super epistola *ad Romanos*. Vid. Cod. regium parisiensem, 2392, fol. 64, R°, col. 1; et Fabricium, *Bibl. med. et inf. Latin.*, t. I, p. 388.—[2] *Ministrorum* MS. Amb.— [3] *Timoth. I*, cap. III, v. 8 —[4] Sic D. – *Dicens* deest in Edd. — [5] *Bigamos* MS. Amb. – [6] *Timoth. I*, cap. v, v. 9 et sq.

batæ reverentia deferatur. Unde et Dominus licet Joannem plurimum diligeret, Petrum tamen seniorem tam ipsi quam cæteris præfecit. Minus quippe omnes indignantur seniorem sibi quam juniorem præponi; et libentius seniori paremus, quem non solum vita priorem, verum etiam et natura et ordo temporis fecit. Hinc et Hieronymus in primo *Contra Jovinianum*, quum de prælatione Petri meminerit: « Unus, » inquit, « eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio. Sed cur non Joannes electus est? Ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens et pene puer progressæ ætatis hominibus præferretur, et magister bonus, qui occasionem jurgii debuerat auferre discipulis, in adolescentem, quem dilexerat, causam præbere videretur invidiæ. » Hoc abbas ille diligenter considerabat, qui sicut in *Vitis Patrum* scriptum est, juniori fratri, qui primus ad conversionem venerat, primatum abstulit, et majori eum tradidit; hoc uno tantum, quia hic illum ætate præcedebat. Verebatur quippe ne ipse etiam frater carnalis indigne ferret juniorem sibi præponi. Meminerat ipsos quoque apostolos de duobus ipsorum indignatos esse, quum apud Christum matre interveniente prærogativam quamdam affectasse viderentur : maxime quum unus horum esset duorum, qui cæteris junior erat apostolis, ipse videlicet Joannes, de quo modo diximus. Nec solum in diaconissis instituendis apostolica plurimum invigilavit cura, verum generaliter erga sanctæ professionis viduas quam studiosus extiterit liquet, ut omnem amputet tentationis occasionem. Quum enim præmisisset[1] : « Viduas honora, quæ veræ viduæ sunt, » statim adjecit[2] : « Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus. » Et post aliqua[3] : « Si quis, » inquit, « suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. » In quibus quidem verbis simul et debitæ providet humanitati, et propositæ religioni. Ne videlicet sub obtentu religionis parvuli deserantur inopes, et carnalis compassio erga indigentes sanctum viduæ perturbet propositum, et retro respicere cogat, et nonnunquam etiam usque ad sacrilegia trahat, et aliquid suis porrigat, quod de communi defraudet. Unde necessarium patet[4] consilium, ut quæ domesticorum cura sunt implicitæ, antequam ad veram viduitatem transeuntes, divinis se penitus obsequiis mancipent, hanc vicem suis parentibus reddant : ut sicut eorum cura fuerunt educatæ, ipsæ quoque posteris suis eadem lege provideant. Qui etiam viduarum religionem exaggerans[5], eas instare præcipit obsecrationibus et orationibus nocte et die. De quarum etiam necessitudinibus admodum sollicitus : « Si quis fidelis, » inquit[6], « habet viduas, subministret

[1] *Timoth. I*, cap. v, v. 3.— [2] Ibid , ibid., v. 4. – [3] Ibid., v. 8.— [4] *Præbet* C.— [5] *Amplificans* RMS. — [6] *Timoth. I*, cap. v, v. 16.

illis, et non gravetur Ecclesia, ut his quæ veræ viduæ sunt sufficiat. » Ac si aperte dicat : Si qua est vidua, quæ tales habeat domesticos, qui ei necessaria de facultatibus suis valeant ministrare; ipsi super hoc ei provideant, ut cæteris sustentandis publici sumptus ecclesiæ possint sufficere. Quæ quidem sententia patenter ostendit, si qui erga hujusmodi viduas suas obstinati sunt, eos ad hoc debitum ex apostolica auctoritate constringendos esse. Qui non solum earum necessitudini, verum etiam providens honori : « Viduas, » inquit[1], « honora, quæ veræ viduæ sunt. » Tales illas fuisse credimus, quarum alteram ipse matrem, alteram Joannes evangelista dominam, ex sanctæ professionis reverentia vocat : « Salutate, » inquit Paulus ad Romanos scribens[2], « Rufum electum in Domino, et matrem ejus, et meam. » Joannes vero in secunda quam scribit epistola[3] : « Senior, » inquit, « electæ dominæ, et natis ejus, etc. » A qua etiam se diligi postulans inferius adjunxit : « Et nunc rogo te, domina, ut diligamus alterutrum. » Cujus quoque fretus auctoritate Hieronymus, ad vestræ professionis virginem Eustochium scribens[4], eam appellare dominam non erubuit : imo cur etiam debuerit, statim opposuit dicens : « Hoc idcirco domina mea Eustochium, dominam quippe debeo vocare sponsam Domini nostri[5], etc. » Qui etiam postmodum in eadem epistola hujus sancti propositi prærogativam omni terrenæ felicitatis gloriæ superponens[6], ait : « Nolo habeas consortia[7] matronarum, nolo ad nobilium accedas domos, nolo frequenter videas, quod contemnens virgo esse voluisti. Si ad imperatoris uxorem concurrerit ambitio salutantium, cur tu facis injuriam viro tuo? Ad hominis conjugem sponsa Dei quid properas? Disce in hac parte superbiam sanctam. Scito te esse illis meliorem. » Qui etiam ad virginem Deo dicatam scribens de consecratis Deo virginibus, quantam in cœlo beatitudinem[8], et in terra possideant dignitatem, ita exorsus ait[9] : « Quantam in cœlestibus beatitudinem virginitas sancta possideat, præter Scripturarum testimonia Ecclesiæ etiam consuetudine edocemur, qua addiscimus peculiare illis subsistere meritum, quarum spiritalis est consecratio. Nam quum unaquæque turba credentium paria gratiæ dona percipiant, et iisdem omnes sacramentorum benedictionibus glorientur, istæ proprium aliquid præ cæteris habent, dum de illo sancto et immaculato Ecclesiæ grege quasi sanctiores purioresque hostiæ pro voluntatis suæ meritis a Spiritu sancto eliguntur, et per summum sacerdotem Dei offeruntur altario. » Item[10] : « Possidet ergo virginitas et quod alii non habent, dum et peculiarem obtinet gratiam, et proprio, ut ita dixerim, consecrationis pri-

[1] *Timoth.* *I*, v. 3. — [2] *Rom.*, cap. XVI, v. 13. — [3] Joan., II, cap. I, v. 1. — [4] Epist. XVIII, *ad Eustochium*, *Opp.* t. IV, col. 27. — [5] *Domini mei* D. — [6] Ibid., col. 33. — *Anteponens*, *hæc profert* RMS. — [7] *Consortium* MS. Amb. — [8] *Quam beatam in cœlis sortem* RMS. — [9] *Opp.*, t. V, col. 108. — [10] Ibid., col. 109. Falso hæc epistola adscripta fuisse Hieronymo videtur.

vilegio gaudet. Virginum quippe consecrationem, nisi periculo mortis urgente, celebrari alio tempore non licet quam in Epiphania et Albis Paschalibus, et in apostolorum natalitiis; nec nisi a summo sacerdote, id est episcopo tam ipsas quam ipsarum sacris capitibus imponenda velamina sanctificari. » Monachis autem, quamvis ejusdem sint professionis, vel ordinis, et dignioris sexus, etiam si sint virgines, qualibet die benedictionem et ab abbate suscipere tam ipsis quam propriis eorum indumentis, id est cucullis, permissum est. Presbyteros quoque et cæteros inferioris gradus clericos semper in jejuniis quatuor temporum, et episcopos omni die dominico constat ordinari posse. Virginum autem consecratio quanto pretiosior, tanto rarior, præcipuarum exultationem solemnitatum sibi vindicavit. De quarum[1] virtute mirabili universa amplius congaudet Ecclesia, sicut et Psalmista prædixerat his verbis[2] : « Adducentur regi virgines post eam. » Et rursum : « Afferentur in lætitia et exultatione, adducentur in templum regis. » Quam[3] etiam consecrationem Matthæus apostolus simul et evangelista composuisse vel dictasse refertur, sicut in ejus passione legitur, ubi et ipse pro earum consecratione vel virginalis propositi defensione martyr occubuisse memoratur. Nullam vero benedictionem vel clericorum vel monachorum apostoli nobis scriptam reliquerunt. Quarum quoque religio sola ex nomine sanctitatis est insignita, quum ipsæ a sanctimonia, id est sanctitate, sanctimoniales sunt[4] dictæ. Quippe quo infirmior est feminarum sexus, gratior est Deo atque perfectior earum virtus : juxta ipsius quoque Domini testimonium, quo infirmitatem Apostoli ad certaminis coronam exhortans, ait[5] : « Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. » Qui etiam de corporis sui, quod est Ecclesia, membris per eumdem loquens apostolum, ac si præcipue tam infirmorum membrorum honorem commendaret, in eadem subjunxit epistola, hoc est *ad Corinthios* prima[6] : « Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt; et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his abundantiorem honorem circumdamus : et quæ inhonesta nostra sunt, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent. Sed Deus temperavit corpus ei cui dederat abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed in id ipsum pro invicem sollicita sint membra. » Quis autem adeo integre per divinæ gratiæ dispensationem hæc in aliquo dixerit adimpleri, sicut in ipsa muliebris sexus infirmitate, quem tam culpa quam natura contemptibilem[7] fecerat? Circumspice singulos in hoc sexu gradus, non solum virgines, ac viduas, seu conjugatas, verum etiam ipsas scortorum abominationes, et in eis

[1] *Quarum scilicet* D. — [2] Psalm. XLIV, v. 15 et 16. — [3] *Quarum* D et MS. Amb. — [4] *Sint* D. — [5] *Corinth. II*, cap. XII, v. 9. — [6] *Corinth. I*, cap. XII, v. 22 et sq. — [7] *Demissum* RMS.

Christi gratiam videbis ampliorem[1]: ut juxta dominicam et apostolicam sententiam[2]: « Sint novissimi primi, et primi novissimi, » et[3]: « Ubi abundavit delictum, superabundet et gratia. » Cujus quidem divinæ gratiæ beneficia vel honorem feminis exhibita si ab ipso exordio mundi repetamus, reperiemus statim mulieris creationem quadam præcellere dignitate: quum ipsa scilicet[4] in paradiso, vir extra creatus sit. Ut hinc præcipue mulieres admoneantur attendere, quam sit earum naturalis patria paradisus, et quo amplius eas cœlibem paradisi vitam sequi conveniat. Unde Ambrosius in libro *de Paradiso*[5]: « Et apprehendit, » inquit, « Deus hominem quem fecit, et posuit eum in Paradiso. Vides quoniam qui erat apprehenditur. In paradiso eum collocavit. Adverte quia extra paradisum vir factus est, et mulier intra paradisum. In inferiori loco vir melior invenitur, et illa quæ in meliore loco facta est inferior reperitur. Prius quoque Dominus Evam totius originem mali restauravit in Maria, quam Adam in Christo reparavit. Et sicut a muliere culpa, sic a muliere cœpit gratia, et virginitatis refloruit prærogativa. Ac prius in Anna et Maria viduis et virginibus sanctæ professionis forma est[6] exhibita, quam in Joanne vel apostolis monasticæ religionis exempla viris proposita. Quod si post Evam, Delboræ, Judith, Esther virtutem intueamur, profecto non mediocrem robori virilis sexus inferemus erubescentiam. Delbora[7] quippe dominici judex populi[8], viris deficientibus dimicavit, et devictis hostibus populoque Domini liberato, potenter triumphavit. Judith[9] inermis cum Abra sua terribilem exercitum est aggressa, et unius Holoferni proprio ipsius gladio caput amputans, sola universos stravit hostes, et desperatum populum suum liberavit. Esther[10] spiritu latenter suggerente contra ipsum etiam legis decretum gentili copulata regi, impiissimi Aman consilium, et crudele regis prævenit edictum, constitutamque regiæ deliberationis sententiam quasi uno temporis momento in contrarium convertit. Magnæ ascribitur virtuti quod David in funda et lapide Goliam aggressus[11] est et devicit. Judith[12] vidua ad hostilem procedit exercitum sine funda et lapide, sine omni adminiculo armaturæ dimicatura. Esther[13] solo verbo populum suum liberat, et conversa in hostes sententia, corruerunt ipsi in laqueum quem tetenderant. Cujus quidem insignis facti memoria singulis annis apud Judæos solemnem meruit habere lætitiam; quod nequaquam aliqua virorum facta quantumcunque splendida obtinuerunt. Quis incomparabilem matris septem filiorum constantiam non miretur, quos una cum matre apprehensos, sicut Machabæorum historia narrat[14], rex impiissimus Antiochus ad carnes porcinas

[1] *Fusiorem* RMS. — [2] Matth., cap. xx, v. 16. — [3] *Rom.*, cap. v, v. 20.— [4] *Quoque* MS. Amb.— [5] Cap. iv, *Opp.* t. I, col. 153. — [6] Sic D. - *Est* non legitur in Edd. [7] *Debora* MS. Amb. — [8] *Jud.*, cap. iv et v. — [9] *Jud.*, cap. xiii. — [10] *Esther*, cap. viii. — [11] *Reg.* I, cap. xvii, v. 49. — [12] *Judith*, cap. ix. — [13] *Esther*, cap. viii. — [14] *Machab.* II, cap. vii, v. 1 et sq.

contra legem[1] edendas nisus est frustra compellere? Quæ mater, suæ immemor naturæ, et humanæ affectionis ignara, nec nisi Dominum præ oculis habens, quot sacris exhortationibus suis ad coronam filios præmisit, tot ipsa martyriis triumphavit, proprio ad extremum martyrio consummata. Si totam Veteris Testamenti seriem revolvamus, quid hujus mulieris constantiæ comparare poterimus? Ille ad extremum vehemens tentator beati Job, imbecillitatem humanæ naturæ contra mortem considerans: « Pellem, » inquit[2], « pro pelle, et universa dabit homo pro anima sua. » In tantum enim omnes angustias mortis naturaliter horremus, ut sæpe ad defensionem unius membri alterum opponamus, et pro vita hac conservanda nulla vereamur incommoda. Hæc vero non solum sua, sed propriam et filiorum animas perdere sustinuit, ne unam legis incurreret offensam. Quæ est ista, obsecro, ad quam compellebatur transgressio? Nunquid abrenuntiare Deo, vel thurificare idolis cogebatur? Nihil, inquam, ab eis exigebatur, nisi ut carnibus vescerentur, quas lex eis interdicebat. O fratres et commonachi, qui tam impudenter quotidie contra regulæ institutionem ac nostram professionem ad carnes inhiatis, quid ad hujus mulieris constantiam dicturi estis? Numquid tam inverecundi estis, ut quum hæc auditis, erubescentia non confundamini? Sciatis, fratres, quod de regina Austri Dominus incredulis exprobrat, dicens[3]: « Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam, » multo amplius vobis de hujus mulieris constantia improperandum esse, quæ et longe majora fecerit, et vos vestræ professionis voto religioni arctius adstricti estis. Cujus quidem tanto agone virtus examinata hoc in Ecclesia privilegium obtinere meruit, ut ejus martyrium solemnes lectiones atque missam habeat, quod nulli antiquorum sanctorum concessum est, quicunque scilicet adventum Domini moriendo prævenerunt: quamvis in ipsa Machabæorum historia[4] Eleazarus ille venerabilis senex unus de primoribus scribarum eadem causa martyrio jam coronatus fuisse referatur. Sed quia, ut diximus, quo naturaliter femineus sexus est infirmior, eo virtus est Deo acceptabilior, et honore dignior: nequaquam martyrium illud in festivitate memoriam meruit, cui femina non interfuit, quasi pro magno non habeatur, si fortior sexus fortiora[5] patiatur. Unde et in laude prædictæ feminæ amplius Scriptura prorumpens, ait[6]: « Supra modum autem mater mirabilis et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem, quam in Domino habebat, singulos illorum hortabatur fortiter, repleta sapientia, et femineæ cogitationi masculinum animum inserens. » Quis in laudem virginum

[1] *Deuter.*, cap. XIV, v. 7. — [2] *Job*, cap. II, v. 4. — [3] Matth., cap. XII, v. 42. — [4] *Machab.* II, cap. VI, v. 18 et sq. — [5] *Fortiter* D. — [6] *Machab.* II, cap. VII, v. 20 et 21.

vineam illam Jephte[1] filiam assumi non censeat? Quæ, ne voti licet improvidi reus pater haberetur, et divinæ gratiæ beneficium promissa fraudaretur hostia, victorem patrem in jugulum proprium animavit. Quid hæc, quæso, in agone martyrum factura esset, si forte ab infidelibus negando Deum apostatare cogeretur? Nunquid interrogata de Christo cum illo jam apostolorum principe diceret[2]: « Non novi illum? » Dimissa per duos menses a patre libera, his completis redit ad patrem occidenda. Sponte morti se ingerit, et eam magis provocat quam veretur. Stultum patris plectitur votum, et paternum redimit mandatum amatrix maxima veritatis. Quantum hunc in se lapsum abhorreret, quem in patre non sustinet! Quantus hic est virginis fervor tam in carnalem quam in cœlestem patrem! Quæ simul morte sua et hunc a mendacio liberare, et illi promissum decrevit conservare. Unde merito tanta hæc puellaris animi fortitudo prærogativa quadam id meruit obtinere, ut per annos singulos filiæ Israel in unum convenientes quasi quibusdam solemnibus hymnis festivas virginis agant exequias, et de passione virginis compunctæ piis planctibus compatiantur. Ut autem cætera omnia prætermittamus, quid tam necessarium nostræ redemptioni, et totius mundi saluti fuerit, quam sexus femineus, qui nobis ipsum peperit Salvatorem? Cujus quidem honoris singularitatem mulier illa, quæ prima irrumpere ausa est ad beatum Hilarionem[3], illi admiranti opponebat, dicens: « Quid avertis oculos? Quid rogantem fugis? Noli me mulierem aspicere, sed miseram. Hic sexus genuit Salvatorem. » Quæ gloria huic poterit comparari, quam in Domini matre adeptus est sexus iste? Posset utique si vellet Redemptor noster de viro corpus assumere, sicut primam feminam de corpore viri voluit formare[4]. Sed hanc suæ humilitatis singularem gratiam ad infirmioris sexus transtulit honorem. Posset et alia parte muliebris[5] corporis digniore nasci quam cæteri homines, eadem qua concipiuntur vilissima portione nascentes. Sed ad incomparabilem infirmioris corporis honorem longe amplius ortu suo consecravit ejus genitale quam viri fecerat ex circumcisione. Atque ut hunc singularem virginum nunc omittam honorem, libet ad cæteras quoque[6] feminas sicut proposuimus stilum convertere. Attende itaque quantam statim gratiam adventus Christi Elisabeth conjugatæ, quantam exhibuit Annæ viduæ. Virum Elisabeth Zachariam[7] magnum Domini sacerdotem[8] incredulitatis diffidentia mutum adhuc tenebat, dum in adventu et salutatione Mariæ, ipsa mox Elisabeth, Spiritu sancto repleta, et exultantem in utero suo parvulum sensit, et prophetiam jam de ipso completo Mariæ conceptu prima proferens, plus quam propheta extitit. Præsentem quippe illico virginis conceptum nuntia-

[1] *Judic.*, cap. XI, v. 39. — [2] Luc., cap. XXII, v. 57. — [3] *Vita Hilarionis*, ap. Hieron., *Opp.* t. IV, col. 78. — [4] *Genes.*, cap. I, v. 22. — [5] Sic D. — *Mulieris* Edd. — [6] Sic D. — *Quoque* deest in Edd. — [7] Luc., cap. I, v. 5 et sq. — [8] *Maximum Domini pontificem* RMS.

vit, et ipsam Domini matrem ad magnificandum super hoc ipso Dominum concitavit. Excellentius autem prophetiæ donum in Elisabeth videtur completum, conceptum statim Dei filium agnoscere, quam in Joanne ipsum jamdudum natum ostendere. Sicut igitur Mariam Magdalenam apostolorum dicimus apostolam, sic nec istam prophetarum dicere dubitemus prophetam, sive ipsam beatam viduam Annam, de qua supra latius actum est. Quod si hanc prophetiæ gratiam usque ad gentiles etiam extendamus, sibylla vates in medium procedat, et quæ ei de Christo revelata sunt proferat. Cum qua si universos conferamus prophetas, ipsum etiam Esaiam, qui, ut Hieronymus asserit[1], non tam propheta quam evangelista dicendus est; videbimus in hac quoque gratia feminam viris longe præstare. De qua Augustinus, contra hæreses testimonium proferens, ait[2]: « Audiamus quid etiam Sibylla vates eorum de eodem dicat. « Alium, inquit, dedit Dominus « hominibus fidelibus colendum. » Item: « Ipse[3] tuum cognosce Dominum Dei « filium esse. » Alio loco filium Dei symbolum appellat, id est consiliarium. Et propheta dicit[4]: « Vocabunt nomen ejus mirabilis, consiliarius. » De qua rursus idem pater Augustinus in XVIII *de Civitate Dei*[5]: « Eo, » inquit, « tempore nonnulli sibyllam erythræam vaticinatam ferunt (quam quidam magis credunt esse cumanam). Et sunt ejus viginti et septem versus; qui, sicut eos quidam latinis versibus est interpretatus, hoc continent:

> Judicii signum tellus sudore madescet.
> E cœlo rex adveniet per secla futurus,
> Scilicet in carne præsens ut judicet orbem. »

Quorum quidem versuum primæ litteræ in græco conjunctæ, id sonant: « Jesus Christus filius Dei salvator. » Infert etiam Lactantius[6] quædam de Christo vaticinia sibyllæ: « In manus, » inquit, « infidelium postea veniet. Dabunt Deo alapas manibus incestis, et impurato[7] ore expuent venenatos sputos. Dabit vero ad verbera suppliciter sanctum dorsum, et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat quod verbum vel unde venerit inferis loquatur, et spinea corona coronabitur[8]. Ad cibum autem fel, et ad sitim acetum dederunt. In hospitalitatem hanc monstrabunt mensam. Ipsa enim insipiens gens, tuum Deum non intellexisti laudandum mortalium mentibus, sed spinis coronasti, fel miscuisti. Templi velum scindetur, et in medio die nox erit tribus horis, et morietur, tribus diebus somno suscepto, et tunc ab inferis regressus ad lucem veniet, primus resurrectionis principio ostensus. » Hoc profecto sibyllæ vaticinium, ni

[1] *Exposit. Isaiæ prophetæ prol.*, *Opp.* t. III, col. 1. — [2] *Adversus V Hæreses*, cap. III, *Opp.* t. VIII, in appendice, col. 3. Quem librum Augustino falso tribui monachi ordinis Sancti Benedicti arbitrati sunt. — [3] *Ipsum* MS. Amb. — [4] Isai., cap. IX, v. 6. — [5] Cap. XXIII, *Opp.* t. VII, col. 504. — [6] *Instit. divin.*, lib. IV, cap. XVIII. — [7] *Impuro* MS. Amb. — [8] *Coronatur* D.

fallor, maximus ille poetarum nostrorum Virgilius audierat atque attenderat quum in IV ecloga futurum in proximo sub Augusto Cæsare tempore consulatus Pollionis mirabilem cujusdam pueri de cœlo ad terras mittendi, qui etiam peccata mundi tolleret, et quasi seculum novum in mundo mirabiliter ordinaret, præcineret ortum : admonitus, ut ipsemet ait, cumæi carminis vaticinio, hoc est sibyllæ, quæ cumana[1] dicitur. Ait quippe sic, quasi adhortans quoslibet ad congratulandum sibi, et concinendum seu scribendum de hoc tanto puero nascituro, in comparatione cujus omnes alias materias quasi infimas[2] et viles reputat dicens[3] :

> Sicelides Musæ, paulo majora canamus;
> Non omnes arbusta juvant humilesque myricæ.
>
> . . . .
>
> Ultima cumæi venit jam carminis ætas ;
> Magnus ab integro seclorum nascitur ordo :
> Jam redit et Virgo, redeunt saturnia regna,
> Jam nova progenies cœlo demittitur alto , etc.

Inspice singula sibyllæ dicta, et quam integre et aperte christianæ fidei de Christo summam complectatur. Quæ nec divinitatem ejus, nec humanitatem, nec utrumque ipsius adventum, nec utrumque judicium prophetando vel scribendo prætermisit, primum quidem judicium, quo injuste judicatus est in passione, et secundum quo juste judicaturus est mundum in majestate. Quæ nec descensum ejus ad inferos, nec resurrectionis gloriam prætermittens, non solum prophetas, verum etiam ipsos supergressa videtur evangelistas, qui de hoc ejus descensu minime scripserunt. Quis non etiam illud tam familiare prolixumque colloquium miretur, quo ipse solus solam illam gentilem et samaritanam mulierem tam diligenter dignatus est instruere[4], de quo et ipsi vehementer obstupuerunt apostoli ? A qua etiam infideli et de virorum suorum multitudine reprehensa, potum ipse voluit postulare, quem nihil ulterius alimenti ab aliquo novimus requisisse. Superveniunt apostoli, et emptos ei cibos offerunt, dicentes : « Rabi, manduca; » nec oblatos suscipi videmus, sed hoc quasi in excusationem ipsum prætendisse : « Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. » Potum ipse a muliere postulat. A quo se illa excusans beneficio : « Quomodo, » inquit, « tu Judæus quum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier samaritana ? Non enim coutuntur Judæi Samaritanis. » Et iterum : « Neque in quo haurias habes, et puteus altus est. » Potum itaque a muliere infideli, et id negante desiderat[5], qui oblatos ab apostolis cibos non curat. Quæ est ista, quæso, gratia, quam exhibet infirmo sexui; ut videlicet a muliere hac

[1] *Cumæa* MS. Amb. — [2] *Infirmas* MS. Amb. [3] Virg. eclog. IV, v. 1 et sq. — [4] Joan., cap. IV, v. 6 et sq. — [5] *Petit* D.

postulet aquam, qui omnibus tribuit vitam? Quæ, inquam, nisi ut patenter insinuet tanto sibi mulierum virtutem esse gratiorem, quanto earum naturam esse constat infirmiorem; et se tanto amplius earum salutem desiderando sitire, quanto mirabiliorem earum virtutem constat esse? Unde et quum a femina potum postulat, huic præcipue siti suæ per salutem feminarum satisfieri velle se insinuat. Quem potum etiam cibum vocans: « Ego, » inquit, » cibum habeo manducare quem vos nescitis. » Quem postmodum exponens cibum, adjungit: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, » hanc videlicet quasi singularem sui Patris voluntatem esse innuens, ubi de salute agitur infirmioris sexus. Legimus et familiare colloquium cum Nicodemo illo Judæorum principe Dominum habuisse[1], quo illum quoque ad se occulte venientem de salute sua ipse instruxerit, sed illius colloquii non tantum tunc[2] fructum esse consecutum. Hanc quippe Samaritanam et spiritu prophetiæ repletam esse tunc constat, quo videlicet Christum et ad Judæos jam venisse, et ad gentes venturum esse professa est, quum dixerit[3]: « Scio quia Messias venit qui dicitur Christus. Quum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia, » et multos ex civitate illa propter verbum mulieris ad Christum cucurrisse, et in eum credidisse, et ipsum duobus diebus apud se retinuisse, qui tamen alibi discipulis ait[4]: « In viam gentium ne abieritis, et in civitate[5] Samaritanorum ne intraveritis. » Refert alibi idem Joannes quosdam ex gentilibus, qui ascenderant Hierosolymam ut adorarent in die festo, per Philippum et Andream Christo nuntiasse, quod eum vellent videre. Non[6] tamen eos esse admissos commemorat, nec illis postulantibus tantam Christi copiam esse concessam, quantam huic Samaritanæ nequaquam id petenti. A qua ejus in gentibus prædicatio cœpisse videtur, quam non solum convertit[7]; sed per eam, ut dictum est, multos acquisivit. Illuminati statim per stellam magi, et ad Christum conversi, multos exhortatione sua vel doctrina ad eum traxisse referuntur; sed soli accessisse[8]. Ex quo etiam liquet quantam a Christo gratiam in gentibus mulier sit adepta, quæ præcurrens, et civitati nuntians ejus adventum, et quæ audierat prædicans, tam propere ipsa multos de populo suo est lucrata. Quod si Veteris Testamenti vel evangelicæ Scripturæ paginas revolvamus, summa illa de resuscitatis mortuis beneficia divinam gratiam feminis præcipue videbimus impendisse, nec nisi ipsis vel de ipsis hæc miracula facta fuisse. Primo quippe per Eliam[9] et Elisæum[10] ad intercessionem matrum filios ipsarum resuscitatos et eis redditos esse[11] legimus[12]. Et Dominus ipse viduæ cujusdam filium suum, et archisynagogi filiam[13], et rogatu

[1] Joan., cap. III, v. 1 et sq. — [2] *Hunc* MS. Amb. — [3] Joan., cap. IV, v. 25. — [4] Matth., cap. X, v. 5. — [5] *Civitates* CD. — [6] *Nec* D. — [7] *Converterit* CD. — [8] *Accessione* C. — [9] *Reg.* III, cap. XVII, v. 22. — [10] *Reg.* IV, cap. IV, v. 22. — [11] Sic CD. – *Et eis redditos* desunt in Edd. — [12] Luc., cap. VII, v. 15. — [13] Marc., cap. V, v. 42.

sororum Lazarum[1] resuscitans, hoc immensi miraculi beneficium maxime feminis impendit. Unde illud est Apostoli ad Hebræos scribentis[2] : « Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. » Nam et puella suscitata mortuum recepit corpus, et cæteræ feminæ in consolationem sui, quos plangebant mortuos, receperunt suscitatos. Ex quo etiam liquet, quantam semper feminis exhibuerit gratiam, quas tam sua quam suorum resuscitatione primo lætificans, novissime quoque ipse propria resurrectione eas plurimum extulit, quibus, ut dictum est, primum apparuit[3] : quod etiam hic sexus in populo persequente, quodam erga Dominum naturali compassionis affectu, visus est promereri. Ut enim Lucas meminit, quum eum viri ad crucifigendum ducerent, feminæ ipsorum sequebantur plangentes ipsum atque lamentantes. Quibus ipse conversus, et quasi pietatis hujus vicem in ipso statim passionis articulo misericorditer eis referens, futurum, ut cavere queant, prædicit exitum[4] : « Filiæ, » inquit[5], « Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros; quia ecce venient dies, in quibus dicent : « Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt. » Ad cujus etiam liberationem iniquissimi judicis uxorem antea fideliter laborasse Matthæus commemorat, dicens[6] : « Sedente autem illo pro tribunali misit ad illum uxor ejus dicens : « Nihil tibi et justo illi. Multa enim passa sum hodie per « visum propter eum. » Quo etiam prædicante, solam feminam de tota turba in tantam ejus laudem legimus extulisse vocem, ut beatum exclamaret uterum qui eum portaverit, et ubera quæ suxerit. A quo et statim piam confessionis suæ, licet verissimæ, correctionem meruit audire, ipso confestim ei respondente[7] : « Quin imo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. » Solus Joannes inter apostolos Christi hoc privilegium amoris obtinuit, ut dilectus Domini vocaretur. De Martha autem et Maria ipse scribit Joannes[8], « quia diligebat Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum. » Ipse idem apostolus, qui ex privilegio, ut dictum est, amoris, se unum a Domino dilectum esse commemorat, hoc ipso privilegio, quod nulli aliorum ascripsit apostolorum, feminas insignivit. In quo etiam honore etsi fratrem earum ipsis aggregaret, eas tamen illi præposuit, quas in amore præcellere credidit. Libet denique, ut ad fideles seu christianas redeamus feminas, divinæ respectum misericordiæ in ipsa etiam publicorum abjectione scortorum et stupendo prædicare, et prædicando stupere. Quid est abjectius quam Maria Magdalene vel Maria Ægyptiaca secundum vitæ statum pristinæ, quas vero postmodum vel honore vel merito divina amplius gratia sublimavit? Illam quidem quasi in apostolico permanentem cœnobio, ut jam supra comme-

[1] Joan., cap. xi, v. 44. — [2] *Hebr.*, cap. xi, v. 35. — [3] Matth., cap. xxviii. – Marc., cap. xvi. — [4] *Exitium* MS. Amb. — [5] Luc., cap. xxiii, v. 28 et 29. — [6] Matth., cap. xxvii, v. 19. — [7] Luc., cap. xi, v. 28. — [8] Joan., cap. xi, v. 5.

moravimus : hanc vero[1], ut scriptum est, supra humanam virtutem anachoretarum agone dimicantem[2], ut in utrorumque monachorum proposito sanctarum virtus feminarum præemineat, et illud quod incredulis Dominus ait[3]: « Meretrices præcedent vos in regnum Dei, » ipsis etiam[4] fidelibus viris improperandum videatur, et secundum sexuum seu vitæ differentiam fiant novissimi primi, et primi novissimi. Quis denique ignoret feminas exhortationem Christi et consilium Apostoli tanto castimoniæ zelo esse complexas, ut pro conservanda carnis pariter ac mentis integritate, Deo se per martyrium offerrent holocaustum, et gemina triumphantes corona, agnum sponsum virginum[5] quocunque ierit sequi studerent? Quam quidem virtutis perfectionem raram in viris, crebram in feminis esse cognovimus. Quarum etiam nonnullas tantum in hac carnis prærogativa zelum habuisse legimus, ut non sibi manum inferre dubitarent, ne quam Deo voverant incorruptionem amitterent, et ad sponsum virginem virgines pervenirent. Qui etiam sanctarum devotionem virginum in tantum sibi gratam esse monstravit, ut gentilis populi multitudinem, ad beatæ Agathæ suffragium concurrentem, velo ejus contra æstuantis Ætnæ terribilem ignem opposito, tam a corporis quam animæ liberaverit[6] incendio. Nullam novimus monachi cucullam beneficii tanti gratiam esse adeptam. Legimus quidem ad tactum pallii Eliæ Jordanem esse divisum, et ipsi pariter et Elisæo viam per terram præbuisse[7]: velo autem virginis immensam adhuc infidelis populi multitudinem tam mente salvari quam corpore, et sic eis conversis ad cœlestia viam patuisse. Illud quoque non modicum sanctarum dignitatem commendat feminarum, quod in suis ipsæ verbis consecrantur, dicentes : « Annulo suo subarrhavit me, ipsi sum desponsata. » Hæc quippe verba sunt beatæ Agnetis, in quibus virgines suam professionem facientes Christo desponsantur. Si quis etiam vestræ religionis formam ac dignitatem apud gentiles cognoscere curet, atque nonnulla inde quoque exempla ad exhortationem vestram inducere; facile deprehendet in ipsis etiam nonnullam hujus propositi institutionem præcessisse, excepto quod ad fidei pertinet tenorem; et multa in illis sicut et Judæis præcessisse, quæ ex utrisque congregata Ecclesia retinuit, sed in melius commutavit. Quis nesciat universos clericorum ordines ab ostiario usque ad episcopum, ipsumque tonsuræ usum ecclesiasticæ, qua clerici fiunt, et jejunia quatuor temporum, et azimorum sacrificium, necnon ipsa sacerdotalium indumentorum ornamenta, et nonnulla dedicationis vel alia sacramenta, a synagoga Ecclesiam assumpsisse ? Quis etiam ignoret ipsam utilissima dispensatione non solum secularium dignitatum gradus in regibus, cæterisque principibus, et non-

[1] Sic D. — *Hac* Edd. — [2] *Dimicantem* CD. — *Dimicante* Edd. — [3] Matth., cap. xxi, v. 3. — [4] Sic D. — *Et* Edd. — [5] *Apocal.*, cap. xiv, v. 4. — [6] *Liberaret* CD. — [7] *Reg.* IV, cap. ii, v. 8.

nulla legum decreta, vel philosophicæ disciplinæ documenta in conversis gentibus retinuisse: verumetiam quosdam ecclesiasticarum dignitatum gradus, vel continentiæ formam, et corporalis munditiæ religionem ab eis accepisse? Constat quippe nunc episcopos vel archiepiscopos præsidere, ubi tunc flamines vel archiflamines habebantur; et quæ tunc templa dæmonibus sunt instituta, postea Domino fuisse consecrata, et sanctorum memoriis insignita. Scimus et in gentibus præcipue prærogativam virginitatis enituisse, quum maledictum legis ad nuptias Judæos coerceret[1]: et in tantum gentibus hanc virtutem seu munditiam carnis acceptam extitisse, ut in templis earum magni feminarum conventus cœlibi se vitæ dicarent. Unde Hieronymus *in Epistolam ad Galatas*, lib. III[2]: « Quid nos, » inquit, « oportet facere, in quorum condemnationem habet et Juno univiras, et Vesta virgines, et alia idola continentes? » Univiras autem et virgines dicit, quasi monachas quæ viros noverant, et monachas virgines[3]. *Monos* enim, unde *monachus*, id est solitarius dicitur, unum sonat. Qui etiam libro I *Contra Jovinianum*, multis de castitate vel continentia gentilium feminarum, inductis exemplis: « Scio, » inquit, « in catalogo feminarum me plura dixisse, ut quæ christianæ pudicitiæ despiciunt fidem, discant saltem ab ethnicis castitatem. » Qui in eodem supra illam quoque continentiæ virtutem adeo commendavit, ut hanc præcipue munditiam carnis in omni gente Dominus approbasse videatur, et nonnullis eam[4] in infidelibus quoque vel collatione meritorum, vel exhibitione miraculorum extulisse. « Quid referam, » inquit, « Sibyllam erithream atque cumanam, et octo reliquas? Nam Varro decem fuisse autumat, quarum insigne virginitas est, et virginitatis præmium divinatio. » Item: « Claudia virgo vestalis quum in suspicionem venisset stupri, fertur cingulo duxisse ratem, quam hominum millia trahere nequiverant. » Et Sidonius claremontensis episcopus in propemptico[5] ad libellum suum ita loquitur :

Qualis nec Tanaquil fuit, nec illa,
Quam tu, Tricipitine, procreasti,
Qualis nec Phrygiæ dicata Vestæ,
Quæ circa satis Albulam tumentem
Duxit virgineo ratem capillo.

Augustinus *de Civitate Dei*, lib. XXII[6]: « Jam si ad eorum miracula veniamus, quæ facta a diis suis martyribus opponunt nostris, nonne etiam ipsa pro nobis

[1] *Deuter.*, cap. xxv, v. 5 et sq. — [2] *Comm. in Epist. ad Galat.*, lib. III, cap. iv, *Opp.* t. IV, col. 314. — [3] Sic AC. — Habent editiones perperam : *Univiras autem et univirgines dicit, quasi monachas univiras, quæ viros noverant et monachas univirgines virgines.* — [4] *Eam* D. — *Etiam* Edd. — [5] *Carm.*, xxiv, v. 39 et sq. Vid. Sol. Apollin. Sidonii *Opera*, Parisiis 1652, in-4°, p. 416. — [6] Cap. ii, *Opp.* t. VII, col. 675.

facere, et nobis reperientur omnino proficere? Nam inter magna miracula deorum suorum profecto magnum illud est, quod Varro commemorat, vestalem virginem, quum periclitaretur falsa suspicione de stupro, cribrum implesse aqua de Tyberi, et ad suos judices, nulla ejus parte stillante, portasse. Quis aquæ pondus tenuit tot cavernis patentibus? Itane Deus omnipotens terreno corpori grave pondus auferre non poterit, ut in eodem elemento habitet vivificatum corpus, in quo voluerit vivificans spiritus? » Nec mirum si iis vel aliis Deus miraculis infidelium quoque castitatem extulerit, vel officio dæmonum extolli permiserit: ut tanto amplius nunc fideles ad ipsam animarentur, quanto hanc in infidelibus quoque amplius exaltari cognoverint. Scimus et Caiphæ prælationi non personæ gratiam esse collatam, et pseudo quoque apostolos miraculis nonnusquam coruscasse, et hæc non personis eorum, sed officio esse concessa. Quid igitur mirum, si Dominus non personis infidelium feminarum, sed virtuti continentiæ ipsarum hoc concesserit, ad innocentiam virginis saltem liberandam, et falsæ accusationis improbitatem conterendam? Constat quippe amorem continentiæ bonum esse et in infidelibus, sicut et conjugalis pactionis observantiam donum Dei apud omnes esse; ideoque mirabile non videri, si sua dona, non errorem infidelitatis per signa quæ infidelibus fiunt, non fidelibus, Deus honoret: maxime quando per hæc, ut dictum est, innocentia liberatur, et perversorum hominum malitia reprimitur, et ad hoc quod ita magnificatur, bonum homines amplius cohortantur, per quod tanto minus ab infidelibus quoque peccatur, quanto amplius a voluptatibus carnis receditur. Quod nunc etiam cum plerisque aliis adversus prædictum incontinentem hæreticum beatus non inconvenienter induxit Hieronymus, ut quæ non miratur in christianis, erubescat in ethnicis. Quis etiam dona Dei esse deneget, potestatem etiam infidelium principum, etsi perverse ipsa utantur, vel amorem justitiæ, vel mansuetudinem quam habent, lege instructi naturali, vel cætera quæ decent principes? Quis bona esse contradicat quia malis sunt permixta? præsertim quum, ut beatus astruit Augustinus, et manifesta ratio testatur, mala esse nequeant nisi in natura bona? Quis non illud approbet quod poetica perhibet sententia[1]:

Oderunt peccare boni virtutis amore?

Quis Vespasiani nondum imperatoris miraculum, quod Suetonius refert[2], de cæco videlicet et claudo per eum curatis, non magis approbet quam neget, ut ejus virtutem amplius æmulari velint principes, aut quod de anima Trajani

[1] Horat. *Epist.*, I, XVI, v. 52. — [2] Suetonius in *Vespasiano*, cap. VII.

beatus egisse Gregorius refertur[1]? Noverunt homines in cœno margaritam legere, et a paleis grana discernere, et dona sua infidelitati adjuncta Deus ignorare non potest, nec quidquam horum quæ fecerit odire. Quæ quo amplius signis coruscant, tanto amplius sua esse demonstrat, nec hominum pravitate sua inquinari posse, et qualis sit fidelibus spectandus, qui talem se exhibet infidelibus. Quantam autem apud infideles dignitatem devota illa templis pudicitia sit adepta, vindicta violationis indicat. Quam scilicet vindictam Juvenalis commemorans in IV satyra *Contra Crispinum*, sic de ipso ait[2]:

> Cum quo nuper vitiata jacebat
> Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

Unde et Augustinus *de Civitate Dei*, lib. III[3]: « Nam et ipsi, » inquit, « Romani antiqui in stupro detectas Vestæ sacerdotes vivas defodiebant. Adulteras autem feminas quamvis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant. » Usque adeo gravius quæ putabant abdita divina, quam humana cubilia vindicabant. Apud nos autem christianorum cura principum tanto amplius nostræ[4] providit castimoniæ, quanto eam sanctiorem esse non dubitatur. Unde Justinianus Augustus[5]: « Si quis, » inquit, « non dicam rapere, sed attentare tantum, causa jungendi matrimonium, sacras virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur. » Ecclesiasticæ quoque sanctio disciplinæ, quæ pœnitentiæ remedia, non mortis supplicia quærit, quam severa sententia lapsus vestros præveniat non est dubium. Unde illud est Innocentii papæ Victricio episcopo rothomagensi, cap. XIII[6]: « Quæ Christo spiritualiter nubunt, et a sacerdote velantur, si postea vel publice nupserint, vel occulte corruptæ fuerint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se conjunxerant de hac vita discesserit. » Hæ vero, quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverint permanere, licet velatæ non fuerint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est : quia sponsio earum a Domino tenebatur. Si vero inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, solvi sine vindicta non poterit? Nam si apostolus Paulus[7], quæ a proposito viduitatis discesserant, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt : quanto magis virgines, quæ prioris propositionis fidem minime servaverunt? Hinc et Pelagius ille notabilis ad filiam Mauritii : « Criminosior est, » inquit, « Christi adultera quam mariti. Unde pulchre romana ecclesia tam severam nuper de

[1] *Vit. S. Greg.*, auct. Joh. Diacono, lib. II, cap. XLIV, *Opp.* t. IV, col. 59. — [2] Juv. *Satyr.*, IV, v. 9. — [3] Cap. V, *Opp.* t. VII, col. 62. — [4] *Vestræ* MS. Amb. — [5] *Cod.*, lib. I, tit. III, leg. 5. — [6] Vid. *Epistol. roman. Pontificum*, stud. et lab. P. Constant. Parisiis, 1721, in-fol., p. 755. — [7] *Timoth. I*, cap. V, v. 12.

hujusmodi statuit sententiam, ut vix vel pœnitentia dignas judicaret, quæ sanctificatum Deo corpus libidinosa coinquinatione violassent. » Quod si perscrutari velimus quantam curam, quantam diligentiam et charitatem sancti doctores ipsius Domini, et apostolorum exemplis incitati, devotis semper exhibuerint feminis, reperiemus eos summo dilectionis zelo devotionem earum amplexos fuisse, et fovisse, et multiplici doctrinæ vel exhortationis studio earum religionem jugiter instruxisse atque auxisse. Atque ut cæteros omittam, præcipui doctores Ecclesiæ producantur in medium : Origenes scilicet, Ambrosius, atque Hieronymus. Quorum quidem primus, ille videlicet maximus christianorum philosophus, religionem feminarum tanto amplexus est zelo, ut sibi manus ipse inferret, sicut *Ecclesiastica* refert *Historia*[1], ne ulla eum suspicio a doctrina vel exhortatione mulierum abduceret. Quis etiam ignoret quantam Ecclesiæ divinorum messem librorum rogatu Paulæ et Eustochii beatus reliquerit Hieronymus? Quibus inter cætera sermonem etiam de assumptione matris Domini juxta earum petitionem scribens, id ipsum profitetur, dicens[2] : « Sed quia negare non queo quidquid injungitis, nimia vestra devinctus dilectione, experiar quod hortamini. » Scimus autem nonnullos maximorum doctorum tam ordinis quam vitæ dignitate sublimium, nonnunquam ad eum de longinquo scribentes parva ab eo requisisse scripta, nec impetrasse. Unde et illud est beati Augustini in secundo *Retractationum* libro[3] : « Scripsi et duos libros ad presbyterum Hieronymum sedentem in Bethlehem, unum *de Origine Animæ*, alium *de Sententia apostoli Jacobi*, ubi ait[4] : « Quicunque totam legem servaverit, offendat autem « in uno, factus est omnium reus : de utroque consulens eum. » Sed in priore[5] quæstionem, quam proposui, ipse non solvi. In posteriore autem quid mihi de illa solvenda videretur non tacui. Sed utrum hoc approbaret etiam ille, consului. Respondit[6] autem laudans eamdem consultationem meam, sibi tamen ad respondendum otium non esse respondit. Ego vero quousque esset in corpore, hos libros edere nolui, ne forte responderet aliquando, et cum ipsa responsione ejus potius ederentur. Illo autem defuncto edidi. » Ecce virum tantum tanto tempore pauca et parva rescripta a prædicto viro expectasse, nec accepisse. Quem quidem ad petitionem prædictarum feminarum in tot et tantis voluminibus vel transferendis vel dictandis sudasse cognovimus, longe eis majorem quam episcopo reverentiam in hoc exhibens. Quarum fortassis tanto amplius virtutem amplectitur studio, nec contristare sustinet, quanto earum naturam fragiliorem considerat. Unde et nonnunquam zelus charitatis ejus erga hujusmodi feminas

[1] Euseb., *Hist. Eccles.*, lib. VI, cap. VII. — [2] *Opp.* t. V, col. 82. Falso hic sermo Hieronymo ascriptus fuisse videtur. — [3] Cap. XLV, *Opp.* t. I, col. 57. — [4] Jacob., cap. II, v. 10. — [5] *Sed in illo priore* D. — [6] *Rescripsit* MS. Amb.

tantus esse deprehenditur, ut in earum laudibus aliquatenus veritatis tramitem excedere videatur, quasi in se ipso illud expertus, quod alicubi commemorans : « Charitas, » inquit[1], « mensuram non habet. » Qui in ipso statim exordio vitæ sanctæ Paulæ, quasi attentum sibi lectorem præparare desiderans, ait[2] : « Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, et omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum sanctæ ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem. » Descripsit et nonnullas sanctorum patrum venerabiles vitas, atque miraculis coruscas, in quibus longe mirabiliora sunt quæ referuntur. Nullum tamen eorum tanta laude verborum extulisse videtur, quanta hanc viduam commendavit. Qui etiam ad Demetriadem virginem scribens, tanta ejus laude frontem ipsius insignivit epistolæ, ut non in modicam labi videatur adulationem. « Inter omnes, » inquit[3], « materias, quas ab infantia usque ad hanc ætatem vel mea, vel notariorum scripsi manu, nihil præsenti opere difficilius. Scripturus enim ad Demetriadem virginem Christi, quæ et nobilitate et divitiis prima est in urbe romana; si cuncta ejus virtutibus congrua dixero, adulari putabor. » Dulcissimum quippe viro sancto fuerat quacunque arte verborum fragilem naturam ad ardua virtutis studia promovere. Ut autem opera nobis quam verba in hoc certiora præbeant argumenta, tanta hujusmodi feminas excoluit charitate, ut immensa ejus sanctitas nævum sibi propriæ imprimeret famæ. Quod et ipse quidem ad Asellam, de fictis amicis atque sibi detrahentibus scribens, inter cætera commemorat, dicens[4] : « Et licet me sceleratum quidam putent, et omnibus flagitiis obrutum; tu tamen bene facis, quod ex tua mente etiam malos bonos putas. Periculosum quippe est de servo alterius judicare, et non facilis venia prava dixisse de rectis. Osculabantur quidam mihi manus, et ore vipereo detrahebant. Dolebant labiis, corde gaudebant. Dicant quid unquam in me aliter senserunt[5], quam quod christianum decebat? Nihil mihi objicitur, nisi sexus meus. Et hoc nunquam objiceretur, nisi quum Hierosolymam Paula proficiscitur. » Item[6] : « Antequam domum sanctæ Paulæ noscerem, totius in me urbis studia consonabant. Omnium pene judicio dignus summo sacerdotio decernebar. Sed postquam eam pro suo merito sanctitatis venerari, colere, suscipere[7] cœpi, omnes me illico deseruere virtutes. » Et post aliqua : « Saluta, » inquit, « Paulam et Eustochium, velint, nolint, in Christo meas. » Legimus[8] et Dominum ipsum tantam beatæ meretrici familiaritatem exhibuisse, ut qui eum invitaverat pharisæus, ob hoc jam penitus de ipso diffideret, apud se dicens : « Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est quæ tangit eum. » Quid ergo mirum, si pro lu-

[1] Epist. XLIV, *Opp.* t. IV, col. 545. — [2] Epist. LXXXVI, *ad Eustochium*, *Opp.* t. IV, col. 669. — [3] Epist. XCVII, *Opp.* t. IV, col. 784. — [4] Epist. XXVIII, *Opp.* t. IV, col. 65. — [5] *Senserint* D. — [6] Ibid., col. 66. — [7] *Suspicere* MS. Amb. — [8] Luc., cap. VII, v. 39.

cro talium animarum ipsa Christi membra ejus incitata exemplo propriæ famæ detrimentum non effugiunt? Quod quidem Origenes, ut dictum est [1], quum cuperet evitare, gravius sibi corporis detrimentum inferre sustinuit. Nec solum in doctrina vel exhortatione feminarum mira sanctorum patrum charitas innotuit, verum etiam in earum consolatione tam vehemens nonnunquam extitit, ut ad earum dolorem leniendum non nulla fidei adversa promittere mira eorum compassio videatur. Qualis quidem illa est beati Ambrosii consolatio, quam super morte Valentiniani imperatoris sororibus ejus scribere ausus est, et ejus qui cathecumenus sit defunctus salutem astruere, quod longe a catholica fide atque evangelica veritate videtur dissidere. Non enim ignorabant quam accepta Deo semper extiterit virtus infirmioris sexus. Unde et quum innumeras videamus virgines matrem Domini in hujus excellentiæ proposito sequi, paucos agnoscimus viros hujus virtutis gratiam adeptos; ex qua, quocunque ierit, ipsum sequi agnum [2] valerent. Cujus quidem zelo virtutis quum nonnullæ sibi manum inferrent, ut quam Deo voverant integritatem etiam carnis conservarent; non solum hoc in eis est reprehensum, sed apud plerosque hæc ipsarum martyria titulos ecclesiarum meruerunt. Desponsatæ quoque virgines, si antequam viris suis carnaliter misceantur, monasterium decreverint eligere, et homine reprobato, sponsum sibi Deum efficere, liberam in hoc habent facultatem, quam nequaquam viris legimus indultam. Quarum etiam pleræque tanto ad castimoniam zelo sunt accensæ, ut non solum contra legis decretum [3] pro custodienda castitate virilem præsumerent habitum, verum etiam inter monachos tantis præminerent virtutibus, ut abbates fieri mererentur, sicut de beata legimus Eugenia [4], quæ sancto etiam Heleno episcopo conscio, imo jubente, virilem habitum sumpsit, et ab eo baptizata monachorum collegio est sociata.

Hæc ad novissimarum [5] petitionum tuarum primam, soror in Christo charissima, me satis rescripsisse arbitror; de auctoritate videlicet ordinis vestri, et insuper de commendatione propriæ dignitatis, ut tanto studiosius vestræ professionis propositum amplectamini, quanto ejus excellentiam amplius noveritis. Nunc ut secundam quoque Domino annuente perficiam, vestris id meritis et orationibus obtineam. Vale.

[1] Euseb, *Hist. Eccles.*, lib VI, cap. VII. — [2] *Apocal.*, cap. XIV, v. 4. — [3] *Deuter.*, cap. XXII, v. 5. — [4] In *Vitis Patrum*, Antwerpiæ, 1628, in fol., p. 342. — [5] *Petitionem novissimarum* MS. Amb.

EPISTOLA VIII,

QUÆ EST EJUSDEM PETRI AD HELOISSAM, INSTITUTIO SEU REGULA SANCTIMONIALIUM.

ARGUMENTUM.

Quum duo ab Heloissa rogatus fuisset Abælardus, alteri quidem eorum superiore respondit epistola : alterum nunc exequitur. Siquidem petitionis Heloissæ alterum caput fuerat, ut paracletensibus monachabus regulam scriberet; quod ipse hoc libro potius quam epistola luculenter perficit, plurimis sanctorum patrum sententiis tanquam floribus adunatis. Tripertitum autem tractatum vocat, quod in eo maxime de tribus præcipuis virtutibus monasticis, continentia scilicet, paupertate voluntaria, et silentio tractet. Constituit toti earum collegio septem officiales sorores, quæ cæteris tum in his quæ animarum sunt, tum in his quæ ad temporalia sive corporalia spectant, prudenter præsint. Esum carnium ternis diebus singulis hebdomadibus, et usum vini moderatum eis indulget : ac cætera ad vitæ monasticæ ordinem pertinentia diligenter et congrue disponit.

Petitionis tuæ parte jam aliqua prout potuimus absoluta, superest Domino annuente de illa, quæ restat, parte tam tuis quam spiritualium tuarum filiarum desideriis complendis operam dare. Restat quippe juxta prædictæ vestræ postulationis ordinem, aliquam vobis institutionem, quasi quamdam propositi vestri regulam a nobis scribi, et vobis tradi; ut certius ex scripto quam ex consuetudine habeatis quid vos sequi conveniat. Nos itaque partim consuetudinibus bonis, partim Scripturarum testimoniis vel rationum nitentes fulcimentis, hæc omnia in unum conferre decrevimus; ut spirituale Dei templum, quod estis vos, his decorare [1], quasi quibusdam egregiis exornare picturis valeamus, et ex pluribus imperfectis quoad possumus [2] unum opusculum consummare. In quo quidem opere Zeuxim pictorem imitantes, ita facere instituimus in templo spiritali, sicut ille disposuit faciendum in corporali. Hunc enim, ut in *Rhetorica* sua [3] Tullius [4] meminit, Crotoniatæ asciverunt ad quoddam templum, quod religiosissime colebant, excellentissimis picturis decorandum. Quod ut diligentius faceret, quinque sibi virgines pulcherrimas de populo illo elegit, quas sibi pingenti assistentes intuens, earum pulchritudinem pingendo imitaretur. Quod duabus de causis factum esse credibile est. Tum videlicet quia, ut prædictus meminit doctor, maximam peritiam in depingendis mulieribus pictor ille adeptus fuerat, tum etiam quia naturaliter puellaris forma elegantior et delicatior virili compositione [5] censetur. Plures autem virgines ab eo eligi supra memoratus

[1] Sic C. – *Habens decorare* Edd. — [2] Sic C. – *Quod possimus* Edd. — [3] *Invent.* II, I. — [4] *Eximius et in arte oratoria inter Latinos primus* RMS. — [5] *Compactione* MS. Amb.

philosophus ait, quia nequaquam credidit in una se reperire posse puella membra omnia æqualiter formosa, nullique unquam a natura tantam pulchritudinis gratiam esse collatam, ut æqualem in omnibus membris pulchritudinem haberet, ut nihil ex omni parte perfectum in compositione corporum ipsa expoliret, tanquam uni sic omnia commoda conferret, ut non haberet quod cæteris largiretur. Sic et nos ad depingendam animæ pulchritudinem, et sponsæ Christi describendam perfectionem, in qua vos tanquam speculo quodam unius spiritalis virginis semper præ oculis habitæ decorem vestrum vel turpitudinem deprehendatis, proposuimus ex multis sanctorum patrum documentis vel consuetudinibus monasteriorum optimis vestram instruere conversationem, singula quæque prout memoriæ occurrerint delibando, et quasi in unum fasciculum congregando, quæ vestri propositi sanctitati congruere videbo; nec solum quæ de monachabus, verumetiam quæ de monachis instituta sunt [1]. Quippe sicut nomine et continentiæ professione nobis estis conjunctæ, ita et fere omnia nostra vobis competunt instituta. Ex his ergo, ut diximus, plurima quasi quosdam flores decerpendo, quibus vestræ lilia castitatis adornemus, multo majore studio describere debemus virginem Christi, quam prædictus Zeuxis depingere simulacrum idoli. Et ille quidem quinque virgines, quarum speciem imitaretur, sufficere credidit. Nos vero pluribus patrum documentis exuberantem copiam habentes, auxilio freti divino perfectius vobis opusculum relinquere non desperamus, quo ad sortem vel descriptionem illarum quinque prudentium virginum [2] pertingere valeatis, quas in depingenda virgine Christi Dominus nobis in Evangelio proponit. Quod ut possimus sicut volumus, vestris orationibus impetremus. Valete in Christo, sponsæ Christi.

Tripertitum instructionis vestræ tractatum fieri decrevimus, in describenda atque munienda [3] religione vestra, et divini obsequii [4] celebratione disponenda, in quibus religionis monasticæ summam arbitror consistere : ut videlicet continenter et sine proprietate vivatur, ac silentio maxime studeatur. Quod quidem, juxta dominicam evangelicæ regulæ disciplinam, lumbos præcingere [5], omnibus renuntiare [6], otiosum verbum cavere [7]. Continentia vero castitatis illa est, quam suadens Apostolus ait [8] : « Quæ innupta est et virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. » Corpore, inquit, toto, non uno membro, ut ad nullam scilicet lasciviam in factis vel in dictis ejus aliquod membrum declinet. Spiritu vero tunc sancta est, quando ejus mentem nec consensus inquinat, nec superbia inflat : sicut illarum quinque fatuarum virginum, quæ dum ad ven-

[1] Sic C. - *Sunt* deest Edd. — [2] Matth., cap. xxv. — [3] *Describenda atque commendanda vel innuenda* B. — [4] *In celebratione* B. — [5] Luc., cap. xii, v. 35. — [6] Luc., cap. xiv, v. 33.— [7] Matth., cap. xii, v. 36.— [8] *Corinth. I*, cap. vii, v. 34.

dentes oleum recurrerent, extra januam remanserunt. Quibus jam clausa janua frustra pulsantibus et clamantibus : « Domine, Domine, aperi nobis[1], » terribiliter sponsus ipse respondet : « Amen dico vobis, nescio vos. » Tunc autem relictis omnibus nudum Christum nudi sequimur, sicut sancti fecerunt apostoli, quum propter eum non solum terrenas possessiones aut carnalis propinquitatis affectiones, verumetiam proprias postponimus voluntates : ut non nostro vivamus arbitrio, sed prælati nostri regamur imperio, et ei qui nobis loco Christi præsidet tanquam Christo penitus pro Christo subjiciamur. Talibus enim ipsemet dicit[2] : « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, ipse me spernit. » Qui si etiam, quod absit, male vivat, quum bene præcipiat; non est tamen ex vitio hominis sententia contemnenda Dei. De quolibet ipsemet præcipit dicens[3] : « Quæ dixerint vobis servate, et facite : secundum vero opera eorum nolite facere. » Hanc autem ad Deum spiritalem a seculo conversionem ipsemet diligenter describit, dicens[4] : « Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. » Et iterum[5] : « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, aut matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. » Hoc autem est odire patrem vel matrem, affectiones carnalium propinquitatum nolle sequi; sicut et odire animam suam est voluntatem propriam sequi nolle. Quod alibi quoque præcipit, dicens[6] : « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. » Sic enim propinquantes post eum venimus, hoc est eum maxime imitando sequimur, qui ait[7] : « Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me. » Ac si diceret : Cuncta per obedientiam agere. Quid est enim, « abnegare semetipsum[8], » nisi carnales affectiones propriamque voluntatem postponere, et alieno, non suo regendum arbitrio se committere? Et sic profecto crucem suam non ab alio suscipit, sed ipsemet tollit; per quam scilicet ei mundus crucifixus sit[9], et ipse mundo : quum spontaneo propriæ professionis voto mundana sibi et terrena desideria interdicit, quod est voluntatem propriam non sequi. Quid enim carnales aliud appetunt, nisi implere quod volunt? Et quæ est terrena delectatio[10], nisi propriæ voluntatis impletio, etiam quando id quod volumus labore maximo sive periculo agimus? Aut quid est aliud crucem ferre, id est cruciatum aliquem sustinere, nisi contra voluntatem nostram aliquid fieri, quantumcunque illud videatur facile nobis esse vel utile? Hinc alius Jesus[11] longe inferior in *Ecclesiastico* admonet, dicens[12] : « Post

[1] Matth., cap. xxv, v. 11 et 12. — [2] Luc., cap. x, v. 16. — [3] Matth., cap. xxIII, v. 3. — [4] Luc., cap. xIV, v. 33. — [5] Ibid., v. 26. — [6] Luc., cap. IX, v. 23. - Matth., cap. xVI, v. 24.-*Et quis* Edd. — [7] Joan., cap. VI, v. 38. — [8] Sic B. - *Quid enim abneget semetipsum* Edd. — [9] *Est* B. — [10] *Dilectio* B. — [11] *Joannes* B. — [12] *Eccli.*, cap. xVIII, v. 30 et 31.

concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. » Quum vero ita tam rebus nostris quam nobis ipsis penitus renuntiamus, tunc vere omni proprietate abjecta, vitam illam apostolicam inimus, quæ omnia in commune reducit, sicut scriptum est[1] : « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una. Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat. Sed erant illis omnia communia. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. » Non enim æqualiter omnes egebant; et ideo non æqualiter omnibus distribuebatur, sed singulis prout opus erat. Cor unum fide, quia corde creditur. Anima una, quia eadem ex charitate voluntas adinvicem, quum hoc unusquisque alii quod sibi vellet, nec sua magis quam aliorum commoda quæreret, vel ad communem utilitatem ab omnibus omnia referrentur : nemine quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, quærente seu affectante. Alioquin nequaquam sine proprietate viveretur, quæ magis in ambitione, quam in possessione consistit. Otiosum verbum seu superfluum idem est quod multiloquium. Unde Augustinus *Retractationum* lib. I : « Absit, » inquit[2], « ut multiloquium deputem, quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine ac prolixitate dicantur. » Hinc autem per Salomonem dicitur[3] : « In multiloquio non deerit peccatum. Qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. » Multum ergo cavendum est in quo peccatum non deest, et tanto studiosius huic morbo providendum est, quanto periculosius est[4] et difficilius evitatur. Quod beatus providens Benedictus[5] : « Omni tempore, » inquit, « silentio debent studere monachi. » Plus quippe esse constat silentio studere quam silentium habere. Est enim studium vehemens applicatio animi ad aliquid gerendum. Multa vero negligenter agimus vel inviti, sed nulla studiose nisi volentes vel intenti. Quantum vero difficile sit vel utile linguam refrenare, apostolus Jacobus diligenter attendens, ait[6] : « In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. » Idem ita : « Omnis natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum, domantur, et domita sunt a natura humana. » Qui simul considerans quanta sit in lingua malorum materia, et omnium bonorum consumptio, supra sic et infra loquitur : « Lingua quidem modicum membrum, quantus ignis, quam magnam silvam incendit!... Universitas iniquitatis, inquietum malum, plenum veneno mortifero. » Quid autem veneno periculosius vel cavendum amplius? Sicut ergo venenum vitam extinguit, sic loquacitas religionem penitus evertit. Unde idem superius[7] : « Si quis putat se, » inquit, « religiosum esse,

[1] *Act. Apost.*, cap. IV, v. 32. — [2] In prologo, *Opp.* t. I, col. 1. — [3] *Prov.*, cap. X, v. 19. — [4] Sic B. — *Est* non legitur in edit. — [5] Regul. S. Bened., cap. XLII. — [6] Jacob., cap. III, v. 2 et sqq. — [7] Ibid., cap. I, v. 26.

non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. » Hinc et in *Proverbiis* scriptum est[1] : « Sicut urbs patens, et absque murorum ambitu : ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. » Hoc ille senex diligenter considerabat, qui de loquacibus fratribus ei in via sociatis Antonio dicente[2] : « Bonos fratres invenisti tecum, abba; » respondit : « Boni sunt siquidem, sed habitatio eorum non habet januam. Quicunque vult, intrat in stabulum, et solvit asinum. » Quasi enim ad præsepe Domini anima nostra ligatur, sacræ se meditationis in eo quadam ruminatione reficiens, a quo quidem præsepi solvitur, atque huc et illuc toto mundo per cogitationes discurrit, nisi eam clausura taciturnitatis retineat. Verba quippe intellectum animæ immittunt, ut ei quod intelligit intendat, et per cogitationem hæreat. Cogitatione vero Deo loquimur, sicut verbis hominibus. Dumque huc verbis hominum intendimus, necesse est ut inde ducamur; nec Deo simul et hominibus intendere valemus. Nec solum otiosa, verum etiam quæ utilitatis aliquid habere videntur vitanda sunt verba, eo quod facile a necessariis ad otiosa, ab otiosis ad noxia veniatur. « Lingua » quippe, ut Jacobus[3] ait, « inquietum malum, » quo cæteris minor est aut subtilior membris, tanto mobilior et cæteris motu lacessentibus, ipsa quum non movetur fatigatur, et quies ipsa ei fit onerosa. Quæ quanto in nobis subtilior, et ex mollitie corporis nostri flexibilior, tanto mobilior et in verba pronior existit, et omnis malitiæ seminarium patet. Quod in vobis præcipue vitium Apostolus notans, omnino feminis in ecclesia loqui interdicit, nec de iis etiam quæ ad Deum pertinent, nisi domi viros interrogare permittit, et in iis etiam discendis, vel quibuscunque faciendis, silentio eas præcipue subjicit, Timotheo super his ita scribens[4] : « Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. » Quod si laicis et conjugatis feminis ita de silentio providerit, quid vobis est faciendum? Qui rursus eidem cur hoc præceperit innuens, verbosas eas et loquentes quum non oportet, arguit. Huic igitur tantæ pesti remedium aliquod providentes, his saltem penitus locis vel temporibus linguam continua taciturnitate domemus[5] : in oratione scilicet, in claustro, dormitorio, refectorio, et in omni comestione et coquina : et post completorium deinceps hoc maxime ab omnibus observetur. Signis vero his locis vel temporibus, si necessarium est, pro verbis utamur. De quibus etiam signis docendis seu addiscendis diligens habeatur cura, per quæ etiam si verbis quoque opus est, ad colloquium invitetur loco congruo, et ad hoc instituto. Et expletis breviter

[1] *Prov.*, cap. xxv, v. 28. — [2] In *Vitis Patrum*, p. 567. — [3] Jacob., cap. III, v. 8. — [4] *Timoth. I*, cap. II, v. 11 et 12. — [5] Cohibeamus B.

verbis illis necessariis, redeatur ad priora, vel quod opportunum est fiat. Nec tepide corrigatur verborum aut signorum excessus, sed verborum præcipue, in quibus majus imminet periculum. Cui profecto multo magnoque periculo et beatus Gregorius succurrere vehementer cupiens, VIII *Moralium* lib. [1] sic nos instruit : « Dum otiosa, » inquit, « verba cavere negligimus, ad noxia pervenimus. Hinc seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax tota extinguitur cordium. Unde bene per Salomonem dicitur [2] : « Qui dimittit « aquam, caput est jurgiorum. » Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxum eloquii relaxare. Quo contra et in bonam partem asserit dicens [3] : « Aqua profunda ex ore viri. » Qui ergo dimittit aquam, caput est jurgiorum : quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Unde scriptum est [4] : « Qui imponit stulto silentium, iras mitigat. » Ex quo nos manifeste admonet, in hoc præcipue vitio corrigendo districtissimam adhibere censuram : ne ejus vindicta ullatenus differatur, et per hoc maxime religio periclitetur. Hinc quippe detractiones, lites, convitia, et nonnunquam conspirationes et conjurationes germinantes, totum religionis ædificium non tam labefactant quam evertunt. Quod quidem vitium quum amputatum fuerit, non omnino fortasse pravæ cogitationes extinguntur; sed ab alienis cessabunt corruptelis. Hoc unum vitium fugere, quasi religioni sufficere arbitraretur [5], abbas Macarius admonebat, sicut scriptum est [6] his verbis : « Abbas Macarius major in Scyti, dicebat fratribus : « Post mis- « sas, ecclesias fugite, fratres. » Et dixit ei unus fratrum : « Pater, ubi habemus fu- « gere amplius a solitudine ista ? » Et ponebat digitum suum in ore suo, dicens : « Istud est quod fugiendum dico. » Et sic intrabat in cellam suam, et claudens ostium, sedebat solus. » Hæc vero silentii virtus, quæ, ut ait Jacobus, perfectum hominem reddit, et de qua Isaias prædixit [7] : « Cultus justitiæ silentium, » tanto a sanctis patribus fervore est arrepta, quod, sicut scriptum est, abbas Agatho per triennium lapidem in ore suo mittebat, donec taciturnitatem disceret.

Quamvis locus non salvet, multas tamen præbet opportunitates ad religionem facilius observandam, et tutius muniendam; et multa religionis auxilia vel impedimenta ex eo consistunt. Unde et filii prophetarum, quos, ut ait Hieronymus [8], monachos legimus in Veteri Testamento, ad solitudinis secretum se transtulerunt, præter fluenta Jordanis casulas suas constituentes. Joannes quoque et discipuli ejus, quos etiam propositi nostri principes habemus, et deinceps Paulus, Antonius, Macarius, et qui præcipue in nostro floruerunt proposito,

[1] Lib. VIII, cap. XVII, *Opp.* t. I, col. 239. — [2] *Prov.*, cap. XVII, v. 14. — [3] *Prov.*, cap. XVIII, v. 4. — [4] *Prov.*, cap. XXVI, v. 10. — [5] *Arbitratus* MS. Amb. - *Arbitrabatur* B. — [6] In *Vitis Patrum*, lib. V, *de Contin.*, p. 570. — [7] Isai., cap. XVII, v. 32. — [8] Epist. XLIX, *ad Paulinum*, *Opp.* t. IV, col. 565.

tumultum seculi et plenum tentationibus mundum fugientes, ad quietem solitudinis lectulum suæ contemplationis contulerunt; ut videlicet Deo possint sincerius vacare. Ipse quoque Dominus, ad quem nullus tentationis motus accessum habebat, suo nos erudiens exemplo, quum aliqua vellet agere præcipue secreta petebat, et populares declinabat tumultus. Hinc ipse Dominus nobis quadraginta dierum abstinentia heremum consecravit, turbas in heremo refecit, et ad orationis puritatem non solum a turbis, verum etiam ab apostolis secedebat. Ipsos quoque apostolos et in monte seorsum instruxit, atque constituit, et transfigurationis suæ gloria solitudinem insignivit, et exhibitione resurrectionis suæ discipulos communiter in monte lætificavit, et de monte in cœlum ascendit, et cætera quæcunque magnalia in solitudinibus vel secretis operatus est locis. Qui etiam Moysi vel antiquis patribus in solitudinibus apparens, et per solitudinem ad terram promissionis populum transducens, ibique populo diu detento legem tradens, manna pluens, aquam de petra educens, crebris apparitionibus ipsum consolans, et mirabilia operans, patenter docuit quantam ejus singularitas solitudinem pro nobis amet, cui purius in ea vacare possumus. Qui etiam libertatem mystice onagri solitudinem amantis diligenter describens, et vehementer approbans, ad beatum Job loquitur, dicens[1]: « Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit? Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula ejus in terra salsuginis. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit, circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit. » Ac si aperte dicat: Quis hoc fecit nisi ego? Onager quippe, quem silvestrem asinum vocamus, monachus est, qui secularium rerum[2] vinculis absolutus ad tranquillam vitæ solitariæ libertatem se contulit, et seculum fugiens in seculo non remansit. Hinc in terra salsuginis habitat, quum membra ejus per abstinentiam sicca sunt et arida. Clamorem exactoris non audit, sed vocem, quia ventri non superflua, sed necessaria impendit. Quis enim tam importunus exactor, et quotidianus exactor quam venter? Hic clamorem, id est immoderatam postulationem habet in superfluis et delicatis cibis, in quo minime est audiendus. Montes pascuæ sunt illi vitæ vel doctrinæ sublimium patrum, quas legendo et meditando reficimur. Virentia quæque dicit universa vitæ cœlestis et immarcessibilis scripta. Ad quod nos præcipue beatus Hieronymus exhortans, sic Heliodoro scribit monacho[3]: « Interpretare vocabulum monachi, hoc est nomen tuum. Quid facis in turba qui solus es? » Idem et nostram a clericorum vita distinguens, ad Paulum presbyterum scribit his verbis[4]: « Si officium vis

[1] *Job*, cap. XXXIX, v. 5 et sq. — [2] *Virorum* B et MS. Amb. – *Vitiorum* MS. Amb. — [3] Epist. V, *Opp.* t. IV, col. 9. — [4] Epist. XLIX, *Opp.* t. IV, col. 565.

exercere presbyteri, si episcopatus te vel opus vel onus forte delectat, vive in urbibus et castellis, et aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ. Si cupis esse quod diceris, monachus, id est solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Habet unumquodque propositum principes suos.... Et ut ad nostra veniamus, episcopi et presbyteri habeant ad exemplum apostolos, et apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur et meritum. Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Hilariones, Macarios. Et ut ad Scripturarum materiam redeam, noster princeps Elyas, noster Elisæus, nostri duces et filii prophetarum, qui habitabant in agris et solitudine, et faciebant [1] sibi tabernacula præter fluenta Jordanis. De iis sunt et illi filii Rechab qui vinum et siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei voce per [2] Jeremiam laudantur, quod non deficiat de stirpe eorum vir stans coram Domino. » Et nos ergo, ut coram Domino stare, et ejus obsequio parati magis valeamus assistere, tabernacula nobis erigamus in solitudine, ne lectulum nostræ quietis frequentia hominum concutiat, quietem turbet, ingerat tentationes, mentem a sancto evellat proposito. Ad quam quidem liberam vitæ tranquillitatem beatum Arsenium Domino dirigente omnibus in uno manifestum datum est exemplum. Unde et scriptum est [3] : « Abbas Arsenius quum adhuc esset in palatio, oravit ad Dominum, dicens : « Domine, « dirige me ad salutem. » Et venit ei vox dicens : « Arseni, fuge homines, et sanabe- « ris. » Idem ipse discedens ad monachalem vitam rursum oravit eumdem sermonem, dicens : « Domine, dirige me ad salutem. Audivitque vocem dicentem sibi : « Arseni, fuge, tace, quiesce. Hæc enim sunt radices non peccandi. » Ille igitur hac una divini præcepti regula instructus, non solum homines fugit, sed eos etiam a se fugavit. Ad quem archiepiscopo suo cum quodam judice quadam die venientibus, et ædificationis sermonem ab eo requirentibus, ait : « Et si dixero « vobis, custodietis ? » Illi autem promiserunt se custodire. Et dixit eis : « Ubi- « cunque audieritis Arsenium, approximare nolite. » Alia iterum vice archiepiscopus eum visitans, misit primo videre si aperiret. Et mandavit ei, dicens : « Si « venis, aperio tibi, sed si tibi aperuero, omnibus aperio, et tunc jam ultra hic « non sedeo. » Hæc audiens archiepiscopus, dixit : « Si eum persecuturus vado, « nunquam vadam ad hominem sanctum. » Cujus etiam sanctitatem cuidam romanæ matronæ visitanti, dixit : « Quomodo præsumpsisti tantam navigationem « assumere? Nescis quia mulier es, et non debes exire quoquam? Aut ut vadas Ro- « mam, et dicas aliis mulieribus : Quia vidi Arsenium; et faciant mare viam mu- « lierum venientium ad me? » Illa autem dixit : « Si voluerit me Dominus reverti

[1] *Struxerunt* RMS. — [2] Sic B. – *Dei per Jeremiam voce* Edd. — [3] In *Vitis Patrum*, lib. V, *de Quiete*, col. 563.

Romam, non permitto aliquem venire huc. Sed ora pro me, et memor esto mei semper. » Ille autem respondens, dixit ei : « Oro Deum ut deleat memoriam tui de corde meo. » Quæ audiens hæc, egressa est turbata. » Hic quoque, sicut scriptum est, a Marco abbate requisitus cur fugeret homines, respondit[1] : « Scit Deus quia diligo homines, sed cum Deo pariter et hominibus esse non possum. » In tantum vero sancti patres conversationem hominum atque notitiam abhorrebant, ut nonnulli eorum ut illos a se penitus removerent, insanos se fingerent, et, quod dictu mirabile est, hæreticos etiam se profiterentur. Quod si quis voluerit, legat in *Vitis Patrum* de abbate Simone[2], qualiter se præparavit judici provinciæ ad se venienti : qui se videlicet sacco cooperiens, et tollens in manu sua panem et caseum, sedit in ingressu cellæ suæ, et cœpit manducare. Legat et de illo anachoreta[3], qui quum quosdam sensisset obviam sibi cum lampadibus occurrere, « exspolians se vestimenta sua, misit in flumen; et stans nudus cœpit ea lavare. Ille autem qui ministrabat ei hæc videns, erubuit, et rogavit homines, dicens : « Revertimini, quia senex noster sensum perdidit. » Et veniens ad eum dixit ei : « Quid hic fecisti, abba? Omnes enim qui te viderunt dixerunt quia dæmonium habet senex. » Ille autem respondit : « Et ego hoc volebam audire. » Legat insuper et de abbate Moyse[4], qui ut a se penitus judicem provinciæ removeret, surrexit ut fugeret in paludem. Et occurrit ei ille judex cum suis, et interrogavit eum, dicens : « Dic nobis, senex, ubi est cella abbatis Moysis? » Et dixit eis : « Quid vultis eum inquirere? Homo fatuus est et hæreticus. » Quid etiam de abbate Pastore[5], qui nec se a judice provinciæ videri permisit, ut sororis suæ supplicantis filium de carcere liberaret? Ecce potentes seculi cum magna veneratione et devotione sanctorum præsentiam postulant, et illi etiam cum summo sui dedecore eos penitus a se repellere student. Ut autem sexus etiam vestri in hac re virtutem cognoscatis, quis digne prædicare sufficiat virginem illam, quæ beatissimi quoque Martini visitationem respuit, ut vacaret contemplationi? Unde ad Oceanum monachum Hieronymus scribens[6] : « In *beati*, » inquit, « *Martini Vita* legimus commemorasse Sulpitium, quod transiens sanctus Martinus virginem quamdam moribus et castitate præcelsam cupiens salutare, illa noluit, sed exenium[7] misit, et per fenestram respiciens, ait sancto viro : « Ibi, pater, ora, quia nunquam a viro sum visitata. » Quo audito, gratias egit Deo sanctus Martinus, quod talibus imbuta moribus castam custodierit voluntatem. Benedixit eam et abiit lætitia plenus. » Hæc revera de contemplationis suæ lectulo surgere dedignata vel verita, pulsanti ad ostium

[1] In *Vitis Patrum* lib. V, *de Charitate*, p. 632. — [2] Ibid., *de Ostentat.*, 594. — [3] Ibid., lib. VII, p. 670. — [4] Ibid., lib. V, *de Ostentat.*, p. 593. — [5] Ibid., ibid. — [6] *Opp.* t. V, col. 414. — [7] *Xenium* MS. Amb.

amico parata erat dicere[1] : « Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? » O quantæ sibi imputarent injuriæ episcopi vel prælati hujus temporis, si hanc ab Arsenio vel ab hac virgine repulsam pertulissent! Erubescant ad ista, si qui nunc in solitudine morantur monachi, quum episcoporum frequentia gaudent, quum eis proprias, in quibus suscipiantur, fabricant domos : quum seculi potentes, quos turba comitatur, vel ad quos confluit, non solum non fugiunt, sed adsciscunt, et occasione hospitum domos multiplicantes, quam quæsierunt solitudinem, redigunt in civitatem. Hac profecto antiqui et callidi tentatoris machinatione omnia fere hujus temporis monasteria, quum prius in solitudine constituta fuissent, ut homines fugerentur, postea fervore religionis refrigescente, homines adsciverunt, et servos atque ancillas congregantes, villas maximas in locis monasticis construxerunt; et sic ad seculum redierunt, imo ad se traxerunt seculum. Qui se miseriis maximis implicantes, et maximæ servituti tam ecclesiasticarum quam terrenarum potestatum alligantes, dum otiose appeterent vivere, et de alieno victitare labore, ipsum quoque monachi, hoc est solitarii nomen pariter amiserunt et vitam. Qui etiam sæpe tantis urgentur incommodis, ut dum suos et res eorum tutari laborant, proprias amittant, et frequenti incendio vicinarum domorum ipsa quoque monasteria cremantur. Nec sic tamen ambitio refrenatur. Hi quoque districtionem monasterii qualemcunque non ferentes, ac per villas, castella, civitates sese dispergentes, binique vel terni, aut etiam singuli sine aliqua observatione regulæ victitantes, tanto secularibus deteriores sunt hominibus, quanto a professione sua amplius apostatantur. Qui habitationum quoque suarum sicut et sua abutentes, Obedientias loca sua nominant, ubi nulla regula tenetur, ubi nulli rei nisi ventri et carni obeditur, ubi cum propinquis vel familiaribus suis manentes, tanto liberius agunt quod volunt, quanto minus a conscientiis suis verentur. In quibus profecto impudentissimis apostatis excessus illos criminales esse dubium non est, qui in cæteris veniales sunt hominibus. Qualium omnino vitam non solum attingere, sed nec audire sustineatis. Vestræ vero infirmitati tanto magis est solitudo necessaria, quanto carnalium tentationum bellis minus hic infestamur, et minus ad corporalia per sensus evagamur. Unde et beatus Antonius[2] : « Qui sedet, » inquit, « in solitudine, et quiescit, a tribus bellis eripitur, id est auditus, locutionis, et visus, et contra unum tantummodo habebit pugnam, id est cordis. » Has quidem vel cæteras heremi commoditates insignis Ecclesiæ doctor Hieronymus diligenter attendens, et ad eas Heliodorum monachum vehementer adhortans, exclamat dicens[3] : « O heremus familiari Deo gaudens! Quid agis, frater, in seculo, qui

[1] *Cant.*, cap. v, v. 3. — [2] *Vit. Patrum*, lib. V, *de Quiete*, p. 141. — [3] Epist. vi, *Opp.* t. IV, col. 11.

major es mundo? » Nunc vero quia ubi construi monasteria convenit disseruimus : qualis et ipsa loci positio esse debeat ostendamus. Ipsi autem monasterii loco constituendo, sicut quoque beatus consuluit Benedictus[1], ita si fieri potest providendum est, ut intra monasterii septa contineantur illa maxime quæ monasteriis sunt necessaria, id est hortus, aqua, molendinum, pistrinum cum furno, et loca quibus quotidiana sorores exerceant opera, ne foras vagandi detur occasio.

Sicut in castris seculi, ita et in castris Domini, id est congregationibus monasticis constituendi sunt, qui præsint cæteris. Ibi quippe imperator unus, ad cujus nutum omnia gerantur, præest omnibus. Qui etiam pro multitudine exercitus vel diversitate officiorum sua nonnullis impertiens onera, quosdam sub se adhibet magistratus, qui diversis hominum catervis aut officiis provideant. Sic et in monasteriis fieri necesse est, ut ibi una omnibus præsit matrona, ad cujus considerationem atque arbitrium omnes reliquæ omnia operentur, nec ulla ei in aliquo præsumat obsistere, vel etiam ad aliquod ejus præceptum murmurare. Nulla quippe hominum congregatio vel quantulacunque domus unius familia consistere potest incolumis, nisi unitas in ea conservetur : ut videlicet totum ejus regnum in unius personæ magisterio[2] consistat. Unde et arca typum Ecclesiæ gerens quum multos tam in longo quam in lato cubitos haberet, in uno consummata est. Et in *Proverbiis* scriptum est[3] : « Propter peccata terræ multi principes ejus. » Unde etiam Alexandro mortuo, multiplicatis regibus mala quoque multiplicata sunt, et Roma pluribus communicata rectoribus concordiam tenere non potuit. Unde Lucanus in primo sic meminit[4]:

. . . . Tu causa malorum
Facta tribus dominis communis Roma, nec unquam
In turbam missi feralia fœdera regni.

Et post pauca :

. . . . . . Dum terra fretum, terramque levabit
Aer, et longi volvent Titana labores,
Noxque diem cœlo totidem per signa sequetur;
Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit. . . . .

Tales profecto et illi erant discipuli sancti Frontonii abbatis[5], quos ipse in civitate, in qua natus est, quum usque ad septuaginta congregasset, et magnam

[1] Regul. S. Bened., cap. LXVI. — [2] *Ministerio* B et MS. Amb. — [3] *Prov.*, cap. XXVIII, v. 2. — [4] *Pharsal.*, I, v. 84 et sq. — [5] In *Vitis Patrum*, lib. I, p. 239.

ibidem gratiam tam apud Deum quam apud homines adeptus esset, relicto monasterio civitatis cum mobilibus rebus nudos secum ad heremum traxit. Qui postmodum, more israelitici populi adversus Moysem conquerentis, quod eos etiam de Ægypto, relictis ollis carnium et abundantia terræ, in solitudinem eduxisset, murmurantes incassum dicebant : « Nunquid sola in heremo castitas, quæ in urbibus non est? Cur itaque non in civitatem revertimur, de qua ad tempus exivimus? An in heremum solum Deus exaudiet orantes? Quis cibo angelorum vivat? Quem pecorum et ferarum delectat fieri socium? Quanta nos habet necessitas hic morari? Cur itaque non regressi in locum, in quo nati sumus, benedicimus Dominum? » Hinc et Jacobus admonet apostolus[1] : « Nolite, » inquit, « plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis. » Hinc quoque Hieronymus ad Rusticum monachum de institutione vitæ scribens[2] : « Nulla, » inquit, « ars absque magistro discitur. Etiam muta animalia et ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus unam præcedentem reliquæ subsequuntur. Grues unum sequuntur ordine litterato. Imperator unus, judex unus provinciæ. Roma ut condita est, duos fratres simul habere reges non potuit, et parricidio dedicatur. In Rebeccæ utero, Esau et Jacob bella gesserunt. Singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi, et omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In nave unus gubernator. In domo unus Dominus. In quamvis grandi exercitu unius signum spectatur. Per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in monasterio sub unius disciplina patris consortioque multorum. »

Ut igitur in omnibus concordia servari possit, unam omnibus præesse convenit, cui per omnia omnes obediant. Sub hac etiam quasi magistratus quosdam nonnullas alias personas, prout ipsa decreverit, constitui oportet. Quæ quibus officiis ipsa præceperit, et quantum voluerit, præsint, ut sint videlicet istæ quasi duces vel consules in exercitu dominico : reliquæ autem omnes tanquam milites vel pedites, istarum cura eis prævidente, adversus malignum ejusque satellites libere pugnent. Septem vero personas ex vobis ad omnem monasterii administrationem necessarias esse credimus atque sufficere : portariam[3] scilicet, cellerariam, vestiariam, infirmariam, cantricem[4], sacristam, et ad extremum diaconissam, quam nunc abbatissam nominant. In his itaque castris, et divina quadam militia, sicut scriptum est[5] : « Militia est vita hominis super terram, » et alibi[6] : « Terribilis ut castrorum acies ordinata, » vicem imperatoris, cui per

[1] Jacob., cap. III, v. 1. — [2] Epist. xcv, *Opp.* t. IV, p. 775. — [3] *Janitorem* RMS. — [4] *Cantatricem* MS. Amb., sed male. — [5] *Job*, cap. VII, v. 1. — [6] *Cant.*, cap. VI, v. 3.

omnia obeditur ab omnibus, obtinet diaconissa. Sex vero aliæ sub ea, quas dicimus officiales, ducum sive consulum loca possident. Omnes vero reliquæ moniales, quas vocamus claustrales, militum more, divinum peragunt expedite servitium. Conversæ autem, quæ etiam seculo renuntiantes, obsequio monialium se dicarunt, habitu quodam religioso, non tamen monastico, quasi pedites, inferiorem obtinent gradum.

Nunc vero superest Domino inspirante hujus militiæ gradus singulos ordinare, ut adversus impugnationes dæmonum vere sit quod dicitur « castrorum acies ordinata. » Ab ipso, inquam, ut dictum est capite, quod diaconissam dicimus, hujus institutionis ducentes exordium, de ipsa primitus disponamus, per quam sunt omnia disponenda. Hujus vero sanctitatem, sicut in præcedenti meminimus epistola, beatus Paulus apostolus Timotheo scribens, quam eminentem et probatam oporteat esse diligenter describit, dicens [1] : « Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentes autem viduas devita. » Idem supra de diaconissis, quum etiam diaconorum institueret vitam : « Mulieres, » inquit [2], « similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. » Quæ quidem omnia quid intelligentiæ vel rationis habeant, quantum æstimamus, epistola præcedente nostra satis disseruimus, maxime cur eam Apostolus unius viri et provectæ velit esse ætatis. Unde non mediocriter miramur quomodo perniciosa hæc in Ecclesia consuetudo inolevit, ut quæ virgines sunt, potius quam quæ viros cognoverunt ad hoc eligantur, et frequenter juniores senioribus præficiantur. Quum tamen Ecclesiastes dicat [3] : « Væ tibi, terra, cujus rex puer est. » Et quum illud beati Job [4] omnes pariter approbemus : « In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. » Hinc et in *Proverbiis* scriptum est [5] : « Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur. » Et in *Ecclesiastico* [6] : « Quam speciosum canitiei judicium, et a presbyteris cognoscere consilium ! Quam speciosa veterani sapientia, et gloriosus intellectus, et consilium, corona senum ! Multa peritia et gloria illorum timor Dei. » Item [7] : « Loquere, major natu, decet enim te.... Adolescens [8] loquere in tua causa, vix quum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et quærens, et loqui in medio magnatorum [9] non præsumas, et ubi sunt senes, non multum loquaris. » Unde et presbyteri qui in ecclesia populo

[1] *Timoth. I*, cap. v, v. 9, 10 et 11. — [2] *Timoth. I*, cap. III, v. 11. — [3] *Eccle.*, cap. x, v. 16. — [4] *Job*, cap. XII, v. 12. — [5] *Prov.*, cap. XVI, v. 31. — [6] *Eccli.*, cap. XXV, v. 6, 7 et 8. — [7] *Eccli.*, cap. XXXII, v. 4. — [8] Ibid., v. 10 et sq. — [9] *Magnatum* MS. Amb.

præsunt seniores interpretantur, ut ipso quoque nomine, quales esse debeant doceatur. Et qui sanctorum Vitas scripserunt, quos nunc abbates dicimus, senes appellabant. Modis itaque omnibus providendum est ut in electione vel consecratione diaconissæ, consilium præcedat Apostoli [1], ut videlicet talis eligatur, quæ cæteris vita et doctrina præesse debeat, et ætate quoque morum maturitatem polliceatur, et quæ obediendo meruerit imperare, et operando magis quam audiendo regulam didicerit, et firmius noverit. Quæ si litterata non fuerit, sciat se non ad philosophicas scholas, vel disputationes dialecticas, sed ad doctrinam vitæ et operum exhibitionem accommodari. Sicut de Domino scriptum est [2] : « Qui cœpit facere et docere, » prius videlicet facere, postmodum docere. Quia melior atque perfectior est doctrina operis quam sermonis, facti quam verbi. Quod diligenter attendamus, ut scriptum est : Dixit abbas Ipitius [3] : « Ille est vere sapiens, qui facto suo alios docet, non qui verbis. » Nec parum consolationis et confidentiæ super hoc affert. Attendatur et illa quoque beati Antonii ratio, qua verbosos confutavit philosophos, ejus videlicet tanquam idiotæ et illitterati hominis magisterium irridentes : « Et respondete, » inquit [4]; « mihi quid prius est sensus, an litteræ? Et quid cujus exordium est? Sensus ex litteris, an litteræ oriuntur ex sensu? » Illis asserentibus quia sensus esset auctor atque inventor litterarum, ait : « Igitur cui sensus incolumis est, hic litteras non requirit. » Audiat quoque illud Apostoli et confortetur in Domino [5] : « Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? » Et iterum [6] : « Quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes, et infirma elegit Deus ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, ut ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt destruat, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. » Non enim, sicut ipse postmodum dicit [7], in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Quod si de aliquibus melius cognoscendis ad Scripturam revertendum esse censuerit, a litteratis hoc requirere et addiscere non erubescat, nec in his litterarum documenta contemnat; sed devote et diligenter suscipiat, quum ipse quoque apostolorum princeps coapostoli sui Pauli publicam correctionem [8] diligenter exceperit [9]. Ut enim beatus quoque meminit Benedictus, sæpe minori revelat Dominus quod melius est. Ut autem amplius dominicam sequamur providentiam quam Apostolus quoque supra memoravit, nunquam de nobilibus aut potentibus seculi, nisi maxima incumbente necessitate, et certissima ratione, fiat hæc electio. Tales namque de genere suo facile confidentes, aut gloriantes, aut præsumptuosæ, aut superbæ fiunt; et tunc maxime quando indigenæ sunt,

[1] *Timoth. I*, cap. v. — [2] *Act. Apost.*, cap. I, v. 1. — [3] *Spericius* MS. Amb. — [4] In *Vitis Patrum*, lib. I, p. 54. — [5] *Corinth. I*, cap. I, v. 20. — [6] Ibid., v. 28 et sq. — [7] *Corinth. I*, cap. IV, v. 20. — [8] *Correptionem* MS. Amb. — [9] *Galat.*, cap. II, v. 11.

earum prælatio perniciosa fit monasterio. Verendum quippe est ne vicinia suorum eam præsumptiorem reddat, et frequentia ipsorum gravet aut inquietet monasterium, atque ipsa per suos religionis perferat detrimentum, aut aliis veniat in contemptum, juxta illud Veritatis[1] : « Non est propheta sine honore, nisi in patria sua. » Quod beatus quoque providens Hieronymus, ad Heliodorum scribens, quum pleraque annumerasset, quæ monachis officiunt in sua morantibus patria : « Ex hac, » inquit[2], « supputatione illa summa nascitur, monachum in patria sua perfectum esse non posse. Perfectum esse autem nolle, delinquere est. » Quantum vero est animarum damnum, si minor in religione fuerit, quæ religionis præest magisterio? Singulis quippe subjectis singulas virtutes exhibere sufficit. In hac autem omnium exempla debent eminere virtutum, ut omnia quæ aliis præceperit propriis præveniat exemplis; ne ipsa quæ præcipit moribus oppugnet, et quod verbis ædificat, factis ipsa destruat, et de ore suo verbum correctionis auferatur; quum ipsa in aliis erubescat corrigere, quæ constat eam committere. Quod quidem Psalmista ne ei eveniat Dominum precatur, dicens[3] : « Et ne auferas de ore meo veritatem usquequaque. » Attendebat quippe illam gravissimam Domini increpationem, de qua et ipse alibi meminit dicens[4] : « Peccatori autem dixit Deus : « Quare tu enarras justitias meas, et assumis testa- « mentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones « meos retro. » Quod studiose præcavens Apostolus[5] : « Castigo, » inquit, « corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. » Cujus quippe vita despicitur, restat ut et prædicatio vel doctrina contemnatur. Et quum curare quis alium debeat, si in eadem laboraverit infirmitate, recte ipsi ab ægroto improperatur[6] : « Medice, cura te ipsum. » Attendat sollicite quisquis Ecclesiæ præesse videtur, quantam ruinam casus ejus præbeat, quum ipse ad præcipitium secum pariter subjectos trahat : « Qui solverit, » inquit Veritas[7], « unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. » Solvit quippe mandatum, qui contra agendo infringit ipsum, et exemplo suo corrumpens alios, in cathedra pestilentiæ doctor residet. Quod si quislibet hoc agens minimus habendus est in regno cœlorum, hoc est in Ecclesia præsenti, quanti habendus est pessimus prælatus a cujus negligentia non suæ tantum, sed omnium subjectarum animarum sanguinem Dominus requirit? Unde bene Sapientia talibus comminatur[8] : « Data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. Quoniam quum essetis ministri

[1] Matth., cap. XIII, v. 57. — [2] Epist. V, *Opp.* t. IV, col. 9. — [3] Psalm. CXVIII, v. 3. — [4] Psalm. XLIX, v. 16 et 17. — [5] *Corinth. I*, cap. IX, v. 27. — [6] Luc., cap. IV, v. 23. — [7] Matth., cap. V, v. 19. — [8] *Sapient.*, cap. VI, v. 4 et sq.

regni illius, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ. Horrende etiam cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia. Potentes autem potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatio. » Sufficit quippe unicuique subjectarum animarum a proprio sibi providere delicto. Prælatis autem et in peccatis alienis mors imminet. Quum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum; et cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Cui quidem periculo tanto maxime providere in *Proverbiis* admonemur, quum dicitur [1] : « Fili, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum : ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. » Tunc enim pro amico sponsionem facimus, quum aliquem charitas nostra in nostræ congregationis conversationem suscipit. Cui nostræ providentiæ curam promittimus, sicut et ille nobis obedientiam suam. Et sic quoque manum nostram apud eum defigimus, quum sollicitudinem nostræ operationis erga eum spondendo constituimus. Tum et in manum ejus incidimus, quia nisi nobis ab ipso providerimus, ipsum animæ nostræ interfectorem sentiemus. Contra quod periculum adhibetur consilium, quum subditur : « Discurre, festina, etc. » Nunc igitur huc, nunc illuc deambulans, more providi et impigri ducis, castra sua sollicite gerat, vel scrutetur, ne per alicujus negligentiam ei, qui tanquam leo circuit quærens quem devoret [2], aditus pateat. Omnia mala domus suæ prior agnoscat, ut ab ipsa prius possint corrigi quam a cæteris agnosci, et in exemplum trahi. Caveat illud quod stultis vel negligentibus beatus improperat Hieronymus [3] : « Solemus mala domus nostræ scire novissimi, ac liberorum ac conjugum vitia vicinis canentibus ignorare. » Attendat quæ sic præsidet, quia tam corporum quam animarum custodiam suscepit. De custodia vero corporum admonetur, quum dicitur in *Ecclesiastico* [4] : « Filiæ tibi sunt, serva corpus illarum, et non ostendas faciem tuam hilarem ad illas. » Et iterum [5] : « Filia patris abscondita est, vigilia et sollicitudo ejus aufert somnum, nequando polluatur. » Polluimus vero corpora nostra non solum fornicando, sed quodlibet indecens in ipsis operando tam lingua, quam alio membro, seu quolibet membro sensibus corporis ad vanitatem aliquam abutendo. Sicut scriptum est [6] : « Mors intrat per fenestras nostras, » hoc est peccatum ad animam per quinque sensuum instrumenta Quæ vero mors gravior, aut custo-

[1] *Prov.*, cap. VI, v. 1 et sq. — [2] Petr. I, cap. V, v. 8. — [3] Epist. XCIII, *ad Sabinianum*, *Opp.* t. IV, col. 760. — [4] *Eccli.*, cap. VII, v. 26. — [5] *Eccli.*, cap. XLII, v. 9. — [6] Jerem., cap. IX, v. 21.

dia periculosior, quam animarum? « Nolite, » inquit Veritas[1], « timere eos qui occidunt corpus, animæ vero non habent quid faciant. » Si quis hoc audit consilium, quis non magis mortem corporis quam animæ timet? Quis non magis gladium quam mendacium cavet? Et tamen scriptum est[2]: « Os quod mentitur occidit animam. » Quid tam facile interfici quam anima potest? Quæ sagitta citius fabricari quam peccatum valet? Quis sibi a cogitatione saltem providere potest? Quis propriis peccatis providere sufficit, nedum alienis? Quis carnalis pastor spiritales oves a lupis spiritalibus, invisibiles ab invisibilibus custodire sufficiat? Quis raptorem non timeat, qui infestare non cessat, quem nullo possumus excludere vallo, nullo interficere vel lædere gladio? quem incessanter insidiantem et maxime religiosos persequentem, juxta illud Habacuc[3]: « Escæ illius electæ, » Petrus apostolus cavendum adhortatur, dicens[4]: « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret. » Cujus quanta sit præsumptio in devoratione nostra, ipse Dominus beato Job dicit[5]: « Absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus. » Quid enim aggredi non præsumat, qui ipsum quoque Dominum aggressus est tentare? Qui de paradiso statim primos parentes captivavit, et de apostolico cœtu ipsum etiam, quem Dominus elegerat, apostolum rapuit? Quis ab eo locus tutus? Quæ claustra illi non sunt pervia? Quis ab ejus insidiis providere, quis ejus fortitudini valet resistere? Ipse est qui uno impulsu concutiens quatuor angulos domus sancti viri Job[6], filios et filias innocentes oppressit et extinxit. Quid sexus infirmior adversus ipsum poterit? Cui seductio ejus tantum timenda est, quantum feminæ? Hanc quippe ipse primum seduxit, et per ipsam virum ejus pariter, et totam posteritatem captivavit. Cupiditas majoris boni possessione minoris mulierem privavit. Hac quoque arte nunc facile mulierem seducet, quum præesse magis quam prodesse cupierit, rerum ambitione vel honoris ad hoc impulsa. Quod autem horum præcesserit sequentia probabunt. Si vero delicatius vixerit prælata quam subjecta, vel si supra necessitatem aliquid sibi peculiare vindicaverit, non dubium est hoc eam concupisse. Si pretiosiora postmodum quam antea quæsierit ornamenta, profecto vana tumet gloria. Qualis prius extiterit postmodum apparebit. Quod prius exhibebat, utrum virtus fuerit an simulatio, indicabit prælatio. Trahatur ad prælationem magis quam veniat, dicente Domino[7]: « Omnes quotquot veniunt, fures sunt et latrones. » Venerunt, inquit Hieronymus, « non qui missi sunt. » Sumatur potius ad honorem quam sibi sumat honorem: « Nemo » enim, inquit Apostolus[8], « sibi

[1] Matth., cap. x, v. 28. – Luc., cap. xii, v. 4. — [2] *Sapient.*, cap. i, v. 11. — [3] Habac., cap. i, v. 16. — [4] Petr., cap. v, v. 8. — [5] *Job*, cap. xl, v. 18. — [6] Ibid., cap. i, v. 19. — [7] Joan., cap. x, v. 8. — [8] *Hebr.*, cap. v, v. 4.

sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. » Vocata lugeat tanquam ad mortem deducta, repulsa gaudeat tanquam a morte liberata. Erubescimus ad verba quæ dicimus cæteris meliores; quum autem in electione nostra rebus ipsis hoc exhibetur, impudenter sine pudore sumus. Quis enim nesciat meliores cæteris præferendos? Unde lib. *Moralium* XXIV [1] : « Non debet autem hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene admonendo increpare. Qui ad hoc eligitur ut aliorum culpas corrigat, quod resecari debuit ipse committat. » In qua tamen electione si forte hanc impudentiam aliquando levi verborum repulsa, tamen per aures oblatam recusamus dignitatem, hanc profecto in nos accusationem proferimus, quo justiores et digniores videamur. O quot in electione sua flere vidimus corpore et ridere corde! accusare se tanquam indignos, et per hoc gratiam sibi et favorem humanum magis venari! attendentes quod scriptum est [2] : « Justus prior accusator est sui. » Quos postea quum accusari contingeret, et se eis occasio cedendi offerret, importunissime et impudentissime suam sibi prælationem defendere nituntur, quam se invitos suscepisse fictis lacrymis et veris accusationibus sui monstraverant. Quot in ecclesiis vidimus canonicos episcopis suis reluctantes, quum ab eis ad sacros ordines cogerentur, et se indignos tantis ministeriis profitentes, nec omnino velle acquiescere? quos quum forte clerus ad episcopatum postmodum eligeret, nullam aut levem perpessus est repulsam. Et qui heri, sicut aiebant, animæ suæ periculum vitantes, diaconatum refugiebant, jam quasi una nocte justificati, de altiore gradu præcipitium non verentur. De qualibus quidem in ipsis scriptum est *Proverbiis* [3] : « Homo stultus plaudet manibus, quum spoponderit pro amico. » Tunc enim miser gaudet unde potius ei lugendum esset, quum ad regimen aliorum veniens in cura subjectorum propria professione ligatur, a quibus magis amari quam timeri debet. Cui profecto pestilentiæ quantum possumus providentes omnino interdicimus, ne delicatius aut mollius vivat prælata quam subjecta : ne privatos habeat secessus ad comedendum vel dormiendum, sed cum sibi commisso grege cuncta peragat, et tanto eis amplius provideat, quanto eis amplius præsens assistet. Scimus quidem beatum Benedictum [4] de peregrinis et hospitibus maxime sollicitum, mensam abbatis cum illis seorsum constituisse. Quod licet tunc pie sit constitutum, postea tamen utilissima monasteriorum dispensatione ita est immutatum, ut abbas a conventu non recedat, et fidelem dispensatorem peregrinis provideat. Facilis quippe est inter epulas lapsus, et

[1] Locus corruptus, sic restituendus : « Non autem debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire : ne qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quod resecare debuit, ipse committat. » S. Gregorii *Moral.*, lib. XXIV, cap. xxv, *Opp.* t I, col. 786.—[2] *Prov.*, cap. xviii, v. 17.—[3] *Prov.*, cap. xvii, v. 18. — [4] Regul., cap. lvi.

tunc disciplinæ magis est invigilandum. Multi etiam occasione hospitum sibi magis quam hospitibus propitii sunt, et hinc maxima suspicione læduntur absentes et murmurant. Et tanto prælati minor est auctoritas, quanto ejus vita suis est magis incognita. Tunc quoque tolerabilior omnibus quælibet habetur inopia, quum ab omnibus æque participatur, maxime vero a prælatis. Sicut in Catone quoque didicimus. Hic quippe, ut scriptum est, populo secum sitiente oblatum sibi aquæ paululum respuit et effudit, suffecitque omnibus [1].

Quum igitur prælatis maxime sobrietas sit necessaria, tanto eis parcius est vivendum, quanto per eos cæteris est providendum. Qui etiam ne donum Dei, hoc est prælationem sibi concessam in superbiam convertant, et maxime subjectis per hoc insultent, audiant quod scriptum est : « Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi [2]. Odibilis coram Deo et hominibus est superbia [3]. Sedes ducum superborum destruxit Dominus, et sedere fecit mites pro eis [4]. Rectorem te posuerunt, noli extolli. Esto in illis quasi unus ex ipsis [5]. » Et Apostolus Timotheum erga subjectos instruens : « Seniorem, » inquit [6], « ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juniores ut fratres, anus ut matres, juvenculas, ut sorores. » « Non vos me, » inquit Dominus [7], « elegistis, sed ego elegi vos. » Universi alii prælati a subjectis eliguntur, et ab eis creantur et constituuntur; quia non ad dominium, sed ad ministerium assumuntur. Hic autem solus vere est Dominus, et subjectos sibi ad serviendum habet eligere. Nec tamen se dominum, sed ministrum exhibuit, et suos jam ad dignitatis arcem aspirantes proprio confutat exemplo, dicens [8] : « Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic. » Reges igitur gentium imitatur quisquis in subjectis *dominium* appetit magis quam *ministerium*, et timeri magis quam amari satagit, et de prælationis suæ magisterio intumescens, amat primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi. Cujus quidem vocationis honorem, ut nec nominibus gloriemur, et in omnibus humilitati provideatur : « Vos autem, » inquit Dominus [9], « nolite vocari Rabbi, et patrem nolite vocare super terram. » Et postremo universam

[1] In cod. Ms. quem Rawlinson se contulisse dicit, hæc inseruntur carmina e Lucano excerpta, IX, v. 498 et sq. :

Utque calor solvit, quem torserat aera ventus,
Incensusque dies; manant sudoribus artus;
Arent ora siti. Conspecta est parva maligna
Unda procul vena : quam vix e pulvere miles
Corripiens, patulum galea confudit in orbem,
Porrexitque duci. Squalebant pulvere fauces
Cunctorum; minimumque tenens dux ipse liquoris
Invidiosus erat. « Mene, inquit, degener, unum,
Miles, in hac turba vacuum virtute putasti?
Usque adeo mollis, primisque caloribus impar
Sum visus? Quanto pœna tu dignior ista,
Qui populo sitiente bibas? » Sic concitus ira,
Excussit galeam, suffecitque omnibus unda.

[2] *Eccli.*, cap. IV, v. 35. — [3] Ibid., cap. X, v. 7. — [4] Ibid., v. 17. — [5] Ibid., cap. XXXII, v. 1. — [6] *Timoth. I*, cap. V, v. 1. — [7] Joan., cap. XV, v. 16. — [8] Matth., cap. XX, v. 25. — [9] Ibid., cap. XXIII, v. 8 et sq.

prohibens gloriationem : « Qui se, » inquit[1], « exaltaverit, humiliabitur. » Providendum quoque est, ne per absentiam pastorum grex periclitetur, et ne prælatis extravagantibus intus disciplina torpeat. Statuimus itaque, ut diaconissa magis spiritalibus quam corporalibus intendens, nulla exteriore cura monasterium deserat, sed circa subjectas tanto sit magis sollicita, quanto magis assidua; et tanto sit hominibus quoque præsentia ejus venerabilior, quanto rarior, sicut scriptum est[2] : « Advocatus a potentiore discede. Ex hoc enim magis te advocabit. » Si qua vero legatione monasterium egeat, monachi vel eorum conversi ea fungantur. Semper enim viros mulierum necessitudinibus oportet providere. Et quo earum major religio, amplius vacant Deo, et majori virorum egent patrocinio. Unde et matris Domini curam agere Joseph ab angelo admonetur[3], quam tamen cognoscere non permittitur. Et ipse Dominus moriens quasi alterum filium matri suæ providit, qui ejus temporalem ageret curam. Apostoli quoque quantam devotis curam impenderent feminis dubium non est, ut jam satis alibi meminimus; quarum etiam obsequiis diaconos septem instituerunt. Quam quidem nos auctoritatem sequentes, ipsa etiam rei necessitate hoc exigente, decrevimus, monachos et eorum conversos, more apostolorum et diaconorum, in iis quæ ad exteriorem pertinent curam, monasteriis feminarum providere, quibus maxime propter missas necessarii sunt monachi, propter opera vero conversi. Oportet itaque, sicut Alexandriæ, sub Marco evangelista, legimus esse factum in ipso Ecclesiæ nascentis exordio, ut monasteriis feminarum monasteria non desint virorum, et per ejusdem religionis viros omnia extrinsecus feminis administrentur. Et tunc profecto monasteria feminarum firmius propositi sui religionem observare credimus, si spiritalium virorum providentia gubernentur, et idem tam ovium quam arietum pastor constituatur; ut qui videlicet viris ipse quoque præsit feminis, et semper, juxta apostolicam institutionem, caput mulieris sit vir, sicut viri Christus, et Christi Deus. Unde et monasterium beatæ Scholasticæ in possessione fratrum monasterii situm fratris quoque providentia regebatur, et crebra ipsius vel fratrum visitatione instruebatur et consolabatur. De cujus quoque regiminis providentia beati Basilii regula quodam loco nos instruens, ita continet[4] : « Interrogatio : Si oportet eum qui præest extra eam quæ sororibus præest loqui aliquid quod ad ædificationem pertineat virginibus. — Responsio : Et quomodo servabitur illud præceptum Apostoli dicentis[5] : « Omnia vestra honeste et secundum ordinem fiant ? » Item sequenti capitulo : « Interrogatio : Si convenit eum qui præest cum ea quæ soro-

[1] Matth., v. 12.—[2] *Eccli.*, cap. XIII, v. 12.—[3] Matth., cap. I, v. 19.—[4] Regula int., CVIII, *Opp.* edit. Paris. 1839, in-8°, t. II, p. 639. — [5] *Corinth. I*, cap. XIV, v. 40.

ribus præest frequenter loqui, et maxime si aliqui de fratribus per hoc læduntur. — Responsio : Apostolo dicente[1] : « Ut quid enim libertas judicatur ab « aliena conscientia? » Bonum est imitari eum dicentem[2] : « Quia non sum visus « potestate mea uti, ne offendiculum aliquod ponerem Evangelio Christi. » Et quantum fieri potest, et rarius videndæ sunt, et brevius est sermocinatio finienda. » Hinc et illud est hispalensis concilii : « Consensu communi decrevimus, ut monasteria virginum in provincia betica monachorum ministratione ac præsidio gubernentur. Tunc enim salubria Christo dicatis virginibus providemus, quando eis spiritales eligimus patres, quorum non solum gubernaculis tueri, sed etiam doctrinis ædificari possint : hac tamen circa monachos cautela servata, ut remoti ab earum peculiaritate, nec usque ad vestibulum habeant accedendi permissum familiare; et neque abbatem vel eum qui præficitur, extra eam quæ præest, loqui virginibus Christi aliquid, quod ad institutionem morum pertinet, licebit. Nec cum sola quæ præest frequenter eum colloqui oportet, sed sub testimonio duarum aut trium sororum, ita ut rara sit accessio, brevis locutio. » Absit enim ut ne monachos, quod etiam dictu nefas est, Christi virginibus familiares esse velimus, sed juxta quod jussa regularia vel canonum admonent, longe discretos atque sejunctos. Eorum tantum gubernaculis easdem deputamus, constituentes, ut unus monachorum probatissimus eligatur, cujus curæ sit prædia earum rusticana vel urbana intendere, fabricas struere, vel si quid aliud, ad necessitatem monasterii providere, ut Christi famulæ pro animæ suæ tantum utilitate sollicitæ, solis divinis cultibus vivant, operibus suis inserviant. Sane is qui ab abbate suo præponitur, judicio sui episcopi comprobetur. Vestes autem illæ iisdem cœnobiis faciant, a quibus tuitionem expectant, ab iisdem denuo, ut prædictum est, laborum fructus, et procurationis suffragium recepturæ. Hanc nos itaque providentiam sequentes, monasteria feminarum monasteriis virorum ita semper esse subjecta volumus, ut sororum curam fratres agant, et unus utrisque tanquam pater præsideat, ad cujus providentiam utraque spectent monasteria, et utrorumque in Domino quasi unum sit ovile et unus pastor. Quæ quidem spiritalis fraternitatis societas tanto gratior tam Deo quam hominibus fuerit, quanto ipsa perfectior omni sexui ad conversionem venienti sufficere possit; ut videlicet monachi viros, moniales feminas suscipiant, et omni animæ de salute sua cogitanti possit ipsa consulere; et quicunque quum vel matre, aut sorore, vel filia, seu aliqua, cujus curam gerit, converti voluerit; plenum ibi solatium reperire possit; et tanto majoris charitatis affectui sibi utraque monasteria sint connexa, et pro se invicem sollicita, quanto quæ ibi

[1] *Corinth. I*, cap. x, v. 29. — [2] *Corinth. I*, cap. ix, v. 12.

sunt personæ propinquitate aliqua vel affinitate amplius sunt conjunctæ. Præpositum autem monachorum, quem abbatem nominant, sic etiam monialibus præesse volumus; ut eas, quæ Domini sponsæ sunt, cujus ipse servus est, proprias recognoscat dominas, nec eis præesse, sed prodesse gaudeat. Et sit tanquam dispensator in domo regia, qui non imperio dominam premit, sed providentiam erga eam gerit; ut ei de necessariis statim obediat, et in noxiis eam non audiat, et sic exterius cuncta ministret, ut thalami secreta nunquam nisi jussus introeat. Ad hunc igitur modum servum Christi sponsis Christi providere volumus, et earum pro Christo fideliter curam gerere, et de omnibus quæ oportet cum diaconissa tractare, nec ea inconsulta, quidquam de ancillis Christi, vel de iis quæ ad eas pertinent eum statuere, nec ipsum cuiquam earum nisi per eam quidquam præcipere, vel loqui præsumere. Quotiens vero eum diaconissa vocaverit, ne tardet venire, et quæ ipsa ei consuluerit de iis, quibus ipsa vel ei subjectæ opus habent, non moretur exequi quantum valet. Vocatus autem a diaconissa nunquam nisi in manifesto, et sub testimonio probatarum personarum ei loquatur, nec ei proximus adjungatur, nec prolixo sermone eam detineat. Omnia vero quæ ad victum aut vestitum pertinent, et si quæ etiam pecuniæ fuerint, apud ancillas Christi congregabuntur vel reservabuntur, et inde fratribus necessaria tradentur de iis quæ sororibus supererunt. Omnia itaque fratres exteriora procurabunt, et sorores ea tantum quæ intus a mulieribus agi convenit, componendo scilicet vestes etiam fratrum, vel abluendo, panem etiam conficiendo, et ad coquendum tradendo, et coctum suscipiendo. Ad ipsas etiam cura lactis, et eorum quæ inde fiunt, pertinebit, et gallinarum vel anserum nutritura, et quæcunque convenientius mulieres agere quam viri possunt. Ipse vero præpositus quando constitutus fuerit, in præsentia episcopi et sororum jurabit, quod eis fidelis in Domino dispensator erit, et earum corpora a carnali contagio sollicite observabit. In quo si forte, quod absit, episcopus eum negligentem deprehenderit, statim eum tanquam perjurii reum deponat. Omnes quoque fratres in professionibus suis hoc se sororibus sacramento astringent, quod nullatenus eas gravari consentient, et earum carnali munditiæ pro posse suo providebunt. Nullus igitur virorum, nisi licentia præpositi, ad sorores accessum habebit, nec aliquid eis missum, nisi a præposito transmissum, suscipietur. Nulla unquam sororum septa monasterii egredietur, sed omnia exterius, sicut dictum est, fratres procurabunt, et in fortibus fortes sudabunt operibus. Nullus unquam fratrum septa hæc ingredietur, nisi obtenta præpositi et diaconissæ licentia, quum aliqua hoc necessaria vel honesta exegerit causa. Si quis forte contra hoc præsumpserit, absque dilatione de monasterio projiciatur. Ne tamen viri fortiores feminis in aliquo eas gravare præsumant, statuimus eos quoque nihil præsumere

contra voluntatem diaconissæ, sed omnia ipsos etiam ad nutum ejus peragere, et omnes pariter tam viros quam feminas ei professionem facere, et obedientiam promittere : ut tanto pax firmior habeatur, et melius servetur concordia, quanto fortioribus minus licebit; et tanto minus fortes debilibus obedire graventur, quanto earum violentiam minus vereantur, et quanto amplius hic humiliaverit se apud Deum, amplius exaltari certum sit. Hæc in præsenti de diaconissa dicta sufficiant. Nunc ad officiales stylum inclinemus.

Sacrifica quæ et thesauraria, toti oratorio providebit, et omnes quæ ad ipsum pertinent claves, et quæ ipsi necessaria sunt, ipsa servabit : et si quæ fuerint oblationes, ipsa suscipiet, et de iis quæ in oratorio necessaria sunt faciendis vel reficiendis, et de toto ejus ornatu curam aget. Ipsius quoque providere est de hostiis, de vasis et de libris altaris, et toto ejus ornatu, de reliquiis, de incenso, de luminaribus, de horologio, de signis pulsandis. Hostias vero si fieri potest virgines conficiant, et frumentum purgent unde fiant, et altaris pallas abluant. Reliquias autem, vel vasa altaris nunquam ei vel alicui monialium contingere licebit, nec etiam pallas, nisi quum eis traditæ ad lavandum fuerint. Sed ad hoc monachi vel eorum conversi vocabuntur, et expectabuntur. Et si necesse fuerit, aliqui sub ea ad hoc officium instituantur, qui hæc contingere quum opus fuerit digni sint, et arcis ab ea reseratis, hæc inde ipsi sumant, vel ibi reponant. Hæc quidem quæ sanctuario præsidet, vitæ munditia præeminere debet : quæ, si fieri potest, mente cum corpore sit integra, et ejus tam abstinentia quam continentia sit probata. Hanc præcipue de compoto lunæ instructam esse oportet, ut, secundum temporum rationem, oratorio provideat.

Cantrix toti choro providebit, et divina disponet officia, et de doctrina cantandi vel legendi magisterium habebit, et de eis quæ ad scribendum pertinent vel dictandum. Armarium quoque librorum custodiet, et ipsos inde tradet atque suscipiet, et de ipsis scribendis vel aptandis curam suscipiet, vel sollicita erit. Ipsa ordinabit quomodo sedeatur in choro, et sedes dabit, et a quibus legendum sit vel cantandum providebit : et inscriptionem componet sabbatis recitandam in capitulo, ubi omnes hebdomadariæ describentur. Propter quæ maxime litteratam eam esse convenit, et præcipue musicam non ignorare. Ipsa etiam post diaconissam toti disciplinæ providebit; et si forte illa rebus alienis fuerit occupata, vices illius in hoc exequetur.

Infirmaria ministrabit infirmis, et eas observabit tam a culpa quam ab indigentia. Quidquid infirmitas postulaverit, tam de cibis quam de balneis, vel quibuscunque aliis, est eis indulgendum. Notum est quippe proverbium in talibus : « Infirmis non est lex posita. » Carnes eis nullatenus denegentur, nisi sexta feria,

vel præcipuis vigiliis aut jejuniis quatuor temporum, seu quadragesimæ. A peccato autem tanto amplius coerceantur, quanto amplius de exitu suo cogitandum incumbit. Maxime vero tunc silentio studendum est, in quo exceditur plurimum, et orationi instandum, sicut scriptum est[1] : « Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Deum, et ipse curabit te. Avertere a delicto, et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum. » Oportet quoque infirmis providam semper assistere custodiam, quæ quum opus fuerit statim subveniat : et domum omnibus instructam esse, quæ infirmitati illi sunt necessaria. De medicamentis quoque si necesse est, pro facultate loci providendum erit. Quod facilius fieri potest, si quæ infirmis præest non fuerit expers medicinæ. Ad quam etiam de iis quæ sanguinem minuunt cura pertinebit. Oportet autem aliquam flebotomiæ peritam esse, ne virum propter hoc ad mulieres ingredi necesse sit. Providendum est etiam de officiis horarum et communione, ne desint infirmis; ut saltem dominico die communicetur, confessione semper et satisfactione quam potuerint præeuntibus. De unctione quoque infirmorum beati Jacobi apostoli sententia sollicite custodiatur, ad quam quidem faciendam tunc maxime quum de vita ægrotantis desperatur, inducantur ex monachis duo seniores sacerdotes cum diacono, qui sanctificatum oleum secum afferant, et conventu sororum assistente, interposito tamen pariete, ipsi hoc celebrent sacramentum. Similiter quum opus fuerit, de communione agatur. Oportet itaque domum infirmarum sic aptari, ut ad hæc facienda monachi facilem habeant accessum et recessum, nec conventum videntes, nec ab eo visi. Singulis autem diebus semel ad minus diaconissa cum celleraria infirmam tanquam Christum visitent, ut de necessitatibus ejus sollicitæ provideant tam in corporalibus quam spiritualibus, et illud a Domino audire mereantur[2] : « Infirmus eram, et visitasti me. » Quod si ægrotans ad exitum propinquaverit, et in extasi agoniæ venerit, statim aliqua ei assistens ad conventum properet cum tabula, et eam pulsans exitum sororis nuntiet, totusque conventus, quæcunque hora sit diei vel noctis, ad morientem festinet, nisi ecclesiasticis præpediatur[3] officiis. Quod si acciderit, quod nihil est operi Dei præponendum, satis est diaconissam cum aliquibus, quas elegerit, accelerare, et conventum postmodum sequi. Quæcunque vero ad hunc tabulæ pulsum occurrerint, statim litaniam inchoent, quousque sanctorum et sanctarum invocatio compleatur; et tunc psalmi vel cætera, quæ ad exequias pertinent, subsequantur. Quam salubre vero sit ad infirmos ire sive mortuos, Ecclesiastes diligenter attendens, ait[4] : « Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat

[1] *Eccli.*, cap. XXXVIII, v. 9 et 10. — [2] *Matth.*, cap. XXV, v. 36. — [3] *Impediatur* MS. Amb. — [4] *Eccles.*, cap. VII, v. 3.

quid futurus sit. » Item [1] : « Cor sapientium ubi tristitia est. » Defunctæ vero corpusculum a sororibus statim abluatur, et aliqua vili, sed munda interula et caligis indutum feretro imponatur, velo capite obvoluto. Quæ quidem indumenta firmiter corpori consuantur sive ligentur, nec ulterius moveantur. Ipsum corpus a sororibus in ecclesiam delatum monachi quum oportuerit sepulturæ tradant, et sorores interim in oratorio psalmodiæ vel orationibus intente vacabunt. Diaconissæ vero sepultura id tantum præ cæteris habeat honoris, ut cilicio solo totum ejus corpus involvatur, et in eo quasi in sacco tota consuatur.

Vestiaria totum quod ad curam indumentorum spectat providebit, tam in calciamentis scilicet quam in cæteris omnibus. Ipsa tonderi oves faciet, coria calciamentorum suscipiet. Linum seu lanam excolet et colliget, et totam curam telarum habebit. Filum et acum et forfices omnibus ministrabit. Totam dormitorii curam habebit, et stratis omnibus providebit. De mantilibus quoque mensarum et manutergiis et universis pannis curam aget, incidendis, suendis, abluendis. Ad hanc maxime illud pertinet : « Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum [2]. Manum suam misit ad colum, et digiti sui apprehenderunt fusum [3]. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis. Omnes enim domestici ejus vestiti duplicibus, et ridebit in die novissimo [4]. Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus et beatissimam prædicaverunt eam [5]. » Hæc suorum operum habebit instrumenta, et providebit de suis operibus, quæ quibus debeat injungere sororibus. Ipsa enim novitiarum curam aget, donec in congregationem suscipiantur.

Celleraria curam habebit de iis omnibus quæ pertinent ad victum, de cellario, refectorio, coquina, molendino, pistrino cum furno, de hortis etiam et viridariis, et agrorum tota cultura : de apibus quoque, armentis et pecoribus cunctis, seu avibus necessariis. Ab ipsa requiretur quidquid de cibis necessarium erit. Hanc maxime non esse avaram convenit, sed promptam et voluntariam ad omnia necessaria tribuenda. Hilarem enim datorem diligit Deus. Quam omnino prohibemus, ne de administrationis suæ dispensatione sibi magis quam aliis sit propitia, nec privata sibi paret fercula, nec sibi reservet quæ aliis defraudet. « Optimus, » inquit Hieronymus [6], « est dispensator, qui sibi nihil reservat. » Judas suæ dispensationis abutens officio, quum loculos haberet, de cœtu periit apostolico. Ananias quoque et Saphira uxor ejus retinendo sententiam mortis exceperunt.

Ad portariam, sive ostiariam, quod idem est, pertinet de suscipiendis hospi-

[1] *Eccles.*, cap. VII, v. 5. — [2] *Prov.*, cap. XXXI, v. 13. — [3] Ibid., v. 19. — [4] Ibid., v. 21. — [5] Ibid., v. 27 et 28. — [6] Epist. XXXIV, *ad Nepotianum*, *Opp.* t. IV, col. 266.

tibus, vel quibuslibet advenientibus, et de iis nuntiandis vel adducendis ubi oporteat, et de cura hospitalitatis. Hanc ætate et mente discretam esse convenit, ut sciat accipere responsum et reddere, et qui vel qualiter suscipiendi sint, an non sint, dijudicare. Ex qua maxime tanquam ex vestibulo Domini religionem monasterii decorari oportet, quum ab ipsa ejus notitia incipiat. Sit igitur blanda verbis, mitis alloquio, ut in his quoque quos excluserit, convenienti reddita ratione charitatem studeat ædificare. Hinc enim scriptum est[1] : « Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. » Et alibi[2] : « Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos. » Ipsa quoque sæpius pauperes videns, meliusque cognoscens, si qua eis de cibis aut vestimentis distribuenda sunt, distribuet : tam ipsa vero quam cæteræ officiales, si suffragio vel solatio aliquarum eguerint, dentur eis a diaconissa vicariæ. Quas præcipue de conversis assumi convenit, ne aliqua unquam monialium divinis desit officiis, sive capitulo vel refectorio. Domunculam juxta portam habeat, in qua ipsa vel ejus vicaria præsto sit semper advenientibus, ubi etiam otiosæ non maneant, et tanto amplius silentio studeant, quanto earum loquacitas his quoque qui extra sunt, facilius potest innotescere. Ipsius profecto est non solum homines, quos oportet, arcere; verumetiam rumores penitus excludere, ne ad conventum temere deferantur, et ab ipsa est exigendum quidquid in hoc quoque fuerit excessum. Si quid vero audierit quod scitu opus sit, ad diaconissam secreto referet, ut ipsa super hoc, si placet, deliberet. Mox autem ut ad portam pulsatum vel inclamatum fuerit, quæ præsto est quærat a supervenientibus qui sint, aut quid velint, portamque, si oportuerit, statim aperiat, ut advenientes suscipiat. Solas quippe feminas intus hospitari licebit. Viri autem ad monachos dirigentur. Nullus itaque aliqua de causa intus admittetur, nisi consulta prius et jubente diaconissa. Feminis autem statim patebit introitus. Susceptas vero feminas, seu viros quacunque occasione introeuntes portaria in cellula sua pausare[3], faciet, donec a diaconissa vel sororibus, si necessarium est vel opportunum, eis occurratur. Pauperibus vero quæ ablutione pedum indigent, hanc quoque hospitalitatis gratiam ipsa diaconissa seu sorores diligenter exhibeant. Nam et Apostolus ex hoc præcipue humanitatis obsequio dictus est diaconus. Sicut in *Vitis* quoque *Patrum* quidam ipsorum meminit, dicens[4] : « Propter te homo salvator factus diaconus, præcingens se linteo, lavit pedes discipulorum, præcipiens eis fratrum pedes lavare. » Hinc Apostolus de diaconissa meminit, dicens[5] : « Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit. » Et ipse Dominus : « Hospes, » inquit[6], « eram, et collegistis

[1] *Prov.*, cap. xv, v. 1. — [2] *Eccli.*, cap. vi, v. 5. — [3] *Morari*, RMS. — [4] *Vit. Patrum*, lib. VI, p. 658. — [5] *Timoth. I*, cap. v, v. 10. — [6] Matth., cap. xxv, v. 35.

me. » Officiales omnes præter cantricem de his instituantur, quæ litteris non intendunt, ut si ad hoc tales reperiri possint idoneæ, litteris vacare liberius queant.

Oratorii ornamenta necessaria sint, non superflua; munda magis quam pretiosa. Nihil igitur in eo de auro vel de argento compositum sit præter unum calicem argenteum, vel plures etiam si necesse sit. Nulla de serico sint ornamenta, præter stolas aut phanones. Nulla in eo sint imaginum sculptilia. Crux ibi lignea tantum erigatur ad altare, in qua si forte imaginem Salvatoris placeat depingi, non est prohibendum. Nullas vero alias imagines altaria cognoscant. Campanis duabus monasterium sit contentum. Vas aquæ benedictæ ad introitum oratorii extra collocetur, ut ea sanctificentur mane ingressuræ, vel post completorium egressæ. Nullæ monialium horis desint canonicis; sed statim ut pulsatum fuerit signum, omnibus aliis postpositis ad divinum properetur officium, modesto tamen incessu. Introeuntes autem secreto oratorium, dicant quæ poterunt[1] : « Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, etc. » Nullus in choro liber teneatur, nisi officio præsenti necessarius. Psalmi aperte et distincte ad intelligendum dicantur, et tam moderata sit psalmodia vel cantus, ut quæ vocem habent infirmam sustinere valeant. Nihil in ecclesia legatur aut cantetur, nisi de authentica sumptum scriptura, maxime autem de Novo vel Veteri Testamento, quæ utraque sic per lectiones distribuantur, ut ex integro per annum in ecclesia legantur. Expositiones vero ipsorum vel sermones doctorum, seu quælibet scripturæ aliquid ædificationis habentes ad mensam vel in capitulo recitentur : et ubicunque opus sit omnium lectio concedatur. Nulla autem legere vel cantare præsumat[2], nisi quod prius præviderit. Si qua forte de iis aliquid in oratorio vitiose protulerit, ibidem supplicando coram omnibus satisfaciat, secreto dicens : « Ignosce, Domine, etiam hac vice negligentiæ meæ. » Media autem nocte, secundum institutionem propheticam, ad vigilias nocturnas surgendum est, propter quod adeo tempestive cubandum est, ut has vigilias ferre natura valeat infirma, et omnia quæ ad diem pertinent cum luce fieri possint, sicut et beatus Benedictus instituit. Post vigilias autem ad dormitorium redeatur, antequam hora matutinarum laudum pulsetur. Et si quid noctis adhuc superest, infirmæ somnus non negetur naturæ. Maxime namque somnus lassatam recreat naturam, et patientem operis reddit, et sobriam conservat, et alacrem. Si quæ tamen *Psalterii* vel aliquarum lectionum meditatione indigent, ut beatus quoque meminit Benedictus, vacare ita debent, ut quiescentes non inquietent. Ideo namque meditationi hoc loco potius quam lectioni dixit, ne lectio aliquorum quietem impediret aliorum. Qui etiam quum ait, « a fratribus qui indigent, »

[1] Psalm. v, v. 8. -- [2] *Audeat* RMS.

profecto nec ad hanc meditationem compulit. Nonnunquam tamen si doctrina etiam cantus opus est, de hoc similiter providendum est iis quibus necesse est. Hora vero matutina, die statim illuscescente, peragatur, et exorto lucifero, si provideri potest, ipsa pulsetur. Qua completa revertatur ad dormitorium. Quod si æstas fuerit, quia tunc breve est tempus nocturnum, et longum matutinum; aliquantulum ante primam dormire non prohibemus, donec sonitu facto excitentur. De qua etiam quiete post matutinales videlicet laudes beatus Gregorius II *Dialogorum* capitulo, quum de venerabili viro Libertino loqueretur, meminit, dicens[1] : « Die vero erat altera pro utilitate monasterii causa constituta. Expletis igitur hymnis matutinalibus, Libertinus ad lectum abbatis venit, orationem sibi humiliter petiit. » Hæc igitur quies matutinalis a Pascha usque ad æquinoctium autumnale, ex quo incipit diem excedere, non denegetur. Egressæ autem de dormitorio abluant, et acceptis libris in claustro sedeant legentes vel cantantes, donec prima pulsetur. Post primam vero in capitulum eatur, et omnibus ibi residentibus lectio *Martyrologii* legatur, luna ante pronuntiata. Ubi postmodum vel aliquo sermonis ædificio fiat, vel aliquid de regula legatur et exponatur. Deinde si quæ corrigenda sunt, vel disponenda, prosequi oportet.

Sciendum vero est, nec monasterium nec domum aliquam inordinatam dici debere, si qua ibi inordinate fiant, sed si quum facta fuerunt, non sollicite corrigantur. Quis enim locus a peccato penitus expers? Quod diligenter beatus attendens Augustinus, quum clerum suum instrueret, in quodam loco meminit, dicens[2]: « Quantum libet enim vigilet disciplina domus meæ; homo sum, et inter homines vivo. Nec mihi arrogare audeo ut domus mea melior sit quam arca Noe[3], ubi tamen inter octo homines unus inventus est reprobus; aut melior sit quam domus Abrahæ, ubi dictum est[4]: « Ejice ancillam et filium ejus; » aut melior quam domus Isaac[5] : « Jacob dilexi, Esau odio habui; » aut melior quam domus Jacob[6], ubi lectum patris filius incestavit; aut melior quam domus David[7], cujus filius unus cum sorore concubuit, alter contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit; aut melior quam cohabitatio apostoli Pauli, qui si inter bonos habitaret non diceret[8]: « Foris pugnæ, intus timores; » nec[9] loqueretur : « Nemo est homo qui germane de vobis sollicitus sit. Omnes quæ « sua sunt quærunt; » aut melior quam cohabitatio ipsius Christi, in qua undecim boni perfidum et furem Judam toleraverunt : aut melior postremo quam cœlum, unde angeli ceciderunt. » Qui etiam nos ad disciplinam monasterii plu-

[1] *Dial.*, lib. I, cap. II, *Opp.* t. II, col. 160. — [2] Epist. LXXVIII, *Opp.* t. II, col. 186. — [3] *Genes.*, cap. IX. — [4] *Genes.*, cap. XXI, v. 10. — [5] Malach., cap. I, v. 2 et 3. — [6] *Genes.*, cap. XXXV, v. 22. — [7] II *Reg.*, cap. XIII, v. 1 et sq.; cap. XV. — [8] *Corinth. II*, cap. VII, v. 5. — [9] Legitur apud Augustinum : « Nec diceret quum de sanctitate et fide Timothei loqueretur. » — *Philipp.*, cap. II, v. 20, 21.

rimum exhortans, annexuit dicens : « Fateor coram Deo, ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus pejores quam qui in monasteriis ceciderunt. » Ita ut hinc, arbitror, in *Apocalypsi* scriptum [1] : « Justus justior fiat, et sordidus sordescat adhuc. » Tanta igitur correctionis districtio sit, ut quæcunque in altera viderit quod corrigendum sit, et celaverit, graviori subjaceat disciplinæ, quam illa quæ hoc commisit. Nulla igitur vel suum vel alterius delictum accusare differat. Quæcunque vero se accusans alias prævenerit, sicut scriptum est [2] : « Justus prior est accusator sui, » mitiorem meretur disciplinam, si ejus cessaverit negligentia. Nulla vero aliam excusare præsumat, nisi forte diaconissa ab aliis ignotam rei veritatem interroget. Nulla unquam aliam cædere pro quacunque culpa præsumat, nisi cui injunctum fuerit a diaconissa. Scriptum est autem de disciplina correctionis [3] : « Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias. Ne deficias quum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. » Item : « Qui parcit virgæ, odit filium : qui autem diligit illum, instanter erudit [4]. Pestilente flagellato stultus sapientior erit [5]. Mulctato pestilente sapientior erit parvulus [6]. Flagellum equo, et chamus asino, et virga dorso imprudentium [7]. Qui corripit hominem postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit [8]. Omnis autem disciplina in præsenti quid videtur non esse gaudii, sed mœroris. Postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ [9]. Confusio patris est in filio indisciplinato, filia autem fatua in deminoratione erit [10]. Qui diligit filium, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo [11]. Qui docet filium, laudabitur in illo, et in medio domesticorum in illo gloriatur. Equus indomitus evadet durus, et filius remissus evadet præceps. Lacta filium tuum, et paventem te faciet. Lude cum eo, et contristabit te [12]. » In discussione vero consilii cuilibet suam proferre sententiam licebit, sed quidquid omnibus videatur, diaconissæ decretum immobile teneatur, in cujus arbitrio cuncta consistunt; etiam si, quod absit, ipsa fallatur, et quod deterius est ipsa constituat. Unde et illud est beati Augustini libro *Confessionum* : « Multum peccat qui inobediens est suis prælatis in aliquo, si vel meliora eligat quam ea quæ sibi jubentur. » Multo quippe melius est nobis bene facere, quam bonum facere. Nec tam quod fiat, quam quod quo modo vel animo fiat, pensandum est. Bene vero fit quidquid per obedientiam fit, etiam si quod fit bonum esse minime videatur. Per omnia itaque prælatis est obediendum, quantacunque sint damna rerum, si nullum apparet animæ periculum. Provideat prælatus ut

[1] *Apocal.*, cap. XXII, v. 11. — [2] *Prov.*, cap. XVIII, v. 17. — [3] Ibid., cap. III, v. 11 et 12. — [4] Ibid., cap. XIII, v. 24. — [5] Ibid., cap. XIX, v. 25. — [6] Ibid., cap. XXI, v. 11. — [7] Ibid., cap. XXVI, v. 3. — [8] Ibid., cap. XXVIII, v. 23. — [9] *Heb.*, cap. XII, v. 11. — [10] *Eccli.*, cap. XXII, v. 3. — [11] Ibid., cap. XXX, v. 1 et 2. — [12] Ibid., v. 8 et 9.

bene præcipiat, quia subjectis bene obedire sufficit, nec suam, sicut professi sunt, sed prælatorum sequi voluntatem. Omnino [1] enim prohibemus ut unquam consuetudo rationi præponatur, nec unquam aliquid defendatur, quia sit consuetudo, sed quia ratio; nec quia sit usitatum, sed quia bonum : et tanto libentius excipiatur, quanto melius apparebit. Alioquin judaizantes legis antiquitatem Evangelio præferamus. Ad quod beatus Augustinus de consilio Cypriani pleraque asserens testimonia, quodam loco ait [2] : « Qui contempta veritate, præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est et malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, cujus inspiratione Ecclesia ejus instruitur. » Item [3] : « In Evangelio Dominus : « Ego sum, » inquit [4], « Veritas. » Non dixit : « Ego sum consuetudo. » Itaque veritate manifestata, cedat consuetudo veritati. » Item [5] : « Revelatione facta veritatis, cedat error veritati, quia et Petrus qui prius circumcidebat cessit Paulo prædicanti veritatem. » Idem lib. IV *de Baptismo* [6] : « Frustra quidem qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuit a Spiritu sancto revelatum. » Hoc plane verum est, quia ratio et veritas consuetudini præponenda est. Gregorius VII Vuimundo [7] episcopo : « Et certe, ut beati Cypriani utamur sententia, quælibet consuetudo quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati est omnino postponenda [8]; et usus qui veritati est contrarius, abolendus [9]. » Quanto etiam amore veritas quoque verborum amplectenda, admonemur in *Ecclesiastico* quum dicitur [10] : « Pro anima tua non confundaris dicere verum. » Item [11] : « Non contradicas « verbo veritatis ullo modo. » Et iterum [12] : « Ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile. » Nihil etiam in auctoritatem ducatur, quia geritur a multis, sed quia probatur a sapientibus et bonis : « Stultorum, » inquit Salomon [13], « infinitus est numerus. » Et juxta Veritatis assertionem [14] : « Multi vocati; pauci vero electi. » Rara sunt quæque pretiosa; et quæ abundant numero, minuuntur pretio. Nemo enim in consilio majorem hominum partem, sed meliorem sequatur. Nec ætas hominis, sed sapientia consideretur; nec amicitia, sed veritas attendatur. Unde et poetica est illa sententia [15] :

. . . . Fas est et ab hoste doceri.

[1] *Omnibus* MS. Amb.-*Omnino etiam?*— [2] *De Baptismo contra Donat.*, lib. III, cap. v, *Opp.* t. IX, col. 111. — [3] Ibid., cap. vi. — [4] Joan., cap. xiv, v. 6. — [5] Cap. vii, col. 112. — [6] Lib. IV, cap. v, col. 124. — [7] *Vuillimundo* MS. Amb. De isto Vuimondo, episcopo aversano, vid. Ughelli, *Italia sacra*, edit. sec. Venetiis, 1717, in-fol., t. I, col. 488. — [8] Male legit Amb. *præponenda*. — [9] Vid. *Corpus Juris canon.*, p. I, dist. viii, cap. v. — [10] *Eccli.*, cap. iv, v. 24. — [11] Ibid., v. 30. — [12] Ibid., cap. xxvii, v. 20. — [13] *Eccles.*, cap. i, v. 15. — [14] Matth., cap. xxii, v. 14. — [15] Ovid., *Metam.*, lib. IV, v. 428.

Quotiens autem opus est consilio, non differatur. Et si de rebus præcipuis est deliberandum, convocetur conventus. In minoribus autem rebus discutiendis, sufficiet diaconissa paucis ad se de majoribus personis convocatis. Scriptum quoque est de consilio : « Ubi non est gubernator, populus corruit. Salus autem, ubi multa consilia[1]. Via stulti recta in oculis ejus. Qui autem sapiens, audit consilia[2]. Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis[3]. » Si forte sine consilio aliquid prosperum habet eventum, non excusat hominis præsumptionem fortunæ beneficium. Sin autem post consilium nonnunquam errant, potestas quæ consilium quæsivit, rea non teneatur præsumptionis. Nec tam culpandus est qui credidit, quam quibus ipse errando acquievit.

Egressæ vero capitulum iis quibus oportet operibus intendant, legendo scilicet vel cantando, sive manibus operando usque ad tertiam. Post tertiam autem missa dicatur, ad quam quidem celebrandam unus ex monachis sacerdos hebdomadarius instituatur. Quem profecto[4] si copia tanta sit, cum diacono et subdiacono venire oportet, qui ei quod necessarium est administrent, vel quod suum est et ipsi operentur. Quorum accessus vel recessus ita fiant, ut sororum conventui nullatenus pateant. Si vero plures necessarii fuerint, et de his providendum erit, et ita semper, si fieri potest, ut monachi propter missas monialium nunquam conventui suo in officiis desint divinis. Si vero communicandum a sororibus fuerit, senior eligatur sacerdos, qui post missam eas communicet; egressis inde prius diacono et subdiacono, propter tollendam tentationis occasionem. Ter vero ad minus in anno totus communicet conventus, id est Pascha, Pentecoste, et natale Domini, sicut a patribus est institutum de secularibus etiam hominibus. His autem communionibus ita se præparent ut tertio die ante ad confessionem et congruam satisfactionem omnes accedant, et terno se panis et aquæ jejunio et oratione frequenti purificent cum omni humilitate et tremore; illam Apostoli terribilem apud se retractantes sententiam[5] : « Itaque, » inquit, « quicunque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique dijudicaremur. » Post missam quoque ad opera redeant usque ad sextam, et nullo tempore otiose vivant, sed unaquæque id quod potest et quod oportet operetur. Post sextam autem prandendum est, nisi jejunium fuerit. Tunc enim

[1] *Prov.*, cap. II, v. 14. — [2] *Prov.*, cap. XII, v. 15. — [3] *Eccli.*, cap. XXXII, v. 24. — [4] *Præsto* MS. Amb. — [5] *Corinth. I*, cap. II, v. 27 et sq.

nona expectanda est, et in quadragesima etiam vespera. Nullo vero tempore conventus careat lectione. Quam quum diaconissa terminare voluerit, dicat : Sufficit. Et statim ad grates Domino referendas ab omnibus surgatur. Æstivo tempore post prandium usque ad nonam quiescendum est in dormitorio, et post nonam ad opera redeundum usque ad vesperas. Post vesperas autem vel statim cœnandum est, vel potandum. Et inde etiam, secundum temporis consuetudinem, ad collationem eundum. Sabbato autem, ante collationem munditiæ fiant, in ablutione videlicet pedum et manuum. In quo quidem obsequio diaconissa famuletur cum hebdomadariis, quæ coquinæ deservierunt. Post collationem vero, ad completorium statim est veniendum, inde dormitum est eundum.

De victu autem et vestitu apostolica teneatur sententia, qua dicitur[1] : « Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. » Ut videlicet necessaria sufficiant, non superflua quærantur. Et quod vilius poterit comparari, vel facilius haberi, et sine scandalo sumi, re concedatur. Solum quippe scandalum propriæ conscientiæ vel alterius in cibis Apostolus vitat, sciens quia non est cibus in vitio, sed appetitus : « Qui manducat, » inquit[2], « non manducantem non spernat. Qui non manducat, manducantem non judicet. Tu quis es, qui judicas alienum servum ? Qui manducat, Domino manducat. Gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo. Non ergo amplius invicem judicemus, sed hoc judicate magis ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi [ei] qui æstimat quid commune esse. Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offendatur, aut scandalizetur. » Qui etiam post scandalum fratris de proprio scandalo ipsius qui contra conscientiam suam comedit, adjungit dicens[3] : « Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit si manducaverit, damnatus est quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. » In omni quippe quod agimus contra conscientiam nostram, et contra hoc quod credimus, peccamus. Et in eo quod probamus, hoc est per legem quam approbamus atque recipimus, judicamus nosmetipsos atque damnamus, si illos videlicet comedimus cibos quos discernimus, hoc est per legem excludimus, et separamus tanquam immundos. Tantum enim est testimonium conscientiæ nostræ, ut hæc nos apud Deum maxime accuset vel excuset. Unde

[1] *Timoth. I*, cap. VI, v. 8. — [2] *Rom.*, cap. XIV, v. 3 et sq. — [3] Ibid., v. 22.

et Joannes in prima sua meminit epistola[1] : « Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Et quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coram eo facimus. » Bene itaque et Paulus superius ait[2] nihil esse commune per Christum, nisi ei qui commune quid esse putat, hoc est immundum et interdictum si sibi credit. Communes quippe cibos dicimus, qui secundum legem mundi[3] vocantur, quod eos scilicet lex a suis excludens, quasi his qui extra legem sunt exponat et publicet. Unde et communes feminæ immundæ sunt, et communia quæque vel publicata vilia sunt, vel minus chara. Nullum itaque cibum per Christum asserit esse communem, id est immundum, quia lex Christi nullum interdicit, nisi, ut dictum est, propter scandalum removendum, vel propriæ scilicet conscientiæ, vel alienæ. De qua et alibi dicit : « Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo in æternum, ne fratrem meum scandalizem[4]? Non sum liber, non sum apostolus[5]? » Ac si diceret : Nunquid non habeo illam libertatem quam Dominus apostolis dedit, de quibuslibet scilicet edendis vel de stipendiis aliorum sumendis? Sic quippe quum apostolos mitteret, quodam loco ait[6] : « Edentes et bibentes quæ apud illos sunt, » nullum videlicet cibum a ceteris distinguens. Quod diligenter Apostolus attendens, et omnia ciborum genera, etiamsi sint infidelium cibi et idolothyta, christianis esse licita studiose prosequitur; solum, ut diximus, in cibis scandalum vitans : « Omnia[7], » inquit, « licent; sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Omne quod in macello venit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, et plenitudo ejus[8]. Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit : Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui judicavit, et propter conscientiam. Conscientiam dico non tuam, sed alterius. Sine offensione estote Judæis et gentibus, et Ecclesiæ Dei. » Ex quibus videlicet Apostoli verbis manifeste colligitur, nullum nobis interdici, quo sine offensa propriæ conscientiæ vel alienæ vesci possimus. Sine offensa vero propriæ conscientiæ tunc agimus, si propositum vitæ, quo salvari possumus, nos servare confidimus. Sine offensa autem alienæ, si eo modo vivere credimur quo salvemur. Eo quidem modo vivemus, si omnibus necessariis naturæ indultis peccata vitemus; nec de nostra virtute præsumentes illi vitæ jugo professione nos obligemus, quo prægravati succumbamus : et tanto sit gravior

[1] Joan. I, cap. III, v. 21 et 22. — [2] *Rom.*, cap. XIV, v. 23. — [3] Sic edit. Amb. Certe autem legendum *immundi*. — [4] *Corinth. I*, cap. VIII, v. 13. — [5] Ibid., cap. IX, v. 1. — [6] Luc., cap. X, v. 7. — [7] *Corinth. I*, cap. X, v. 22 et sq. — [8] Psalm. XXIII, v. 1.

casus, quanto fuerat professionis altior gradus. Quem quidem casum et stultæ professionis votum Ecclesiastes præveniens, ait[1] : « Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim et infidelis et stulta promissio. Sed quodcunque voveris redde. Melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. » Cui quoque periculo occurens apostolicum consilium : « Volo, » inquit[2], « juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam. » Ætatis infirmæ naturam considerans, remedium vitæ laxioris opponit periculo melioris. Consulit residere in imo, ne præcipitium detur ex alto. Quem et beatus secutus Hieronymus, Eustochium virginem instituens, ait[3] : « Si autem et illæ quæ virgines sunt, ob alias tamen culpas non salvantur, quid fiet illis quæ prostituerunt membra Christi, et mutaverunt templum Spiritus sancti in lupanar? Rectius fuerat homini subiisse conjugium, ambulasse per plana, quam ad altiora tendentem in profundum inferni cadere. » Quod si etiam universa revolvamus Apostoli dicta, nunquam eum reperiemus secunda matrimonia nisi feminis indulsisse[4]. Sed viros maxime ad continentiam exhortans, ait[5] : « Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. » Et iterum[6] : « Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. » Quum Moyses tamen viris magis quam feminis indulgens uni viro plures simul feminas, non uni feminæ plures viros concedat, et districtius adulteria feminarum quam virorum puniat : « Mulier, » inquit Apostolus[7], « si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. » Et alibi[8] : « Dico autem non nuptis et viduis : Bonum est illis, si sic permaneant sicut et ego. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri. » Et iterum[9] : « Mulier, si dormierit vir ejus, liberata est. Cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit secundum consilium meum. » Non secunda tantum matrimonia infirmo sexui concedit, verum etiam ea nullo concludere audet numero, sed quum dormierint earum viri, nubere aliis permittit. Nullum matrimoniis earum præfigit numerum, dummodo fornicationis evadant reatum. Sæpius magis nubant quam semel fornicentur : ne si uni prostituantur, multis carnalis commercii debitum solvant. Quæ tamen debiti solutio non est penitus immunis a peccato, sed indulgentur minora, ut majora vitentur peccata. Quid igitur mirum si id, in quo nullum est omnino, conceditur ne peccatum incurrant, hoc est alimenta quælibet necessaria, non superflua? Non est enim, ut dictum est, cibus in vitio, sed appetitus : quum videlicet libet quod non licet, et concupiscitur quod

[1] *Eccle.*, cap. v, v. 2 et 4. — [2] *Timoth. I*, cap. v, v. 14 et 15. — [3] Epist. xviii, *Opp.* t. IV, col. 29. — [4] Inseritur *hisque solum, quas æstuantis corporis furor adegit* RMS. — [5] *Corinth. I*, cap. vii, v. 18. — [6] Ibid., v. 27. — [7] *Rom.*, cap. vii, v. 3. — [8] *Corinth. I*, cap. vii, v. 8. — [9] Ibid., v. 39 et 40.

interdictum est, et nonnunquam impudenter sumitur, unde maximum scandalum generatur. Quid vero inter universa hominum alimenta tam periculosum est, vel damnosum, et religioni nostræ vel sanctæ quieti contrarium, quantum vinum? Quod maximus ille sapientium diligenter attendens, ab hoc maxime nos dehortatur dicens : « Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas. Quicunque his delectatur, non erit sapiens[1]. Cui væ, cujus patri væ, cui rixæ, cui foveæ, cui sine causa vulnera, cui suffosio oculorum? nonne his qui morantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, quum splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa, et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator amisso clavo, et dices : Verberaverunt me et non dolui; traxerunt me, et ego non sensi. » « Quando evigilabo, » rursus, « et vina reperiam[2]? » Item : « Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas. Ne forte bibant et obliviscantur judiciorum, et mittant causam filiorum pauperis[3]. » Et in *Ecclesiastico* scriptum est[4] : « Operarius ebriosus non locupletabitur, et qui spernit modica, paulatim decidet. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguunt sensatos. » Isaias quoque universos præteriens cibos, solum in causam captivitatis populi commemorat vinum : « Væ, » inquit[5], « qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cithara et lyra et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. » Qui etiam de populo usque ad sacerdotes et prophetas querimoniam extendens, ait[6] : « Verum ii quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt. Sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitus sordiumque, ita ut non esset ultra locus. Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? » Dominus per Joel dicit[7] : « Expergiscimini ebrii, et flete qui bibitis vinum in dulcedine. » Non enim uti prohibet vino in necessitate, sicut Apostolus inde Timotheo consulit[8] : « Propter stomachi frequentes infirmitates; » non tantum infirmitates, sed frequentes. Noe primus vineam plantavit[9], nesciens adhuc fortassis ebrietatis malum, et inebriatus femora denudavit; quia vino conjuncta est luxuriæ turpitudo. Qui

[1] *Prov.*, cap. xx, v. 1. — [2] *Prov.*, cap. xxiii, v. 29 et sq. — [3] *Prov.*, cap. xxxi, v. 4. — [4] *Eccli.*, cap. xix, v. 1 et 2. — [5] Isai., cap. v, v. 11 et sq. — [6] Ibid., cap. xxviii, v. 7 et sq. — [7] Joel., cap. i, v. 5 — [8] *Timoth. I*, cap. v, v. 23. — [9] *Genes.*, cap. ix.

etiam superirrisus a filio, maledictionem in eum intorsit, et servitutis sententia illum obligavit : quæ antea nequaquam facta esse cognovimus. Loth[1] virum sanctum ad incestum nullatenus trahi nisi per ebrietatem filiæ ipsius providerunt. Et beata vidua superbum Holophernum[2] non nisi hac arte illudi posse et prosterni credidit. Angelos antiquis patribus apparentes[3], et ab eis hospitio susceptos, carnibus, non vino, usos esse legimus. Et maximo illi et primo principi nostro Eliæ[4] in solitudinem latenti corvi mane et vespere panis et carnium alimoniam, non vini ministrabant. Populus etiam israeliticus delicatissimis in heremo cibis maxime coturnicum educatus, nec vino usus fuisse, nec ipsum appetiisse legitur[5]. Et refectiones illæ panum et piscium, quibus in solitudine populus sustentabatur, vinum nequaquam habuisse referuntur. Solummodo nuptiæ quæ indulgentiam habent[6] incontinentiæ vini, in quo est luxuria, miraculum habuerunt. Solitudo vero, quæ propria est monachorum habitatio, carnium magis quam vini beneficium novit. Summa etiam illa in lege, Nazaræorum religio, qua se Domino consecrant, vinum et quod inebriare potest solummodo vitabat[7]. Quæ namque virtus, quod bonum in ebriis manet? Unde non solum vinum, verumetiam omne quod inebriare potest antiquis quoque sacerdotibus legimus interdici. De quo Hieronymus ad Nepotianum, de vita clericorum scribens[8], et graviter indignans, quod sacerdotes legis ab omni quod inebriare potest abstinentes nostros in hac abstinentia superent : « Nequaquam, » inquit, « vinum redoleas, ne audias illud Philosophi : « Hoc non est osculum « porrigere, sed propinare. » Vinolentos sacerdotes et Apostolus damnat, et lex vetus prohibet : « Qui altario deserviunt, vinum et siceram non bibent[9]. » Sicera hebræo sermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare potest, sive illa quæ fermento conficitur, sive pomorum succo, aut favi decoquuntur in dulcem et herbarum potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus aqua pinguior coloratur. Quidquid inebriat et statum mentis evertit, fuge similiter ut vinum. » Ex regula sancti Pacomii, vinum et liquamen absque loco ægrotantium nullus attingat. Quis etiam vestrum[10] non audierit vinum monachorum penitus non esse, et in tantum olim a monachis abhorreri, ut ab ipso vehementer dehortantes ipsum Satanam appellarent? Unde in *Vitis Patrum* scriptum legimus[11] : « Narraverunt quidam abbati Pastori de quodam monacho quia non bibebat vinum, et dixit eis : « Quia vinum monachorum « omnino non est. » Item post aliqua : « Facta est aliquando celebratio missarum in monte abbatis Antonii, et inventum est ibi cenidium vini, et tollens unus

[1] *Genes.*, cap. XIX, v. 33 et 34. — [2] *Judith*, cap. XIII. — [3] *Genes.*, cap. XVIII, v. 1. — [4] *Reg.* III, cap. XVII. — [5] *Exod.*, cap. XVII. — [6] Joan., cap. II. — [7] *Num.*, cap. VI, v. 3. — [8] Epist. XXXIV, *Opp.* t. IV, col. 364. — [9] *Levit.*, cap. X. — [10] *Nostrum* MS. Amb. — [11] In *Vitis Patrum*, p. 570.

de senibus parvum vas, calicem portavit ad abbatem Sysoi, et dedit ei, et bibit semel, et secundo et accepit et bibit. Obtulit ei etiam tertio, sed non accepit, dicens : « Quiesce, frater, an nescis quia est Satanas ? » Et iterum de abbate Sysoi[1] : « Dicit ergo Abraham discipulis ejus, si occurritur in sabbato et dominica ad ecclesiam, et biberit tres calices, ne multo est ? Et dixit senex : « Si « non esset Satanas, non esset multum. » Hinc et beatus non immemor Benedictus[2] quum dispensatione quadam monachis vinum indulgeret, ait : « Licet legamus vinum monachorum omnino non esse, sed quia nostris temporibus id monachis penitus persuaderi non potest. » Quid enim mirum si monachis penitus non sit indulgendum, quod feminis quoque, quarum in se est natura debilior, et tamen contra vinum fortior, ipsum omnino beatus interdicit Hieronymus ? Hic enim Eustochium virginem Christi de conservanda instruens virginitate, vehementer adhortatur, dicens[3] : « Si quid itaque in me potest esse consilii, si experto creditur, hoc primum moneo et obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hæc adversus adolescentiam prima sunt arma dæmonum. Non sic avaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. Facile aliis caremus vitiis. Hic hostis intus inclusus est. Quocunque pergamus, nobiscum portamus inimicum. Vinum et adolescentia duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus? Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? » Constat tamen ex eorum documentis qui de physica scripserunt, multo minus feminis quam viris virtutem vini prævalere posse. Cujus quidem rei rationem inducens Macrobius Theodosius IV *Saturnaliorum* libro sic ait[4] : « Aristoteles : Mulieres, inquit, raro inebriantur, crebro senes. Mulier humectissimo est corpore. Docet hoc et levitas cutis et splendor, docent præcipue assiduæ purgationes, superfluo exonerantes corpus humore. Quum ergo epotum vinum in tam largum ceciderit humorem, vim suam perdit, nec facile cerebri sedem ferit, fortitudine ejus extincta. » Item : « Muliebre corpus crebris purgationibus depuratum, pluribus consertum foraminibus, ut pateat in meatus, et vias præbeat humori in egestionis exitum confluenti. Per hæc foramina vapor vini celeriter evanescit. » Qua igitur ratione id monachis indulgetur, quod infirmiori sexui denegatur ? Quanta est insania id eis concedere, quibus amplius potest nocere, et aliis negare ? Quid denique stultius, id quod religioni magis est contrarium, et a Deo plurimum facit apostatare, religionem non abhorrere ? Quid impudentius, quam id quod regibus quoque et sacerdotibus legis interdicitur[5], christianæ perfectionis abstinentiam non vitare ? imo in hoc maxime delectari ? Quis namque ignoret quan-

[1] In *Vitis Patrum*, p. 570. — [2] Regul., cap. XLVI. — [3] Epist. XVIII, t. IV, col. 30. — [4] Cap. VI. — [5] *Levitic.*, cap. X, v. 9. – *Prov.*, cap. XXXI, v. 5.

tum in hoc tempore clericorum præcipue vel monachorum studium circa cellaria versetur, ut ea scilicet diversis generibus vini repleant; herbis illud, melle, et speciebus condiant; ut tanto facilius se inebriant, quanto delectabilius potent; et tanto se magis ad libidinem incitent, quanto amplius vino æstuent? Quis hic non tam error quam furor, ut qui se maxime per professionem continentiæ obligant, minus ad conservandum votum se præparent? imo ut minime custodiri possit efficiant? Quorum profecto si claustris retinentur corpora, corda libidine plena sunt, et in fornicationem inardescit animus. Scribens ad Timotheum Apostolus[1]: « Noli, » inquit, « adhuc aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum tuum et frequentes infirmitates tuas. » Cui propter infirmitatem conceditur vinum modicum, constat utique quia sanus sumeret nullum. Si vitam profitemur apostolicam, et præcipue formam vovemus pœnitentiæ, et fugere seculum proponimus; cur eo maxime delectamur, quod proposito nostro maxime adversari videmus, et universis est alimentis delectabilius? Diligens pœnitentiæ descriptor beatus Ambrosius nihil in victu pœnitentium præter vinum accusat, dicens[2]: « An quisquam putat illam pœnitentiam ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis usus? Renuntiandum seculo est. Facilius inveni qui innocentiam servaverint, quam qui congrue pœnitentiam egerint. » Item in libro *de Fuga Seculi*[3]: « Bene, » inquit, « fugis, si oculus tuus fugiat calices, et phialas, ne fiat libidinosus, dum moratur in vino. » Solum de omnibus alimentis in *Fuga Seculi* vinum commemorat, et hoc vinum si fugiamus, bene nos seculum fugere asserit, quasi omnes seculi voluptates ex hoc uno[4] pendeant. Nec etiam dicit, si gula fugiat ejus gustum, verumetiam oculus visum, ne libidine et voluptate ipsius capiatur, quod frequenter intuetur. Unde et illud est Salomonis quod supra meminimus[5]: « Ne intueamur vinum quando flavescit, quum splenduerit in vitro color ejus. » Sed quid et hic, quæso, dicemus, qui ut tam gustu ejus quam visu oblectemur, quum illud melle, herbis, vel speciebus diversis condierimus, phialis etiam ipsum propinari volumus? Beatus Benedictus vini coactus indulgentiam faciens[6]: « Saltem vel hoc, » inquit, « consentiamus, non usque ad satietatem bibamus, sed parcius: quia vinum apostatare facit etiam sapientes[7]. » O utinam usque ad satietatem bibere sufficeret, ne majoris rei transgressionis ad superfluitatem efferremur! Beatus etiam Augustinus monasteria ordinans clericorum, et eis regulam scribens[8]: « Sabbato tantum et dominica, sicut consuetudo est, qui volunt, vinum accipiant; » tum videlicet pro reverentia dominicæ diei et ipsius vigiliæ, quæ est sabbatum, tum etiam quia

[1] *Timoth. I*, cap. v, v. 23. — [2] *De Pœnit.*, lib. II, cap. x, *Opp.* t. II, col. 436. — [3] *De Fuga Seculi*, cap. IX, *Opp.* t. I, col. 439. — [4] *Vino* MS. Amb. — [5] *Prov.*, cap. XXIII, v. 31. — [6] Regul., cap. XL. — [7] *Eccli.*, cap. XIX, v. 2. — [8] Regul. sec., cap. II, *Opp.* t. I, app., col. 42.

tunc dispersi per cellulas fratres congregabantur. Sicut et in *Vitis Patrum* beatus commemorat Hieronymus, scribens de loco quem Cellia nominavit, his verbis[1] : « Singuli per cellulas manent. Die tamen sabbati et dominica in unum ad ecclesiam coeunt, et ibi semetipsos invicem tanquam cœlo redditos vident. » Unde profecto conveniens erat hæc indulgentia, ut insimul convenientes aliqua recreatione congauderent, non tam dicentes quam sentientes[2] : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. » Ecce si a carnibus abstineamus, magnum quid nobis imputatur, quantacunque superfluitate ceteris vescamur. Si multis expensis diversa piscium fercula comparemus, si piperis et specierum sapores misceamus, si quum inebriati mero fuerimus, calices herbatorum et phialas pigmentorum superaddamus, totum id excusat vilium abstinentia carnium, dummodo eas publice non voremus, quasi ciborum qualitas magis quam superfluitas in culpa sit : quum solam Dominus crapulam et ebrietatem nobis interdicat[3], hoc est cibi pariter et vini superfluitatem potius quam qualitatem. Quod et diligenter beatus attendens Augustinus, nihilque in alimentis præter vinum veritus, nec ullam ciborum qualitatem distinguens, hoc in abstinentia satis esse credidit quod breviter expressit : « Carnem, » inquit[4], « vestram domate jejuniis, et abstinentia escæ vel potus, quantum valetudo permittit. » Legerat, nisi fallor, illud beati Athanasii in exhortatione ad monachos[5] : « Jejuniorum quoque non sit volentibus certa mensura, sed in quantum possibilitas valet, nisi laborantis extensa : quæ præter dominicam diem semper sint solemnia, non votiva sint. » Ac si diceret : Si ex voto suscipiuntur, devote compleantur omni tempore, nisi in dominicis diebus. Nulla hic jejunia præfiguntur, sed quantum permittit valetudo. Dicitur enim : « Solam naturæ facultatem inspicit et ipsam sibi modum præfigere permittit : sciens quoniam in nullis delinquitur, si modus in omnibus teneatur. » Ut videlicet nec remissius quam oportet voluptatibus resolvamur, sicut de populo medulla tritici et meracissimo vino educato scriptum est[6] : « Incrassatus est, dilatatus, et recalcitravit. » Nec supra modum abstinentia macerati vel omnino victi succumbamus, vel murmurantes mercedem amittamus, vel de singularitate gloriemur. Quod Ecclesiastes præveniens ait[7] : « Justus perit in sua justitia. Noli esse justus multum, neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas, » de tua quasi admirans singularitate intumescas. Huic vero diligentiæ sic omnium virtutum mater discretio præsit, ut quæ quibus imponat onera sollicite videat, unicuique scilicet secundum

[1] *Vitæ Patrum*, lib. II, p. 478. *Die tantum sabbati* pro *die tamen sabbati* melius legitur. — [2] Psalm. CXXXII, v. 1. — [3] Luc., cap. XXI, v. 34. — [4] Epist. CCXI, Opp. t. II, col. 783. — [5] *Syntagma Doctrinæ ad Monachos*, *Opp.*, Parisiis, 1698, in-fol., t. II, p. 361 (?). — [6] *Deuter.*, cap. XXXII, v. 15. — [7] *Eccles.*, cap. VII, v. 17 et 18.

propriam virtutem, et naturam sequens potius quam trahens, nequaquam usum satietatis [1], sed abusum auferat superfluitatis; et sic extirpentur vitia, nec lædatur natura. Satis est infirmis, si peccata vitent, et si non ad perfectionis cumulum conscendant. Sufficit quoque paradisi angulo residere, si martyribus non possis considere. Tutum est vovere modica, ut majora debitis superaddat gratia. Hinc enim scriptum est [2] : « Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt, dicite : Servi inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus. » « Lex, » inquit Apostolus [3], « iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. » Et iterum [4] : « Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed quum venisset mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud me occidit; ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. » Augustinus *ad Simplicianum* [5] : « Ex prohibitione aucto desiderio dulcius factum est, et ideo fefellit. » Idem in libro *Quæstionum*, quest. LXVII [6] : « Suasio delectationis ad peccatum vehementior est quum adest prohibitio. »

Nitimur in vetitum semper cupimusque negata [7].

Attendat cum tremore hæc quisquis se jugo alicujus regulæ quasi novæ legis professioni vult alligare. Eligat quod possit, timeat quod non possit. Nemo legis efficitur reus, nisi qui eam fuerit ante professus. Antequam profitearis delibera. Quum professus fueris, observa. Ante est voluntarium quod postea sit necessarium. « In domo Patris mei, » dicit Veritas [8], « mansiones multæ sunt. » Sic etiam plurimæ sunt quibus illuc perveniatur viæ. Non damnantur conjuges, sed facilius salvantur continentes. Non ad hoc, ut salvaremur, sanctorum patrum sunt additæ regulæ, sed ut facilius salvemur, et purius Deo vacare possimus. « Et si, » inquit Apostolus [9], « nupserit virgo, non peccavit : tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. » Item : « Mulier quæ innupta est et virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Deum observandi. » Tunc vero facillime id agitur, quum a seculo corpore quoque recedentes, claustris nos monasteriorum recludimus, ne nos seculares inquietent tu-

[1] *Saturitatis* MS. Amb. — [2] Luc., cap. XVII, v. 10. — [3] *Rom.*, cap. IV, v. 15. — [4] Ibid., cap. VII, v. 8 et sq. — [5] Lib. I, *Opp.* t. VI, col. 83. — [6] Lib. *de div. Quæst.* I, quæst. LXVII, *Opp.* t. VI, col. 46. — [7] Ovid., *Amor.* III, IV, v. 17. — [8] Joan. cap. XIV, v. 2. — [9] *Corinth. I*, cap. VII, v. 28.

multus. Nec solum qui legem suscipit, sed qui legem imponit, provideat ne, multiplicatis præceptis, transgressiones multiplicet. Verbum Dei veniens verbum abbreviatum fecit super terram. Multa Moyses locutus est, et tamen, ut ait Apostolus [1], « nihil ad perfectum adduxit lex. » Multa profecto et in tantum gravia, ut apostolus Petrus ejus præcepta neminem potuisse portare profiteatur, dicens [2]: « Viri fratres, quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod nec patres nostri neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari quemadmodum et illi. » Paucis Christus de ædificatione morum et sanctitate vitæ apostolos instruxit, et perfectionem docuit. Austera removens et gravia, suavia præcepit et levia, quibus omnem consummavit religionem: « Venite, » inquit [3], « ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. » Sic enim sæpe in operibus bonis, sicut in negotiis agitur seculi. Multi quippe in negotio plus laborant et minus lucrantur, et multi exterius amplius affliguntur, et minus interius apud Deum proficiunt, qui cordis potius quam operis inspector est. Qui etiam quo in exterioribus amplius occupantur, minus ad interiora vacare possunt; et quanto apud homines, qui de exterioribus judicant, amplius innotescunt, majorem gloriam apud eos assequuntur, et facilius per elationem seducuntur. Cui Apostolus occurrens errori, opera vehementer extenuat, et fidei justificationem amplificans ait [4]: « Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Dominum. Quid enim dicit Scriptura [5]? « Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad justitiam. » Et iterum: « Quid ergo dicimus, quod gentes quæ non sectabantur justitiam apprehenderunt justitiam; justitiam autem, quæ ex fide est: Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit? Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. » Illi quod catini est vel paropsidis de foris mundantes, de interiori munditia minus provident, et carni magis quam animæ vigilantes, carnales potius sunt quam spirituales. Nos vero Christum in exteriori homine per fidem habitare cupientes, pro modico ducimus exteriora, quæ tam reprobis quam electis sunt communia, attendentes quod scriptum est [6]: « In me sunt, Deus, vota tua; quæ reddam laudationes tibi! » Unde et exteriorem illam legis abstinentiam non sequimur, quam nihil justitiæ certum est conferre. Nec quidquam nobis in cibis Dominus interdicit [7], nisi crapulam et ebrietatem, id est superfluitatem. Qui etiam quod

[1] *Heb.*, cap. vii, v. 19. — [2] *Act. Apost.*, cap. xv, cap. iv, v. 2. — [5] *Genes.*, cap. xv, v. 6. — [6] Psalm. lv, v. 10. — [3] Matth., cap. xi, v. 28 et sq. — [4] *Rom.*, v. 12. — [7] Luc., cap. xxi, v. 34.

nobis indulsit, in se ipso exhibere non erubuit : licet hinc multi scandalizati non mediocriter improperarent. Unde et per semetipsum loquens [1] : « Venit Joannes, » inquit, « non manducans et non bibens, et dixerunt : « Dæmonium « habet. » Venit filius hominis manducans et bibens, et dixerunt : « Ecce homo « vorax et potator vini. » Qui etiam suos excusans, quod non sicut discipuli Joannis [2] jejunarent, nec etiam manducantes corporalem illam munditiam abluendarum manuum magnopere curarent [3] : « Non possunt, » inquit [4], « lugere filii sponsi, quandiu cum illis sponsus est. » Et alibi [5] : « Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem. » Nullus itaque cibus inquinat animam, sed appetitus cibi vetiti. Sicut enim corpus non nisi corporalibus inquinatur sordibus, sic nec anima nisi spiritualibus. Nec timendum est quidquid agatur in corpore, si animus ad consensum non trahitur. Nec confidendum de munditia carnis, si mens voluntate corrumpitur. In corde igitur tota mors animæ consistit et vita. Unde Salomon in *Proverbiis* [6] : « Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. » Et juxta prædictam Veritatis assertionem, ex corde procedunt quæ coinquinant hominem : quoniam bonis vel malis desideriis anima damnatur vel salvatur. Sed quoniam animæ et carnis in unam conjunctarum personam maxima est unio, summopere providendum est ne carnis delectatio ad consensum animam trahat, et dum nimis indulgetur carni, ipsa lasciviens reluctetur spiritui, et quam oportet subjici incipiat dominari. Hoc autem cavere poterimus, si necessariis omnibus concessis, superfluitatem, ut sæpius dictum est, penitus amputemus, et infirmo sexui nullum ciborum usum, sed omnium denegemus abusum. Omnia concedantur sumi, sed nulla immoderate consumi : « Omnis, » inquit Apostolus [7], « creatura Dei bona, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. Hoc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei, et bonæ doctrinæ quam assecutus es. » Et nos igitur cum Timotheo hanc Apostoli insecuti doctrinam, et juxta dominicam sententiam nihil in cibis nisi crapulam et ebrietatem [8] vitantes, sic omnia temperemus, ut ex omnibus infirmam naturam sustentemus, non vitia nutriamus. Et quo quæque amplius sua superfluitate possunt nocere, temperamenti magis accipiant. Majus quippe est ac laudabilius temperate comedere, quam omnino abstinere. Unde et beatus Augustinus in libro *de Bono conjugali*, quum de corporalibus ageret sustenta-

[1] Matth., cap. XI, v. 18 et 19. — [2] Matth., cap. IX, v. 14. — [3] Matth. cap. XV, v. 2 et 3. — [4] Matth., cap. IX, v. 15. — [5] Matth., cap. XV, v. 11. — [6] *Proverb.*, cap. V, v. 23. — [7] *Timoth. I*, cap. IV, v. 4 et sq. — [8] Luc., cap. XXI, v. 34.

mentis : « Nequaquam, » inquit, « eis bene utitur, nisi qui et uti non potest. Multi quidem facilius se abstinent ut non utantur, quam temperant ut bene utantur. Nemo tamen potest eis sapienter uti, nisi potest et continenter non uti. » Ex hoc habitu et Paulus dicebat : « Scio et abundare et penuriam pati. » Penuriam quippe pati, quorumcunque hominum est : sed scire penuriam pati, magnorum est. Sic et abundare quisquam hominum incipere potest. Scire autem abundare non nisi eorum est, quos abundantia non corrumpit. De vino itaque, quia, sicut dictum est, luxuriosa res est et tumultuosa, ideoque tam continentiæ quam silentio maxime contrarium, aut omnino feminæ abstineant propter Deum, sicut uxores gentilium ab hoc inhibentur metu adulteriorum ; aut ita ipsum aqua temperent, ut et siti pariter et sanitati consulat, et vires nocendi non habeat. Hoc autem fieri credimus, si hujus mixturæ quarta pars ad minus aquæ fuerit. Difficillimum vero est ut adpositum nobis potum sic observemus, ut non usque ad satietatem inde bibamus, sicut de vino beatus præcipit Benedictus [1]. Ideoque tutius arbitramur, ut nec satietatem interdicamus, ne inde [2] periculum incurramus ; non enim satietas, ut sæpe jam diximus, sed superfluitas in crimine est. Ut vero pro medicamento herbata vina conficiantur, aut etiam vinum purum sumatur, non prohibendum est ; quibus tamen conventus nunquam utatur, sed separatim ab infirmis hæc degustentur. Triticeæ quoque medullæ similaginem omnino prohibemus, sed semper quum habuerint triticum, tertia pars ad minus grossioris annonæ misceatur. Nec calidis unquam oblectentur panibus, sed qui ad minus uno die ante cocti fuerint. Cæterorum vero alimentorum providentiam sic habeat diaconissa, ut sicut jam præfati sumus, quod vilius poterit comparari, vel facilius haberi, infirmi sexus naturæ subveniat. Quid enim stultius quam, quum sufficiant nostra, emamus aliena ? et quum sint domi necessaria, quæramus extra superflua ? et quum sint ad manum quæ sufficiant, laboremus ad illa quæ superfluunt ? De qua quidem necessaria discretionis moderatione non tam humano quam angelico, seu etiam dominico instructi documento, noverimus ad hujus vitæ necessitudinem transigendam non tam qualitatem ciborum exquirere, quam his quæ præsto sunt contentos esse. Unde et Abraham carnibus apparatis angeli vescuntur [3], et inventis in solitudine piscibus jejunam multitudinem Dominus Jesus refecit [4]. Ex quo videlicet manifeste docemur indifferenter tam carnium quam piscium esum non esse respuendum, et eum præcipue sumendum, qui et offensa peccati careat, et sponte se offerens faciliorem habeat apparatum, et minorem exigat expensam. Unde et Seneca maximus ille paupertatis et continentiæ sectator, et summus inter universos

[1] Regul., cap. XL. — [2] *Vitæ* MS. Amb. — [3] *Genes.*, cap. XVIII, v. 9. — [4] Marc., cap. VIII.

philosophos morum ædificator : « Propositum, » inquit[1], « nostrum est secundum naturam vivere. Hoc contra naturam est, torquere corpus suum, et faciles odisse munditias, et squalorem appetere, et cibis non tantum vilibus uti, sed tetris et horridis. Quemadmodum desiderare delicatas res luxuriæ est, ita et usitatas et non magno parabiles fugere dementiæ. Frugalitatem exigit philosophia, non pœnam. Potest tamen esse non incomposita frugalitas. Hic mihi modus placet. » Unde et Gregorius *Moralium* libro XXX[2], quum ipsis hominum moribus non tam ciborum quam animorum qualitatem attendendam esse doceret, ac gulæ tentationes distingueret : « Aliquando, » inquit, « cibos lautiores quærit, aliquando quælibet sumenda præparari accuratius appetit. Nonnunquam vero et abjectius est quod desiderat, et tamen ipso æstu immensi desiderii peccat. » Ex Ægypto populus eductus in heremo occubuit, quia despecto manna cibos carnium petiit, quos lautiores putavit. Et primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno æstu desiderii vilem cibum, id est lenticulam concupivit, quam dum vendendis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Hic quippe quem diximus Esau[3] primatum per lenticulam perdidit et Elias[4] in heremo virtutem corporis carnes edendo servavit. Unde et antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, et primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit; et secundum non carne, sed pane tentavit. Hinc est quod plerumque Adam culpa committitur, etiam quum abjecta et vilia sumuntur. Ea itaque sumenda sunt, quæ naturæ necessitas quærit et non quæ edendi libido suggerit. Minori vero desiderio concupiscimus quæ minus prætiosa esse videmus, et quæ magis abundant, et vilius emuntur : sicut est communium cibus carnium, qui et infirmam naturam multo validius quam pisces confortat, et minores expensas, et faciliorem habet apparatum. Usus autem carnium ac vini, sicut et nuptiæ, intermedia boni et mali, hoc est indifferentia computantur, licet copulæ nuptialis usus omnino peccato non careat, et vinum omnibus alimentis periculosius existat. Quod profecto si temperate sumptum religioni non interdicitur, quid aliorum timemus alimentorum, dummodo in eis modus non excedatur? Si beatus ipsum Benedictus quod monachorum non esse profitetur[5], quadam tamen dispensatione monachis hujus temporis, jam refrigescente pristinæ charitatis fervore, concedere cogitur; quid cætera non indulgere feminis debeamus, quæ adhuc eis nulla professio interdi-

[1] Epist. v. — [2] Cap. XVIII, *Opp.* t. I, col. 983. — [3] *Genes.*, cap. XXV, v. 33. — [4] *Reg.* III, cap. XVII, v. 4 et sq. — [5] Regul., cap. XL.

cit? Si pontificibus ipsis, et Ecclesiæ sanctæ rectoribus, si denique monasteriis clericorum sine offensa carnibus etiam vesci licet, quia nulla scilicet professione ab eis religantur; quis has culpet feminis indulgeri, maxime si in cæteris majorem tolerent districtionem? Sufficit quippe discipulo ut sit sicut magister ejus [1], et magna videtur credulitas, si quod monasteriis clericorum indulgetur, monasteriis feminarum prohibeatur. Nec parvum etiam æstimandum est, si feminæ quum cætera monasterii districtione, in hac una carnium indulgentia religione fidelium laicorum inferiores non sint; præsertim quum, teste Chrysostomo [2], nihil licet secularibus, quod non liceat monachis, excepto concumbere tantum cum uxore. Beatus quoque Hieronymus clericorum religionem non inferiorem quam monachorum judicans, ait [3]: « Quasi quidquid in monachos dicitur non redundet in clericos, qui sunt patres monachorum. » Quis etiam ignoret omnino discretioni contrarium esse, si tanta debilibus quanta fortibus imponantur onera? si tanta feminis quanta viris injungatur abstinentia? De quo etiam si quis supra ipsum naturæ documentum auctoritatem efflagitet, beatum quoque super hoc Gregorium consulat. Hic quippe magnus Ecclesiæ tam rector quam doctor de hoc quoque cæteros Ecclesiæ doctores diligenter instruens, libri *Pastoralis* capitulo XXIV [4], ita meminit: « Aliter igitur admonendi sunt viri, atque aliter feminæ: quia illis gravia, istis vero sunt injungenda leviora; et illos magna exerceant, istas vero levia demulcendo convertant. Quæ enim parva sunt in fortibus, magna reputantur in debilibus. » Quamvis hæc quoque vilium licentia carnium minus habeat oblectamenti quam ipsæ piscium vel avium carnes, quas minime tamen nobis beatus interdicit Benedictus. De quibus etiam Apostolus, quum diversas species carnis distingueret: « Non omnis, » inquit [5], « caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia piscium. » Et pecorum quidem et avium carnes in sacrificio Domini lex ponit; pisces vero nequaquam: ut nemo piscium esum mundiorem Deo quam carnium credat. Qui etiam tanto est onerosior paupertati vel carior, quanto piscium minor est copia quam carnium, et minus infirmam corroborat naturam; ut in altero magis gravet, in altero magis subveniat. Nos itaque fortunæ pariter et naturæ hominum consulentes, nihil in alimentis, ut diximus, nisi superfluitatem interdicimus. Ipsum itaque carnium sive cæterorum esum temperamus, ut omnibus concessis, major sit abstinentia monialium, quam quibusdam interdictis, modo sit monachorum. Igitur ipsum quoque carnium esum ita temperari volumus, ut non amplius quam semel in die sumant, nec diversa inde fercula eidem per-

[1] Matth., cap. X, v. 24. — [2] *In Epist. ad Hebræos*, cap. IV, hom. VII, *Opp.* t. XII, p. 113. — [3] Epist. XLVII, *ad Furiam*, *Opp.* t. IV, col. 556. — [4] *Regul. pastor.*, p. III, cap. I, *Opp.* t. II, col. 35. — [5] *Corinth. I*, cap. XV, v. 39.

sonæ parentur; nec seorsum aliqua superaddantur pulmenta, nec ullatenus ei vesci liceat plusquam ter in hebdomada, prima videlicet feria, tertia, et quinta feria, quantæcunque etiam festivitates intercurrant. Quo namque solemnitas major est, majoris abstinentiæ devotione est celebranda. Ad quod nos egregius doctor Gregorius Nazianzenus vehementer exhortans, lib. III *de Luminibus vel secundis Epiphaniis,* ait[1] : « Diem festum celebremus non ventri indulgentes, sed spiritu exultantes. » Idem lib. IV *de Pentecoste et Spiritu sancto*[2] : « Et hic est noster festus dies, » ait, « in animæ thesauros perenne aliquid et perpetuum recondamus, non ea quæ pertranseunt et dissolvuntur. Sufficit corpori malitia sua, non indiget copiosiore materia, nec insolens bestia abundantioribus cibis ut insolentior fiat, et violentius urgeat. » Idcirco autem spiritualiter magis est agenda solemnitas, quam et beatus Hieronymus, ejus discipulus, secutus, in epistola sua *de acceptis Muneribus* ita quodam loco meminit[3] : « Unde nobis sollicitius providendum, ut solemnem diem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus : quia valde absurdum est nimia saturitate honorare velle martyrem, quem sciamus Deo placuisse jejuniis. » Augustinus *de Pœnitentiæ Medicina*[4] : « Attende tot martyrum millia. Cur enim natalitia eorum conviviis turpibus celebrare delectat, et eorum vitam sequi honestis moribus non delectat? » Quotiens vero carnes deerunt, duo eis fercula qualiumcunque pulmentorum concedimus, nec superaddi pisces prohibemus. Nulli vero preciosi sapores cibis apponantur in conventu, sed iis contentæ sint, quæ in terra, quam inhabitant, nascuntur; fructibus vero non nisi in cœna vescantur. Pro medicamento autem quibus opus fuerit, vel herbas vel radices seu fructus aliquot, vel alia hujusmodi nunquam prohibemus mensis apponi. Si qua forte peregrina monialis hospitio recepta mensis intererit, ferculo ei aliquo superaddito, charitatis sentiat humanitatem. De quo quidem si quid distribuere voluerit, licebit. Hæc autem, vel si plures fuerint, in majore mensa residebunt, et eis diaconissa ministrabit, postea cum aliis, quæ mensis ministrant, comestura. Si qua vero sororum parciori cibo carnem domare voluerit, nullatenus hoc ipsa nisi per obedientiam præsumat, et nullatenus hoc ei denegetur, si hoc non levitate, sed virtute videtur appetere, quod ejus firmitudo valeat tolerare. Nulli tamen unquam permittatur, ut per hoc conventu[5].... nec ut aliquam diem sine cibo transigat. Sagiminis condimento sexta feria nunquam utantur, sed quadragesimali cibo contentæ, sponso suo ea die passo quadam compatiantur abstinentia. Illud vero non solum prohibendum, sed vehementer est abhorrendum, quod in ple-

[1] Orat. XXXIX, 20, *Opp.* Parisiis, 1778, in-fol., t. I, p. 690. — [2] Orat. XLI, *Opp.* t. I, p. 731. — [3] Epist. XXIII, *ad Eustochium, Opp.* t. IV, part. II, col. 60. — [4] Serm. CCCLIV, *Opp.* t. V, col. 1361. — [5] Locus corruptus.

risque monasteriis agi solet, quod videlicet parte aliqua panis, quæ superest esui et pauperibus est reservanda, manus et cultellos mundare et extergere solent, et ut mappis parcant mensarum, panem polluunt pauperum, imo ejus qui se attendens in pauperibus ait [1] : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. »

De abstinentia jejuniorum generalis institutio Ecclesiæ illis sufficiat, nec supra fidelium laicorum religionem in hoc eas gravare præsumimus, nec virtuti virorum earum infirmitatem in hoc præferre audemus. Ab æquinoctio vero autumnali usque ad Pascha, propter dierum brevitatem, unam in die comestionem sufficere credamus. Quod quia non pro abstinentia religionis, sed pro brevitate dicimus temporis, nulla hic ciborum genera distinguemus.

Pretiosæ vestes, quas omnino Scriptura damnat, summopere fugiantur. De quibus nos præcipue Dominus dehortans et damnati divitis superbiam de iis accusat; et Joannis humilitatem e contrario commendat. Quod beatus diligenter attendens Gregorius homilia *Evangeliorum* IV [2]: « Quid est, » inquit, « dicere : « Qui « mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt [3] ; » nisi aperta sententia demonstrare quod non cœlesti, sed terreno regno militant, qui pro Deo perpeti aspera fugiunt, sed solis exterioribus dediti, præsentis vitæ mollitiem delectationemque quærunt? » Idem homilia XI [4] : « Sunt nonnulli, qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod videlicet si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquebatur ad inferos, bysso et purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta præcipua nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior cæteris esse videatur. Nam pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur. Res ipsa testatur, quod nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. » A quo et prima Petri epistola seculares et conjugatas feminas dehortans, ait [5] : « Similiter et mulieres subditæ sint viris suis, ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. Quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorius cultus, sed qui absconditus corde est homo, incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, quod est in conspectu Domini locuples. » Bene autem feminas potius quam viros ab hac vanitate censuit dehortandas, quarum infirmus animus id amplius appetit, quo per eas et in eis amplius imitari luxuria possit. Si autem seculares hinc inhibendæ sunt feminæ, quid Christo devotas convenit providere? quarum hoc

[1] Matth., cap. XXV, v. 40. — [2] *Opp.* t. I, col. 1454. — [3] Matth., cap. II, v. 8. — [4] *Opp.* t. I, col. 1655. — [5] Petr. *Epist. I*, cap. III, v. 1 et sq.

ipsum illis est cultus, quod sunt incultæ. Quæcunque igitur hunc appetit cultum vel non renuit oblatum, castitatis perdit testimonium. Et quæcunque talis est, non se religioni præparare, sed fornicationi credatur, nec tam monialis quam meretrix censeatur, cui et ipse cultus est tanquam lenonis præconium, qui incestum prodit animum, sicut scriptum est[1] : « Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. » Legimus Dominum in Joanne, ut jam supra meminimus, vilitatem seu asperitatem vestium potius quam escæ commendasse atque laudasse : « Quid exiistis, » inquit[2], « in desertum videre? hominem mollibus vestitum ? » Habet enim nonnunquam usus pretiosorum ciborum utilem aliquam dispensationem, sed vestium nullam. Quæ videlicet vestes quanto sunt pretiosiores, tanto carius custodiuntur, et minus proficiunt, et ementem amplius gravant, et præ subtilitate sui facilius possunt corrumpi, et minus corpori præbent fomenti. Nulli vero panni magis quam nigri lugubrem pœnitentiæ habitum decent, nec adeo sponsis Christi pelles aliquæ conveniunt, sicut agninæ : ut ipso quoque habitu agnum sponsum virginum indutæ videantur, vel induere moneantur. Vela vero earum non de serico, sed de tincto aliquo lineo panno fiant. Duo autem velorum genera esse volumus, ut alia sint scilicet virginum jam ab ipso consecratarum, alia vero minime. Quæ vero pudictarum[3] sunt virginum, crucis sibi signum habeant impressum; quo scilicet ipsæ integritate quoque corporis ad Christum maxime pertinere monstrentur, et sicut in consecratione distare a cæteris, ita et hoc habitus signo distinguantur, quo et quique fidelium territi, magis abhorreant in concupiscentiam earum exardescere. Hoc autem signum virginalis munditiæ in summitate capitis candidis expressum filis virgo gestabit, et hoc nullatenus, antequam ab episcopo consecretur, gestare præsumat. Nulla autem alia vela hoc signo insignita sint. Interulas mundas ad carnem habeant, in quibus etiam cinctæ semper dormiant. Culcitrarum quoque mollitiem vel linteaminum usum infirmæ ipsarum non negamus naturæ. Singulæ vero dormiant et comedant. Nulla penitus indignari præsumat, si vestes vel quæcunque alia sibi ab aliquibus transmissa, alii, quæ amplius indiget, concedantur sorori; sed tunc maxime gaudeat, quum in sororis necessitate fructum habuerit eleemosynæ, vel se respexerit non solum sibi, sed aliis vivere. Alioquin ad sanctæ societatis fraternitatem non pertinet, nec proprietatis sacrilegio caret. Sufficere autem ad corpus contegendum credimus interulam, pelliceam, togam, et quum multum exasperaverit frigus, insuper mantellum. Quo videlicet mantello pro opertorio quoque uti jacentes poterunt. Oportebit autem pro infestatione vermium vel gravamine sordium abluendarum,

[1] *Eccli.*, cap. XIX, v. 27. — [2] Matth., cap. XI, v. 8. — [3] Sic edit. Amb. Legendum forte *prædictarum*.

hæc omnia esse duplicia indumenta, sicut ad litteram in laude fortis et providæ mulieris Salomon ait[1] : « Non timebit domui suæ a frigoribus nivis. Omnes enim domestici ejus vestiti duplicibus. » Quorum ita sit moderata longitudo, ut ultra oram sotularium non procedant, ne pulverem moveant. Manicæ vero extensionem brachiorum et manuum non excedant. Crura vero et pedes caligæ pedules et sotulares muniant. Nec unquam occasione religionis nudæ pedes incedant. In lectis culcitra una, pulvinar, auriculare, lodix et linteolum sufficiant. Caput vero muniant vitta candida, et velum desuper nigrum, et pro tonsura capillorum pileum agninum, quum opus fuerit supponatur.

Nec in victu tantum aut vestitu superfluitas evitetur, verum et in ædificiis aut quibuslibet possessionibus. In ædificiis quidem hoc manifeste dignoscitur, si ea majora vel pulchriora quam necesse sit componantur, vel si nos ipsa sculpturis vel picturis ornantes, non habitacula pauperum ædificemus, sed palatia regum erigamus. « Filius hominis, » inquit Hieronymus[2], « non habet ubi caput reclinet, et tu amplas porticus et ingentia tectorum spatia metiris? » Quum pretiosis vel pulchris delectamur equitaturis, non solum superfluitas, sed elationis vanitas innotescit. Quum autem animalium greges vel terrenas multiplicamus possessiones, tunc se ad exteriora dilatat ambitio : et quanto plura possidemus in terra, tanto amplius de ipsis cogitare cogimur, et a contemplatione cœlestium devocamur. Et licet corpore claustris recludamur; hæc tamen quæ foris sunt, et diligit animus, sequi cogitur, et se pariter huc et illuc cum illis diffundit, et quo plura possidentur quæ amitti possunt, majori nos metu cruciant; et quo pretiosiora sunt, amplius diliguntur, et ambitione sui miserum magis illaqueant animum. Unde omnino providendum est, ut domui nostræ sumptibusque nostris certum præfigamus modum, nec supra necessaria vel appetamus aliqua, vel recipiamus oblata, vel retineamus suscepta. Quidquid enim necessitati superest, in rapina possidemus; et tot pauperum mortis rei sumus, quot inde sustentare potuimus. Singulis igitur annis quum collecta fuerint victualia, providendum est quantum sufficiat per annum; et si qua superfuerint, pauperibus non tam danda sunt quam reddenda. Sunt qui providentiæ modum ignorantes, quum redditus paucos habeant, multam habere familiam gaudent. De cujus quidem procuratione dum gravantur, impudenter hanc quærentes mendicant, vel quæ non habent violenter ab aliis extorquent. Tales etiam jam nonnullos monasteriorum patres conspicimus, qui de multitudine conventus gloriantes, non tam bonos filios quam multos habere student, et magni videntur in oculis suis, si inter multos majores habeantur. Quos qui-

[1] *Prov.*, cap. xxxi, v. 21. — [2] Epist. v, *ad Heliodorum*, *Opp.* t. IV, col. 9.

dem ut ad suum trahant dominium, quum aspera deberent eis prædicare, lenia promittunt, et nulla examinatione antea probatos quos indiscrete suscipiunt, facile apostatantes perdunt. Talibus, ut video, improperabat Veritas, dicens[1]: « Væ vobis qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselitum! Quem quum feceritis, facitis illum filium gehennæ duplo quam vos. » Qui profecto minus de multitudine gloriarentur, si salutem animarum magis quam numerum quærerent, et de suis viribus in ratione sui regiminis reddenda minus præsumerent. Paucos Dominus elegit apostolos, et de ipsa electione sua unus in tantum apostatavit, ut pro ipso Dominus diceret[2]: « Nunquid[3] ego duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est? » Sicut autem de apostolis Judas, sic et de septem diaconibus Nicolaus periit. Et quum paucos adhuc apostoli congregassent, Ananias et Saphira, uxor ejus, mortis excipere sententiam meruerunt. Quippe et ab ipso antea Domino quum multi abiissent discipulorum retrorsum, pauci cum ipso remanserunt. Arcta quippe via est, quæ ducit ad vitam, et pauci ingrediuntur per eam. Sicut e contrario lata est et spatiosa, quæ ducit ad mortem; et multi sunt qui se ultro ingerant[4]. Quia sicut ipse Dominus testatur alibi[5]: « Multi vocati, pauci vero electi. » Et juxta Salomonem[6]: « Stultorum infinitus est numerus. » Timeat itaque quisquis de multitudine gaudet subjectorum, ne in eis juxta dominicam assertionem, pauci reperiantur electi, et ipse immoderate gregem suum multiplicans, minus ad custodiam ejus sufficiat, ut ei recte a spiritalibus illud propheticum dici possit[7]: « Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. » Tales utique scilicet de multitudine gloriantes, dum tam pro suis quam suorum necessitatibus sæpius exire, atque ad seculum redire, et mendicando discurrere coguntur, curis se corporalibus magis quam spiritalibus implicant, et infamiam sibi magis quam gloriam acquirunt. Quod quidem in feminis tanto magis est erubescendum, quanto eas per mundum discurrere minus videtur tutum. Quisquis igitur quiete vel honeste cupit vivere, et officiis vacare divinis, et tam Deo quam seculo charus haberi, timeat aggregare quos non possit procurare, nec in expensis suis de alienis confidat marsupiis; nec eleemosynis petendis, sed dandis invigilet. Apostolus, ille magnus Evangelii prædicator, et habens potestatem de Evangelio sumptus accipere, laborat manibus, ne quos gravare videatur, et gloriam suam evacuet[8]. Nos ergo, quorum non est prædicare, sed peccata plangere, qua temeritate vel impudentia mendicantes quærimus? Unde hos, quos inconsiderate congregamus, sustentare possumus? Qui etiam sæpe in tantam prorumpimus insaniam, ut quum prædicare nesciamus,

[1] Matth., cap. XXIII, v. 15. — [2] Joan., cap. VI, v. 71. — [3] *Nonne* MS. Amb. — [4] Matth., cap. VII, v. 13. — [5] Ibid., cap. XX, v. 16. — [6] *Eccles.*, cap. I, v. 15. — [7] Isai., cap. IX, v. 3. — [8] *Corinth. I*, cap. IX.

prædicatores conducamus; et pseudoapostolos nobiscum circumducendo, cruces et philacteria reliquiarum gestemus, ut tam hæc quam verbum Dei, seu etiam figmenta diaboli simplicibus et idiotis vendamus christianis, et eis promittamus quæcunque ad extorquendos nummos proficere credimus. Ex qua quidem impudenti cupiditate, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quærente, quantum jam ordo noster et ipsa divini prædicatio verbi viluerit, neminem jam latere arbitror. Hinc et ipsi abbates vel qui majores in monasteriis videntur, potentibus seculi et mundanis curiis sese importune ingerentes, jam magis carnales esse quam cœnobitæ didicerunt; et favorem hominum quacunque arte venantes, crebrius cum hominibus fabulari, quam cum Deo loqui, consueverunt: illud sæpe frustra legentes, atque negligentes, vel audientes, sed non exaudientes quod beatus Antonius admonet, dicens [1] : « Sicut pisces si tardaverint in sicco moriuntur : ita et monachi tardantes extra cellulam, aut cum viris secularibus immorantes, a quietis proposito resolvuntur. » Oportet ergo sicut piscem in mari, ita et nos ad cellam recurrere, ne forte foris tardantes obliviscamur interioris custodiæ. Quod ipse quoque monasticæ scriptor regulæ, scilicet beatus Benedictus, diligenter attendens, quam in monasteriis assiduos velit esse abbates, et super custodiam sui gregis sollicite stare, tam exemplo quam scripto patenter edocuit. Hic enim quum a fratribus ad sacratissimam sororem suam visitandam profectus, quum ipsa eum pro ædificatione saltem nocte una vellet retinere, aperte professus est manere extra cellam nullatenus se posse. Nec ait quidem, « non possumus, » sed, « non possum [2], » quia hoc per eum fratres, non ipse posset, nisi hoc et a Domino, sicut postmodum actum est, revelante. Unde et quum regulam scriberet, nusquam de abbatis, sed solummodo fratrum egressu meminerit; de cujus etiam assiduitate ita caute providit [3], ut in vigiliis dominicorum et festorum dierum evangelicam lectionem, et quæ illi adjuncta sunt, non nisi ab abbate præcipiat dici. Qui etiam instituens [4], ut mensa abbatis cum peregrinis et hospitibus sit semper, et quotiens minus sunt hospites cum eo, quos voluerit de fratribus vocare, seniore uno tantum aut duobus dimissis cum fratribus; patenter insinuat nunquam in tempore mensæ abbatem monasterio debere deesse, et ut delicatis principum ferculis jam assuetus, cibarium panem monasterii subjectis derelinquat. De qualibus quidem Veritas : « Alligant, » inquit [5], « onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere. » Et alibi de falsis prædicatoribus [6] : « Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos. » Veniunt, inquit,

[1] *Vit. Patrum*, part. II. — [2] S. Gregorii *Dialog.*, lib. II, cap. XXXIII, *Opp.* t. II, col. 268. — [3] Regul., cap. XI. — [4] Regul., cap. LVI. — [5] Matth., cap. XXIII, v. 4. — [6] Ibid., cap. VII, v. 15.

per se, non a Deo missi, vel expectantes ut pro eis mandetur. Joannes Baptista princeps noster, cui pontificatus hæreditate cedebat, semel ab urbe recessit ad heremum [1], pontificatum scilicet pro monachatu, civitates pro solitudine deserens. Et ad eum populus exibat, nec ipse ad populum introibat. Qui quum tantus esset ut Christus crederetur, et nulla in civitatibus corrigere posset : in illo jam erat lectulo, unde pulsanti dilecto respondere paratus erat [2] : « Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? » Quisquis itaque quietis monasticæ secretum desiderat, lectulum magis quam lectum se habere gaudeat. « De lecto » quippe, ut Veritas ait [3], « unus assumetur, et alter relinquetur. » Lectulum vero sponsæ esse legimus, id est animæ contemplativæ Christo arctius copulatæ, et summo ei desiderio adhærentis. Quem quicunque intraverit, neminem esse relictum legimus. De quo et ipsamet loquitur [4] : « In lectulo meo pernoctans quæsivi quem diligit anima mea. » A quo etiam lectulo ipsa surgere dedignans, vel formidans, pulsanti dilecto quod supra meminimus respondet. Non enim sordes nisi extra lectum suum esse credit, quibus inquinari pedes metuit. Egressa est Dina, ut alienigenas videret, et corrupta est. Et sicut Malcho illi captivo monaco ab abbate suo prædictum est, et ipse postmodum est expertus; ovis quæ de ovili egreditur, cito lupi morsibus patet. Ne igitur multitudinem congregemus, pro qua egrediendi occasionem quæramus, imo et egredi compellamur, et cum detrimento nostri lucrum faciamus aliorum : ad modum videlicet plumbi, quod ut argentum servetur in fornace, consumitur. Verendum potius est ne et plumbum pariter et argentum fornax vehemens consumat tentationum. Veritas, inquiunt, ait [5] : « Et eum qui venit ad me non ejiciam foras. » Nec nos ejici susceptos volumus, sed de suscipiendis providere : ne quum eos intus susceperimus, nos ipsos extra pro eis ejiciamus. Nam et ipsum Dominum non susceptum ejecisse legimus, sed offerentem se respuisse. Cui quidem dicenti [6] : « Magister, sequar te quocunque ieris; » respondit : « Vulpes foveas habent, etc. » Qui etiam de sumptibus nos ante providere, quum aliquid facere meditamur, cui sint ipsi necessarii, diligenter admonet, dicens [7] : « Quis vestrum volens turrim ædificare, nonne prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habet ad perficiendum? Ne postea quam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui viderint incipiant illudere ei, dicentes : « Quia hic homo cœpit ædificare, et non « potuit consummare. » Magnum est si vel se unum quis salvare sufficiat, et periculosum est multis eum providere qui vix ad custodiam sui sufficit vigilare.

[1] Marc., cap. I. — [2] *Cantic.*, cap. v, v. 3. — [3] Luc., cap. XVII, v. 34. — [4] *Cantic.*, cap. III, v. 1. — [5] Joan., cap. VI, v. 37. — [6] Matth., cap. VIII, v. 19 et 20. — [7] Luc., cap. XIV, v. 28 et sq.

Nemo vero studiosus est in custodiendo, nisi qui pavidus fuerit in suscipiendo. Et nemo sic perseverat in cœpto, sicut qui tardus est et providus ad incipiendum. In quo quidem tanto feminarum sit providentia, quanto earum infirmitas magna minus tolerat onera, et quiete plurimum est fovenda.

Speculum animæ Scripturam sacram constat esse, in quam quilibet legendo vivens, intelligendo proficiens, morum suorum pulchritudinem cognoscit, vel deformitatem deprehendit: ut illam videlicet augere, hanc studeat removere. Hoc nobis speculum beatus commemorans Gregorius in II *Moralium* [1] ait : « Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi etenim fœda cognoscimus, ibi pulchra nostra conspicimus. Ibi sentimus quantum proficimus, ibi a profectu quam longe distamus. » Qui autem Scripturam conspicit quam non intelligit, quasi cæcus ante oculos [speculum ?] tenet, in quo qualis sit cognoscere non valet, nec doctrinam quærit in Scriptura, ad quam ipsa est tantummodo facta, et tanquam asinus applicatur ad lyram, sic otiosus sedet ad Scripturam, et quasi panem appositum habet, quo jejunus non reficitur, dum verbum Dei nec se per intelligentiam penetrante, nec alio ei docendo frangente, inutiliter cibum habet qui ei nullatenus prodest. Unde et Apostolus generaliter ad Scripturarum studium nos adhortans [2] : « Quæcunque, » inquit, « scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. » Et alibi [3] : « Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus. » Sibi quippe vel secum loquitur, qui quod profert intelligit, vel de intelligentia verborum suorum fructum facit. Idem *ad Timotheum* [4] : « Dum venio, » inquit, « attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. » Et iterum [5] : « Tu vero permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi; sciens a quo didiceris, et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus est homo Dei ad omne opus bonum instructus. » Qui etiam ad intelligentiam Scripturæ Corinthios admonens [6], ut quæ videlicet alii de Scriptura loquuntur exponere valeant : « Sectamini, » inquit, « charitatem, æmulamini spiritualia : magis autem spiritus [7] ut prophetetis [8]. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo. Qui autem prophetat, Ecclesiam ædificat. Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. Orabo spiritu, orabo et mente. Psallam spiritu, psallam et mente. Cæterum si benedixeris spiritu, quis implebit locum idiotæ [9] ? Quomodo dicet amen super

[1] Lib. II, cap. I, *Opp.* t. I, col. 37.—[2] *Rom.*, cap. xv, v. 4. — [3] *Ephes.*, cap. v, v. 18 et 19. — [4] *Timoth. I*, cap. IV, v. 13. — [5] *Timoth. II*, cap. III, v. 14 et sq. — [6] *Corinth. I*, cap. XIV, v. 1 et sq. — [7] *Spiritus* deest in Vulgat.—[8] Aliter *proficiatis*. —[9] Vulgat. : *Cæterum si benedixeris spiritu : qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet*, etc.

tuam benedictionem, quoniam quid dicas nescit? Nam tu quidem bene gratias agis : sed alter non ædificatur. Gratias ago Deo, quoniam omnium vestrum lingua loquor. Sed in ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum[1]. Fratres, nolite effici parvi[2] sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti. » Loqui lingua dicitur qui ore tantum verba format, non intelligentia exponendo ministrat. Prophetat vero sive interpretatur qui more prophetarum, qui *videntes* dicuntur, id est intelligentes, ea quæ dicit intelligit, ut ipsa exponere possit. Orat ille spiritu sive psallit, qui solo prolationis flatu verba format, non mentis intelligentiam accommodat. Cum vero spiritus noster orat, id est nostræ prolationis flatus solummodo verba format, nec quod ore profertur corde concipitur, mens nostra sine fructu est, quem in oratione videlicet habere debet, ut ipsa scilicet ex intelligentia verborum in Deum compungatur atque accendatur. Unde hanc in verbis perfectionem nos admonet habere, ut non more plurimorum verba tantum sciamus proferre, verum etiam intelligentiæ sensum in iis habere; atque aliter nos orare vel psallere infructuose protestatur. Quem et beatus sequens Benedictus[3] : « Sic stemus, » inquit, « ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ. » Hoc et Psalmista præcipiens, ait[4] : « Psallite sapienter, » ut videlicet verborum prolationi sapor et condimentum intelligentiæ non desit, et cum ipso veraciter Domino dicere valeamus[5] : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! » Et alibi[6] : « Non in tibiis viri beneplacitum erit ei. » Tibia quippe sonitum emittit ad delectationem voluptatis, non ad intelligentiam mentis. Unde bene in tibiis cantare, nec in hoc Deo placere dicuntur, qui melodia sui cantus sic oblectantur, ut nulla hinc ædificentur intelligentia. Qua etiam ratione, inquit Apostolus, quum benedictiones in ecclesia fiunt, respondebitur amen, si quod oratur in illa benedictione non intelligatur, utrum videlicet bonum sit quod oratio postulat, aut non. Sic enim sæpe multos idiotas et litterarum sensum ignorantes videmus in ecclesia per errorem nonnulla sibi nociva [magis?] quam utilia precari, veluti quum dicitur : « Ut sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna; » facile ipsa consimilis vocis affinitas nonnullos sic decipit, ut vel sic dicant : « Ut nos amittamus æterna, » vel ita proferant : « Ut non admittamus æterna. » Cui etiam periculo Apostolus providens ait : « Cæterum si benedixeris spiritu, » id est prolationis tantum flatu verba benedictionis formaveris, non sensu mentem audientis instruxeris, « quis supplet locum idiotæ? » Id est, quis de assistentibus, quorum est respondere, id aget respondendo, quod idiota non valet, imo nec debet? « Quomodo dicet amen? » quum videlicet

[1] Vulgat. : *Quam decem millia verborum in lingua.* — [2] Vulgat. : *Pueri* pro *parvi.* — [3] Regul., cap. XIX. — [4] Psalm. XLVI, v. 8. — [5] Psalm. CXVIII, v. 103. — [6] Psalm. CXLVI, v. 10.

nesciat utrum in maledictionem potius quam benedictionem inducas. Denique qui Scripturæ non habent intelligentiam, quomodo sermonis ædificationem sibi ministrabunt, aut etiam regulam exponere vel intelligere, aut vitiose prolata corrigere valebunt? Unde non mediocriter miramur quæ inimici suggestio in monasteriis hoc egit, ut nulla ibi de intelligendis scripturis sint studia, sed de cantu tantum vel de verbis solummodo formandis, non intelligendis, habeatur disciplina: quasi ovium balatus plus utilitatis habeat, quam pastus. Cibus quippe est animæ et spiritalis refectio ipsi divina intelligentia Scripturæ. Unde et Ezechielem prophetam[1] ad prædicandum Dominus destinans, eum prius volumine cibat, quod statim in ejus ore factum est mel dulce. De quo etiam cibo scriptum est in Jeremia[2]: « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. » Panem quippe parvulis frangit, qui litteræ sensum simplicioribus aperit. Hi vero parvuli panem frangi postulant, quum de intelligentia Scripturæ animam saginari desiderant, sicut alibi Dominus testatur[3]: « Emittam famem in terra, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. » Hinc autem e contrario antiquus hostis famem et sitim audiendi verba hominum, et rumores seculi, claustris monasteriorum immisit, ut vaniloquio vacantes divina tanto amplius fastidiamus eloquia, quanto magis sine dulcedine vel condimento intelligentiæ nobis fiunt insipida. Unde et Psalmista, ut supra meminimus[4]: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. » Quæ quidem dulcedo in quo consisteret statim annexuit dicens: « A mandatis tuis intellexi. » Id est, a mandatis tuis potius quam humanis intelligentiam accepi; illis videlicet eruditus atque instructus. Cujus quidem intelligentiæ quæ sit utilitas non prætermisit, subjungens: « Propterea odivi omnem viam iniquitatis. » Multæ quippe iniquitatis viæ ita per se sunt apertæ, ut facile omnibus in odium vel contemptum veniant, sed omnem iniquitatis viam non nisi per eloquia divina cognoscamus, ut omnes evitare possimus. Hinc et illud est[5]: « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. » In corde potius recondita sunt quam in ore sonantia, quum eorum intelligentiam meditatio nostra retinet. Quorum quidem intelligentiæ quanto minus studemus, minus has iniquitatis vias cognoscimus atque vitamus, et minus a peccato nobis providere valemus. Quæ quidem negligentia tanto amplius in monachis, qui ad perfectionem aspirant, est arguenda, quanto hæc eis facilior esset doctrina, qui et sacris abundant libris, et quietis otio perfruuntur. Quos quidem de multitudine scriptorum gloriantes, sed ab eorum lectione vacantes, senex ille in *Vitis Patrum* egregie arguit, dicens[6]: « Prophetæ scripserunt libros, patres autem nostri venerunt post eos, et operati

[1] Ezech., cap. III, v. 3. — [2] *Lament.* Jerem. cap. IV, v. 4. — [3] Amos, cap. VIII, v. 11. — [4] Psalm. CXVIII, v. 103. — [5] Ibid., v. 11. — [6] *Vit. Patrum,* part. II.

sunt in eis plurima. Etenim successores illorum commendaverunt illos memoriæ. Venit autem generatio quæ nunc est, et scripsit in chartis atque membranis, et reposuit in fenestris otiosa. » Hinc et abbas Palladius ad discendum pariter et docendum nos vehementer adhortans, ait[1] : « Oportet animam secundum Christi voluntatem conversantem aut discere fideliter quæ nescit, aut docere manifeste quæ novit. » Si autem utrumque quum possit non vult, insaniæ morbo laborat. Initium enim recedendi a Deo fastidium doctrinæ est, et quum non appetit illud quod semper anima esurit, quomodo diligit Deum? Hinc et beatus Anastasius[2] in exhortatione monachorum, in tantum discendi vel legendi studium commendat, ut per hoc etiam orationes intermitti suadeat. « Pergam, » inquit, « per tramitem vitæ[3] nostræ. Primum abstinentiæ cura, jejunii patientia, orandi assiduitas, et legendi, vel si quis adhuc litterarum expers sit, audiendi sit desiderium cupiditate discendi. Hæc enim prima sunt quasi lactantium cunabulorum in Dei agnitione crepundia. » Et post aliqua quum præmisisset : « Orationibus vero ita instandum est, quod vix eas aliquod tempus interpolet, » postea subjecit : « Has, si fieri potest, sola legendi intercapedo disrumpat. » Neque enim alias Petrus apostolus admoneret[4] : « Parati semper estote ad rationem reddendam ad omnes poscentes vos de verbo fidei vestræ et spei. » Et Apostolus[5] : « Non cessamus pro vobis orantes, ut impleamini agnitione ejus in omni sapientia et intellectu spirituali. » Et rursum[6] : « Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia. » Nam in Veteri Testamento similem hominibus curam sacræ præceptionis inculcavit eloquium. Sic enim David ait[7] : « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit; sed in lege Domini voluntas ejus. » Et ad Jesum Nave Deus loquitur[8] : « Non recedet liber iste de manibus tuis, et meditaberis in eo die ac nocte. » His quoque negotiis malarum cogitationum lubrica frequenter se ingerunt, et quamvis ipsa sedulitas animum ad Deum præstet intentum, efficit tamen in se mordax seculi cura sollicitum. Quod si hoc frequenter importune patitur religioso labori deditus, nunquam profecto illis carebit otiosus. Et beatus papa Gregorius lib. *Moral.* XIX[9] : « Quæ tempora, » inquit, « jam nunc inchoasse ingemiscimus, quum multos intra Ecclesiam positos cernimus, qui aut nolunt operari quod intelligunt, aut hoc ipsum quoque sacrum eloquium intelligere ac nosse contemnunt. A veritate enim avertentes auditum, ad fabulas convertuntur : dum « omnes quæ sua sunt quærunt, non « quæ Jesu Christi[10]. » Scripta Dei ubique reperta, opponuntur oculis; sed hæc

[1] *Vit. Patrum*, part. II. — [2] Sic in edit. Amb. Legendum forte *beatus Augustinus*, quanquam locum hic allatum in operibus divi Augustini reperire non potui. — [3] Sic cod. Amb.-*Viæ* Ed. Amb. — [4] Petr. *Epist. 1*, cap. III, v. 15. — [5] *Coloss.*, cap. I, v. 9. — [6] *Coloss.*, cap. III, v. 16. — [7] Psalm. I, v. 1. — [8] *Josue*, cap. I, v. 8. — [9] Lib. XIX, cap. XXX, *Opp.* t. I, col. 634. — [10] *Philipp.*, cap. II, v. 21.

cognoscere homines dedignantur. Pene nullus scire quærit quod credidit. » Ad quod etiam plurimum ipsos et professionis suæ regula et sanctorum patrum adhortantur exempla. Nihil quippe de doctrina vel studio cantus admonet Benedictus, quum ipse plurimum de lectione præcipiat[1], et ipsa legendi tempora, sicut et laborandi, diligenter assignet, et in tantum de ipsa quoque dictandi seu scribendi doctrina provideat, ut inter necessaria quæ ab abbate monachi sperare debeant, tabulas etiam et graphium non prætermittat[2]. Qui quum inter cætera jubeat, quod in capite quadragesimæ omnes monachi singulos accipiant codices ex bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant[3] : quid hoc magis ridiculosum[4] quam lectioni vacare, et intelligentiæ operam non dare? Notum quippe est illud Sapientis proverbium : « Legere et non intelligere, negligere est. » Tali quippe lectori merito illud philosophi : Ἀλλ' ὄνος λύρας, improperandum est. Quasi enim asinus est ad lyram lector librum tenens, id ad quod liber est factus agere non valens. Multo etiam salubrius tales lectores alias intenderent, ubi aliquid utilitatis inesset, quam otiose vel scripturæ litteras inspicerent, vel folia versarent. In quibus profecto lectoribus illud Isaiæ compleri manifeste videmus[5] : « Et erit, » inquit, « vobis visio omnium sicut verba libri signati. Quem quum dederint scienti litteras, dicent : « Lege istum, » et respondebit : « Non « possum. Signatus est enim. » Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei : « Lege, » et respondebit : « Nescio litteras. » Et dixit Dominus : « Eo quod ap- « propinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus « longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis : ideo ecce « ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo. « Peribit enim sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abs- « condetur. » Scire quippe litteras in claustris dicuntur, quicunque illas proferre didicerunt. Qui profecto, quantum ad intelligentiam spectat, se nescire legem profitentes, librum qui traditur habent signatum æque ut illi quos illitteratos ibidem dicunt. Quos quidem Dominus arguens dicit, eos ore et labiis potius quam corde sibi appropinquare; quia quæ proferre utcunque valent, intelligere minime possunt. Qui dum divinorum eloquiorum scientia careant, magis consuetudinem hominum quam utilitatem scripturæ obediendo sequuntur. Propter hoc Dominus eos quoque qui sapientes inter eos videntur et doctores resident, excæcandos esse comminatur. Maximus Ecclesiæ doctor et monasticæ professionis honor, Hieronymus, qui nos ad amorem litterarum adhortans, ait[6] : « Ama scientiam litterarum, et carnis vitia non amabis, » quantum labo-

[1] Regul., cap. XLVIII. — [2] Regul., cap. LV. — [3] Regul., cap. XLVIII. — [4] *Ridiculum* RMS — [5] Isai., cap. XXIX, v. 11 et sq. — [6] Epist. XCV, *ad Rusticum*, *Opp.* t. IV, col. 773.

rem et expensas in doctrina earum consumpserit ejus quoque testimonio didicimus. Qui inter cætera quæ ipsemet de proprio scribit studio, ut nos etiam videlicet suo instruat exemplo, ad Pammachium et Oceanum quodam loco sic meminit [1] : « Dum essem juvenis, miro discendi fervebam amore. Nec juxta quorumdam præsumptionem, ipse me docui ; Apollinarem audivi frequenter Antiochiæ, et colui, quum me in scripturis sanctis erudiret. Jam canis spargebatur caput, et magistrum potius quam discipulum decebat. Perrexi tamen Alexandriam. Audivi Didimum ; in multis ei gratias ago, quod nescivi didici. Putabant me homines finem fecisse discendi. Rursus Hierosolimæ et Bethlehem, quo labore, quo pretio Baranniam Hebræum nocturnum habui præceptorem ? Timebat enim Judæos, et mihi alterum sese exhibebat Nicodemum [2]. » Memori profecto mente hic recondiderat quod in *Ecclesiastico* legerat [3] : « Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. » In quo ipse non solum scripturæ verbis, verumetiam sanctorum patrum instructus exemplis, inter cæteras excellentis illius monasterii laudes hoc de singulari exercitio ejus in scripturis divinis adjecit : « Scripturarum vero divinarum meditationem et intellectum, atque scientiæ divinæ, nunquam tanta vidimus exercitia, ut singulos pene eorum oratores credas in divinam esse sapientiam. » Sanctus etiam Beda, sicut in *Historia* refert *Anglorum* [4], a puero in monasterium susceptus : « Cunctum, » inquit, « ex eo tempus vitæ in ejusdem monasterii habitatione peragens, omnem meditans scripturis operam dedi ; atque inter observantiam disciplinæ regularis et quotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere, aut scribere dulce habui. » Nunc vero qui in monasteriis erudiuntur adeo stulti perseverant, ut litterarum sono contenti nullam de intelligentia curam assumant, nec cor instruere, sed linguam student. Quos patenter illud Salomonis arguit proverbium [5] : « Cor sapientis quærit doctrinam, et os stultorum pascetur imperitia ; » quum videlicet verbis quæ non intelligit oblectatur. Qui profecto tanto minus Deum amare et in eum accendi possunt, quanto amplius ab ejus intelligentia et a sensu Scripturæ de ipso nos erudientis absistunt. Hoc autem duabus maxime de causis in monasteriis accidisse credimus, vel per laicorum, scilicet conversorum, seu etiam ipsorum præpositorum invidiam : vel propter vaniloquium otiositatis, cui hodie plurimum claustra monastica vacare videmus. Isti profecto nos terrenis magis quam spiritalibus secum intendere cupientes, illi sunt qui tanquam Allophyli fodientem puteos Isaac [6] persequuntur, et eos replendo congerie terræ aquam ei satagunt prohibere. Quod

[1] Epist. XL, *Opp.* t. IV, p. 342. — [2] Joan., cap. III, v. 1 et sq. — [3] *Eccli.*, cap. VI, v. 18. — [4] *Histor. gentis Anglorum*, lib. V, sub finem, *Opp.* t. III, col. 151. — [5] *Prov.*, cap. XV, v. 44. — [6] *Genes.*, cap. XXVI, v. 15.

beatus exponens Gregorius lib. *Moral.* XVI ait[1] : « Sæpe quum eloquiis sacris intendimus, malignorum spirituum insidias gravius toleramus, quia menti nostræ terrenarum cogitationum pulverem aspergunt[2] ut intentionis nostræ oculos a luce intimæ visionis obscurent. Quod nimium Psalmista pertulerat quum dicebat[3] : « Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei. » Videlicet patenter insinuans, quia mandata Dei perscrutari non poterat, quum malignorum spirituum insidias in mente tolerabat. Quod etiam in Isaac opere Allophylorum pravitate cognoscimus designari, qui puteos quos Isaac foderat, terræ congerie replebant. Hos enim nimirum puteos fodimus, quum in scripturæ sacræ abditis sensibus alta penetramus. Quos tamen occulte replent Allophyli, quando nobis ad alta tendentibus immundi spiritus terrenas cogitationes ingerunt, et quasi inventam divinæ scientiæ aquam tollunt. Sed quia nemo hos hostes sua virtute superat, per Eliphaz dicitur[4] : « Eritque omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi. » Ac si diceretur : Dum malignos spiritus Dominus sua a te virtute repulerit, divini in te eloquii talentum lucidius crescet. » Legerat iste, ni fallor, magni christianorum philosophi Origenis homelias *in Genesi,* et de ejus hauserat puteis quod nunc de iis loquitur puteis. Ille quippe spiritualium puteorum fossor studiosus, non solum ad eorum potum, sed etiam effosionem nos vehementer adhortans, expositionis prædictæ homelia XII[5] ita loquitur : « Tentemus facere etiam illud quod Sapientia commonet dicens[6] : « Bibe aquam « de tuis fontibus, et de tuis puteis. Et sit tibi fons tuus proprius. » Tenta ergo et tu, o auditor, habere proprium puteum et proprium fontem, ut et tu quum apprehenderis librum Scripturarum, incipias etiam ex proprio sensu, proferre aliquem intellectum, et secundum ea quæ in Ecclesia didicisti, tenta et tu bibere de fonte ingenii tui. Est intra te natura aquæ vivæ, sunt venæ perennes et irrigua fluenta rationabilis sensus, si modo non sint terra et rudibus completa. Sed satage fodere terram tuam, et purgare sordes, id est ingenium, amovere desidiam, et torporem cordis excutere. Audi enim quod dicit Scriptura[7] : « Punge oculum, et profert lacrymam; punge cor, et profert sensum. » Purga etiam et tu ingenium tuum, ut aliquando etiam de tuis fontibus bibas, et de tuis puteis haurias aquam vivam. Si enim suscepisti in te verbum Dei, si accepisti ab Jesu aquam vivam, et fideliter accepisti, fiet in te fons aquæ salientis in vitam æternam. » Idem homelia sequente de puteis Isaac supra memoratis[8] : « Quos, » inquit, « Philistini terra repleverant, illi sine dubio qui intelligentiam spiritalem claudunt, ut neque ipsi bibant, neque alios bibere permittant. »

[1] Cap. XVIII, *Opp.* t. I, col. 510. — [2] Aliter *spargunt.* — [3] Psalm. CXVIII, v. 115. — [4] *Job,* cap. XXII, v. 25. — [5] *In Genes.,* homil. XII, *Opp.* stud. Car. Delarue, Parisiis, 1723, in-fol., t. II, p. 93. — [6] *Prov.,* cap. V, v. 15. — [7] *Eccles.,* cap. XXII, v. 19. — [8] Homil. XIII, *Opp.* t. II, p. 94, 95.

Audi Dominum dicentem [1] : « Væ vobis, scribæ et pharisæi, quoniam tulistis clavem scientiæ, non ipsi introistis, neque volentes permisistis. » Nos vero nunquam cessemus puteos aquæ vivæ fodiendo, et nunc quidem vetera, nunc etiam nova discutiendo, efficiamur similes illi evangelico scribæ, de quo Dominus dixit [2] : « Qui profert de thesauro suo nova et vetera. » Item [3] : « Redeamus ad Isaac, et fodiamus cum ipso puteos aquæ vivæ, etiam si obsistunt Philistini, etiam si rixantur, nos tamen perseveremus cum ipso puteos fodiendo, ut et nobis dicatur [4] : « Bibe aquam de tuis vasis, et de tuis puteis. » Et intantum fodiamus, ut superabundent aquæ putei in plateis nostris, ut non solum nobis sufficiat scientia Scripturarum, sed et alios doceamus et instruamus ut bibant. Homines bibant et pecora, quia et Propheta dicit [5] : « Homines et jumenta « salvos facies, Domine. » Et post aliqua [6] : « Qui Philistinus est, » inquit, « et terrena sapit, nescit in omni terra invenire aquam, invenire rationabilem sensum. » Quid tibi prodest habere eruditionem, et nescire ea uti ? habere sermonem, et nescire loqui ? Istud proprie puerorum est Isaac, qui in omni terra fodiunt puteos aquæ vivæ. Vos autem non sic, sed vaniloquio penitus supersedentes, quæcunque discendi gratiam assecutæ sunt, de iis quæ ad Deum pertinent erudiri studeant. Sicut de beato scriptum est viro [7] : « Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. » Cujus quidem assidui studii in lege Domini quæ sequatur utilitas statim adjungitur : « Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. » Quasi enim lignum aridum est et infructuosum, quod fluentis divinorum eloquiorum non irrigatur. De quibus scriptum est [8] : « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Hæc illa sunt fluenta, de quibus in laude sponsi canit sponsa in canticis eum describens [9] : « Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. » Et vos igitur lacte lotæ, id est candore castimoniæ nitentes juxta hæc fluenta quasi columbæ residere, ut hinc sapientiæ haustus sumentes, non solum discere, sed et docere, et aliis tanquam oculi viam possitis ostendere, et sponsum ipsum non solum conspicere, sed et aliis valeatis describere. De cujus quidem singulari sponsa, quæ ipsum aure cordis concipere meruit, scriptum esse novimus [10] : « Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. » Hæc igitur summi Verbi genitrix verba ejus in corde potius habens quam in ore, ipsa etiam diligenter conferebat; quia studiose singula discutiebat, et invicem sibi ea conferebat, quam congrue scilicet inter se convenirent omnia. Noverat juxta mysterium legis omne animal immundum

[1] Luc., cap. xi, v. 52. — [2] Matth., cap. xiii, v. 52.— [3] Orig. homil. xiii, *Opp.* t. II, p. 97.— [4] *Prov.*, cap. v, v. 15. — [5] Psalm. xxxv, v. 7.— [6] Homil. xiii, p. 95.— [7] Psalm. i, v. 2. — [8] Joan., cap. vii, v. 38. — [9] *Cantic.*, cap. v, v. 12. — [10] Luc., cap. ii, v. 19.

dici, nisi quod ruminat, et ungulam findit. Nulla quippe est anima munda, nisi quæ meditando, quantum capere potest, divina ruminat præcepta, et in iis exequendis discretionem habeat; ut non solum bona, sed et bene, hoc est recta faciat intentione. Divisio quippe ungulæ pedis, discretio est animi, de qua scriptum est : « Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti. » « Si quis diligit me, » inquit Veritas[1], « sermonem meum servabit. » Quis autem verba vel præcepta Domini sui servare obediendo poterit, nisi hæc prius intellexerit? Nemo studiosus erit in exequendo, nisi qui attentus fuerit in audiendo. Sicut et de beata illa legitur muliere, quæ, cæteris omnibus postpositis, sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius : illis videlicet auribus intelligentiæ, quas ipsemet requirit dicens[2] : « Qui habet aures audiendi, audiat. » Quod si in tantæ fervorem devotionis accendi non valetis, imitamini[3] saltem et amore et studio sanctarum litterarum beatas illas sancti Hieronymi discipulas Paulam et Eustochium, quarum præcipue rogatu tot voluminibus Ecclesiam prædictus doctor illustravit[4].

EXCERPTA E REGULIS PARACLETENSIS MONASTERII.

Instructiones nostræ sumunt exordium a doctrina Christi prædicantis, et tenentis paupertatem, humilitatem, et obedientiam. Sequimur autem vestigia apostolorum in commune viventium. In habitu nostro conservamus paupertatem et humilitatem, in subjectione obedientiam; in conversatione nostra, quia communiter vivimus, sequimur apostolos, quia undecunque beneficia temporalia proveniant, dividitur singulis, prout potest; si non abundat omnibus, maxime datur magis indigentibus. Et quoniam seculo abrenuntiamus, et Deo militamus, persistamus in proposito castitatis, et pro viribus nostris juxta mensuram donationis suæ ei placere contendamus.

De convenientia consuetudinum. — Domino super nos prospiciente, et aliqua loca nobis largiente, misimus quasdam ex nostris ad religionem tenendam, numero sufficiente. Annotamus autem boni propositi nostri consuetudines; ut quod tenuit mater incommutabiliter, teneant et filiæ uniformiter.

[1] Joan., cap. XIV, v. 23. — [2] Matth., cap. XI, v. 15. — [3] Sic. ap. Amboesium. – *Imitemini?* — [4] Huc usque plerique codices Amboesiani et noster Parisinus 2544; sed in exemplari Paracletensi quod et auctius ubique est, ea quæ sequuntur reperiit Amboesius quæ haud immerito tribuenda esse Heloissæ censuit, et ideo non omittenda. Loca pontificum et conciliorum allata passim invenies in *Decreto* Gratiani. Nonnulla sunt sub finem quæ ad regulam monasteriorum Præmonstratensis ordinis pertinere videntur.

De habitu. — Habitus noster vilis est et simplex, in agninis pellibus, in lineis et laneis vestibus. In iis emendis vel faciendis non eliguntur pretiosa, sed quod vilius comparari vel haberi potest. Quodcunque sufficere debeat annotandum esset; sed longe sumus a sufficientia.

De lectis. — In lectulis nostris habemus culcitras, et pulvinaria, et lintea linea, sicut singulis dividitur. Si non recipiant singulæ quod sufficiat, paupertati adscribitur.

De cibis. — Pane quolibet vescimur; si fuerit triticum, triticeo; si defuerit, pane cujuslibet annonæ. In refectorio nostro cibi sine carnibus sunt legumina, et ea quæ nutrit hortus. Lac, ova, et caseus rarius apponuntur, et pisces, si dati fuerint. Vinum mixtum sit aqua. Duo pulmenta in prima refectione habentur. In cœna vero herbæ, vel fructus, vel aliquid tale, si haberi poterit. Horum quoque deficientiam sine murmure portamus.

De obedientia. — Soli abbatissæ et priorissæ debitum exhibetur obedientiæ. Nulla præsumit claustra monasterii egredi sine harum licentia, nulla loqui, nulla nulla dare aliquid vel recipere, retinere, nisi quod permissum fuerit. De cætero, nobis invicem obedimus affectu charitatis.

Unde necessaria proveniant. — Religionis erat de cultu terrarum et labore proprio vivere, si possemus. Sed quia ex debilitate non sufficimus, admittimus conversos et conversas, ut quæ per nos administrari rigor non permittit religionis, per eos adimpleantur. Recipimus etiam quascunque fidelium eleemosynas, more cæterarum ecclesiarum.

Quando egredimur. — Statutum tenemus, quod nulla velata, causa cujuscunque necessitatis, egrediatur ad forensia negotia, vel ingrediatur domum cujuslibet secularis. Ad familiaria vero negotia, et ad custodiam rerum nostrarum, mittimus in domos nostras probatas tam ætate quam vita et moniales et conversas.

De longinquo venientibus. — Supervenientem nobiscum diu manere non permittimus; sed si remanere voluerit, et eam ratio suscipi permiserit, primo septem dies, aut profiteatur, aut discedat.

Quando sit conversa monialis. — Si ad nos aliqua conversa veniens in conversatione laicarum suscepta fuerit, nullatenus postea monialis efficietur, sed in ea vocatione, in qua vocata est, permaneat.

De officiis nocturnis a kal. octobr. usque ad Pascha. — Audito signo, ad vigilias cum festinatione surgimus, et moderate nos cohortantes, festinamus ad opus Dei; et dimisso signo, ad nutum priorissæ facimus consuetas orationes, in solemnitatibus inclinatæ, in privatis diebus prostratæ. Completis orationibus, signamus nos, et ingredimur stationes nostras. Hebdomadaria, cujus est « Deus in adjutorium, » incipit « Veni, sancte Spiritus, » prosequens versum et oratio-

nem. Quod et facimus in principiis omnium horarum, in præcipuis solemnitatibus cantando, cæteris diebus sine cantu. Hebdomadaria incipit, « Domine, labia mea, » et prosequimur divinum officium, juxta consuetudinem regularium ecclesiarum. Post vigilias egredimur omnes, et firmatur oratorium, si dies non fuerit, et accenso lumine, in capitulo sedent quæ lectionis vel operis indigent. Si dies fuerit, statim sequitur prima. In festivitatibus et dominicis diebus, sive dies fuerit, sive non fuerit, revertimur omnes in dormitorium, pausantes in lectulis, donec die clarius illucescente, ad sonitum dormitorii veniamus in claustrum. Pulsatur prima, et faciente signum priorissa, ingredimur omnes ecclesiam, præcedente schola et junioribus. Similiter ante omnes horas, expectatur signum priorissæ. Ante primam, fit oratio inter formas, sicut ante vigilias. Post primam, sequitur missa matutinalis. Inde itur in capitulum, et fiunt clamationes et emendationes, juxta modum culparum, consideratione tenentis capitulum. Quibusdam solemnitatibus veniunt sorores in capitulum, et emendantur culpæ earum. Quotiescunque autem fratres graviter delinquunt, vocantur in capitulum, et coram communi capitulo corriguntur, ut majori confundantur erubescentia. Præcipuis solemnitatibus, habetur sermo in capitulo. Egressæ de capitulo, vacamus lectioni usque ad tertiam, si hora permiserit. Sequitur tertia, et major missa. Sequitur et sexta sine intervallo. Post sextam, vacamus lectioni usque ad nonam. Ministræ et lectrix accipiunt mixtum. Post nonam, ingredimur refectorium, auditur lectio cum summo silentio, et in cæteris ordinem regularium sequimur. Dicto « Tu autem, » procedimus ordinate gratias cantantes, et ingredimur oratorium. Finitis gratiis in ecclesia, ingredimur capitulum, et conveniunt sorores laicæ, et exponitur aliquid ædificationis in communi audientia, referente illa cui injunctum fuerit. Si tempus superfuerit, sedemus in claustro usque ad vesperas. Cantantur vesperæ. Sciendum est, quia nulla chorum egreditur sine licentia. Post vesperas, sedemus in claustro, meditationi servientes, et in cordibus orantes, absque signis, penitus cum summo silentio. Ante collationem, bibimus in refectorio. Hebdomadaria donante benedictionem, statim accedimus ad collationem, nulla divertente alicubi. Post collationem, cantamus in ecclesia completorium. Dicto « Requiescant in pace, » facimus orationem inter formas. Ad signum abbatissæ vel priorissæ erectæ, consignamus nos, et egredientes per ordinem, incipientes a senioribus, aspergit nos aqua benedicta abbatissa vel priorissa. Ascendentes in dormitorium, divertimus ad lectulos nostros, et collocamus nos vestitæ et cinctæ jacentes.

De dominicis diebus. — Diebus dominicis, exeuntes de capitulo, accipiunt aquam benedictam ab abbatissa vel priorissa, et facimus processionem in claustro, una portante crucem, et duabus cereos. Post sextam, reficimus. Post re-

fectionem, statim nona. Post nonam, aliquid exponitur ad ædificationem, sicut superius dictum est. Post vesperas, fit cœna; et eo modo nos habemus deinceps quo superius dictum est. Privatis diebus, summo mane cantatur prima, postea sedemus in claustro usque ad tertiam, legentes, et cantantes, et operantes. Præcedit oratio inter formas, et sequitur tertia. Post tertiam, missa matutinalis. Inde itur in capitulum. Egressæ de capitulo, sedemus in claustro. Debiliores sumunt mixtum, secundum dispensationem abbatissæ. Nulli licet sedere in claustro sine opere vel lectione. Post sextam, sequitur major missa, et statim nona. Post nonam, ingredimur refectorium. Cætera prosequimur ut superius dictum est.

De tempore æstivo. — A Pascha vero usque ad supradictas kalendas octobris, post laudes, revertimur ad lectulos nostros, et aliquo intervallo, fit sonitus in dormitorio, et surgentes venimus in claustrum, et legimus et cantamus usque ad primam. Ante primam, tam festivis diebus quam privatis, aguntur orationes inter formas. Post primam, sequitur missa matutinalis. Inde itur in capitulum. Egressæ capitulum, sedemus in claustro, legentes et operantes usque ad tertiam. Post tertiam, major missa agitur, sexta, et itur in refectorium. Post gratiarum actionem, imus in dormitorium, et licet dormire, legere, operari in lectulis sine alicujus inquietatione. Audito primo signo nonæ, surgimus, et præparamus nos, ut dum secundum signum pulsaverit, ad signum abbatissæ vel priorissæ ordinate ingrediamur ecclesiam. Post nonam, agimus pro defunctis. Inde ingredimur refectorium, et bibimus aquam. Deinceps in claustro sedemus, legentes et operantes. Egredimur etiam ad laborem, qualibet hora diei necessario advocatæ fuerimus. Post vesperas, agitur cœna. Deinceps nos habemus sicut superius dictum est. In letania majore, tribus diebus Rogationum, sexta feria, et sabbato, vigilia sancti Joannis Baptistæ, vigilia apostolorum Petri et Pauli, vigilia sancti Laurentii, vigilia Assumptionis, et ab idibus septembris usque ad Pascha jejunamus.

Ex concilio triburiensi, cap. x. — Virgines quæ ante duodecim annos insciis mundiburdis suis sacrum velamen capiti suo imposuerint, et illi mundiburdi annum et diem hoc tacendo consenserint, in sancto proposito permaneant. Et si in prædicto anno et die pro illis proclamaverint, petitioni eorum assensus præbeatur : nisi forte Dei timore tactæ, cum eorum licentia in religionis habitu perseverent.

De consecratione sanctimonialium, ex concilio carthaginensi. — Sanctimonialis virgo quum ad consecrationem suo episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibet[1] semper usura est, professioni et sanctimoniæ aptis.

[1] Aliter *Qualibus*.

Ex Decreto Gelasii, *cap.* XII. — Devotis quoque virginibus, nisi aut in Epiphania, aut in Albis paschalibus, aut in apostolorum natalitiis, sacrum minime velamen imponatur; et non ante quinque et viginti annos, nisi forte, sicut de baptismate dictum est, gravi langore correptis. Ne sine hoc munere de seculo exeant, implorantibus non negetur.

Ex Decreto Pii papæ. — Ut virgines non velentur ante quinque et viginti annos ætatis, nisi forte necessitate periclitantis virginalis pudicitiæ, et non sunt consecrandæ in alio tempore nisi in Epiphania, et in Albis paschalibus, et in apostolorum natalitiis, nisi causa mortis urgente.

Ex concilio milevitano, *cap.* XXV. — Item placuit, ut quicunque episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, quum vel portitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquando mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus aut iis ad quorum curam pertinet, velavit virginem, seu velavit intra quinque et viginti annos ætatis, non ei obsit concilium quod de isto numero annorum constitutum est.

Hieronymus contra Jovinianum. — Si nupserit virgo, non peccavit : non illa virgo quæ semet cultui Dei dedicavit. Harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quod primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de viduis dictum objecerint, quanto magis de virginibus prævalebit, quum etiam iis non liceat, quibus aliquando licuerit? Virgines enim, quæ post consecrationem nupserunt, non tam adulteræ quam incestæ sunt.

Ex Decreto EutiGiani papæ, *cap.* XIII. — Nihilominus etiam in quibusdam locis inditum invenimus usum stultitiæ plenum, et ecclesiasticæ auctoritati contrarium, eo videlicet quod nonnullæ abbatissæ, et aliquæ ex sanctimonialibus viduis et puellis virginibus contra fas velum imponere præsumant, et ideo nonnullæ injuste velatæ putant se liberius suis carnalibus desideriis posse inservire, et suas voluntates explere. Quapropter statuimus, ut si abbatissa, aut quælibet sanctimonialis post hanc diffinitionem in tantam audaciam proruperit, ut aut viduam aut puellam virginem velare præsumat, judicio canonico usque ad satisfactionem subdatur.

Bonifacius martyr Hilteribalbo[1] *regi Anglorum.* — Apud Græcos et Romanos, quasi blasphemiam Deo irrogasset, qui in hoc reus sit, ut proprie de hoc peccato ante ordinationem interrogatus, si reus fuerit inventus, ut cum velata et consecrata una concubuisset, ab omni gradu sacerdotum Dei prohiberetur. Propter hoc, fili charissime, sollicite considerandum est quanti ponderis hoc peccatum esse videtur ante oculos æterni judicis, quod facientem inter idolatriæ

[1] *Erchebaldo?* Vid. Fabricii *Bibl. med. et inf. Lat.*, t. I, p. 259.

servos constituet, et a divino ministerio altaris abjiciet. Licet autem, peracta pœnitentia, reconciliatus sit Deo.

Ex concilio rothomagensi, cap. IX. — Statutum est viduas non debere velari, similiter et hoc statutum est, ut si quispiam presbyterorum deinceps hujus constitutionis normæ contumaciter transgressor extiterit, scilicet ut aliquas viduas velare præsumat, quia et hoc episcopis non licet, gradus sui periculum incurrat. Similiter et de puellis virginibus a presbyteris non velandis statutum est, ut, si quis hoc facere tentaverit, tanquam transgressor canonum damnetur.

Ex concilio maguntinensi, cap. VI. — Viduas autem velare pontificum nullus tentet, prout statutum est in *Decretis* Gelasii, cap. XIII, quod nec auctoritas divina, nec canonum forma præstitit. Quæ si propria voluntate continentiam fuerit professa, ut in ejusdem Gelasii cap. XXI legitur, ejus intentio pro se rationem reddat Deo, quia, sicut, secundum Apostolum, si continere se non poterat, nullatenus nubere vetabatur, sic, secum habita deliberatione, promissam fidem pudicitiæ Deo debet custodire. Nos autem auctoritate patrum suffulti, in hoc sacro conventu sancimus et labore judicamus, si sponte velamen quamvis non consecratum sibi imposuerit, et in ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, sanctimoniæ habitum ulterius habere debet, licet sacramento confirmare velit eo tenore et ratione velamen sibi imposuisse, ut iterum posset deponere.

Ex concilio aurelianensi, cap. III. — Viduæ, quæ ab altari sacro velamen accipiunt, spontanea voluntate sacræ conversationis, decrevit sancta synodus in eodem proposito eas permanere. Non enim fas esse decernimus, ut postquam semet Deo sub velo consecraverint, et inter velatas oblationem fecerint, iterum eis concedi Spiritui sancto mentiri.

Nicolaus papa archiepiscopo C. et ejus suffragantibus. — Vidua quidem, quæ capiti imposuerit sacrum velamen, si inter cæteras velatas feminas, in ecclesia oraverit, et oblationem cum illis obtulerit, si professa est in eodem habitu permanere, spondens nunquam religionis velamen deponere, a religionis observantia discedere non præsumat.

Augustinus de Dono Viduitatis. — Viduæ, quæ se non continent nubant antequam professæ continentiam devoveant, quod nisi reddant, jure damnentur.

Ex concilio arausico, cap. VI. — Viduitatis servandæ professionem coram episcopo in secretario habitam, imposita coram episcopo veste viduali, non esse violandam; ipsam tamen professionis desertricem merito esse damnandam decernimus.

Ex concilio toletano, cap. v. — Omnes feminæ venientes ad sacram religionem et pallio capita contegant, et conscriptam roboratamque professionem faciant, postquam ulterius non sinantur relabi ad prævaricationis audaciam. Quæ vero ex iis omnibus fuerint repertæ animum aut vestem in transgressionem dedisse, excommunicationis sententiam ferant, et rursus mutato habitu, in monasteriis, donec diem ultimum claudant, sub ærumnis arduæ pœnitentiæ permaneant religatæ.

Ex Decretis Gelasii papæ ad sicilienses episcopos missis, cap. IX. — Neque viduas ad nuptias transire patimur, quæ in religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis ætatem egisse contigerit.

Ex epistola Gregorii papæ missa ad Bonifacium. — Viduas a proposito discedentes viduitatis, super quibus nos consulere voluit dilectio tua, frater charissime, credo te nosse a sancto Paulo et multis sanctis patribus, nisi convertantur, olim esse damnatas. Quas et nos apostolica auctoritate esse damnandas, et a communione fidelium, atque a liminibus Ecclesiæ arcendas fore censemus, usquequo obediant suis episcopis, et ad bonum quod cœperunt, invitæ aut voluntariæ revertantur. De virginibus autem non velatis, si deviaverint, a sanctæ memoriæ prædecessore nostro papa taliter decretum habemus. Hæ vero quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper simulaverunt se permanere, licet velatæ non fuerint, si nupserint, aliquanto tempore his agenda pœnitentia est, quia sponsio earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit? Nam si virgines nondum velatæ taliter pœnitentia publica puniuntur, et a cœtu fidelium, usquequo ad satisfactionem veniant, excluduntur; quanto potius viduæ, quæ perfectioris ætatis, et maturioris sapientiæ atque consilii existunt, virorumque consortio multotiens usæ sunt, et habitum religionis assumpserunt, et demum apostataverunt, atque ad priorem vomitum sunt reversæ, a nobis et ab omnibus fidelibus a liminibus Ecclesiæ, et a cœtu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ et carceribus tradendæ? Qualiter juxta beatum Paulum, « tradere hujusmodi hominem Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini. » De talibus et Dominus per Moysem loquitur : « Auferte malum de medio vestri. » De quibus et per prophetam ait : « Lætabitur justus quum vindictam viderit, manus suas lavabit in sanguine peccatoris. » De talibus namque, et eorum similibus, atque eisdem consentientibus dicitur, quia « non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus rei sunt. »

Ex epistola Nicolai papæ, cap. v. — Nicolaus servus servorum Dei reveren-

tissimo ac sanctissimo confratri nostro Adaberino sanctæ vivacensis[1] Ecclesiæ archiepiscopo. Quod interrogasti de femina, quæ post obitum viri sui velamen sacrum super caput suum imposuit, et finxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse, postea vero ad nuptias rediit, bonum mihi videtur, quia per hypocrisim ecclesiasticam regulam conturbare voluit, et non legitime in voto suo permansit, ut pœnitentiam agat de illusione nefanda, et revertatur ad id quod spopondit, et in sacro ministerio inchoavit. Nam si consenserimus, quod omnia ecclesiastica sacramenta quisque prout vult fingat, et non vere faciat, omnis ordo ecclesiasticus turbabitur, nec catholicæ fidei jura consistunt, nec canones sacri rite observantur. Quid enim profuit Simoni Mago baptisma sacrum ficte suscipere, et in christianitate se permansurum finxisse, quum per Apostolum fraude ejus detecta quod sibi futurum esset pronuntiatum fuit? Ait enim : « Pœnitentia tua tecum sit in perditione. Cor enim tuum non est rectum coram Deo Pœnitentiam itaque age de hac nequitia tua, et roga Deum ut forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse. » Ideo tales, nisi resipiscant, spirituali gladio percutere censemus. Non enim fas est Spiritui sancto mentiri, sicuti Ananias et Saphira mentiti sunt, et statim perierunt.

Ex concilio arelatensi, *cap.* VII. — Sciendum est omnibus, quod Deo sacratarum feminarum corpora per votum propriæ sponsionis et verba sacerdotis Deo consecrata templa esse Scripturarum testimoniis comprobantur; et ideo violatores earum sacrilegi, ac juxta Apostolum filii perditionis esse noscuntur.

Dictum Apostoli. — « Præcipe, » inquit, « ut viduæ irreprehensibiles sint. Vidua eligatur non minus quadraginta annorum in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit. » Et : « Adolescentiores viduas devita. Quum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, simul et otiose loquentes quod non oportet. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam. »

Ex concilio maguntinensi, cap. XIII. — Abbatissas autem cum sanctimonialibus omnino recte et juste vivere censemus. Quæ vero professionem secundum regulam sancti Benedicti fecerunt, singulariter vivant. Sin autem canonice vivant, pleniter et sub diligenti cura custodiam habeant, et in claustris suis permaneant, nec foras exitum habeant. Sed et ipsæ abbatissæ in monasteriis sedeant, nec foras vadant sine licentia et consilio episcopi sui.

[1] Forte *Alvino sanctæ januensis.* Ad quem dist. XXXIV, ap. I. – Adaberini enim in omnibus Nicolai epistolis nulla fit mentio, neque vivacensis ecclesia quæ sit adhuc reperire potui. (*Not. Amb.*) – Legendum potius *Albino sanctæ viennensis Ecclesiæ,* vid. *Decret.*, p. I, dist. XXVII, cap. VI. (*Not. nov. Edit.*)

Ex concilio maguntino, cap. XXVI. — Abbatissa nequaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam sui episcopi. Et si quando foras pergit, de sanctimonialibus quas secum ducit, curam habeat maximam, ut nulla eis detur occasio peccandi.

Ex concilio grantiensi [1], *cap.* IX. — Abbatissa diligentem habeat curam de congregatione sibi commissa, et provideat ut in lectione et officio, in modulatione psalmorum ipsæ sanctimoniales strenuæ sint, et in omnibus operibus bonis. Illa eis ducatum præbeat, utpote pro animabus earum rationem redditura in conspectu Domini, et stipendia sanctimonialibus præbeat necessaria, ne forte per indigentiam cibi aut potus peccare compellantur.

Ex concilio maguntinensi, cap. XIV. — Sanctimoniales, nisi forte abbatissa sua pro aliqua necessitate incumbente, nequaquam de monasterio egrediantur.

Ex concilio granecensi [2], *cap.* XIII. — Si qua mulier propter continentiam quæ putabatur, habitum immutavit, et pro solito muliebri amictum virilem sumat, anathema sit.

Ex eodem concilio, cap. XIV. — Si qua mulier propter divinum cultum, ut æstimat, crines attondet, quos ei Deus ad subjectionis memoriam tribuit, tanquam præceptum dissolvens obedientiæ, anathema sit.

Ex concilio rothomagensi, cap. III. — Ut episcopus monasteria monachorum et sanctimonialium frequenter introeat, et cum gravibus et religiosis personis in earum conventu residens, eorum vel earum vitam et conversationem diligenter excutiat. Si quid reprehensibile invenerit, corrigere satagat. Sanctimonialium etiam pudicitiam sublimiter investiget, et si aliqua invenitur, quæ neglecto proposito castitatis, clerico aut laico impudenter misceatur, acriter verberibus coerceatur, et in privata custodia retrudatur, nisi quod male commisit digne pœniteat. Interdicatur etiam ex auctoritate sacrorum canonum, ut nullus laicus aut clericus in earum claustris et secretis habitationibus accessum habeat, neque presbyteri, nisi tantum ad missam. Expleta missa, ad ecclesias suas redeant. Omnibus præterea publice et privatim denuntiet, quantum sit piaculum qui sponsam Christi vitiare præsumit. Si enim ille reus tenetur qui sponsam hominis violat, quanto magis reus majestatis efficitur, qui sponsam omnipotentis Dei corrumpit?

De monialibus. — Episcopi ut moniales vivant sine proprio curam adhibeant diligentem, ne se possint excusare prætextu alicujus paupertatis.

De sanctimonialibus. — Statuimus ut abbatissæ et priorissæ, et aliæ obedientiariæ, de singulis proventibus, redditibus, et expensis singulis annis computent

[1] Leg. *gangrensi.* — [2] Leg. *gangrensi.*

in capitulo, quater in anno ad minus; et ut status tam obedientiarum quam prioratuum a claustralibus cognoscatur, compotus redigatur in scriptis : ita quod conventus penes se retineat unum scriptum, et abbatissa aliud.

De sanctimonialibus. — Propter scandala, quæ ex monialium conversatione proveniunt, statuimus de monialibus nigris, ne aliquod depositum in domibus suis recipiant ab aliquibus personis, maxime arcas clericorum vel laicorum, causa custodiæ, apud se minime deponi permittant. Pueri et puellæ, quæ solent ibi nutriri et institui, penitus expellantur. Omnes communiter comedant in refectorio, et in dormitorio solitariæ dormiant. Cameræ omnes monialium destruantur, nisi aliqua per inspectionem episcopi necessaria retineatur ad infirmariam faciendam, vel alia de causa, quæ episcopo justa et necessaria videatur. Item moniales nullatenus exire permittantur, vel extra pernoctare, nisi forte ex magna causa, et raro : et abbatissæ injungatur, ne aliter permittat egredi moniales. Et si aliquando abbatissa ex justa causa alicui permittat, eidem injungat quod sine mora revertatur, et det ei sociam non ad voluntatem suam, sed quam viderit expedire. Ostia suspecta et superflua obstruantur. Circa hoc autem episcopi diligentiam adhibeant et curam per se et per ministros suos, et vitas et conversationes ipsarum taliter restringant, quod per eorum diligentiam scandala, quæ de earum vita in præsenti proveniunt, sopiantur.

De sororibus non emittendis. — Sorores nostræ non egrediantur, nisi forte mittantur de claustro ad claustrum moraturæ ad minus per annum. Verum, si evidens necessitas ingruerit, propter quam oporteat aliquam egredi, fiat de licentia præmonstrensis abbatis, dum tamen sine gravi periculo ejus possit expectari assensus. Si quis abbas aliquam aliter emiserit, puniatur secundum quantitatem excessus, arbitrio capituli generalis, et maxime si scandalum emerserit de sorore emissa. Tempore vero guerrarum, liceat cuilibet abbati sorores sibi subditas ad loca tuta transferre. Quod si aliter fuerit, abbas, sub quo hoc contigerit, per annum continuum in feria sexta jejunet in pane et aqua.

De sororibus non recipiendis. — Quoniam instant tempora periculosa, et ecclesiæ supra modum gravantur, communi consilio capituli statuimus, ut amodo nullam sororem recipiamus. Si quis autem hujus statuti transgressor extiterit, abbatissa sua sine misericordia punietur.

Item de sororibus non recipiendis. — Nulla soror de cætero recipiatur in ordine, nisi locis illis qui sunt ab antiquo recipiendis sororibus perpetuo deputata.

De testimonio sororum recipiendarum. — Si mulieres aliquæ, ex antiqua concessione facta, eis ante institutionem editam de sororibus non recipiendis, recipi voluerint in sorores, nullomodo recipiantur, nisi probaverint vel per

litteras, vel per sufficientem numerum fratrum, utpote per quatuor vel quinque, quod concessio fuerit facta eis ante inhibitionem ordinis per abbatem vel conventum.

De mulieribus non permutandis. — Mulieres, quæ ab antiquo loca habent in domibus nostris, ut recipiantur in sorores, nullis aliis loca sua conferant, nec fiat circa mulieres aliqua mutatio personarum.

De puellis non nutriendis in domibus nostris. — Quum propriis fratribus ac sororibus nostris etiam tenui victu sufficere vix possimus, absurdum videretur, si alienos in deliciis nutriremus, et tales maxime, de quorum fratres aut sorores nostræ possent conversatione corrumpi. Eapropter censuimus sub districta inhibitione cavendum, ut, emissis omnino secularibus, quæ ad nutriendum in claustris sororum nostrarum hactenus sunt receptæ, nulla alia prorsus ad nutriendum de cætero admittatur. Quod si aliqua voluerit exire jam recepta, vel si, [ut?] ad nutriendum recipiatur, per se vel per alios intruserit violenter, cessetur in eodem loco, quousque exierit, penitus a divinis.

Quod sorores nostræ non habeant nigras tunicas. — Prædictis namque duximus annectendum, statuentes sub pœna excommunicationis firmiter observari, ut sorores nostræ nonnisi in tunicis albis et nigris superpelliceis induantur. In quibus videlicet superpelliceis, nulla vel superfluitas vel curiositas videatur, et ne sit notabilis habitus earumdem, ne vestes potius videantur quam morum delicias affectare.

De sororibus in lapsu carnis deprehensis. — Si aliqua soror deprehensa fuerit in lapsu carnis, statim emittatur a domo, et nullomodo, etiamsi obtinuerit misericordiam, de cætero revertatur, nisi sub tali lege quod velo careat in perpetuum, et sub vili veste et tenui victu, nullatenus egressura de claustro, serviat ut ancilla. Verum, si secundo commiserit, ejiciatur, et nullum de cætero receptionis suæ debitum ab ordine præstoletur. Sane si aliqua extra septa sororum exierit, omni sexta feria per annum in pane et aqua abstineat, porro; si extra exteriorem portam domus exierit, infra octo dies si reversa fuerit, poterit recipi, ut fugitiva; ita tamen ut per quadraginta dies subjiciatur pœnæ gravioris culpæ, et omni sexta feria per annum reficiatur in pane et aqua. Post dies octo revertenti adjiciatur ad pœnam, ut usque ad sequens generale capitulum velo careat, et serviat ut ancilla, non tamen hac occasione egressura a claustro.

De egressione sororum. — Quasdam ecclesias nostri ordinis de facili egressione sororum audivimus infamari. Sed quia inde multa pericula animarum possunt emergere, et forsitan emerserunt; prohibemus ne amodo ad aliquod negotium vel laborem, sive etiam in causis ad testimonium perhibendum, egrediantur de cætero.

De communi vita sororum. — Docente historia *Actuum Apostolorum*, satis est lucidum et apertum, quod Ananias et Saphira, uxor sua, oblatis apostolorum principi iis quæ transitorie possidebant, et retenta parte pretii cujusdam agri venditi ab eisdem, morte subitanea sunt percussi. Quia ergo quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut proprietatis vitium, vel saltem species extirpetur, statuimus, ut quilibet abbas nostri ordinis ita sororibus suis provideat, ut de communi et in communi vivant, communiter operentur, et ad communem utilitatem; nec permittantur habere proprium, sed necessaria eis administrentur de communi, secundum ecclesiarum, ad quas pertinent, facultates. Si quid autem ipsarum alicui datum fuerit a quoquam, secundum patris nostri Augustini præceptum, statim redigat in commune. Quod si retinere præsumpserit, deprehensa ab abbate vel priorissa, gravius, secundum ordinis statuta, puniatur.

Ne sorores frequententur. — Quum secundum Apostolum universos Christi fideles, et maxime viros religiosos, ab omni specie mala deceat abstinere; inhibemus tam subditis quam prælatis ostium aperire sororum, et hoc in domibus alienis. Sustinemus tamen, ut si quis accesserit ad eas gratia prædicandi, aperto ostio ecclesiæ, ulterius non procedat, imo sedens in eodem, effundat ipsis audientibus verbum Dei, nec permittat aliquatenus capellanos aut socios suos introire ad ipsas.

MAGISTRI PETRI

EPISTOLA

AD VIRGINES PARACLITENSES

DE STUDIO LITTERARUM.

Quum multa sint iis qui Deo addicti sunt, munera assignata, tum imprimis Abælardo necessarium videtur, ut sacras litteras non strictim et leviter attingant, sed illis diu ac penitus imbuantur. Illud igitur studium, quod antea jam diligentius commendaverat, laudat iterum in hac epistola ad virgines paraclitenses scripta, et Hieronymi auctoritate fretus præcipit, ut latini sermonis consuetudini accedat græci hebræique scientia, quo Dei verba in ipsa nativi idiomatis sinceritate plenius intelligantur. Neque ad exemplum modo proponit et Paulam, et Eustochium, et Asellam, et tot alias romanas mulieres, quæ ea præcepta exequendo eruditione inclaruerunt, sed et Heloissam quam tres linguas affirmat percalluisse. Hoc autem opusculum quum aptissime congruat cum regula Paracliti, et in causa prorsus fuerit cur Heloissa ab Abælardo quædam de variis sacræ Scripturæ locis percontaretur, post octavam epistolam et ante *Problemata* multo commodius nos collocasse arbitramur, quam Amboesius, qui illud inter epistolam divo Bernardo scriptam et divi Stephani panegyricum, pag. 251-263 suæ editionis, inseruerit.

Libellum recognovimus ad fidem codicis Victorini, n° 397, in quo, inter quædam theologica opera, continentur nonnulla Abælardi scripta, scilicet : *Confessionis Fidei* reliquiæ, tres *Expositiones* in dominicam orationem symbolumque apostolorum et divi Athanasii, *Heloissæ Problemata*, denique oratio illa de qua nunc agitur. In prioribus opusculis, scripturam XIII seculo usitatam agnovimus; *Problemata* vero et oratio *de Studio Litterarum* non ante XV seculum scripta videntur.

EPISTOLA.

Beatus Hieronymus in eruditione virginum Christi plurimum occupatus, inter cætera, quæ ad ædificationem earum scribit, sacrarum studium litterarum eis maxime commendat, et ad hoc eas non tam verbis hortatur, quam exemplis

invitat. Memor quippe sententiæ, qua Rusticum instruens ait[1] : « Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis ; » tanto magis necessarium amorem hujus studii feminis esse censuit, quanto eas naturaliter infirmiores et carne debiliores esse conspexit. Nec solum ad hanc virginum exhortationem argumentum a similitudine[2] a virginibus sumptum inducit, unde ad comparationem minoris, viduas et conjugatas in exemplum assumit : quo magis sponsas Christi ad hoc studium incitet per matronas seculi, et ex virtute laicarum torporem excutiat vel confundat monialium. Et quoniam, juxta illud gregorianum, « a minimis quisque inchoat, ut ad majora perveniat ; » præmittere juvat quanta diligentia virgunculas in sacris imbuere litteris studuerit. Unde, ut omittam cætera, illud nunc in medium procedat, quod ad Lætam, de institutione filiæ suæ Paulæ, propter morum doctrinam, tradit hanc litterarum disciplinam. « Sic erudienda est, » inquit[3], « anima, quæ futura est templum Dei. Fiant ei litteræ vel buxeæ, vel eburneæ, et suis nominibus appellentur. Ludat in eis, ut et lusus ipse eruditio sit. Et non solum ordinem teneat litterarum, ut memoria nominum in canticum transeat : sed et ipse inter se crebro ordo turbetur, et mediis ultima, primis media misceantur, ut eas non sono tantum, sed et visu noverit. Quum vero cœperit trementi manu stylum in cera ducere, vel alterius superposita manu teneri, regantur articuli, vel in tabula sculpantur elementa ; ut per eosdem sulcos inclusa marginibus trahantur vestigia, et foras non queant evagari. Syllabas jungat ad præmium, et quibus illa ætas deliniri potest munusculis invitetur. Habeat in discendo socias, quibus invideat, quarum laudibus mordeatur. Non objurganda est, si tardior sit : sed laudibus excitandum est ingenium, et ut vicisse gaudeat, et victa doleat. Cavendum imprimis, ne oderit studia, ne amaritudo eorum percepta in infantia ultra rudes annos transeat. Ipsa nomina, per quæ consuescit paulatim verba contexere, non sint fortuita, sed certa, et coacervata de industria, prophetarum videlicet atque apostolorum, et omnis ab Adam patriarcharum series, de Matthæo Lucaque descendat : ut, dum aliud agit, futuræ memoriæ præparetur. Magister probæ ætatis et vitæ, atque eruditionis est eligendus ; nec, puto, erubescet vir doctus id facere in propinqua, vel nobili virgine, quod Aristoteles fecit in Philippi filio, ut ipse librariorum vilitate, initia traderet litterarum. Non sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna consistere non possunt. Ipse elementorum sonus, et prima institutio præceptorum aliter de erudito, aliter de rustico ore profertur. Nec discat in tenero, quod ei postea dediscendum est. Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. » Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum regem,

[1] Epist. xcv, *Opp.* t. IV, col. 773. — [2] *Similitudinis* Cod. Victor. 397. — [3] Epist. LVII, *Opp.* t. IV, col. 592.

orbisque domitorem, et in moribus, et in incessu, Leonidis[1] pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuerat infectus. Ut autem pronuntiationem scripturæ commendet memoriæ, certam et ipse lectionis mensuram singulis diebus vult præfigi; quam quum memoriter persolvat, nec solum latinis, verum etiam græcis litteris operam dari præcipit, quum utræque linguæ tunc Romæ frequentarentur, et maxime propter Scripturas de græco in latinum versas, ut eas ex origine sua melius cognosceret, ac verius dijudicare posset. Nondum enim hebraicæ veritatis translatione latinitas utebatur. Ait itaque[2]: « Reddat tibi pensum quotidie de Scripturarum floribus carptum. Ediscat græcorum versuum numerum. Sequatur statim et latina eruditio; quæ si non ab initio os tenerum composuerit, in peregrinum sonum lingua corrumpitur, et externis vitiis sermo patrius sordidatur. Pro gemmis et serico, divinos codices amet, in quibus non auri, et pellis babylonicæ vermiculata pictura, sed ad fidem placeat emendata et erudita distinctio. Discat primo *Psalterium,* his se canticis avocet, et in *Proverbiis* Salomonis erudiatur ad vitam. In *Ecclesiaste* consuescat, quæ mundi sunt, calcare. In *Job*, virtutis et patientiæ exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, nunquam ea depositura de manibus. *Apostolorum Acta* et *Epistolas* tota cordis imbibat voluntate. Cumque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriæ prophetas, *Heptateuchum,* et *Regum*, et *Paralipomenon* libros, Esdræ quoque et *Esther* volumina. Ad ultimum, sine periculo discat *Canticum Canticorum;* ne, si in exordio legerit, sub carnalibus verbis spiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens, vulneretur. Caveat omnia apocrypha, et, si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat non eorum esse quorum titulis prænotantur, multaque his admixta vitiosa, et grandis esse prudentiæ aurum in luto quærere. Cypriani opuscula semper in manu teneat. Athanasii epistolas, et Hilarii libros inoffenso decurrat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas non vacillet. Cæteros sic legat, ut magis judicet, quam sequatur. Respondebis : Quomodo hæc omnia mulier sæcularis, in tanta frequentia hominum, Romæ custodire potero? Noli ergo subire onus, quod ferre non potes; sed, postquam ablactaveris eam cum Isaac, et vestieris cum Samuele, mitte aviæ et amitæ. Redde pretiosissimam gemmam cubiculo Mariæ, et cunis Jesu vagientis impone. Nutriatur in monasterio; sic inter virginum choros, jurare non discat; mentiri sacrilegium putet; nesciat seculum; vivat angelice; sit in carne sine carne; omne hominum genus sui simile putet. Et, ut cætera taceam, certe te liberet servandi difficultate, et custodiæ periculo. Melius est tibi desiderare absentem,

[1] Sic Cod. Victor. – *Lœnidis* Edit. Amb. — [2] Ibid., p. 594 et sq.

quam pavere ad singula. Trade Eustochio parvulam : illam primis miretur ab annis; cujus et sermo, et incessus, et habitus doctrina virtutum est. Sit in gremio aviæ, quæ longo usu didicit nutrire, servare, docere virgines. Anna filium, quem Deo voverat, postquam obtulit in tabernaculo, nunquam recepit. Ipse, si Paulam miseris, et magistrum me, et nutritium spondeo. Gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multo gloriosior mundi philosopho, qui non regem Macedonum, babylonio periturum veneno, sed ancillam et sponsam Christi erudiam, regnis cœlestibus offerendam. » Perpendite, sorores in Christo charissimæ, pariter et conservæ, quantam curam tantus Ecclesiæ doctor in eruditione unius parvulæ susceperit, in qua tam diligenter cuncta distinxerit, quæ necessaria doctrinæ decreverit, ab ipso alphabeto sumens exordium. Nec solum de pronuntiandis syllabis, et litteris conjungendis, verum etiam de scribendis adhibet documentum : nec non et de sociis providet adjungendis, quorum livore, vel laude plurimum moveatur. Quod etiam, [ut?] spontanea magis quam coacta faciat, et majori studium amore complectatur, blanditiis, et laudibus, nec non et munusculis incitari admonet. Ipsa quoque nomina distinguit ex scripturis sacris colligenda, in quibus proferendis se primum exercens, hæc memoriæ suæ plurimum commendet, juxta illud poeticum [1] :

> Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
> Testa diu.

Qualis etiam magister ad hoc sit eligendus, diligenter describit : nec prætermittit præfixam esse debere mensuram lectionis, quam corde tenus firmatam quotidie persolvat. Et quia eo tempore, græcarum quoque litterarum usus Romæ abundabat, nec græcarum litterarum expertem eam esse permittit : maxime, ut arbitror, propter translationem divinorum librorum a græcis ad nos derivatam, unde discernere posset [2], quid apud nos minus, vel aliter esset : et fortasse propter liberalium disciplinam [3] artium, quæ his, qui ad perfectionem doctrinæ nituntur [4], nonnihil afferunt utilitatis. Qui [5] etiam eruditionem [6] latinæ linguæ præmittit, quasi ab ipsa [7] nostrum inchoaverit magisterium. Quum autem a sono vocum ad earum pervenerit sensum, ut quæ proferre didicerit jam intelligere velit : codices ei distinguit diversos, tam de canone duorum Testamentorum, quam de opusculis doctorum, ex quorum eruditione proficiat, ut consummetur. Inter canonicas autem scripturas, ita ei Evangelia commendat,

[1] Horat. *Epist.*, I, 1, v. 69. — [2] *Unde et discernere* Cod. Vict. — [3] *Liberalium quoque disciplinam* Cod. Vict. — [4] *Utuntur* Cod. Vict. — [5] *Quam* Cod. Vict. — [6] Sic Cod. Vict. – *Conditionem* Edit. Amb. — [7] *Ad ipsum* Cod. Vict.

ut nunquam hæc de manibus virginis recessura censeat; quasi plus aliquid diaconissis, quam diaconis de lectione injungat evangelica : quum isti in ecclesia illam habeant recitare, illæ nunquam ab eorum debeant lectione vacare. Deinde ista matri de filia scribens, ne quam mater excusationem prætenderet, hæc omnia Romæ secularem feminam in tanta hominum frequentia perficere non[1] posse; dat consilium, ut ab isto se onere liberet, monasterio virginum tradat filiam, ubi educari sine periculo, et de his, quæ dixit, perfectius instrui possit. Omnem denique occasionem amputans, ne de magistro tandem, qualem ipse descripserat, mater sollicitaretur, puellæ Roma Hierosolymam, ad aviam scilicet sanctam Paulam et amitam Eustochium missæ, se magistrum pariter et nutritium offert. Et in tantum, quod dictu mirabile est, erumpit promissum, ut tantus Ecclesiæ doctor etiam senio debilis, dicat se virginem, quasi bajulum ejus, humeris gestare non dedignari. Quod quidem apud suspiciosos non sine suspicione fieri, nec[2] apud religiosos sine scandalo vix contingeret. Hæc[3] tamen omnia vir Deo plenus, et de integritate vitæ omnibus tandiu cognitus, confidenter spondebat : dummodo unam sic instruere virginem posset, ut ipsam cæteris magistram relinqueret, et in ipsam Hieronymum legeret, qui Hieronymum non vidisset. Ut autem de parvulis ad majores transeamus virgines, quas plurimum semper provocat ad studium litterarum, tam eis videlicet scribendo quæ legant, quam eas laudando de assiduitate legendi vel discendi : quid ad Principiam virginem de psalmo XLIV scribens dicat[4], audiamus. « Scio me, Principia in Christo filia, a plerisque reprehendi, quod interdum scribam ad mulieres, et fragiliorem sexum maribus præferam : et idcirco debeo primum obtrectatoribus meis respondere, et sic venire ad disputatiunculam, quam rogasti. Si viri de Scripturis quærerent, mulieribus non loquerer. Si Barach ire ad prælium voluisset, Debora de victis hostibus non triumphasset. » Et post aliqua : « Apollo, virum apostolicum, et in lege doctissimum, Aquila et Priscilla erudiunt, et instruunt eum de via Domini. Si doceri a femina non fuit turpe apostolo, mihi quare turpe sit, post viros docere et feminas? Hæc et istiusmodi, σεμνοτάτη filia, perstrinxi breviter, ut nec te pœniteret sexus tui, nec viros suum nomen erigeret, in quorum condemnationem feminarum in scripturis sanctis vita laudatur. » Juvat post virgines, intueri de viduis, quantum et ipsæ in studio sacrarum litterarum ipsius testimonio et laude profecerint. Scribens igitur idem doctor ad eamdem virginem Principiam de vita sanctæ Marcellæ, sicut illa postulabat, inter virtutum ejus insignia[5] : « Divinarum, » inquit,

[1] Sic Cod. Vict. – *Non* deest in impressis. — [2] Sic Cod. Vict. – *Non* Edit. Amb. — [3] Sic Cod. Vict. – *Huc* Edd. — [4] *Opp.* t. II, col. 681. — [5] Epist. XCVI, *Opp.* t. IV, col. 779.

« scripturarum ardor erat incredibilis, semperque cantabat : « In corde meo « abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi [1]. » Et illud de perfecto viro [2] : « Et in « lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte, etc. » « A « mandatis tuis intellexi [3]. » Denique, quum et me Romam cum sanctis pontificibus Paulino et Epiphanio, ecclesiastica traxisset necessitas, et verecunde nobilium feminarum oculos declinarem : ita egit, secundum Apostolum [4], « im« portune opportune, » ut pudorem meum sua superaret industria. Et quia alicujus tunc nominis esse existimabar super studio Scripturarum, nunquam convenit, quin de Scripturis aliquid interrogaret, nec statim acquiesceret, sed moveret e contrario quæstiones, non ut contenderet, sed ut quærendo disceret earum solutiones, quas opponi posse intelligebat. Quid in illa virtutum, quid ingenii invenerim, vereor dicere, ne fidem credulitatis excedam, et tibi majorem dolorem incutiam, recordanti quanto bono carueris. Hoc solum dicam, quod quidquid in nobis longo fuit studio congregatum, et meditatione diuturna quasi in naturam versum, hoc illa libavit, didicit, atque possedit : ita ut post perfectionem nostram, si in aliquo testimonio Scripturarum esset oborta contentio, ad illam judicem pergeretur. Et quia valde prudens erat, sic ad interrogata respondebat, ut etiam sua non sua diceret, sed vel mea, vel cujuslibet alterius : ut in eo ipso, quod docebat, se discipulam fateretur. Sciebat enim dictum ab Apostolo [5] : « Docere autem mulieri non permitto ; » ne virili sexui, et interdum sacerdotibus, de obscuris, et ambiguis sciscitantibus, facere videretur injuriam. Absentiam nostri mutuis solabatur alloquiis, et quod carne non poteramus, spiritu reddebamus : semper obviare epistolis, superare officiis, salutationibus prævenire. Non multum perdebat absentia, quæ jugibus sibi litteris jungebatur. In hac tranquillitate, et Domini servitute, hæretica in his provinciis exorta tempestas cuncta turbavit ; et in tantam rabiem concitata est, ut nec sibi, nec ulli bonorum parceret, et quasi parum esset, hic universa movisse, navem plenam blasphemiarum romano intulit portui, quum venenata spurcaque doctrina Romæ invenerit, quos induceret. Tunc sancta Marcella, quæ diu se cohibuerat, ne per æmulationem quippiam facere videretur, postquam sensit fidem apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut sacerdotes quoque, et nonnullos monachorum, maximeque sæculi homines in assensum sui traheret, ac simplicitati illuderet episcopi, qui de suo ingenio cæteros æstimabat, publice restitit, malens Deo placere quam hominibus.... Damnationis hæreticorum hæc fuit principium, dum adducit testes, qui prius ab eis eruditi, et postea ab hæ-

[1] Psalm. CXVIII, v. 11. — [2] Psalm. I, v. 2. — [3] Psalm. CXVIII, v. 104. — [4] *II Tim.*, cap. IV. — [5] *I Tim.*, cap. II, v. 12.

retico fuerant errore correpti, dum ostendit multitudinem deceptorum, dum impia περὶ Ἀρχῶν ingerit volumina, quæ emendata manu scorpii monstrabantur, dum acciti frequentibus litteris hæretici, ut se defenderent, venire non ausi sunt. Tantaque vis conscientiæ fuit, ut absentes damnari, quam præsentes coargui, maluerint. Hujus tam gloriosæ victoriæ origo, Marcella est. » Videtis, dilectissimæ, quantum attulerit fructum, repressis hæresibus, in urbe fidelibus omnibus in caput constitutæ unius matronæ laudabile studium, et quanta lampade doctrinæ ipsorum quoque doctorum ecclesiasticorum tenebras una mulier expulerit. De cujus studio in sacris litteris, quo ipsa victoriam istam meruerit, idem doctor procemio lib. I *in Epistolam Pauli ad Galatas*, ad exhortationem vestram ita meminit: « Scio equidem ardorem ejus, scio fidem, quam flammam semper habeat in pectore, superare sexum, oblivisci hominis, et divinorum voluminum tympano concrepante, Rubrum hujus seculi pelagus transfretare. Certe quum Romæ essem, nunquam tam festina me vidit, ut non de Scripturis aliquid interrogaret. Neque vero more pythagorico, quidquid responderam, rectum putabat, nec sine ratione præjudicata apud eam valebat auctoritas; sed examinabat omnia, et sagaci mente universa pensabat, ut me sentirem non tam discipulam habere quam judicem. » Tantum eo tempore in sanctis feminis, sicut et in viris, studium fervebat litterarum, ut nequaquam suæ linguæ disciplina contentæ, ipsos Scripturarum rivulos, quos habebant, ab ipsis inquirerent fontibus; nec inopiam unius linguæ sibi crederent sufficere. Unde et illud est supra memorati doctoris ad Paulam de morte Blesillæ filiæ suæ [1], sic inter cætera in ejus præcipuam laudem scribentis: « Quis sine singultibus transeat orandi instantiam, nitorem linguæ, memoriæ tenacitatem, acumen ingenii? Si græce loquentem audisses, latine eam nescire putares. Si in romanum sonum lingua se verteret, nihil omnino peregrini sermo redolebat. Jam vero, quod in Origene quoque illo Græcia tota miratur; in paucis non dicam mensibus, sed diebus, ita hebreæ linguæ vicerat difficultates, ut in discendis canendisque psalmis cum matre contenderet. » Ipsam quippe matrem ejus Paulam, nec non et alteram ipsius filiam Eustochium virginem Deo dicatam, in eodem studio litterarum atque linguarum non minus occupatas esse, idem non præterit doctor. Sic quippe de his commemorat, vitam ipsius Paulæ scribens, et de ipsa dicens [2]: « Nihil ingenio ejus docilius. Tarda erat ad loquendum, velox ad audiendum. Memor illius præcepti [3]: « Audi, Israel, et tace, » scripturas sanctas tenebat memoriter. Denique compulit me, ut Vetus et Novum Instrumentum cum filia, me disserente, perlegeret. Quod propter verecundiam negans, propter assiduitatem

[1] Epist. XXII, *Opp.* t. IV, col. 54. — [2] Epist. LXXXVI, *Opp.* t. IV, col. 686. — [3] *Job*, cap. XXXIII, v. 31.

tamen, et crebras postulationes ejus, præstiti, ut docerem quod didiceram. Sicubi hæsitabam, et nescire me ingenue confitebar, nequaquam mihi volebat acquiescere; sed jugi interrogatione cogebat, ut e multis variisque sententiis, quæ mihi videretur probabilior, indicarem. Loquar et aliud, quod forsitan æmulis videatur incredibile. Hebræam linguam, quam ego ab adolescentia multo labore, ac sudore ex parte didici, et infatigabili meditatione non desero, ne ipse ab ea deserar, discere voluit, et consecuta est : ita ut psalmos hebraice caneret, et sermonem absque ulla latinæ linguæ proprietate personaret. Quod quidem usque hodie in sancta filia ejus Eustochio cernimus. Sciebant quippe latinorum codicum doctrinam ex hebraicis et græcis processisse scriptis, et idioma cujuscunque linguæ ad plenum in peregrina servari ab interprete non posse. Quod tam Hebræi, quam Græci de perfectione gloriantes, nostris translatoribus, velut imperfectis, nonnunquam insultare consueverunt, talem in argumentum similitudinem asserentes, quod quilibet liquor in plura vasa vicissim transfusus, plenitudine sua necessario minuitur, nec ejus quantitas in cæteris vasis potest reperiri, quam in priore habuit. Unde et illud sæpe accidit, quod quum aliquibus testimoniis Judæos arguere nitimur, facile nos refellere solent, qui hebraicum ignoramus, ex translationum, ut aiunt, nostrarum falsitate. » Quod sapientissimæ mulieres prædictæ diligenter attendentes, nequaquam propriæ linguæ doctrina contentæ fuerunt : ut non solum suos instruere, verumetiam alios refellere possent, et de limpidissima fontis aqua, sitim suam reficerent. Ad quod maxime, ni fallor, ipse Hieronymus harum peritus linguarum, suo provocaverat exemplo. Cujus quidem peritiæ perfectionem quanto labore vel expensis acquisierit, ad Pammachium et Oceanum scribit his verbis [1] : « Dum essem juvenis, miro discendi ferebar ardore, nec, juxta quorumdam præsumptionem, ipse me docui. Apollinarium Laodicenum audivi Antiochiæ frequenter, et colui; et quum me in sanctis scripturis erudiret, nunquam illius contentiosum super sensu dogma suscepi. Jam canis spargebatur caput, et magistrum potius quam discipulum decebat. Perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum : in multis ei gratias ago : quod nescivi, didici; quod sciebam, illo docente non perdidi. Putabant me homines finem fecisse discendi : veni rursum Hierosolymam et Bethlehem : quo labore, quo pretio Barrabanum nocturnum habui præceptorem! Timebat enim Judæos, et mihi se alterum exhibebat Nicodemum. Horum omnium frequenter in opusculis meis facio mentionem. » Hunc zelum tanti doctoris, et sanctarum feminarum in scripturis divinis considerans, monui, et incessanter implere vos cupio, ut dum potestis, et matrem harum

[1] Epist. XLI, *Opp.* t. IV, col. 342.

peritam trium linguarum habetis, ad hanc studii perfectionem feramini, ut quæcunque de diversis translationibus oborta dubitatio fuerit, per vos probatio terminari possit. Quod et ipse dominicæ crucis titulus hebraice, græce, et latine scriptus non incongrue præfigurasse videtur, ut in ejus Ecclesia ubique terrarum dilatata, harum linguarum, quæ præminent, abundaret doctrina; quarum litteris utriusque Testamenti comprehensa est scriptura. Non longa peregrinatione, non expensis plurimis, pro his linguis addiscendis, opus vobis est, ut beato accidit Hieronymo; quum matrem, ut dictum est, habeatis ad hoc studium sufficientem. Post virgines quoque ac viduas, fideles conjugatæ incitamentum præbeant vobis doctrinæ, ut vel negligentiam vestram arguant, vel ardorem augeant. Præstat exemplum etiam vobis Celantia[1] venerabilis, quæ in conjugio quoque regulariter vivere cupiens, legem sibi conjugii præscribi ab ipso etiam Hieronymo sollicite petiit. Unde et ipse ad eamdem super hoc rescribens, ita meminit[2] : « Provocatus ad scribendum litteris tuis, diu, fateor, de responsione dubitavi, silentium mihi imperante verecundia. Petis namque, et sollicite ac violenter petis, ut tibi certam ex scripturis sanctis præfiniamus regulam, ad quam tu ordines cursum vitæ tuæ : ut cognita Domini voluntate, inter honores sæculi, et divitiarum illecebras, morum magis diligas supellectilem, atque ut possis in conjugio constituta, non solum conjugi placere, sed etiam ei, qui ipsum indulsit conjugium. Cui tam sanctæ petitioni, tamque pio desiderio non satisfacere, quid aliud est, quam profectum alterius non amare? Parebo igitur precibus tuis, teque paratam ad implendam Dei voluntatem, ipsius nitar incitare sententiis. » Audierat fortassis hæc matrona quod in laudem sanctæ Susannæ Scriptura commemorat. Quam quum præmisisset pulchram nimis, et timentem Deum, unde hic timor et verus animæ decor procederet, statim annexuit dicens[3] : « Parentes enim illius, quum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. » Cujus eruditionis inter molestias nuptiarum et sæcularium perturbationes occupationum Susanna non immemor, et morti adjudicata, ipsos suos judices atque presbyteros damnare promeruit. Quem quidem in Daniele locum ipse Hieronymus exponens, illud quod dictum est : « Parentes illius, quum essent justi, erudierunt filiam suam, etc., » in exhortationis competenter assumens occasionem, ait[4] : « Hoc utendum est testimonio ad exhortationem parentum, ut doceant juxta legem Dei sermonemque divinum non solum filios, sed et filias suas. » Et quia diu me tam litterarum quam virtutum impedire studia plurimum solent, omnem vobis negligentiæ torporem

[1] *Gelantia* Cod. Vict. — [2] Epist. CXIX, *Opp.* t. IV, col. 810. — [3] Dan., cap. XIII, v. 3. — [4] *Opp.* t. III, col. 1134.

excutiat illa ditissima regina Saba [1], quæ cum magno labore infirmi sexus, et longæ viæ fatigatione pariter atque periculis, expensisque nimiis, venit a finibus terræ sapientiam experiri Salomonis, et cum eo conferre quæ noverat de his quæ ignorabat. Cujus studium et laborem in tantum Salomon approbavit, ut ei pro remuneratione cuncta quæ petiit daret, exceptis quæ ipse illi ultro more obtulerat regio. Multi viri potentes ad sapientiam ejus audiendam confluebant, et multi regum et ducum terræ doctrinam ejus magnis muneribus honorabant, et quum ab eis multa susciperet donaria, neminem eorum super his remunerasse legitur, nisi supradictam feminam. Ex quo patenter exhibuit quantum sanctæ feminæ studium et ardorem doctrinæ approbavit : et quantum Domino ipsum gratum esse censuerit. Quam et postmodum ipse Dominus et Salomon verus, immo plusquam Salomon, ad condemnationem virorum eruditionem suam contemnentium, non prætermisit inducere : « Regina, » inquit [2], « Austri surget in judicio, et condemnabit generationem istam. » In qua generatione, carissimæ, ne vos quoque vestra condemnet negligentia, providete. In quo etiam quo minus excusabiles sitis, non est vobis necessarium longi fatigationem itineris arripere, nec de magnis expensis providere. Magisterium habetis in matre, quod ad omnia vobis sufficere, tam ad exemplum scilicet virtutum, quam ad doctrinam litterarum potest : quæ non solum latinæ, verum etiam tam hæbraicæ quam græcæ non expers litteraturæ, sola hoc tempore illam trium linguarum adepta peritiam videtur, quæ ab omnibus in beato Hieronymo, tanquam singularis gratia, prædicatur, et ab ipso in supradictis venerabilibus feminis maxime commendatur. Tribus quippe linguis principalibus istis duo Testamenta comprehensa, pervenerunt ad nostram notitiam. Quibus etiam linguis titulus dominicæ crucis insignitus, hebraice scilicet, græce, et latine conscriptus, patenter innuit his præcipue linguis dominicam doctrinam et Christi laudes, ipsum [3] Trinitatis mysterium in tripertitam mundi latitudinem, sicut et ipsum crucis lignum, cui titulus est superpositus, tripertitum fuerat, indicanda et corroboranda fore. Scriptum quippe est [4] : « In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. » Unde ut trium [5] linguarum auctoritate scriptura sanciretur sacra, et cujuscunque linguæ doctrina duarum aliarum testimonio roboraretur, tribus his linguis Vetus simul et Novum Testamentum divina providentia comprehendere decrevit. Ipsum etiam Novum Testamentum, quod tam dignitate quam utilitate Veteri supereminet, tribus istis linguis primo scriptum fuisse constat, tanquam id titulus cruci superpositus futurum præsignaret. Quæ-

[1] *III Reg.*, cap. x, v. 1 et sq.–*II Par.*, cap. ix, v. 1 et sq. — [2] Matth., cap. xii, v. 52. — [3] *Ipsumque Trinitatis* Cod. Vict. — [4] Matth., cap. xviii, v. 16. — [5] *Ut et trium* Cod. Vict.

dam namque in eo hebræis scripta linguam eorum exigebant : quædam similiter ex eis græcis, quædam romanis, propriis eorum linguis, ad quos dirigebantur, scribi necesse fuit. Primum quidem Evangelium secundum Matthæum, sicut Hebræis, sic hebraice primo scriptum est. Epistolam quoque Pauli ad Hebræos, et Jacobi ad duodecim tribus jam dispersas, et Petri similiter, et nonnullas fortassis alias eadem ratione constat esse scriptas hebraice. Ad Græcos vero tria Evangelia græce quis dubitet esse scripta, et quascunque epistolas tam Pauli quam cæterorum ad eos destinatas, nec non et *Apocalypsim* ad septem ecclesias a se missas? Unam vero ad Romanos scriptam Pauli novimus epistolam, ut parum a nobis habere nos Latini gloriemur, et quantum nobis aliorum sunt doctrinæ necessariæ cogitemus; quas ad plenum si cognoscere studeamus, in ipso fonte magis quam in rivulis translationum perquirendæ sunt : præsertim quum earum diversæ translationes ambiguitatem magis, quam certitudinem lectori generent. Non enim facile est idioma, id est proprietatem cujuscunque linguæ, sicut et supra meminimus, translationem servare, et ad singula fidam interpretationem accommodare : ut quælibet ita exprimere possimus in peregrina, sicut dicta sunt in propria lingua. Nam et in una lingua quum aliquid exponere per aliud volumus, sæpe deficimus, quum verbum proprium quod apertius id exprimere possit, non habeamus. Novimus et beatum Hieronymum apud eos præcipue trium harum linguarum peritum, multum in translationibus suis, et in commentariis earum a se ipso nonnunquam dissidere. Sæpe namque in expositionibus suis dicit : « Sic habetur in hebræo, » quod tamen in translationibus ejus secundum hebraicum, ut ipsemet asserit, factis non reperitur. Quid igitur mirum, si diversi interpretes ab invicem discrepent, si unus etiam nonnunquam a se dissonare inveniatur? Quisquis ergo de his certus esse desiderat, non sit contentus aqua rivuli, sed puritatem ejus de fonte inquirat[1] et hauriat. Hac enim ratione et translatio beati Hieronymi, quæ novissima fuit, et de ipso hebraico vel græco, prout ipse potuit, tanquam ab origine fontis diligentius requisivit, veteres apud nos translationes superavit : et supervenientibus novis, sicut in lege scriptum est, vetera projecta sunt. Unde et Daniel[2] : « Pertransibunt, » inquit, « plurimi, et multiplex erit scientia. » Fecit Hieronymus suo tempore quod potuit, et quasi solus in lingua peregrina, nec fidelem, sed judæum habens interpretem, cujus auxilio plurimum nitebatur, sicut et ipse testatur, multis displicuit, quod translationes jam factas sufficere non credidit : et quia perstitit in proposito, vicit adjuvante Deo, tanquam illud Ecclesiastici attendens et complens[3] : « Ad fontem unde exeunt flumina revertuntur, ut ite-

[1] *Requirat* Cod. Vict. — [2] Dan., cap. XII, v. 4. — [3] *Eccli.*, cap. I, v. 7.

rum fluant. » Quasi fons origo translationum Scripturæ sunt illæ, a quibus ipse fuerit; et cito translationes, tanquam mendaces, repulsæ deficiunt, si ab origine sua deviare, et ad ipsam per concordiam recurrere non probentur. At ne ad omnia unum hunc interpretem sufficere credamus, tanquam peritiæ perfectionem de singulis adeptum, maxime in hebraico, ubi apud nos præminere dicitur, ipsius super hoc testimonium audiamus, ne plus ei quam habeat imputare præsumamus. Scribit super hoc ad Domnionem et Rogatianum, et contra accusatorem, his verbis : « Nos, qui hebrææ linguæ saltem parvam habemus scientiam, et latinus nobis utcunque sermo non deest, et de aliis magis possumus judicare, et ea, quæ ipsi intelligimus, in nostra lingua promere. » Felix illa anima est, quæ in lege Domini meditans die ac nocte, unamquamque scripturam in ipso ortu fontis quasi purissimam aquam haurire satagit, ne rivos per diversa discurrentes, turbulentos pro claris per ignorantiam vel impossibilitatem sumat, et quod biberat, evomere cogatur. Defecit jam dudum hoc peregrinarum linguarum viris studium, et cum negligentia litterarum, scientia periit earum. Quod in viris amisimus, in feminis recuperemus, et ad virorum condemnationem, et fortioris sexus judicium, rursum regina Austri sapientiam veri Salomonis in vobis exquirat. Cui tanto magis operam dare potestis, quanto in opere manuum minus moniales quam monachi desudare possunt, et ex otii quiete atque infirmitate naturæ facilius in tentationem labi. Unde et præmissus doctor in vestram doctrinam et exhortationem præcipuus, tam scriptis quam exemplis laborem vestrum ad studium incitat litterarum : maxime ne occasione discendi vires unquam acciri necessarium sit, aut frustra corpore intentæ animus foras evagetur, et relicto sponso, fornicetur cum mundo.

HELOISSÆ PARACLITENSIS

PROBLEMATA

CUM MAG. PETRI ABÆLARDI SOLUTIONIBUS.

Consiliis Abælardi paruerunt paraclitenses Virgines, et studio sacræ scripturæ adhibuere animum. Quum vero nonnulla legentibus occurrerent, quæ vel obscura, vel secum pugnantia viderentur, decrevit Heloissa ea, de quibus et ipsa et comites dubitarent, conjugi suo explicanda proponere. In hoc igitur opusculo instituit quæstiones quadraginta de totidem sacrorum codicum locis et de quibusdam argumentis quæ tunc animos commovebant vehementer, nostræ vero ætatis homines nequaquam sollicitant. Quæstionum Heloissæ et Abælardi solutionum eadem fere ratio est : simplicitate enim ingenua pariter commendantur, sed leves sunt plerumque, ita ut legenti parum utilitatis aut oblectationis afferant.

Supra diximus inesse *Problemata* in Codice Victorino n° 397; hujus ad fidem recensuimus textum jam in lucem editum, in quo pauca mutanda invenimus.

EPISTOLA HELOISSÆ AD PETRUM ABÆLARDUM.

Beatus Hieronymus sanctæ Marcellæ studium quo tota fervebat, circa quæstiones sacrarum litterarum maxime commendans, ac vehementer approbans, quantis eam super hoc præconiis laudum extulerit, vestra melius prudentia, quam mea simplicitas novit. De qua, quum in epistolam Pauli ad Galatas commentarios scriberet, ita in primo meminit libro [1] : « Scio quidem ardorem ejus, scio fidem, quam flammam habeat in pectore, superare sexum, oblivisci homines et divinorum voluminum tympano concrepare, Rubrum hoc [2] sæculi pelagus transfretare. Certe quum Romæ essem, nunquam tam festina me vidit, ut de Scripturis aliquid interrogaret. Neque vero, more pythagorico, quidquid

[1] Præfat., *Opp.* t. IV, p. 1, col. 221 et 222. — [2] *Hujus* Cod. Vict. 397.

responderem rectum putabat, nec sine ratione præjudicata apud eam valebat auctoritas; sed examinabat omnia, et sagaci mente universa pensabat, ut me sentirem non tam discipulam habere quam judicem. » Ex quo utique studio in tantum eam profecisse noverat, ut ipsam cæteris eodem studio discendi ferventibus magistram præponeret. Unde et ad Principiam virginem scribens, inter cætera sic meminit documenta [1] : « Habes ibi in studio Scripturarum et in sanctimonia mentis et corporis Marcellam et Asellam; quarum altera te per prata virentia et varios divinorum voluminum flores ducat ad eum, qui dicit in cantico [2] : « Ego flos campi, et lilium convallium ; » altera ipsa flos Domini tecum mereatur audire [3] : « Ut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum.» Quorsum autem ista, dilecte multis, sed dilectissime nobis ? Non sunt hæc documenta, sed monita : ut ex his quid debeas recorderis, et debitum solvere non pigriteris. Ancillas Christi, ac spiritales filias tuas in oratorio proprio congregasti, ac divino mancipasti obsequio; divinis nos intendere verbis, ac sacris lectionibus operam dare, plurimum semper exhortari consuevisti. Quibus sæpius in tantum scripturæ sacræ doctrinam commendasti, ut eam animæ speculum dicens, quo decor ejus vel deformitas cognoscatur, nullam Christi sponsam hoc carere speculo permittebas, si ei, cui se devoverit, placere studuerit. Addebas insuper ad exhortationem nostram, ipsam Scripturæ lectionem non intellectam, esse quasi speculum oculis non videntis appositum. Quibus quidem monitis tam ego quam sorores nostræ plurimum incitatæ, tuam in hoc quoque quoad possumus implentes obedientiam, dum huic operam studio damus, eo videlicet amore litterarum correptæ, de quo prædictus doctor quodam loco meminit [4] : « Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis, » multis quæstionibus perturbatæ, pigriores efficimur in lectione; et quod in sacris verbis magis ignoramus, minus diligere cogimur, dum infructuosum laborem sentimus, cui operam damus. Proinde quæstiunculas quasdam discipulæ doctori, filiæ patri destinantes, supplicando rogamus, rogando supplicamus, quatenus his solvendis intendere non dedigneris, cujus hortatu, immo et jussu, hoc præcipue studium aggressæ sumus. In quibus profecto quæstionibus, nequaquam ordinem Scripturæ tenentes, prout quotidie nobis occurrunt, eas ponimus et solvendas dirigimus.

PROBLEMA HELOISSÆ I.

Quid est quod Dominus in Evangelio Joannis de Spiritu, quem missurus erat, promittit dicens [5] : « Et quum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de

[1] T. II, col. 682. — [2] *Cantic.*, cap. II, v. 1. — [3] Ibid., v. 2. — [4] Epist. XCV, *Opp.* t. IV, col. 773. — [5] Joan., cap. XVI, v. 8.

justitia, et de judicio : de peccato quidem, quia non crediderunt in me ; de justitia vero, quia ad patrem vado, et jam non videbitis me ; de judicio autem, quia, princeps mundi hujus judicatus. »

Solutio Abælardi.

Arguet per apostolos, quos replebit, non unam partem mundi, sed totum, de peccato scilicet perseverante vel [1] retento ab hominibus, propter hoc, quia non crediderunt in me. Arguet de justitia, scilicet [2] per meipsum præsentem oblata, et non suscepta tunc quum præsens essem, quem jam recuperare non possunt euntem ad Patrem, et jam ultra hic non videndum. De judicio scilicet præcedentium, in quo erant, hoc est peccati sive justitiæ : cum ea videlicet quæ reos vel justos faciunt in operibus magis quam in intentione constituant, et merita non tam secundum animum, quam secundum operationem dijudicent, sicut maxime Judæi faciunt, neminem arbitrantes damnari, quidquid velit, dummodo illud opere non compleat. Unde et Apostolus *ad Romanos* [3] : « Israel, » inquit, « sectando legem justitiæ in legem justitiæ non pervenit. » Quare ? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Quamvis ergo lex concupiscentiam quoque interdicat, non tamen hoc peccatum esse tantum arbitrantur, ut ad damnationem sufficiat. Quem quidem errorem arguendum esse Dominus nunc dicit, ex eo quod princeps hujus mundi judicatus est. Ipse quippe diabolus, qui carnalibus et amatoribus mundi dominatur, et totius auctor est et origo peccati, non de hoc quod fecerit, sed quod præsumendo voluerit, statim damnatus tam graviter corruit.

PROBLEMA HELOISSÆ II.

Quid est illud in epistola Jacobi [4] : « Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit : Non mœchaberis, dixit et : Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis. »

Solutio Abælardi.

Omnia simul legis præcepta, non singula sunt lex ipsa. Qui ergo totam legem præter unum mandatum custodierit, fit reus omnium : hoc est, ex eo damnandus est, quod non omnia custodit præcepta, quæ simul, ut dictum est, accepta, sunt lex ipsa. Ac si aperte dicat : Quamvis impletor legis nemo esse possit, unum ejus observando mandatum ; transgressor tamen legis efficitur, si vel unum ejus transgrediatur præceptum. Unde et statim Apostolus exponens quod dixerat :

[1] *Et* Cod. Vict., 397. — [2] *Scilicet* deest in Cod. Vict. — [3] *Rom.*, cap. IX, v. 31. — [4] Jacob., cap. II, v. 10 et sq.

« omnium reus, » subjecit, « factus est transgressor legis, » ex eo videlicet quod unum prætermisit præceptum, quod æque, ut cætera, fuerat injunctum. Alioquin ex eo quod subjungit : « Qui enim dixit : Non mœchaberis, etc. » Nequaquam comprobaret illud præmissum, « factus est omnium reus. » Quum igitur ait : « Qui enim dixit, etc., » tale est, ac si diceret : ideo recte dixi, quia unum transgrediendo, factus est omnium reus : hoc est, ex hoc damnandus [1] est, quia non omnia servando, Deum contempsit. Quia ipse Dominus, qui legem tradidit, tam hoc mandatum, quam illud observari jussit : hoc est, omnia, non aliquod unum ex omnibus. Ac per hoc sicut transgressor fit legis, vel unum transgrediendo præceptum, ita fit reus omnium, sicut est expositum, ex hoc etiam damnandus, quod non omnia compleverit.

PROBLEMA HELOISSÆ III.

Quid est quod sæpe Dominus ab aliquibus interrogatus, respondens illis sigillatim dicat : « Tu dixisti, » vel : « Tu dicis, » nonnunquam etiam pluribus simul interrogantibus respondeat : « Vos dicitis, » tanquam hoc eos dixisse assereret, quod quasi dubitantes [2] quærebant? Sic quippe Judæ interroganti : « Nunquid ego sum, Rabbi, qui te scilicet sum traditurus? » Respondit : « Tu dixisti. » Et interrogatus a pontifice, an sit filius Dei, similiter respondit [3]. Populo etiam quærenti : « Si tu es Christus, dic nobis palam; » vel : « Tu ergo es filius Dei? » respondit : « Vos dicitis, quia ego sum [4]. » Denique et a præside, id est Pilato, inquisitus an sit rex Judæorum, respondit : « Tu dicis quia rex sum ego [5]. » Quæ profecto responsiones non immerito dubitationem excitare videntur. Qui enim quærit utrum hoc sit, vel illud, nequaquam enuntiando dicit quod hoc sit vel illud; sed quasi dubitando quærit utrum ita sit.

Solutio Abælardi.

Revera difficilem vel prorsus insolubilem hæ responsiones Domini moverent quæstionem, si quod Dominus ait : « Tu dixisti, » vel : « Vos dicitis, » vel : « Tu dicis, » ad præcedentium interrogationum verba referret, ut in eis scilicet hæc dicta fuisse assereret, quod nequaquam convenit. Quum ergo Judæ interroganti, an ipse sit, qui eum tradat, respondit : « Tu dixisti, » potius quam : « Tu dicis, » ad pactum illud respexit, quod jam ille cum Judæis inierat promittens se illis eum tradere cupiditate promissæ pecuniæ. Quod vero principi sacerdotum interroganti an Christus sit filius Dei, respondit : « Tu dixisti, »

[1] *Damnatus* Cod. — [2] Sic Cod. Vict. - *Quasi quæ dubitantes* Edit. Amb. — [3] Matth., cap. xxvi, v. 25, 64. — [4] Joan., cap. x, v. 24. - Marc., cap. xxii, v. 70. — [5] Joan., cap. xviii, v. 37.

sic est accipiendum, quod ille, qui eo tempore Christum, quem videbat, esse filium Dei negabat, sæpius olim legem ac prophetas recitando id confessus fuerat. Quum autem Judæis interrogantibus an sit Christus, vel an sit filius Dei, respondit : « Vos dicitis, » verbo scilicet præsentis temporis utens ad eos sicut et ad Pilatum, præsentem jam adesse diem significat, in quo id fateantur. Ubi enim illudentes ei dicebant : « Prophetiza, Christe, quis est qui te percussit[1] ? » vel : « Ave, rex Judæorum[2], » eum profecto Christum esse, hoc est unctum, quacunque intentione testabantur[3], in hoc fortassis prophetiam Caiphæ imitantes dicentis[4] : « Expedit vobis ut unus moriatur homo, et non tota gens pereat. » Sed et turbæ testimonio eum cum ramis palmarum suscipientis ipse et filius David est, juxta Matthæum[5] : et in ipso regnum David venit, secundum Marcum[6] : et benedictus est rex qui venit, secundum Lucam[7] : et denique, secundum Joannem[8], benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel. Quod nequaquam isti, per illusionem, sicut supradicti, sed ex fide dicebant. Tale est ergo quod Judæis ait : « Vos dicitis, » ac si diceret : multi adhuc inter vos sunt, qui hoc non solum ore proferant, sed et corde teneant. Etsi enim illi qui hoc interrogabant, nequaquam id dicerent, vel crederent, quum tamen dixit : « Vos dicitis, » non ad personas illas, quæ aderant, sed ad populum ipsum respexit. Sic et alibi quum ait Judæis de Zacharia[9] : « Quem occidistis inter templum et altare, » nequaquam de illis, qui tunc erant, Judæis, sed de populo ipso, de quo erant, accipiendum est. Sic et Josue[10] quum dicitur filios Israel secundo circumcidisse, non hoc in eisdem personis, sed in eodem populo constat eum fecisse. Legimus quoque in hoc die passionis, quod centurio, et qui cum eo erant custodientes Dominum crucifixum, quum expirasset, et viderent[11] velum templi scissum, et terræ motum, et monumenta aperta, dixerunt[12] : « Vere filius Dei erat iste. » Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Tale est ergo, ut diximus, quod Judæis quærentibus, an esset filius Dei, respondit : « Vos dicitis; » hoc est, jam præsens dies vel[13] tempus adest, in quo id de me confiteamini. Similiter Pilato quærenti, an sit rex Judæorum, respondit : « Tu dicis, » potius quam : « Tu dixisti. » Homo quippe gentilis prophetias ignorabat, non ea legerat verba, ubi Christus fuerat promissus, et regnum[14] ejus prophetatum juxta illud[15] : « Et regni ejus non erit finis, » vel illud[16] : « Dicite filiæ Sion, ecce rex

[1] Luc., cap. XXII, v. 64. — [2] Matth., cap. XXVII, v. 29. — [3] Sic Cod. — *Detestabantur* Edit. Amb. perperam. — [4] Joan., cap. XVIII, v. 14. — [5] Matth., cap. XXI, v. 9. — [6] Marc., cap. XI, v. 10. — [7] Luc., cap. XIX, v. 38. — [8] Joan., cap. XII, v. 13. — [9] Matth., cap. XXIII, v. 35. — [10] *Josue*, cap. V, v. 2 et sq. — [11] *Quia viderant* Cod. Vict. — [12] Matth., cap. XXVII, v. 54. — [13] *Dies et tempus* Cod. — [14] *Nomen* Cod. — [15] Luc., cap. I, v. 33. — [16] Matth., cap. XXI, v. 5.

tuus venit; » quod tamen ipso die Pilatus sæpius verbis asseruit, et in ipso titulo crucis scripto confirmavit. Ut enim Matthæus[1] meminit, Judæis ait : « Vultis dimittam vobis regem Judæorum[2]? » et iterum[3] : « Regem vestrum crucifigam ? » Qui etiam quum superius quæsisset a Domino[4] : « Tu es rex Judæorum ? » et ille respondisset : « A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me ? » Rursum ait Pilatus : « Nunquid ego Judæus sum ? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi. » Ecce quoties et quam manifeste Pilatus eum regem profiteatur Judæorum, et ipsum populum Judæorum gentem ejus appellet : cui quum Dominus dixerit : « A temetipso hoc dicis, etc., » tale est, ac si diceret : Quæris hoc pro te ipso ut veritatem cognoscas, an dolo Judæorum, tanquam unus ex ipsis, ut me interficiendi occasionem hinc sumas ? Denique et titulum Pilatus scribens, hoc quod dixerat verbis, scripto confirmavit trium linguarum, ut ab omnibus Hierosolymam convenientibus legi posset, et verus intelligi rex Judæorum. Erat quippe scriptum[5] : « Jesus Nazarenus, rex Judæorum. » Ubi quidem quum adjecit : « Nazarenus, » diligenter hunc Jesum distinxit a cæteris, qui in antiquo populo, hoc quoque nomine, non tam proprie quam nuncupative fuerant insigniti : utpote Josue, Jesus sacerdos, vel Jesus filius Sirach. De hoc autem honore tituli, pontifices Judæorum vehementer indignati tanquam in damnationem suam conscripti qui[6] regem proprium crucifixissent, dixerunt Pilato[7] : « Noli scribere regem Judæorum, sed quia ipse dixit, rex sum Judæorum. » At vero quoniam prophetatum fuerat[8] : « Ne corrumpas David in tituli inscriptione, » tanquam hoc ad se dictum Pilatus intenderet, respondit[9] : « Quod scripsi, scripsi. » Tanquam si diceret : Quod scribendum providi sine ulla correptionis retractatione firmavi; tanquam in ejus mente hoc scriptum primitus esset, quod secundo litteris exhiberet. Hæc ergo geminatio verbi : « Quod scripsi, scripsi, » perseverantiam vel incommutabilitatem significat facti, sicut illud : « Euntes ibant. »

PROBLEMA HELOISSÆ IV.

Quomodo stare potest quod Dominus Judæis signa quærentibus respondit de tempore sepulturæ suæ[10] : « Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit et filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus ? » Constat quippe Dominum sexta feria de cruce depositum esse sepultum, et sabbato quievisse in sepulcro, et sequenti noctæ dominicæ diei resurrexisse

[1] Sic Cod. Vict. – Male autem legitur in editione Amboesiana : *Et in ipso titulo crucis scripto meminit, Judæis ait.* — [2] Joan., cap. XVIII, v. 39. — [3] Joan., cap. XIX, v. 15. — [4] Joan., cap. XVIII, v. 23 et sq. — [5] Joan., cap. XIX, v. 19. — [6] Sic Cod. – *Qui* deest Edit. Amb. — [7] Joan., cap. XIX, v. 21. — [8] Psalm. LVI, v. 1. — [9] Joan., cap. XIX, v. 22. — [10] Matth., cap. XII, v. 40.

quarta vigilia. Unde certum est per unam tantum integram noctem præcedentem sabbatum, et per integram ipsius sabbati diem eum in sepulcro fuisse, quem quarta vigilia noctis Hieronymus *In Epistolam*[1] *ad Galatas* dicit resurrexisse.

Solutio Abælardi.

Quod ait Dominus, « tribus diebus et tribus noctibus, » non est accipiendum, quod per tres dies integros et noctes ibi fuerit : sed quod in tempore continente tres dies cum noctibus suis sepultus quieverit. Unde et bene quum dicitur : « Tribus diebus et tribus noctibus, » adjunctum est, « sicut Jonas, » quem tertio die piscis evomuit in aridam ; ac per hoc, per unam tantum noctem integram, et unum tantum integrum diem in ventre ceti fuerit. Tempus itaque continens tres dies cum noctibus suis, accipe a principio noctis parascevem sequentis usque ad finem dominicæ diei : et invenies in illo temporis spatio, quamvis non per totum tempus, Dominum tribus diebus et tribus noctibus jacuisse in sepulcro. Non enim quod in tempore aliquo fit per totum illud tempus fieri necesse est. Fortassis et quod dicitur : « In corde terræ, » non tam de sepultura Domini accipi videtur, quam de cordibus hominum eo tempore in tantum de Christo desperantium, ut discipuli quoque nec non et mater ipsius in fide graviter titubaverint. Unde Augustinus *Quæstionum* in *veteris et novæ Legis* capitulo[2] : « Etiam Maria, per quam mysterium gestum est incarnationis Salvatoris, in morte Domini dubitavit; ita ut in resurrectione Domini firmaretur. Omnes enim in morte dubitaverunt, et quia omnis ambiguitas a resurrectione Domini recessura erat, pertransire dixit gladium. » Cor itaque terræ quasi cor terrenum adhuc et carnale nondum spiritale factum ex firmitate fidei, vel ardore caritatis, dicit cor humanum : quandiu homines in illo temporis articulo Christum carnem magis, hoc est hominem, quam Deum æstimarent, et terrenum potius quam cœlestem. Quod ergo Judæis signum potentiæ requirentibus tanquam per hoc eum recognoscerent Deum, respondit se potius eis daturum signum Jonæ, tale est, quod potius infirmitatem in eo cognoscere digni sint : sicut Jonas in mare missus plus injustitiæ quam religionis æstimatus est habuisse, et hoc ei ex propria culpa contigisse, ut damnari etiam mereretur.

PROBLEMA HELOISSÆ V.

Maximam dubitationem de apparitionibus Domini resurgentis, quæ mulieribus factæ sunt, nobis evangelistæ reliquerunt. Marcus[3] quippe et Joannes[4] eum in-

[1] *Epistola* Cod.—[2] *Opp.* t. III, part. II, app., col. 72. Monachi ordinis Sancti Benedicti *Quæstiones Veteris et Novi Testamenti* Augustino abjudicant.—[3] Marc., cap. XVI, v. 1 et sq. — [4] Joan., cap. XX, v. 1 et sq.

sinuant primo apparuisse Mariæ Magdalenæ, quæ venit mane, quum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, et vidit lapidem sublatum a monumento : et postquam hoc nuntiavit Petro et Joanni, et illi cucurrerunt ad monumentum, et inde reversi sunt, vidit duos angelos, et deinde Jesum quem putavit hortulanum. Et hæc apparitio prima illi soli dicitur facta. Matthæus [1] vero refert eam cum altera Maria venisse ad sepulcrum, et tunc terræ motu facto angelum descendisse, et lapidem revolvisse, et nuntiasse Dominum resurrexisse, et illis duabus Jesum occurrisse, cujus pedes tenuerunt. Marcus [2] vero refert quod Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome valde mane venerunt ad monumentum orto jam sole, conquirentes ad invicem, quis revolveret eis lapidem ab ostio monumenti; quem quum respicientes viderunt revolutum, et per angelum eis loquentem, et per sepulcrum vacuum cognovissent Dominum resurrexisse, exeuntes de monumento fugerunt tremefactæ, nemini quidquam de hoc præ timore dicentes. Ubi et statim annectitur [3] : « Surgens autem Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ. Illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant, et non crediderunt. » Lucas [4] autem refert, quod Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et quæ cum eis erant, valde diluculo venerunt ad monumentum, et invenerunt lapidem revolutum a monumento et ingressæ non invenerunt corpus Jesu; et edoctæ ab angelis de resurrectione Domini, nuntiaverunt hoc discipulis, et non credebant illis. Positis itaque verbis evangelistarum, primo quærimus quomodo, juxta Joannem, Maria Magdalene veniens ad monumentum mane, quum adhuc essent tenebræ, vidit lapidem sublatum, et postea, ut Marcus dicit, ipsa et Maria Jacobi et Salome valde mane veniunt ad monumentum, orto jam sole, dicentes ad invicem : « Quis revolvet nobis lapidem? » Si enim Maria Magdalene jam viderat lapidem revolutum quum adhuc tenebræ, id est nox esset; quomodo nunc, orto jam sole, ipsa cum cæteris quæritur de lapide revolvendo, quæ jam antea sublatum viderat? Secundo etiam quærendum videtur quomodo in Marco mulieres dicuntur nemini præ timore resurrectionem Domini nuntiasse, quum cæteri evangelistæ asserant e contrario? Denique Joannes Mariam Magdalenam, non aliquam cum ea, refert, antequam Jesum videret, nuntiasse Petro et Joanni eum de monumento sublatum, et eos statim illuc concurrisse. Lucas vero refert eamdem Mariam et alias cum ea plures feminas, postquam didicerunt Dominum resurrexisse, hoc discipulis nuntiasse, et tunc Petrum ad monumentum cucurrisse.

[1] Cap. xxviii, v. 1 et sq. — [2] Cap. xvi, v. 1. — [3] Ibid., v. 9. — [4] Cap. xxiv.

Solutio Abælardi.

Solus quidem Joannes de Maria Magdalene, et non cæteris mulieribus in resurrectione Domini commemorat, non quod ea sola his, quæ tunc facta sunt, affuerit; sed quod ejus devotionem cæteris majorem plurimum ipse commendaret, cujus hortatu et[1] exemplo cæteræ feminæ incitarentur maxime. Sicut ergo cæteris in dilectione ferventior erat, et de gaudio resurrectionis magis sollicita, venit prior et intrepida, quum adhuc nox esset, ad monumentum, et reversa est iterum ad suos, quærendo studiose si quis adhuc de resurrectione Domini certificatus esset. Quod quum minime reperisset, iterum ad monumentum orto jam sole cum aliis venit, et tunc revolutio lapidis facta est, quamvis Joannes hanc revolutionem quasi prius factam per anticipationem dicat a Maria visam fuisse. Prior ergo Maria quam cæteræ, quibus sollicitior erat, lapidem revolutum comperit, et sublatum Dominum credens, festina rediit, et hoc Petro nuntiavit, et Joanni. Deinde reversa cum illis ad monumentum post discessum eorum a monumento, stabat ad ipsum monumentum foris plorans, cæteris, quæ aderant, non sic accedere audentibus. Tunc angelos ac deinde Dominum prima videre meruit; ac deinceps altera Maria, quæ juxta Matthæum, cum ea venerat prius, accedens, et metuens adhuc custodes, qui aderant, consolatæ sunt ambæ, quum ad terræ motum, et ad apparitionem angeli sedentis super lapidem, quem revolverat, exterriti sunt custodes et facti sunt velut[2] mortui. Quibus duabus euntibus nuntiare discipulis quod angelus præceperat, occurrit Jesus illis simul secundo apparens. Aliæ autem, quæ timidiores et infirmiores fuerant in fide, nequaquam tunc Dominum meruerunt videre; sed et tantum angelis nuntiantibus eum audierant resurrexisse. Et ideo quum non omnes æqualiter super hoc prius essent certæ, prius omnes tacuerunt, et distulerunt illud discipulis nuntiare, pavidæ adhuc et obstupefactæ de angelica visione, et verentes ne sibi statim non crederetur, donec pluribus sibi aggregatis confidentius diceretur. Unde postea, ut Lucas meminit, ipsa Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et cæteræ, quæ cum eis erant, dicebant ad apostolos hæc. Quibus Petrus in fide firmior cæteris hoc non credentibus, iterum cucurrit ad monumentum; et quum nec angelos, nec Dominum vidisset, rediit vehementer admirans. Qui quum vehementer stuperet de apparitionibus angelorum, sive Domini, quæ factæ fuerant mulieribus potius quam ei vel discipulis, ne diu in dubitatione et mœstitia persisteret, vel credimus tunc ei Dominum apparuisse, sicut Lucas refert apostolos dicere, quod « surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. »

[1] *Vel* Cod. — [2] *Sicut* Cod.

Quod autem Matthæus et Lucas dicunt : « Vespere sabbati, » finem ejus, id est noctem sequentem usque ad lucem dominicæ diei intelligunt. Hoc vesperum lucescit in prima sabbati, quum ad lucem diei sequentis perducitur. Quod vero ait, « quæ lucescit, » feminino scilicet genere utens, ad significationem respexit : quia, ut diximus, in vespere noctem intellexit, ut tale sit : « Quæ lucescit, » tanquam diceretur : quæ nox ad claritatem pertingit. Vesperum itaque seu vespera diei, dicitur extrema ejus hora : vesper vero totum tempus noctis sequentis.

PROBLEMA HELOISSÆ VI.

Quid est quod Dominus sacramenta corporis et sanguinis sui discipulis tradens et commendans, non ait de corpore suo [1] : « Hoc est corpus meum novi testamenti, » quum de sanguine dixerit [2] : « Hic est sanguis meus novi testamenti, » tanquam magis sanguinem commendaret, quam carnem? Quid est etiam illud [3] : « Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, quum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei? »

Solutio Abælardi.

Corpus Christi in sacramento susceptum, humanitas est, quam nascendo de virgine suscepit, quando, sicut scriptum est : « Verbum caro factum est [4]. » Sanguis ejus in poculum datus, passio est ipsius, cui communicare debemus, quicunque membra ejus sumus. Unde et scriptum est [5] : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » Quum enim Gregorius dicat : « Nihil enim nasci profuit, nisi redimi profuisset, atque in ejus passione nostra redemptio consummetur; quod et ipse moriens profitetur dicens [6] : « Consummatum est, » non incongrue sanguis effusus præfertur conceptæ carni, hoc est, passio ejus nativitati. Qui etiam magis quam caro ejus dicendus fuit novi testamenti, hoc est confirmatio evangelicæ prædicationis, quia, sicut dicit Apostolus [7] : « Testamentum in mortuis confirmatum est. » Quid enim [8] Evangelium nisi testamentum est amoris, sicut lex fuerat timoris? Unde et Apostolus conversis Judæis ait [9] : « Non enim subditi estis iterum in timore. » Et rursum [10] : « Finis præcepti caritas de corde puro. » Et per semetipsam Veritas [11] : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? » Hoc igitur testamentum amoris in hoc maxime dominica passio confirmavit, quum pro nobis moriendo, illam nobis dilectionem exhibuit, qua major esse non possit. Unde

[1] Matth., cap. XXVI, v. 26. — [2] Ibid., v. 28. — [3] Ibid., v. 29. — [4] Joan., cap. I, v. 14. — [5] Petr. *Epist. I*, cap. II, v. 21. — [6] Joan., cap. XIX, v. 30. — [7] *Hebr.*, cap. IX, v. 17. — [8] Cod. *Enim* deest Edd. — [9] *Rom.*, cap. VIII, v. 15. — [10] *Timoth. I*, cap. I, v. 5. — [11] Luc., cap. XII, v. 49.

et ipsemet ait[1] : « Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » In hoc etiam testamentum hoc confirmavit, quod pro doctrina evangelicæ prædicationis usque ad mortem perstitit, et moriendo monstravit, quod nascendo non potuit : sicut et ille qui testamentum aliquod suis hæredibus componit, dum in pristina voluntate perseverat moriens, testamentum suum confirmat, quod nequaquam delens, vel in aliquo corrigens, ipsum omnino tunc roborat. Unde bene sanguis Domini potius quam corpus ejus novi testamenti, ut diximus, fuerat dicendus. Illud autem quod ait[2] . « Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum quum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei, » sic intelligo, tanquam si diceret : Non celebrabo ulterius in sacramento passionem carnis meæ, donec id faciam vobiscum tanquam novum in regno Patris mei. Sacramentum quippe Christi tunc quasi novum sumitur, quum ipsum sumentes plena fide, accedentes ipsos innovat, et a veteri homine, quem per transgressionem imitantur, in novum transmutat, dum ipsum per obedientiam usque ad mortem sequi sunt parati. Quales nequaquam tunc aderant disciputi in fide adhuc maxime, et eo temporis[3] articulo potissimum infirmi, nec adhuc in regno Dei traditi, ut in eis videlicet regnaret Deus, cui nondum soliditate fidei adhærebant, ejus dominio penitus subditi. Quasi ergo vetus et non novum tunc acceperunt ipsum sacramentum, et tanquam adhuc extra regnum Dei manentes : quia nondum in Deo sic eos constantia fidei confirmaverat, ut hoc percipiendo novi jam facti, mererentur in novitate illa ita sicut post resurrectionem confirmari. Bibet tunc Christus de hoc genimine vitis cum eis, id est, de sanguine suo, qui est vitis eorum tanquam palmitum, quum illis digne sacramenta suæ passionis communicantibus, sic inde sitim suam in ipsis reficiet. Qui enim salutem hominum sitit vel esurit, tunc de ipsa reficitur, quum eam impleri lætatur. Fortassis et ex hoc sacramentum dominicæ passionis quasi vetus ante resurrectionem extitit, et postmodum novum fuit : quia quum adhuc passibile corpus et corruptibile vel mortale gestaret, veteri homini per hoc similis fuit, antequam resurgendo de hac vita pœnali ad novitatem futuræ perveniret. Dum ergo mortalis fuit, et se talem, qualis tunc erat, in sacramento dedit : quodammodo vetus et non novum fuit illud sacrificium comparatione videlicet novi, quod nunc in humanitate sumimus immortali jam et incorruptibili. Lucas vero ait[4] : « Hic calix novum testamentum est in sanguine meo, » id est pactum vel promissio vobis a Deo facta, de vestra scilicet redemptione in mea passione. Ubi enim nos habemus testa-

[1] Joan., cap. xv, v. 13. — [2] Matth., cap. xxvi, v. 29. — [3] Cod. *Et a temporis* Edd. Amb. — [4] Luc., cap. xxii, v. 20.

mentum, in hebræo habetur pactum. Qui enim legem Domini suscipiunt, cum eo quoddam ineunt pactum, sive ille cum ipsis, quum ipsi videlicet legis obedientiam, ille promittat remunerationem.

PROBLEMA HELOISSÆ VII.

Quid est etiam quod in Luca legimus duos calices, vel eumdem bis Dominum dedisse discipulis? Sic quippe scriptum habetur[1]: « Et quum facta esset hora, discubuit, et duodecim apostoli cum eo. Et ait illis: « Desiderio desideravi hoc « pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc « non manducabo, donec illud impleatur in regno Dei. » Et accepto calice, gratias egit, et dixit: « Accipite et dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non « bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. » Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: « Hoc est corpus meum quod pro vobis « datur. Hoc facite in meam commemorationem. » Similiter et calicem postquam cœnavit dicens: « Hic est calix novum testamentum in sanguine meo. »

Solutio Abælardi.

Pascha, quod secundum legem parare discipulos miserat, vetus est pascha, in esu videlicet agni vel hædi cum lactucis agrestibus. Quod etiam pascha dicit se desiderasse, ut hoc cum discipulis manducaret, antequam pateretur: quia ante passionem, non postea voluit in figuris celebrari vetera, quæ supervenientibus novis essent projicienda. Quod et ipse Dominus patenter insinuat, quum de novo sacramento tantum dixerit: « Hoc facite in meam commemorationem, » tanquam vetus jam finiens, et solummodo novum deinceps statuens. Quum enim dixisset: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, » statim adjunxit: « Hoc facite in meam commemorationem. » Unde et Apostolus[2]: « Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. » Est igitur missæ celebratio, dominicæ passionis commemoratio, ad quam unusquisque fidelium tanta compassionis devotione debet accedere, quanta eum pro se crucifixum debet conspicere. Ut ergo hæc dominicæ passionis memoria nostris mentibus inhæreat, et in ejus amorem semper accendat, quotidie in ejus altari hoc ejus sacrificium debet immolari. « Hoc, » inquit, « facite, » hoc est ipsum corpus meum, non jam pro vobis traditum, sed tradendum in memoriam tantæ meæ dilectionis conficite, ut inde quoque tantæ dilectionis flamma sitis accensi, ut communicare possitis passioni. Bis eumdem calicem dare voluit, ut per hoc exprimeret nos calicem ejus non solum

[1] Luc., cap. xxii, v. 14 et sq. — [2] orinth. I, cap xi, v. 24.

in sacramenti perceptione, verumetiam in passionis imitatione accipere debere. Unde et Psalmista : « Calicem salutaris[1], » hoc est veri Jesu, « accipiam, » eum videlicet per passionis quoque virtutem imitando. Et quia mortem tolerare non est humanæ infirmitatis, sed collatæ nobis a Deo virtutis : ipse est invocandus, a quo ista speranda est virtus, in qua non tam nostram utilitatem, quam ejus gloriam quærere debemus, quæ per nomen ejus significatur. Sicut enim ignominiosa dicuntur, quæ nomine digna non videntur : ita e contrario quæque gloriosa nomine digna sunt et fama. Nomen igitur Dei invocamus, quum ea quæ facimus ad gloriam ejus intendimus, ut ille potius in nobis, quam nos ipsi, glorificetur atque laudetur, a quo in his virtutem accipimus, ad quæ infirmi ex nobis sumus. Hinc et Apostolus[2] : « Qui glorificatur, » inquit, « in Domino glorietur, » hoc est, qui in se aliquid virtutis vel pretii recognoscit, non se inde, sed Deum quærat honorari, nec id virtuti suæ, sed divinæ ascribat gratiæ, non a se, sed a Deo id recognoscens esse. De hoc calice, quem Christi passionem imitando sumimus, illud est quod filiis Zebedæi ait[3] : « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum ? » Hoc est, me per passionem imitari posse confiditis ? Bene autem de hoc calice primo, et non de secundo, discipulis ait : « Accipite, et dividite inter vos. » Calicem quippe Christi ab eo accipientes inter nos dividimus, quum eum diversis generibus passionum imitamur. In perceptione vero sacramenti non est divisio : quia ibi est una ipsius capitis non membrorum oblatio, quæ a malis æque ut a bonis sacerdotibus virtute divinorum verborum conficitur. « Accipite, » inquit, « calicem, » hunc a me, quem postea inter vos dividatis, « quia deinceps non bibam de generatione vitis, » hoc est, non celebrabo hanc hostiam meæ passionis, « donec regnum Dei veniat, » hoc est, vita cœlestis, in qua solus Dominus, non peccatum regnat, per passionem meam fidelibus patefiat. Bene calicem imitationis calici præmisit sacramenti : quia hi soli condigni sunt dominicæ mensæ communicare, qui passionem ejus imitari, et crucem ejus parati sunt tollere. Unde et scriptum est : « Ad mensam magnam sedisti, scito quoniam talia oportet te præparare. » Novum, non vetus testamentum tradens, tam panem quam calicem accipiens, gratias agit : innuens per hoc hic esse completum, quod ibi fuerat præfiguratum, et de veritate potius quam de umbra Deum esse glorificandum. Superius tamen se desiderasse dixit vetus quoque pascha cum discipulis celebrare, ne sic ab ipso nova sacramenta susciperent, ut a Deo tradita vetera non æstimarent. Quæ etiam vetera eis adhuc veteribus tunc maxime congruebant, ut hoc præcipue Dominus deberet cum eis celebrare quod eis potissimum videbat convenire, tanquam in hoc suo[4] desiderio id se innuere

[1] Psalm. cxv, v. 13. — [2] *Corinth. I*, cap. I, v. 31. — [3] Matth., cap. xx, v. 22. — [4] *Sui* Cod.

intenderet, quod hoc eorum arguendæ vetustati videbat potissimum convenire. De qua ut ad novitatem eos transferendos esse innueret, vel admoneret, novum veteri testamentum[1] statim subjunxit, ut sic quodammodo illud quoque vetus in novum transiret : dum illi scilicet vetustatem deponentes, de regno peccati in regnum transirent Dei, et in veteri pascha non jam litteram, sed spiritalem intelligentiam sequerentur, et sic de vetustate litteræ ad novitatem spiritus deferrentur : quod est Christum nunc etiam cum eis vetus pascha manducare, et ipsum in novum commutare[2], quum ibi illud figurari perpendimus, quod in novo consummari credimus. Unde et ipse post resurrectionem statim incipiens a Moyse et interpretans in omnibus Scripturis, vetus sacramentum in novum convertit, dum illud per intelligentiam huic applicuit, et quasi rotam in rota conclusit, et aquam legis in vinum Evangelii convertit. Et jam etiam vetus pascha tanquam mutatum in novum nobiscum manducat : quia tunc eum reficimus ac delectamus, dum sic istud sumimus, sicut in illo sumendum edocti mystice sumus, in esu videlicet agni et hædi, et agrestibus lactucis, vel cæteris ibi[3] constitutis. Vetus pascha non novum cum discipulis Christus manducat : ipse quippe ipsum est pascha novum juxta illud Apostoli[4] : « Etenim pascha nostrum immolatus est Christus, » quando nostra hostia ipse est factus, et ipsum in sacramento quotidie sumimus. Recte quoque hinc vetus pascha cum discipulis celebravit, quum ipse adhuc in veteri homine esset ex corporis mortalitate, sicut illi ex morum similitudine. Sic e contrario quasi novus cum novis novum genimen vitis nunc bibit, dum ipse per immortalitatem, et isti per morum diversitatem, deposito veteri homine, veri sacrificii delectantur novitate : et tanquam ipse cum eis bibit, dum id caput[5] in membris agit. Vetus Pascha calicem non habuit, quia lex ad perfectum nihil adduxit, ideoque in ejus sacrificio perfecta non debuit esse refectio.

PROBLEMA HELOISSÆ VIII.

Quod Dominus pro adultera liberanda Judæis respondit[6] : « Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat, » et sic eam eruit, nonnihil habet quæstionis. Quum enim eam lapidari non permittit, nisi ab eo qui peccato careat, omni homini vindictam exercere videtur interdicere : quum nemo mundus sit a sorde, nec infans unius diei, si vita sit ejus super terram[7].

Solutio Abælardi.

Dominus Jesus ex Judæis solus inter eos fuit sine peccato; hic adulteram lapidat, et feminam servat, dum misericorditer ei parcit, et sic a flagitiis suis pœ-

[1] *Sacramentum* Cod. — [2] *Et ipsum in novum commutare* desunt in Cod. Vict. — [3] Cod. Vict. — *Sibi constitutis* Edd. — [4] *Corinth. I*, cap. v, v. 7. — [5] Cod. — *Dum caput* Edd. — [6] Joan., cap. VIII, v. 7. — [7] Cod. Vict. — *Nec infans cujus unius diei vita sit super terram.* Edit. Amb.

nitentem convertit. Tale est ergo quod ait : « Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat; » ac si aperte dicat : Ei lapidandam dimittite, qui ex vobis[1] solus est a peccato immunis. Ipse primus in lapidandam dirigit lapidem, quum ei prius pœnitentiam inspirat; et illa postmodum per satisfactionem se macerat, et carnem ne spiritui amplius reluctetur, domat : ut jam mortificata mundo, deinceps vivat Deo[2], et mactentur vitia, conservata natura. Denique et Dominus ait[3] : « Mihi vindictam, et ego retribuam. » Tunc quippe Deo vindictam reservamus, quoniam[4] ipse in nobis potius, quam nos ipsi, hanc operatur. Unde et homini, non Deo, dictum est[5] : « Non occides. » Ab ipso utique nobis hoc interdicitur, qui sub nullo præcepto conclusus, id sibi deberi patenter profitetur. « Ego occidam, » inquit[6], « et ego vivere faciam. » Ipse in nobis occidit et parcit, quum tanquam adminiculo quodam nobis[7] utens, nos præceptis suis reos occidere vel innocentibus parcere facit, ut ei potius quam nobis ista debeant imputari. Nam quum aliquis potens per operarios suos aliquid agit, non tam istorum quam illius opus illud esse dicitur, hoc est, non illorum qui operando faciunt, sed illius magis qui per illos fecit hæc fieri. Homo itaque prohibetur occidere, non Deus in homine. Tunc autem occidit homo, et non in eo Deus, quando propria malignitate id agit, non præceptione Dei : hoc est, quando id ex se, non ex lege facit, et suæ malitiæ magis quam divinæ obedit justitiæ. Tunc gladium accipit non ad exercendam justitiam, ut vindicet iniquitatem, sed ut suam compleat impietatem. De quolibet[8] Veritas ait[9] : « Qui acceperit gladium, gladio peribit. » Qui acceperit, inquit, per se, non cui traditus fuerit a potestate, iste gladio perdendus est juste, qui gladio uti præsumpsit injuste. Quum autem quasi gladium miles sibi a rege traditum exercet ad vindictam, rex in eo id agit, cujus ille operarius in hoc existit. Unde Augustinus *de Civitate Dei* libro I[10] : « Non occides, his, » inquit, « exceptis, quos Deus occidi jubet, sive data lege, sive pro tempore ad personam expressa jussione. Non autem ipse occidit, qui ministerium debet jubenti, sicut adminiculum gladius utenti. » Ibidem in *Quæstionibus Exodi*[11] : « Israelitæ furtum non fecerunt spoliando Ægyptios, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt : quemadmodum minister judicis occidit eum quem lex jussit occidi. Profecto si id sponte faciat, homicida est, etiamsi quum quem occidit, scit occidi a judice debuisse. » Item in *Quæstionibus Levitici* : « Quum homo iste occiditur, lex eum occidit, non tu. » Ex his profecto verbis patenter docemur nec homicidium, nec furtum proprie dici, quod ex

[1] *Ex vobis et in vobis* Cod. Vict. — [2] *Virat deinceps Deo* Cod. — [3] *Rom.*, cap. XII, v. 19. — [4] Cod. Vict. - *Quando* Edd. — [5] *Exod.*, cap. XX, v. 13. — [6] *Deuter.*, cap. XXXII, v. 39. — [7] *In nobis utens* Cod. Vict. — [8] *Et de quolibet* Cod Vict. — [9] Matth., cap. XXVI, v. 52. — [10] Cap. XXI, *Opp.* t. VII, col. 20. — [11] Quæst. XXXIX, *Opp.* t. III, col. 432.

obedientia committimus, quum id recte geramus, in quo Dei jussionem implemus. Quidquid ad Domini possessionem pertinere videtur, Dei potius quam hominis esse dicendum est. Nec quisquam eorum dominus est, sed dispensator, quandiu hoc habet Domino permittente : nec quisquam hoc ei surripit injuste, qui hoc accipit Domino jubente : cujus tantum sunt illa a quo, quandiu vult, nobis sunt commissa; atque in diversos, prout voluerit, dispensatores transitura, qui tanto minus hæc dispensare et habere digni sunt, quanto minus eum recognoscunt, a quo hæc eis sunt commissa. Quales utique infideles erant Ægyptii, hæc magis amittere quam habere digni.

PROBLEMA HELOISSÆ IX.

Dominus leprosum, sicut Matthæus refert[1], tactu suo mundatum ad sacerdotis judicium misit, et offerre id jussit, quod lex talibus offerendum præcipit. Unde super hoc quæstione movemur, qua ratione Dominus in hoc facto legi contradicere simul et obtemperare videatur. Leprosum quippe tetigit, quod lex prohibet, et mundatum ad sacerdotem misit, et ad offerendam hostiam, sicut lex jubet.

Solutio Abælardi.

Sicut ipse Dominus ait[2] : « Usque ad Joannem lex et prophetæ; » hoc est usque ad tempus gratiæ, tam legis quam prophetarum præcepta etiam juxta litteram fuerunt implenda. In nullo ergo jam Dominus legi contradicit, cui jam nullus obedire ex præcepto constringitur Dei : præcipue quum lex ipsa in manu mediatoris, ut Apostolus ait[3], posita, hoc est in ejus potestate constituta sit, ut qui eam ad tempus instituerat, cessare pro arbitrio faceret, quum oporteret : ut jam perfecta caritas in tempore gratiæ timorem foras mitteret. Pertinet autem ad tempus gratiæ misericordiam maxime circa quoslibet exhibere, et ad pietatem, quos possumus, exemplis invitare, nec quidquam in hominibus immundum, præter peccatum, abhorrere. Unde Dominus in leproso cuncta hic misericorditer agit, quum et eum tangere propter infirmitatem corporis non est dedignatus, et ei id facere præcepit, sine quo in conversationem hominum nequaquam fuerat suscipiendus. Ad hoc enim a sacerdote aspectus, ipsius judicio et legis sacrificio fuerat commendandus.

PROBLEMA HELOISSÆ X.

Quid est illud in evangelio Lucæ, quod diviti damnato Abraham dicit[4] : « Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt

[1] Matth., cap. VIII, v. 2. — [2] Luc., cap. XVI, v. 16. — [3] *Galat.*, cap. III, v. 19. — [4] Luc., cap. XVI, v. 26.

hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare? » Quomodo enim aliqui excæcati sunt, ut de refrigerio tantæ quietis ad pœnas damnatorum transire velint, vel eis aliquod impendere beneficium jam omnino inaniter affectent, quos a misericordia Dei penitus exclusos vident?

Solutio Abælardi.

Abraham, in cujus sinu Lazarus est susceptus, Deus est, qui fideles suos de hujus vitæ miseriis ad futuræ vitæ refrigerium nobis adhuc occultum tanquam in quoddam secretum quietis suscipit. Ad hunc anima damnata loquitur quasi supplicando, dum eum sui desideret misereri. Abraham ei de sententia sua constituta respondet, quum eum intelligere facit inaniter eum desiderare, quod nullatenus eidem potest evenire. Hoc est autem quod eum[1] intelligere facit, quod subjungit : « Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, etc. » « In his omnibus, » hoc est, in utrisque prædictis, de consolatione scilicet justorum et cruciatu malorum, « chaos magnum firmatum est, » et hoc est impedimentum tantum divino judicio perenniter constitutum : « Ut qui volunt ad vos hinc transire non possint. » Transire hoc loco de refrigerio justorum ad pœnas malorum intelligimus velle his quoque subvenire, qui damnati sunt et quasi hoc beneficium justorum illis afferre; vel inde huc illos educere, sicut fideles quotidie faciunt in hac vita, dum orationibus vel eleemosynis suis his quoque subvenire nituntur, quos in pœnis purgatoriis esse putant, quum omnino sint damnati. Non ergo de illis qui in illo refrigerio sunt, intelligimus, ut hanc de damnatis compassionem habeant, sed de viventibus adhuc, sicut dictum est, fidelibus. Non enim Abraham dixit, ut hi de istis qui sunt hic, volunt ad vos hinc transire, sed simpliciter dixit : « Hi qui volunt, » sive adhuc vivi, sive jam defuncti. Nos autem, ut diximus, propter viventes hoc dictum accipimus, qui parabolice dicuntur de refrigerio justorum transire ad loca pœnalia damnatorum, vel inde huc transmeare : quæ videntur ejusdem esse sententiæ. Tale quippe est eos de refrigerio justorum transire ad pœnas damnatorum, vel huc meare : tanquam illis quoque, qui damnati sunt, ita compati, ut bonis operibus suis hoc refrigerium velint illis impertiri[2], et quodammodo transportare, vel eos inde huc educere, ut eadem sententia in diversis videatur verbis.

PROBLEMA HELOISSÆ XI.

Quid est quod in eodem evangelista legimus Dominum dicere[3] : « Dico autem vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam

[1] *Eum* deest Cod. Vict. — [2] *Impertire* Cod. Vict. — [3] Luc., cap. xv, v. 7.

agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia? » Multo quippe melius est ac perfectius peccatum cavere, quam commissum emendare, et multos quam unum bene agere : unde hoc magis quam illud Deo constat placere. Quid est ergo quod Deus unius peccatoris pœnitentiam plus approbat, quam multorum justorum perseverantiam?

Solutio Abælardi.

Quo quisque amplius de peccato alicujus dolet, magis de correptione ipsius gaudet; et quo dolor damni major extiterat, et de reparando commodo minus sperandum videbatur, et gravius ut eveniret, majore quum evenit [1] lætitia suscipitur, et majori sollicitudini de damno majus gaudium succedit de commodo. De justis autem quos in bono perseverare confidimus, et ideo minus illi intendimus, de quibus securiores sumus, minore gaudio hinc accendimur, quam de conversione peccatoris, quæ difficillima videbatur. Non tamen ideo plus valet hujus conversio, quam illorum perseverantia : sed plus inde gaudemus quum acciderit, unde plurimum solliciti fueramus ut accideret. Quod ergo dicitur : « Gaudium erit in cœlo, » in Ecclesia præsenti fidelium intelligitur exultatio, quæ nonnunquam etiam regnum cœlorum a Domino nuncupatur.

PROBLEMA HELOISSÆ XII.

Illud quoque nonnihil quæstionis habet quod in Matthæo [2] legimus de operariis in vineam missis : quorum priores tantum novissimis invidisse videntur, et adversus patremfamilias murmurasse, ut tale mererentur responsum : « An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? » In futura quippe vita, ita cuique beatorum sufficiet bravium susceptum, ut nemo plus ibi habere appetat, quam accipiet : ubi erit tanta omnium caritas, ut unusquisque alterius bonum diligat tanquam suum, nec a voluntate Domini quisquam discrepare possit, nec per malum invidiæ adversus aliquem, possit nequam oculum habere : maxime quum invidia hos, in quibus est, tantum affligat et cruciet, ut de ipsa poeta dixerit [3]:

Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum [4].

Et alibi :

Invidus alterius rebus macrescit opimis [5].

[1] Cod. Vict. — *Evenit* deest Edd. — [2] Matth., cap. xx. — [3] *Dixerat* Cod. — [4] Horat. *Epist.*, I, II, v. 58. — [5] Ibid., v. 57.

Solutio Abælardi.

Sciendum vero in omni parabola non tam rei veritatem expressam esse, quam ex parte aliqua rei similitudinem inductam esse, et sæpe historiæ veritati similitudinem quasi rem gestam adjungi. Quum enim de divite et Lazaro gestum esse creditur in duabus personis, vel sæpius in multis, quod hujus anima sit salvata, illius damnata : nequaquam juxta litteram accipi potest, quod dives Abrahæ dicit[1] : « Mitte Lazarum, ut extremum digiti sui intingat in aquam et refrigeret linguam meam. » Non enim animarum est digitum vel linguam in se habere, sed corporum tantum. Quod ergo de his dicitur, non ad veritatem pertinet rei gestæ secundum proprietatem litteræ, sed ad similitudinem inductam ex aliqua parte. Sic et hoc loco, quum murmurare dicuntur quidam et tanquam indignari alios sibi adæquari, murmuratio ista non indignationis, sed admirationis est accipienda. Qui enim murmurant, mirantur id fieri, quod non credebant. Unde murmuratio illa nunc dicitur multorum fidelium admiratio, quod sibi videbunt in præmio adæquari, quos pauciori tempore noverant operari. Similiter oculus nequam per similitudinem dicitur hominum invidorum, qui inde adversus alios commoventur, quod quasi contra rationem factum, quod non crediderant, mirantur. Tale est ergo : « An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? » tanquam si diceret : Nunquid ex eo quod vides per meam bonitatem factum, commoveris, more mundi, ex iniquitate ad indignationem ? Ac si diceret : Nequaquam sic convenit. Hoc autem Dominum cuiquam dicere, est ipsum facere hoc intelligere, quod non hinc debeat indignari, sed magis laudare Deum.

PROBLEMA HELOISSÆ XIII.

Quæstio illa de peccato in Spiritum sanctum irremissibili nos quoque sicut multos commovet. Quomodo enim quis in filium Dei, et non in Spiritum sanctum peccare potest, quum unus offendi nequaquam sine alio queat, et unius offensam in utrumque redundare sit necesse : quum nequaquam cuiquam possit esse placatus, cui fuit ille offensus ?

Solutio Abælardi.

Antequam solutionem, prout possumus, ponamus, præmittenda sunt, et ex diversis evangelistis colligenda hujus sententiæ verba, et unde ipsa pendeat præmittendum, ut facilius ad solutionem sit perveniendum. Sicut ergo Matthæus

[1] Luc., cap. xvi, v. 24.

refert, quum dæmoniacum quemdam Dominus curasset, et invidi pharisæi dicerent eum id facere per spiritum nequam, non per Spiritum sanctum, Dominus ait[1] : « Si ergo in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Si autem in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. » Et post aliqua[2] : « Ideo dico vobis, omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus : Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. » Marcus vero sic ponit[3] : « Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiæ, quibus blasphemaverant : qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum ; sed reus est æterni delicti; quoniam dicebant : Immundum spiritum habet. » Lucas vero sic scribit Dominum dicere[4] : « Quicunque confessus fuerit me coram hominibus, et filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi; ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur. » His itaque præmissis, primo distinguendum est, quid sit peccatum blasphemiæ in filium hominis, et quid in Spiritum sanctum. Quantum vero æstimo, ille peccat blasphemando in filium hominis, qui Christo detrahit, eum denegando Deum, non tam per malitiam quam per errorem, ex assumpta nostræ infirmitatis natura, quam in eo conspicit. Hoc enim innuit, quum dicit : Filium hominis, potius quam : Filium Dei; ut propter infirmitatem hominis, quam ex matre nascendo suscepit, non credatur in eo fortitudo Dei. Quod quidem peccatum ex ignorantia tanquam invincibili, plurimum excusabile videtur : quum hoc nequaquam humana ratione, sed Deo tantum inspirante percipi posset, ut videlicet Deus homo fieret. Unde et ipsemet Christus profitetur[5] : « Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit illum; » quia non est humanæ rationis hoc in Christo percipere, quod solummodo fit Deo inspirante. Blasphemare vero in Spiritum sanctum, est manifeste bonitati Dei, qui Spiritus sanctus intelligitur, ita scienter ex invidia detrahere, ut beneficia, quæ per Spiritum sanctum, hoc est divinæ bonitatis gratiam, non dubitant fieri, per invidiam tribuant maligno Spiritui, sicut Pharisæi faciebant, dum turbam credentem his, quæ videbant, miraculis, a Christo per invidiam avertere niterentur. Quorum peccatum si diligentius consideremus, gravius esse videtur quo diabolus corruit. Etsi enim pharisæi Christum non credebant Deum, hominem tamen

[1] Matth., cap. XII, v. 27. — [2] Ibid., v. 31. — [3] Marc., cap. III, v. 28, 29. — [4] Luc., cap. XII, v. 8. — [5] Joan., cap. VI, v. 44.

justum ex vita et operibus ejus ignorare non poterant, nec ista, quæ faciebat, per Spiritum sanctum facta esse. Quum ergo contra conscientiam suam hæc dicerent per malignum spiritum, quæ fieri non dubitabant per Spiritum sanctum; profecto scienter mentientes ipsum Spiritum sanctum asserebant, esse spiritum malignum. In quo longe magis præsumpsisse videntur mentiendo, quam diabolus superbiendo. Diabolus quippe quamvis appetierit Deo similis esse, et per se regnum obtinere : non tamen in tantum ibi excessisse credendus est, ut in tantam prorumpere blasphemiam auderet, ut Deum mentiri esse malum sustineret. Unde blasphemia istorum non minor superbia illorum, sed etiam magis execrabilis videtur, ut omnino a venia excludi sit digna. Nequaquam tamen dicimus quod pœnitentia talium, si esset, indulgentiam non impetraret : sed ex sententia Domini omnes tales credimus ita Spiritum Dei exacerbasse, ut in sua obstinati malitia, penitus exclusi fuerint a gratia. Hanc autem manifestam gratiam Dei, quæ se in Christo per effectum miraculorum revelat, Lucas superius per digitum Dei designat, ipso dicente Domino[1] : « Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, » manus quippe sive dextera, vel brachium Dei Filius ejus dicitur; in hac manu digitus est manifesta quælibet sancti Spiritus operatio. Digito quippe maxime utimur in demonstratione corporalium rerum : unde digitum Dei Spiritum ejus dicit, quum gratiam suam per aliquem effectum beneficii patenter exhibet, ut non nisi Dei opus illud credatur, etsi nonnulli per invidiam more pharisæorum illud calumnientur. Et hoc est hoc peccatum blasphemiæ in Spiritum sanctum, per quem remissio fit peccatorum, irremissibile permanere. Quod autem dictum est : « Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; » sic accipe, quod nullus, qui, ut dictum est, non per malitiam, sed per errorem detraxerit honori Christi, propter hoc damnabitur : quum hæc ignorantia invincibilis similem eum faciat illis pro quibus Dominus in passione sua, sive Stephanus oraverit. Pietati quippe atque rationi convenit, ut quicunque lege naturali creatorem omnium ac remuneratorem Deum recognoscentes, tanto illi zelo adhærent, ut per consensum, qui proprie peccatum dicitur, eum nitantur nequaquam offendere, tales arbitremur minime damnandos esse, et quæ illum ad salutem necessum est addiscere, ante vitæ terminum a Deo revelari sive per inspirationem, sive per aliquem directum quo de his instruatur, sicut in Cornelio factum esse legimus[2] de fide Christi ac perceptione baptismi. Quod et patenter illa videtur astruere sententia[3] : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; » et quum Dominus dicat[4] : « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis

[1] Luc., cap. XI, v. 20. — [2] *Act. Apost.*, cap. X. — [3] Joan. *Epist. I*, cap. III, v. 21. — [4] Joan., cap. XV, v. 13.

pro amicis suis, » nequaquam de his diffidendum videtur qui zelo legis, quamvis Christum non noverint, mori pro Deo sustinent; quum sit facile Deo talibus statim inspirare quid de Christo sit credendum, antequam de corpore recedat anima, ne infidelis transeat ex hac vita.

PROBLEMA HELOISSÆ XIV.

Quid est quod fidelium mentes Dominus componens, et ea computans bona, quibus beatitudinem promereri possunt, modo in singulis dicit eos beatos, in quibus sunt, tanquam unum quodque facere sufficiat beatum, sicut esse declaratur ex remuneratione eorum subjecta? Sic quippe dicitur[1] : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Et similiter in cæteris singulis remuneratio supponitur, ex qua unaquæque gratia sufficere videtur ad salutem. Quas etiam distingui petimus diligenter, quo melius appareat, utrum singulæ sufficiant, si non in eodem homine simul occurrant[2].

Solutio Abælardi.

Septem sunt bona tanquam septem beatitudinibus[3] distincta, quibus ad supernæ gaudia vitæ meremur pertingere. Nam illa, quæ quasi octava supponitur, probatio magis est præcedentium beatitudinum, quam illis tanquam diversa connumeranda, ubi videlicet dicitur[4] : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Nam quia fidelibus beatis persecutiones maxime constat imminere, ne quis eos propter hoc crederet minus esse beatos, ideo prædictis beatitudinibus istud supposuit, tanquam si diceret : Nec minus isti tales beati sunt, quum persecutiones sustinent; sed magis hinc probantur, quum in eis non deficiunt. Tres autem fidelium ordines constat esse : unum videlicet continentium, alterum rectorum, tertium conjugatorum. In tribus autem præcedentibus beatitudinibus continentes diligenter describi arbitror; post has autem tres, duas proximas ad rectores maxime referendas arbitror, sicut duas ultimas ad conjugatos, et est ordo congruus secundum meritorum gradus. Ordo quippe continentium, perfectione vitæ prior est cæteris. Secundus est rectorum, qui, quamvis sint potestate ipsis quoque continentibus digniores, gratior tamen extitit patriarchæ pulchra Rachel et sterilis, quam Lia lippa et fœcunda[5] : et melior pars Mariæ tanquam in otio vacantis, quam Marthæ cibum ministrantis[6]. Ultimus ordo est conjugatorum : qui longe a continentibus distant, et rectoribus æquari non merentur, quamvis utri-

[1] Matth., cap. v, v. 2. — [2] *Concurrant* Cod. Vict. — [3] *Beatitudines* Cod. Vict. — [4] Matth., cap. v, v. 10. — [5] *Genes.*, cap. xxix. — [6] Luc., cap. x, v. 39 et sq.

que in activa sint occupati. Nam, ut postmodum Veritas ait[1] : « Qui docuerit et fecerit legem, » quod est doctorum et Ecclesiæ prælatorum, « magnus vocabitur in regno cœlorum, » sicut continens maximus, et conjugatus minimus. Ab his ergo, qui virtute sunt maximi, et priores apud Deum dignitate religionis, inchoans, in tribus eorum sanctitatem comprehendit : quum eos videlicet pauperes spiritu, mites, ac lugentes describit. Beatus dicitur, quasi bene actus, hoc est in bonis moribus compositus. Pauperes spiritu dicuntur, qui paupertatem non necessitate sustinent, hoc est, Dei quo fervent edocti ratione, hanc appetunt, divitias contemnentes, et eas tanquam nocivas fugientes, attendentes quod Dominus ait[2] : « Facilius est camelum intrare per foràmen acus, quam divitem in regnum cœlorum. » Spiritum itaque hoc loco rationem dicit, sicut et Apostolus id secutus ait[3] : « Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. » Quis enim nesciat concupiscentiam animæ potius quam corporis esse ? Sed tunc caro adversus spiritum concupiscit, quum in eadem anima sensualitas, hoc est delectatio ex infirmitate carnis veniens, rationi repugnat, ut, juxta eumdem apostolum, sæpe, victi faciamus quæ nolumus; hoc est quæ facienda esse non approbamus. Quum ergo spiritus, hoc est ratio, suggesserit nos facere quod debemus, et nos inde carnalitas retrahit, in quo perficiendo nonnulla difficultas incumbit : vincitur spiritus dominante carne, et ei subjicitur, ut homo jam carnalis vel animalis sit dicendus, desideriis carnis more pecudum deditus. « Quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Inde pauperes spiritu probat esse beatos; quia qui rationabiliter terrena contemnunt, cœlestia promerentur. Pauperes itaque spiritu sunt, qui tam possessionis quam honoris ambitionem propter Deum postponunt, et nihil ad voluptatem appetunt : sed contenti necessariis, a licitis quoque abstinent, ne voluptatibus terrenis capiantur, et Deo magis quam sæculo dare operam contendunt. Tales sunt, qui a tumultuosa sæculi vita transeunt ad quietem monasticam, ut tanto purius Deo et sibi vacent, quanto magis remoti sunt a curis sæculi : et tanto facilius ad cœlos evolent, quanto magis terrenis sarcinis exonerati sunt. Quod et Hieronymus in illo principe monachorum præfiguratum attendens, quodam loco ait[4] : « Elias ad cœlorum regna festinans, melotam reliquit in terris. » Hi tales quum pauperes spiritu facti fuerint, mites ac mansueti necesse est fiant. Qui enim in terrenis nihil ambiunt, nequaquam de amissione rerum, vel illatis injuriis in iram accenduntur. His bene se possidentibus, et impetus carnis regendo frangentibus, terra viventium, hoc est vera stabilitas beatorum in præmium supponitur, quum ait[5] :

[1] Matth., cap. v, v. 19. — [2] Matth., cap. xix, v. 24. — [3] *Galat.*, cap. v, v. 17. — [4] Epist. LII, *Opp* t. IV, p. II, col. 578. — [5] Matth., cap. v, v. 4.

« Quoniam ipsi possidebunt terram. » Istam in talibus mansuetudinis et patientiæ virtutem Jeremias describens, ait[1] : « Bonum est viro, quum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius et tacebit : quia levavit se super se. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis : quia non repellit in sempiternum Dominus. » Jugum monasticæ disciplinæ[2] ab adolescentia sua portat, quum quis hoc suscipere non differt, quousque in senio viribus exhaustus hoc præsumat tollere, quod non possit portare : et quietem corporis magis quam pacem animæ quærens, voluptates sæculi, quas fugere se mentitur, in monasterio quærit. Et nihil jam valens operari, tanquam inter apes burdio factus, quod illæ congregant, devorat impudenter. Et jam consumptis viribus corporis, quas quoad potuit, in servitio diaboli expendit, occasione senilis[3] infirmitatis, luxurioso vacat otio, quando eum tanto restrictius vivere decuit, et contra vitia dimicare, quanto se minus victurum novit, et ad percipiendam bravii sui palmam citius perventurum, si hanc meruerit. Iste talis miser ab adolescentia sua jugum portare non assuetus, sub ipso, quod non potest ferre, cogitur succumbere. Sedet solitarius et tacet professor monasticæ disciplinæ, quum et nomen monachi et vitæ perfectionem sibi vindicat. Monachus quippe, solitarius interpretatur, quem beatus increpans Hieronymus, ait[4] : « Quid facis in turba, qui solus es? » Quem « omni tempore debere silentio studere » beatus asserit Benedictus[5], cultum justitiæ silentium ex testimonio comprobans Isaiæ[6]. Et apostolus hanc præcipue virtutem commendans, ait[7] : « Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. » Levat se super se, quum se ipsum regens, et opprimens, carnem spiritui subdit : et voluntatem propriam voluntati subjiciens Dei, de seipso gloriose triumphat, attendens quod scriptum est[8] : « Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. » Tunc autem maxime tacere debet, quum alii virtutem ejus divulgant : ne ipse sui præco factus, in levem evanescat auram, et quanto altior in virtutibus videtur, graviorem superbiendo casum perferat. Taceat ergo quia levavit se super se, ne videlicet hæc si fecerit recognoscat, et pavidus oret ne corruat; quia in hac vita, nulli secura est victoria. Quod si forte de se loqui præsumat, non virtutem suam, sed infimitatem prædicet. Unde et subditur[9]. « Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. » Quod est dicere : tanquam pulverem tentationibus dæmonum agitatum, et in operibus non constantem, sed dissolutum profiteatur : et si quando mentis elatio titillaverit, statim se objurgans dicat[10] : « Quid superbis, terra et cinis? » Quid præsumis, levissime pulvis,

[1] *Thren.*, cap. III, v. 27 et sq. — [2] Cod. Vict. - *Disciplinæ* deest Edd. — [3] *Servilis* Cod. — [4] *Reg.*, cap. XLII. — [5] *Reg.*, cap. XLII. — [6] Isai., cap. XXXII, v. 17. — [7] Jacob., cap. III, v. 2. — [8] *Prov.*, cap. XVI, v. 32. — [9] *Thren.*, cap. III, v. 29. — [10] *Eccli.*, cap. X, v. 9.

quem projicit ventus a facie terræ? Hæc dicens, et de se pavens, cum terrore cogitet, si forte sit illi spes, ne novissime superbia vincatur, quæ non nisi de virtutibus triumphat. Et ne virtutibus extollatur, persecutionibus est humiliandus : ut per patientiam virtus ejus probata coronetur, quæ spiritu pauperes facit veros mites. Dabit igitur percutienti se maxillam, et saturabitur opprobriis : quia sive factis, sive verbis injurietur, his tanquam quadam dulcedine saporis oblectatus reficietur. Dat percutienti se maxillam, qui pro Deo gaudet injuriari. Subtrahit e contrario maxillam, qui injurias refugit, vel invitus patitur. Cur autem justus libenter hæc toleret, et in passionibus gaudeat, juxta illud quod de apostolis dictum est[1] : « Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati? » Et etiam supponitur, et propheta ait[2] : « Quia non repellet in sempiternum Dominus. » Repulsus a gratia Domini, et miseriis in vita hac expositus videtur justus : unde et de ipso justorum capite scriptum est[3] : « Desideravimus eum despectum et novissimum virorum, et putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. » De hoc despectu vel repulsione Dei, quum nos in adversis non protegit, scriptum est[4] : « Deus, repulisti nos. » Sed quia hic, ut dictum est, repellit nos, ut probemur, quos post victoriam assumit, ut coronemur : spes afflictorum, qua triumphant, exponitur quum dicitur[5] : « Quia non repellet in sempiternum Dominus; » hoc est, pœnas finiet afflictorum, qui pœnas non finiet affligentium. Et notandum quod Dominus apostolis novum testamentum tradens, quum in exordio statim ad paupertatem admonet, ut fœcunditatem terrenorum cœlesti commutemus felicitate, patenter remunerationem Evangelii a remuneratione legis distinguit, quum ibi cœlestium, hic terrenorum tantum promissionem in remunerationem obedientiæ constituat. Carnalis quippe populus Israel terrena magis quam cœlestia desiderans, hoc in remuneratione accepit, quod magis concupivit, et per ea ad magis obediendum trahendus magis fuerat, quæ concupiscebat, ut hac saltem promissione a perverso retraheretur opere, si nondum animus mundari poterat ab iniquitate. Ut enim Apostolus ait[6] : « Nihil ad perfectum adduxit lex, » nec perfectionem habuit in promissis, sic nec in præceptis. [7] « Beati qui lugent. » Luctus salubris proprie convenit monachis, sive ille sit pœnitentiæ de peccato, sive dilationis a regno. Quæ duo lacrymarum genera, in Axa, filia Caleb, præfigurata sunt; cui conquerenti ad patrem, quod ei terram aridam dedisset, et irriguam postulanti, ei pater dedit tam superius irriguum quam inferius[8]. Quantum autem de peccatis tam suis quam

[1] *Act. Apost.*, cap. v, v. 41 — [2] *Thren.*, cap. III, v. 31. — [3] Isai., cap. LIII, v. 2. — [4] Psalm. LIX, v. 3. — [5] *Thren.*, cap. III, v. 31. — [6] *Hebr.*, cap. VII, v. 19. — [7] Matth., cap. v, v. 5. — [8] *Josue*, cap. xv, v. 19.

aliorum lugere conveniat monachum, Hieronymus hujus professionis maximus profitetur dicens : « Monachus non doctoris, sed plangentis habet officium, qui se et mundum lugeat, et Domini pavidus præstoletur adventum. Quid enim vita monastica, nisi quædam est districtioris pœnitentiæ forma? » Lugeant ergo monachi sive hoc, ut dictum est, sive illo modo, ut risum mereantur consolationis de quo vere dicitur : « Quoniam ipsi consolabuntur, » attendentes illud, quod apostolis Dominus promisit[1] : « Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini : sed tristitia vestra vertetur in gaudium. » Unde et e contrario reprobis ait[2] : « Væ vobis, qui nunc ridetis : quia plorabitis. » Contrariæ quippe vitæ contrarios status et exitus habent, quum nunc justi flentes postea rideant, et iniqui modo ridentes, e contrario fleant. Justi sive de perpetratione peccati, sive de dilatione regni consolationem accipiunt, quando ad vitam illam, quæ a dolore penitus est immunis, perveniunt. « Beati qui esuriunt[3]. » Post vitam continentium ad ordinem transit rectorum, ita istos instituens in duobus, sicut illos fecerat in tribus. Rectores in populo Dei, non solum ecclesiasticæ sunt potestates in sacerdotibus, verum etiam sæculares in regibus. Et notandum quod quum binarius numerus, qui conjugatis convenit teste Hieronymo[4], immundus sit, unde et opera secundæ diei laudem habere non meruerunt, et bina de immundis animantibus[5] in archam jussa sunt mitti, non incongrue continentes per ternarium, qui impar numerus est, magis quam binarium describendi esse videntur. Cæteris vero, ubi continentiæ virtus omnino non præminet, magis convenire binarius videtur. Esuries vel sitis justitiæ, desiderium magnum est in rectoribus debitæ vindictæ : ut videlicet, mala commissa tantum vindicare velint, quantum se debere cognoscunt[6], et si non tantum quantum illi meruerint, qui deliquerunt. Alioquin misericordia in eis locum non haberet, si videlicet nihil de pœna, quam rei meruerunt, relaxarent. Nam et cœlestis judex, quem terreni debent imitari, ita justitiam temperat per misericordiam, ut non tantum reos puniat, quantum illi merentur, sed quantum ipsi convenit, cujus miserationes super omnia opera ejus. Hinc enim de ipso scriptum est[7] : « Aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas. » Et rursum[8] : « Et quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. » Superexaltat quippe misericordia judicium, et magis judicem commendat quam vindictam. Hæc ergo duo in judice semper esse debent conjuncta, ut et reum puniat per justitiam, et minus quam meruerit per clementiam, quam hic dicit misericordiam. Misericordia quippe a miseris dicta,

[1] Joan., cap. XVI, v. 20. — [2] Luc., cap. VI, v. 25. — [3] Matth., cap. V, v. 6. — [4] Epist. XXX, *Opp.* t. IV, part. II, col. 241. — [5] *De immundis in archa animantibus* Cod. Vict. — [6] *Recognoscunt* Cod. Vict. — [7] Psalm. LXXVI, v. 10. — [8] Habac., cap. III, v. 2.

humana compassio est ex miseriis aliorum progressa, qua ex infirmitate animi magis quam ex virtute pœnas abhorremus, ex hoc uno quod patientem affligunt, tam eas, quæ sunt justæ, quam quæ injustæ. Talis animi compassio naturalis, sive rationalis sit, sive minime, misericordia proprie dicitur, teste Seneca[1]. Clementia autem, quæ hoc loco dicta est misericordia, rationabilis tantum dicitur compassio, per quam videlicet eis subvenire volumus, quibus debemus. Quisquis justitiam habet sine misericordia, ut videlicet vindicare velit, nec pœnam relaxare, crudelis est. Sin autem e converso, remissus est. Unde bene Dominus hoc loco rectorum mores instruens, nunquam justitiam sine misericordia exerceri approbat; ideoque hoc loco tanquam inseparabiles comites eas sibi sociat. Potest autem remissio pœnæ in his etiam, qui occiduntur, nonnulla esse, si videlicet eas abbreviare, vel genus mortis levius eligere studeamus. Alioquin illam incurrimus sententiam[2]: « Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. » Contraria quippe contrariis conveniunt, ut videlicet quemadmodum misericordes misericordia sunt digni, ita immisericordes hac mereantur privari. Denique post continentes et rectores ad conjugatos veniens, ait[3]: « Beati mundo corde. » Quum ait corde et non corpore, vitam conjugatorum voluptati carnis plurimum indulgentem, et concupiscentiæ libidini cedentem insinuat. Etsi enim admixtio conjugum habeat indulgentiam, quum in ea incontinentiæ suæ remedium quærunt, non ob voluptatem et carnis delectationem more pecudum hanc appetunt; caro tamen ex labe luxuriæ nonnullum trahit contagium et immunditiam vel fœtorem maculæ. Mundi tamen corde sunt, sed non corpore, qui hanc tantum appetunt non ad voluptatem, ut diximus, sed ad necessitatem, ne fornicando Deum offendant. Et hi quoque salvandi, non carebunt visione Dei, in qua veræ beatitudinis summa consistit. Hi quoque pacifici dicuntur, qui pugnam carnis maximam per indulgentiam conjugii vitantes, si eo rationabiliter ac mediocriter utuntur, ut ad Deum quoque pacem habeant, quem per intemperantiam non offendunt. Unde et filiis Dei sunt aggregandi, qui nunc per vinculum matrimonii servire invicem coguntur carni. De qua quidem servitute Hieronymus Apostolum dixisse intelligit[4]: « Servus vocatus es? non sit tibi curæ. Qui enim positus in conjugio, conversus est ad fidem Christi, tanquam servus, Deo inspirante, est vocatus et tractus. » Quippe quæ major servitus est dicenda, quam ut proprii corporis vir aut uxor potestatem non habeat, nec ab usu carnis abstinere, ut vel orationi vacent, nisi ex consensu, queant? Hi tamen tales filii Dei vocabuntur, quum de hac servitute ad libertatem venerint supernæ vitæ, ubi « neque nubent, neque nubentur, sed erunt

[1] *De Clement.*, II, cap. v. — [2] Jacob., cap. II, v. 13. — [3] Matth., cap. v, v. 8. — [4] *I Corinth.*, cap. VII, v. 21.

sicut angeli in cœlo[1]. » Hæc ad distinctionem prædictarum beatitudinum, hoc est virtutum, vel donorum divinæ gratiæ, quibus beati efficimur, nunc a nobis utcunque breviter dicta sufficiant : superest autem qualiter ex singulis donis beati sint dicendi, qui unum sine cæteris habuerint, quum unum mandatum Dei observare nequaquam sufficiat, immo qui omnia præter unum impleverit, ex uno etiam prætermisso damnationem incurrat. Sed, quantum mihi videtur, qui primum dixit : « Beati pauperes, » et adjecit, « spiritu, » eamdem adjectionem in cæteris subintellexit, tanquam mites spiritu, vel lugentes spiritu diceretur : ut hæc quoque vel cætera, quæ sequuntur, per spiritum Dei, quæ caritas ejus intelligitur, in istis, quæ hic memorantur, fideles non solum esse, sed etiam alios aliorum operatione faciat præminere atque abundare. Sicut enim quæ de quatuor elementis constare certum est, ex obtinenti vocabula sortiuntur, hoc est ex illo elemento, quod in eis abundat, esse maxime dicuntur : ita et hic fidelium gratiæ distinguuntur secundum hoc quod in eis abundare probatur. Illos quippe pauperes caritas Dei facere dicitur, quos in contemptu divitiarum vehementiores ac perfectiores facit. Similiter mites, quos in virtute patientiæ reliquis præfert : ac similiter de cæteris nobis sentiendum videtur. Omnes tamen beatos vel beatitudine dignos caritas Dei facit, quum qua nemo perire potest, quamvis in donis Dei istos illis perfectiores faciat. Diversa autem verba, quæ in remuneratione supponuntur, quum dicitur[2] : « Quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » vel : « Quoniam ipsi possidebunt terram, etc. » nequaquam in significatione percipiendi præmii videntur diversa ; sed identitatis fastidium fugiens, hoc Dominus variavit quadam convenientia, quam habent ad præmissa juxta proprietatem sermonis, et similitudinem rei ; quod in singulis leve est intueri. Congrue quippe pauperibus regnum cœlorum promittitur, ut qui terrenas divitias propter Deum contemnunt, cœlestes mereantur. Mitibus, qui se bene gerendo possident, possessio terræ viventium, lugentibus consolatio convenit. Esurientibus et sitientibus justitiam, saturitas, hoc est impletio desiderii sui apud Deum obtinendi ; cujus amore plurimum intendunt exercitio justitiæ in vindictam malorum. Sic et in cæteris remunerationis verbis quædam concinnitas ad beatitudines præmissas assignari potest. Non ergo Dominus tam beatitudines ipsas[3] haberi præcipit, quam in eis illos abundare admonet, qui in singulis ordinibus desiderant esse perfectiores. Nam ad perfectionis abundantiam, ipse consequenter novum se tradere testamentum hic Deo profitetur, dicens[4] : « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. »

[1] Matth., cap. XXII, v. 30. — [2] Matth., cap. V, v. 3, 4. — [3] *Istas* Cod. Vict. — [4] Matth., cap. V, v. 20.

PROBLEMA HELOISSÆ XV.

Quid est quod postmodum Dominus ait[1]: « Nolite putare quoniam veni solvere legem, » quum Joannes dicat[2]: « Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed etiam patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo? »

Solutio Abælardi.

Quum dixit: « Non veni solvere, » et postmodum addidit, « sed adimplere, » in moralibus scilicet præceptis potius quam figurativis, sicut sequentia continent, ex adimpletione quam supposuit, innuit quam solutionem mandatorum legis prius intellexerit, in moralibus scilicet præceptis. Moralia quidem præcepta sunt agendæ vitæ, sicut figuralia figurandæ. Et moralia quidem quæ naturaliter ab omnibus semper complenda fuerunt, et antequam lex scripta daretur, mores hominum ita necessario componunt, ut nisi impleatur quod in eis præcipitur, nemo unquam salvari meruerit. Qualia sunt, diligere Deum et proximum, non occidere, non mœchari, non mentiri, et similia, sine impletione quorum nemo unquam justificari potest. Figuralia vero sunt legis præcepta, quæ juxta litteram accepta, nihil justitiæ conferunt ex operatione sua, sed ad tempus instituta fuerunt, ad aliquid figurandum justitiæ, ut observatio sabbati, circumcisio, quorumdam ciborum abstinentia, et his similia. Ad moralia itaque tantum legis præcepta referendum est quod Dominus ait, se non venisse[3] solvere legem, sed adimplere: hoc est nequaquam cessare facere quod in moralibus præceptis[4] lex continet, sed in eis per Evangelium supplere quod legi deest. Lex quippe Moysi nequaquam inimicum diligi præcipit, sed amicum: nec peccatum in mente consummari docet, sed opera magis quam intentionem interdicit. Etsi enim concupiscentiam quoque lex prohibeat, non tamen ex ea reum statuit esse putandum: nec concupiscere prohibet, nisi res ejus, quem, juxta litteram, proximum definit, hoc est ejus, qui de populo suo nunquam est alienigena. Non enim omnem hominem, juxta litteram, lex proximum dicit, sed patenter alienigenam a proximo distinguit, quum dicit Judæum nequaquam fœnerari proximo, sed alieno.

PROBLEMA HELOISSÆ XVI.

Quomodo etiam Evangelii abundantiam præfert imperfectioni legis, dicens[5]: « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum aut phariseorum, non

[1] Matth., cap. v, v. 17. — [2] Joan., cap. v, v. 18. — [3] *Venire* Cod. Vict. — [4] *Præceptis* deest Cod. Vict. — [5] Matth., cap. v, v. 20.

intrabitis in regnum cœlorum ? » Aut quomodo, ut Apostolus ait [1], reprobatio sit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem? Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Quum enim Dominus diviti quærenti, quomodo vitam æternam possideret, respondit de duobus mandatis dilectionis, quæ in lege sunt [2] : « Hoc fac, et vives, » et Apostolus dicat [3] : « Qui diligit proximum, legem implevit : nam non adulterabis, non occides, etc., » et iterum [4] : « Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis, est dilectio; » quomodo ad perfectionem mandatorum deest aliquid legi, quum illa etiam duo præcepta dilectionis Dei et proximi sufficere omnino videantur, nec aliquid perfectionis deesse?

Solutio Abælardi.

Quum ait Dominus : « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisæorum, » subaudis justitia : non ait, justitia legis. Unde et [quum] in sequentibus ait [5] : « Audistis quia dictum est antiquis : diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum, » nequaquam hoc in lege reperiri potest, sed magis in traditionibus scribarum et pharisæorum legi superadditis, de quibus Dominus ait [6] : « Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. » Præsertim quum de dilectione inimici, vel etiam de beneficiis ei impendendis, lex ipsa præcipiat dicens [7] : « Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed levabis cum eo. » Et in Psalmista [8] : « Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. » Et Salomon in *Proverbiis* [9] : « Ne dicas, reddam malum pro malo : expecta Dominum, et liberabit te. Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exultet cor tuum : ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam. Ne dicas : quomodo fecit mihi, sic faciam ei, reddam unicuique secundum opus suum. » Item [10] : « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitierit, da ei aquam bibere. Prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi. » Et beatus Job [11] : « Si gavisus sum, » inquit, « ad ruinam ejus, qui me oderat, et exultavi, quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus. » Non ergo antiquis hoc jussum vel concessum fuit in lege, ut odio haberent inimicum, sed magis, ut dictum est, in traditionibus hominum, quam in præceptis Dei habebatur. Quum ergo dicit Dominus [12] : « Plus quam scribarum et pharisæorum, » non plus quam legis : nequaquam hinc cogimur

[1] *Hebr.*, cap. VII, v. 18. — [2] Luc., cap. X, v. 28. — [3] *Rom.*, cap. XIII, v. 8. — [4] Ibid., v. 10. — [5] Matth., cap. V, v. 43. — [6] Matth., cap. XV, v. 6. — [7] *Exod.*, cap. XX , v. 4. — [8] Psalm. VII, v. 5. — [9] *Prov.*, cap. XX, v. 22. — [10] *Prov.*, cap. XXV, v. 22. — [11] *Job*, cap. XXXI, v. 29. — [12] Matth., cap. V, v. 20.

fateri Dominum hanc abundantiam Evangelii præferre imperfectioni legis. Non tamen ideo minus concedimus legem in præceptis suis ita imperfectam fuisse, ut ei necessarium esset Evangelium succedere : sicut et Apostolus, ut supra meminimus, patenter profitetur. Sed nec præceptum de dilectione proximi, ante adventum Christi perfectum esse potuit; quod ipse veniens, et proximus noster factus, tam susceptione carnis, quam exhibitione dilectionis, perfectum fecit : ut jam quilibet eum tanquam proximum diligens, ex hac perfectus dilectione fiat. Unde et eidem diviti requirenti quis esset proximus ejus, parabolice respondens, se illum proximum esse significavit, quem ille Samaritanus expressit, qui vulnerati misertus est : et quem ex affectu compassionis ipse quoque dives vere proximum fuisse professus est. Sive ergo in lege habeatur[1] : « Diliges amicum tuum, » sive « proximum, » ut eum videlicet ibi proximum intelligamus, qui vel cognatione, vel amore est nobis conjunctus : nemo rectius proximus noster, quam Christus est dicendus, ut in eo nunc dilectio proximi perfecta sit facta, quæ antea fuerat imperfecta, quamdiu videlicet statum suum lex habuerit, quæ usque ad Joannem vigorem suum custodivit. Prius ergo imperfecta, quamdiu lex proprie fuit dicenda, ut ei obediendum esset per omnia : pro hac ipsa imperfectione sui reprobata est, evangelicæ doctrinæ superveniente perfectione, ubi quidquid est necessarium, liquide magis quam parabolice est expressum. Nam etsi diligenter legis litteræ insistamus, quo soli populo Judæorum data est, nequaquam proximus nisi eorum est intelligendus. Unde nec per Christum illud præceptum de dilectione proximi, ad alios pertinere videtur, quum ipsi soli sub lege continerentur. Quapropter necessario succedere legi Evangelium debuit, omnibus generaliter injunctum, ut omnes debeant salvari per ipsum. Ad prædictum itaque proximum, id est Christum Apostolus respexit, quum eo præmisso[2] : « Qui diligit proximum, legem implevit; » statim hoc tanquam pro probatione adjunxit : « Nam non adulterabis, non occides, etc. » Si enim Judæus hunc inter proximos suos comprehensum diligat, sicut ipse ait : « Si quis diligit me, mandata mea servabit, » in nullo adulterio, in nullo peccabit homicidio : et omnia similia, quæ in lege sunt, evitabit, et justitias ejus complebit.

PROBLEMA HELOISSÆ XVII.

Quid est etiam, quod in sequentibus Dominus ait[3] : « Neque per caput tuum jurabis : quia non potes unum capillum album facere aut nigrum ; » tanquam si hoc facere posset, jurare per caput liceret?

[1] Matth., cap. v, v. 43. — [2] *Rom.*, cap. XIII, v. 8. — [3] Matth. cap. v, v. 36.

Solutio Abælardi.

Replicanda sunt, quæ in proximo sunt præmissa, ut ex illis, et de hoc facilius judicemus. « Dico, » inquit[1], « vobis, non jurare omnino : neque per cœlum, quia thronus Dei est : neque per terram, quia scabellum est pedum ejus : neque per Hierosolymam, quia civitas magni regis est; neque per caput tuum, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. » Quatuor itaque sunt, cœlum scilicet, terra, Hierosolyma, caput nostrum, per quæ jurare prohibemur : quia hæc maxime in juramento ponimus, quæ venerabiliora æstimamus, ut ex his amplius nobis credatur. Hæc autem veneratione digna majore videntur, quæ ad Deum maxime constat pertinere : ut cœlum, quod dicitur thronus Dei, hoc est anima Christi, cui specialiter divinitas insidet, et in ea plenius per gratiam inhabitat. Terra, quæ scabellum Dei dicitur, humanitas est Christi, tanquam terrena et inferior in Christo creatura. Hierosolyma, civitas Dei, sancta est Ecclesia : cujus caput ipse est Christus. Capilli adhærentes capiti, et ipsum adornantes vel protegentes, eloquia sunt divina quibus Christus commendatur, et per fidem in nobis conservatur : horum quædam alba, quædam nigra dicuntur, quum aliorum intelligentia clara sit et manifesta : aliorum obscura, sicut illorum maxime quæ sunt allegorice dicta. Quorum quidem nullum sive album sit, ut dictum est, sive nigrum, nostrum non est facere : quia eloquia Dei non sunt inventionis humanæ, nec nostra sunt documenta, sed divina. Quod ergo ait : « Non jurabis per caput tuum : quia non potes etc., » tale est : Non debes Christum in juramento ponere, quod ejus solius summæ Dei sapientiæ sit hæc invenire, quorum alia, ut diximus, alba sunt, alia nigra. Similiter quum jubet ut nec juremus per cœlum, quod thronus Dei est, sic accipe : ut non ideo per ipsum jurare eligamus, quia tantæ dignitatis est, quod cæteris eminet creaturis. In his itaque verbis negativum adverbium præpositum orationi, causam ipsam excludit, non interpositum ipsam relinquit atque constituit. Aliam quippe vim negativa particula habet toti orationi præposita, ut totam scilicet simul neget, aliam interposita, ut uni tantum illius orationis parti apposita. Aliud quippe est dicere : non quia hoc fecisti, peccasti; aliud dicere : peccasti, quia hoc non fecisti. Ibi namque causa removetur peccandi, ut videlicet non propter hoc peccaverit, ut hinc eum certum sit non peccasse, ubi causa ad hoc intercesserit. ibi vero non ostenditur quod non peccaverit, sed hoc tantum quod non propter hoc peccaverit, ut videlicet causa peccati potius quam peccatum ipsum removeatur. Tale est ergo quod de juramento Dominus præcipit vel adhortatur, ut,

[1] Matth., cap. v, v. 34 et 35.

quia periculosum est jurare, ne perjuremus, omnino, quantum possumus, hoc caveamus, ne aliqua dignitate, quam res habeat, per ipsam jurare appetamus, sive ipsa sit Deus, ut pote Christus, seu quæcunque creatura ex Deo præ cæteris aliquid dignitatis adepta. Jurare autem per aliquid, est nos ei cui juramus, concedere, ut nihil utilitatis in ea re, per quam juramus, habeamus ulterius, nisi hoc, quod juramento firmamus, verum sit. Quum autem in ecclesiasticis causis omnis controversiæ, ut Apostolus ait [1], finis sit juramentum; non hoc loco Dominus præcipit non jurare, sed magis adhortatur. Quædam namque præcipiuntur, quædam prohibentur, quædam suadentur, quædam permittuntur. Præcipiuntur illa sive prohibentur, sive quibus vel cum quibus nos salvari diffidimus. Mala itaque prohibentur omnia, et bona præcipiuntur, non omnia, sed illa tantum, quæ saluti necessaria videntur : ut credere in Deum, et diligere non tam ipsum quam proximum, non adulterari, et similia. Illa vero bona, quæ non ita necessaria sunt, sive quia strictioris, vel laxioris sunt vitæ, et tanquam nimis alta, vel nimis infima, sub præcepto non clauduntur, sed vel persuasionem consilii habent, ut virginitas, vel indulgentiæ permissionem, ut nuptiæ. Quippe si præceptum ad virginitatem cogeret, damnarentur nuptiæ : vel si ad nuptias, damnaretur virginitas. Consilium itaque sive persuasio, est de potioribus bonis, permissio vero, de minoribus, hoc est, quæ minoris sunt meriti, quando consilium de melioribus aliqua diffidentia vel dispensatione non suscipitur. Quæ ergo tam fieri, quam dimitti licet, præceptum non habent, sed admonitionem, ut omnino non jurare, vel permissionem, ut hoc fiat pro necessitate : veluti quum ad inquisitionem veritatis, testibus opus est. Permissio autem est, quum dicitur [2] : « Unusquisque habeat uxorem suam propter fornicationem; » præceptio vero, quum dicitur [3] : « Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. » Persuasio vero consilii, quum statim supponitur [4] : « Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. »

PROBLEMA HELOISSÆ XVIII.

Quid est in eodem evangelista [5] : « Nolite solliciti esse dicentes : quid manducabimus? » Et rursum [6] : « Nolite solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit enim diei malitia sua. » Nunquid enim providentiam prohibet futurorum? Nunquid et ipse Dominus eum qui turrem vult ædificare, de sumptibus cogitare admonet? Et Apostolus [7] : « Qui præest, » inquit, « in sollicitudine; » sicut et ipse faciebat, de seipso dicens [8] : « Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum. »

[1] *Hebr.*, cap. VI, v. 16. — [2] *I Corinth.*, cap. VII, v. 2. — [3] Ibid., v. 27. — [4] Ibid., ibid. — [5] Matth., cap. VI, v. 31. — [6] Ibid., v. 34. — [7] *Rom.*, cap. XII, v. 8. — [8] *Corinth. II*, cap. XI, v. 28.

Solutio Abælardi.

Sollicitudinem proprie Dominus dicit superfluam curam de futuris, quando videlicet pro aliquibus præparandis, magis necessaria dimittuntur : ut si pro apparatu crastinorum ciborum, prætermittamus orando quærere a Deo regnum suum, hoc est tales nos facere, ut in nobis ipse, non peccatum regnet. Crastinus enim ut tanquam si diceret : Ne affligatis vos superfluis curis, pro tempore futuro, antequam veniat : quia quum ipsum venerit, satis sollicitudinis afferet ex se ipso, illis, qui de necessariis minus in Domino confidunt, non attendentes illud prophetæ[1] : « Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. » « Sufficit enim diei, etc. » hoc est, unicuique tempori vitæ hujus ærumnosæ suæ sollicitudinis pœna sufficere debet, quam videlicet affert nobis ex superfluis curis pro temporalibus, dum pro his æternorum obliviscimur. Sollicitudinem vero in bono, vel in his, quæ ad æternam pertinent vitam, dicit Apostolus providentiam, hoc est, rationabilem de futuris, vel pro futuris curam : si videlicet temporalia provideamus propter æterna, ut his sustententur quodam viatico necessario qui ad illa festinant.

PROBLEMA HELOISSÆ XIX.

Quid illud est[2], quod sequitur[3] : « Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini? » Quid enim si injustum fecerimus judicium? nunquid simile recipiemus?

Solutio Abælardi.

Nolite judicare, hoc est, ne præsumatis de incertis aliquem certa sententia gravare. Quum enim iratus patet, de se ipsa res judicat, non tu. Hinc et Apostolus[4] : « Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita cordium. » Venit Dominus occulta revelando, quum ejus dispositione, quæ latebant, apparent, vel quum secundum legem ejus aliquid discutiendum investigamus, vel de probatis pœnam inferimus : et tunc potius ipse judicat, vel punit, quam nos. « In quo enim judicio judicaveritis, judicamini. » Ac si diceret : Ideo non debetis in judicio præsumere, ut alios appetatis gravare : quia consimile judicium gravaminis incurretis apud Deum. Non ait denique : Ne judicetis; sed : « Nolite judicare, » ut non hoc scilicet sponte appetamus, quod tamen nonnunquam facere cogimur, officio judicis nobis commisso.

[1] Psalm. LIV, v. 23. — [2] *Quid est illud* Cod. Vict. — [3] Matth., cap. VII, v. 1. — [4] *Corinth. I*, cap. V, v. 4.

PROBLEMA HELOISSÆ XX.

Quærimus et illud, quod in sequentibus adjungit[1]: « Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex et prophetæ. » Si quis enim vult ut in malo sibi quisquam consentiat, nunquid debet illi præbere consensum in re consimili?

Solutio Abælardi.

Duo legis naturalis præcepta sunt circa dilectionem proximi: unum scilicet, quod hoc loco ponitur; alterum, quod in *Tobia* legimus, ipso ad filium dicente[2]: « Quod ab alio odis fieri tibi, vide ne alteri tu aliquando facias. » Sicut ergo id malis, ita illud de bonis accipiendum est. Ut videlicet, sicut mala nolumus nobis inferri, sic nec aliis inferamus, et e contrario, bona, quæ nobis ab aliis volumus conferri, aliis impendere simus parati. Quum ergo dicitur: « Quæ vultis ut faciant vobis homines, » tale est: Quod approbatis in conscientia vestra vobis ab aliis debere fieri. Nullus enim in conscientia approbat, sibi consentiendum esse in malo, sed in his, quæ bona æstimat, et fieri digna. Sic et Apostolus quum ait[3]: « Non quod volo, hoc ago: » volo dixit pro fieri approbo. Sed quid est, quod ait: « Omnia quæcunque vultis? » Multi quippe pro dignitate, vel diversitate personarum, multa sibi debere fieri censent, quæ nequaquam aliis se debere recognoscunt: ut in prælatis videmus et subjectis, quum isti multa exigant ab illis, ut sibi fiant, quæ nequaquam illis facere debent. Sed profecto sic est accipiendum, ut quæcunque fieri debere nobis ab hominibus credimus, parati essemus et illis facere, non quidem quibuscunque, sed nostri similibus, hoc est, qui hæc a nobis suscipere digni essent, sicut nos ab illis. Illud quoque Tobiæ: « Quod ab alio odis fieri tibi, vide ne alteri tu aliquando facias, » nonnihil habet quæstionis, quum is scilicet, qui alium propter justitiam occidit, nunquam ab alio id sustinere velle possit. Sed quia quum quis justitiam propter Deum exercet; Deus potius id quam ille facit, sicut dudum superius diximus, præcipitur ut quod odit fieri sibi, ipse alteri ne faciat: quia quum aliquem recte punit, Deus hoc potius, vel lex, quam homo facit.

PROBLEMA HELOISSÆ XXI.

Quid est, ut ait Apostolus, « sine intermissione orare[4]? »

Solutio Abælardi.

Nullum tempus, quo debeamus orare, prætermittere.

[1] Matth, cap. VII, v. 12. — [2] *Tob.*, cap. IV, v. 16. — [3] *Rom.*, cap. VII, v. 15. — [4] *Thess. I*, cap. V, v. 17.

PROBLEMA HELOISSÆ XXII.

Quid est illud in Matthæo de fide centurionis rogantis pro servo[1] : « Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit : « Amen dico vobis, non in- « veni tantam fidem in Israel? » Non enim aliquid mirari dicuntur, nisi qui inspe- ratum aliquid accidere vident, quod nullatenus eventurum antea sciebant, vel credebant.

Solutio Abælardi.

Miratus esse dicitur, quia similem miranti se fecit; vel[2] quia mirari alios fecit de fide centurionis, quem in tantum extulit.

PROBLEMA HELOISSÆ XXIII.

Quid est illud in Luca[3] : « Omnipotenti tribue, et qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas? »

Solutio Abælardi.

Quum ait, « tribue, » non subjunxit, illud quod petit : sed in hoc innuit neminem petentem nos vacuum a dono dimittere, ut saltem in nostra responsione nos convenienter excusando, non illum exacerbare, sed caritate in eo studeamus ædificare : ut blanda vel conveniens responsio, aliquod sit gratiæ donum. « Tua ne repetas, » hoc est, quia tua sunt, ut in te videlicet potius quam in Deo repetitionis finem constituas. Non enim religiosus excedit, si qua sibi oblata quæ propter Deum possidebat, propter ipsum repetat[4], et illa in bonos usus expendat, et violentorum liberet a rapina. Nam et quum in proximo supponit[5] : « Et si diligitis eos qui vos diligunt, et si bene feceritis eis qui bene faciunt vobis : quæ vobis est gratia? » Quum dicit : « Qui vos diligunt, » simile est ei : « Ne repetas quæ tua sunt, » hoc est, quia vos diligunt sicut, quia tua sunt. Alioquin iniquum esset non nos diligere eos a quibus diligimur, quum omnes diligere præcipiamur : nec ipsum etiam, qui nos diligit, Deum, sicut ipsemet ait[6] : « Ego diligentem me diligo, » quem potius propter ipsum, quia summe bonus est, quam quod nobis utilis est, summo amore debemus diligere. Hæc est ordinata caritas, ut unumquemque, prout melior ac dignior est, ob hoc amplius diligamus; hoc est, ut ei melius sit desideremus, sicut et justum est.

PROBLEMA HELOISSÆ XXIV.

Quomodo dicit Dominus[7] : « Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed

[1] Matth., cap. VIII, v. 10. — [2] Cod. Vict. - *Vel* deest Edd. — [3] Luc., cap. VI, v. 30. — [4] *Si sibi quæ oblata propter Deum possidebat* Cod. Vict. - [5] Luc., cap. VI, v. 32. — [6] *Prov.*, cap. VII, v. 17. — [7] Matth., cap. XV, v. 11.

quod procedit ex ore? » Nunquid qui comedit de rapina, vel quod illicitum credit, etsi licitum sit, vel qui sacrificium indigne accipit, ex his peccati maculam non incurrit? Dicit Apostolus de quibusdam Judæis ad fidem conversis, et adhuc propter legem quosdam cibos ab aliis discernentibus, tanquam immundos; dicit, inquam[1]: « Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non ex fide, peccatum est. » Dicit et de his, qui pro reverentia idoli vescebantur idolothytis[2]: « Quidam usque nunc conscientia idoli, quasi idolothytum manducant, et conscientia ipsorum quum sit infirma, polluitur. » Quomodo ergo nunc dicit Dominus, quia « quod in os intrat non coinquinat hominem, sed magis quod de ore procedit? »

Solutio Abælardi.

Ex hoc loco præcipue in quo sit peccatum accipiendum Dominus diligenter distinxit, et Judæos redarguens super hoc, nos instruxit. Illi quippe ad opera magis quam ad animum respicientes, ex his, quæ fiunt exterius, magis ex hoc, quod in mente habetur, tam bona, quam mala dijudicant. Dominus vero ad intentionem cuncta reducens, ex his potius, quæ in corde sunt, quam ex his quæ apparent in opere, damnari hominem censet: nec animam pollui judicat, nisi ex his, quæ in ea sunt, et ipsam contingunt, ut sint animarum maculæ spiritales, sicut corporum sunt sordes corporales. Unde et consequenter exponens quod dixerat, « sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem, » ait[3]: « Quæ autem procedunt ex ore, de corde exeunt: et ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. » Ac si aperte dicat: Sordes manuum corporales animam non attingunt, ut eam polluere peccato possint. Cogitationes quæ inquinant, de corde exeunt, quum ad hoc perpetrandum consentimus, quod cogitavimus. Ubi autem non est sensus, non potest esse consensus, sicut in parvulis, aut stultis: qui si[4] faciunt quod non debent, nullum in hoc eis peccatum imputatur; nec homicidium, vel adulterium, nec aliquod peccatum Dominus dicit, nisi quod ex corde procedit, hoc est, nisi quum hæc illicita recognoscimus, ad quæ nos inclinat consensus. Sicut ergo cogitationes exeunt de corde, quum per consensum ad opera tendunt, ita homicidium, et adulterium et cætera peccata de corde docet exire, nec aliter peccata esse, nisi per consensum prius fuerint in corde, quam exhibeantur in opere. Postquam enim his agen-

[1] *Rom.*, cap. XIV, v. 23. — [2] *Corinth. I*, cap. VIII, v. 7. — [3] Matth., cap. XV, v. 18. — [4] Cod. Vict. — *Qui sic faciunt* Edd.

dis, quæ scit sibi non licere, aliquis consentit, is consensus proprie peccatum dicitur, et homicida seu mœchus ex hoc uno apud Deum tenetur. Unde et Veritas ipsa[1] : « Qui viderit, » inquit, « mulierem ad concupiscendum eam, » hoc est, qui, inspecta illa, venerit ad concupiscentiæ consensum, « jam mœchatus est eam in corde suo, » hoc est, peccatum habet in animo perfectum, etsi nondum sit in opere consummatum. Quum aliquid manducandum male sumimus, quia hoc nobis illicitum credimus, nequaquam cibus ille, qui in os intrat, animam polluit : sed jam hoc fecerat præcedens conscientia nostra, nec quidquam ad peccatum refert, quod nunc ore sumimus, sed quod ad sumendum consenseramus.

PROBLEMA HELOISSÆ XXV.

Quid est illud in Matthæo, quod Dominus quibusdam civitatibus improperans, ait[2] : « Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim pœnitentiam egissent in cilicio et cinere? » Salvare quippe Dominus homines venerat, unde et Jesus, id est Salvator, proprio dictus est vocabulo. Cur ergo Tyro et Sidoni civitatibus gentilium illa beneficiorum miracula subtraxit, per quæ salvarentur, et ea illis exhibuit, quibus nocitura magis, quam profutura sciebat? Sed inquies : Quia, sicut ipsemet profitetur, non erat missus nisi ad oves quæ perierunt[3] domus Israel. Sed dico : Cur ad eas, nisi ut salvarentur? Si autem ut salvarentur, quid eis profuit ea sibi fieri, per quæ gravius damnarentur : nec sunt ad pœnitentiam conversi, sed in sua obstinatione permanentes? Unde et ipsemet Dominus supponit[4] : « Verumtamen dico vobis, Tyro, et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis. » Denique et Samaritanorum multos refert Joannes[5] ad verbum ejus credidisse, et eum nonnulla miraculorum beneficia gentilibus etiam tam in viris quam in feminis exhibuisse, per quæ illi crederent, vel in fide firmarentur : sicut est illud de puero Centurionis[6], et de filia Syrophœnissæ[7], de ipsius Tyri finibus egressæ.

Solutio Abælardi.

Revera Dominus Jesus ad solos Judæos in persona propria missus fuit. Quod ergo circa gentiles misericorditer egit, non ex officio missionis fecit, sed ex gratia, debito superaddidit, attendens quod et ipsemet ait[8] : « Quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : « Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, « fecimus. » Ac si aperte dicat : Ne pro magno habeatis, si obedientiæ debitum im-

[1] Matth., cap. v, v. 28. — [2] Luc., cap. x, v. 13. — [3] *Quæ perierunt* desunt Cod. Vict. — [4] Luc., cap. x, v. 14. — [5] Joan., cap. iv, v. 39. — [6] Matth., cap. viii, v. 5. – Luc., cap. vii, v. 2 et sq. — [7] Marc., cap. vii, v. 26. — [8] Luc., cap. xvii, v. 10.

pleatis, nisi insuper aliquid gratiæ debitis adjungatis, sicut illi faciunt, qui virginitati vel continentiæ student, virtuti nequaquam sub præcepto comprehensæ. Denique nec illa beneficia gentilibus præstita tam missus facere venit, quam invitatus, et quasi precibus ad hæc agenda tractus. Quod vero illis prædicationem subtraxit, quos ad pœnitentiam sic fuisse convertendos testatur, nequaquam cogimur per hoc fateri eos in hac pœnitentia perseveraturos ut salvarentur. Multi quippe leves sunt homines, qui ad pœnitentiæ compunctionem facile commoventur, et eadem facilitate, quasi ad vomitum revertentes, in mala, quæ fleverant, relabuntur : et quum auditum verbum prædicationis avide susceperint, firmitatem non habent radicis, ut in eo perseverent, quod cœperint. Quod si etiam ponamus illos ad prædicationem Domini fuisse convertendos atque salvandos, quibus tamen prædicationis gratiam subtraxit : penes ipsum est, cur hoc facere non decreverit, qui nihil sine ratione facit; sicut de Esau, cui subtracta est gratia, quæstionem Apostolus movit, et eam indiscussam reliquit.

PROBLEMA HELOISSÆ XXVI.

Quærendum etiam videtur, quo mysterio, vel qua ratione Dominus in ficulnea quærens fructum, et non inveniens, quando, ut Marcus ait[1], non erat tempus ficorum, eam tamen sua maledictione percussam continuo effecit aridam, ut deinceps arefacta permaneret, tanquam ex culpa quacunque arboris, hanc maledictionem in eam intorsisset.

Solutio Abælardi.

Arbor, sine fructu reperta, Judæa est pro sua nequitia tunc a Domino reprobata, ut boni operis fructu privari mereretur, nequaquam recognoscens suæ visitationis tempus. Culpa autem ejus accidit, quod tunc tempus fructuum ejus non fuerit : quando videlicet dominicæ prædicationis gratiam sibi oblatam repulit.

PROBLEMA HELOISSÆ XXVII.

Quid est[2], « oratio ejus fiat in peccatum ? »

Solutio Abælardi.

Ita in reprobum sensum tradatur, ut magis eligat orare nociva, quam profutura, et obtinere precibus ea, quæ ad peccatum magis pertrahant, quam ad salutem perducant.

[1] Marc., cap. XI, v. 13. — [2] Psalm. CVIII, v. 7.

PROBLEMA HELOISSÆ XXVIII.

Ex epistola prima Pauli *ad Thessalonicenses*[1] : « Ipse autem Deus pacis sanctificat vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. » Quid est spiritus et anima, tanquam anima non sit spiritus, aut duo spiritus sint in uno[2] homine ?

Solutio Abælardi.

Spiritum pro ratione, hoc est animi discretione hoc loco ponit Apostolus, sicut et ibi[3] « spiritus adversus carnem. » Tale est ergo, integer sit spiritus vester, hoc est, ratio ita perfecta vel incorrupta, ut in nullo per errorem exorbitet a veritate[4]. Animam vero dicit voluntatem, juxta illud[5] : « Qui amat animam suam perdet eam. » Hoc est, qui suam hic voluntatem sequitur, postmodum sua voluntate privabitur : ut qui hic voluntatem suam impleverit, quod voluerit in futuro non habeat. Anima itaque nostra, id est voluntas, integra est, quando a divina non discrepat. Corpus quoque integrum servatur, quum exercitium corporalium sensuum non corrumpitur illecebris carnalibus, nec oculus noster animam nostram deprædatur, « neque mors intrat per fenestras nostras[6]. » In his vero tribus per omnia sanctificatur, quum nec in discretione rationis, nec in exæstuatione nostræ voluntatis, nec in oblectatione sensuum excedimus, ut caro spiritui dominetur. Sic tunc profecto sine querela, hoc est, sine reprehensione servamur usque in adventum Domini : quum tales perseveramus usque ad extremum judicium, vel tales tunc inveniri meremur.

PROBLEMA HELOISSÆ XXIX.

Quid est illud ad Ephesios[7] : « ... ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum, scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei ? »

Solutio Abælardi.

« Possitis comprehendere, » hoc est, in vobismet ipsis experiri, quanta sit latitudo ipsorum, scilicet sanctorum, in caritate, per quam se usque ad inimicos etiam dilatant. « Longitudo, » id est longanimitas perseverantiæ, caritatis, vel patientiæ in adversis, per ipsam scilicet caritatem, quæ omnia suffert, omnia sustinet. « Sublimitas eorumdem et profundum, » hoc est, quam magni sint ex his duobus apud Deum per meritorum quantitatem, et quam parvi vel infirmi apud

[1] *Thessal. I*, cap. v, v. 23. — [2] *In uno sint* Cod. — [3] *Galat.*, cap. v, v. 17. — [4] *Exorbitet veritatem* Cod. — [5] Matth., cap. x, v. 39. — [6] Jerem., cap. ix, v. 21. — [7] *Ephes.*, cap. iii, v. 19.

se per humilitatem. Profundum quippe imum dicit vel humile. Quam magni vero sint ac sublimes Deo, in remuneratione sua experientur, ubi tanto amplius merentur exaltari, quanto hic humiliores extiterint; et tanto plus a Deo recipere, quanto minus hic ex se recognoscunt habere. Hæc autem quatuor, latitudo [1] scilicet sanctorum, vel Ecclesiæ, quæ corpus Christi est, in ipsa ejus cruce, cui ejus corpus affixum est, præfiguratum esse intelligunt. In latitudine quidem crucis, ad dexteram et in sinistram, ubi manibus affixis extensus est, latitudo caritatis inimicos etiam amplectentis, qui nobis tanquam in sinistra sunt, hoc est, in adversitate, sicut amici in dextera, designatur. Manus affixæ in dextera et sinistra crucis parte opera sunt caritatis, ad inimicos pariter et amicos in beneficiis dilatata. Quam profecto latitudinem caritatis de ipsa cruce Dominus nobis exhibuit, quum et curam matris gerens, eam discipulo commendavit, et pro crucifigentibus exoravit. Sicut autem latitudo dextrorsum et sinistrorsum tendit, ita longitudo sursum et deorsum respicit, in qua ipse Dominus a capite usque ad pedes in cruce stetit erectus. Ex qua quidem longitudine illa ejus perseverantia patientiæ figuratur, usque ad consummationem vitæ ipsius, sive redemptionis nostræ. De qua ipsemet ait [2] : « Consummatum est. » Et Apostolus [3] : « Factus, » inquit, « obediens usque ad mortem. » Sublimitas crucis, additio illa est, in qua titulus scriptus est super caput Domini. In quo certe titulo nomen ejus præscriptum, quod est, Jesus, illud est excellentissimum, de quo idem Apostolus adjecit [4] : « Propter quod est Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen. » In electis quoque illa superior pars addita significat illud in remuneratione sanctorum, quod supra merita ipsis est collatum ex gratia, juxta illud ejusdem Apostoli [5] : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. » Profundum, hoc est, inferior pars crucis, per quam terræ affixa stat, humile est et abjectum crucis patibulum, sive genus mortis ignominiosum, quo maxima Christi humilitas commendatur, et ipse amplius exaltari meruit, sicut supra meminimus ibi [6], « propter quod et Deus exaltavit illum, etc. » De hoc genere mortis prædictum fuerat ex persona impiorum [7] : « Morte turpissima condemnemus eum. » In electis etiam illa pars inferior crucis, qua terræ infixa tenetur, virtutem exprimit humilitatis, qua ipsi se pulveri et terræ comparantes quanto se amplius hic humiliant et minores reputant, tanto postmodum exaltari merentur. Et hæc quidem humilitas eorum, firmos et erectos eos tenet in culmine virtutum : sicut illa pars crucis [8] terræ affixa firmam eam et erectam tenet. Post caritatem sanctorum, transit ad summam

[1] Sic Ed. – Forte legendum : *Latitudinem etc., scilicet, longitudinem, sublimitatem, profundum sanctorum, etc.... præfigurata esse intelligunt.* — [2] Joan., cap. XIX, v. 30. — [3] *Philipp.*, cap. II, v. 8. — [4] Ibid., v. 9. — [5] *Rom.*, cap. VIII, v. 18. — [6] *Philipp.*, cap. II, v. 9. — [7] *Sapient.*, cap. II, v. 20. — [8] Sic Cod. Vict.–*Crucis* deest in Ed. Amb.

Christi caritatem, quam nobis exhibuit, et nos eum scire, ac semper attendere admonet, ut ejus comparatione humiliores ac ferventiores in ejus dilectione teneamur. Hanc utique Christi caritatem supereminentem scientiæ nostræ dicit : quia longe major est, quam nos comprehendere intelligentia, vel experientia possimus. Quum autem hanc Christi caritatem considerantes, eam nostræ conferemus incomparabiliter superiorem : tunc, ut dictum est, humiliores ac ferventiores effecti, implebimur omni perfectione virtutum a Deo nobis collata.

PROBLEMA HELOISSÆ XXX.

Quid est illud in primo libro *Regum*, quod de Helchana dicitur[1] : « Et ascendebat vir ille statutis diebus, ut adoraret ? » Qui, vel a quo statuti sunt dies isti?

Solutio Abælardi.

Rabanus Maurus *in libris Regum*, ex sententia cujusdam Hebræi, quem in plerisque sequitur secundum litteram[2] : « Quod autem dicit, « statutis diebus, » hoc est, tribus festivitatibus, Pascha videlicet, Pentecoste, et solemnitate tabernaculorum. Unde Dominus in *Exodo* præcepit, dicens[3] : « Tribus vicibus per « singulos annos mihi festa celebrabitis. » Et item[4] : « Ter, » inquit, « in anno « apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo, in loco, quem « elegerit Dominus Deus tuus. » Ergo in Silo quum esset eo tempore arca Domini, ibi hic Helchana, quum esset ipse Levita, post oblatas victimas, cum uxoribus, et filiis, atque filiabus pariter vescebatur. »

PROBLEMA HELOISSÆ XXXI.

Quid est postmodum, quod Anna respondit Eli sacerdoti[5] : « Nequaquam, » inquit, « Domine mi : nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque, et omne, quod inebriare potest, non bibi : sed effudi animam meam in conspectu Domini. Ne reputes ancillam tuam, sicut unam de filiabus Belial ? »

Solutio Abælardi.

Infelicem se dicit, quasi probrosam; quia maledicta sterilis, et quæ semen non reliquit in Israel. Unde et illud est Elizabeth[6] : « Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. » Unde et illud est *Deuteronomii* quod Dominus inter cætera promittit populo, pro præceptorum observantia[7] : « Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in homini-

[1] *Reg. I*, cap. I, v. 3. — [2] H. Rabani Mauri *Opera*, Coloniæ Agrippinæ, 1626; in-fol., t. III, p. 47. — [3] *Exod.*, cap. XXIII, v. 14. — [4] *Exod.*, ibid., v. 17. — [5] *Reg. I*, cap. I, v. 15. — [6] Luc., cap. I, v. 25. — [7] Cap. VII, v. 14.

bus, quam in gregibus tuis. » Quod vero ait : « Vinum, et omne, quod inebriare potest, non bibi ; » magnam laicæ feminæ vel conjugatæ perfectionem exprimit. Quam profecto abstinentiam si tunc agebat, ut ejus orationem facilius exaudiret Dominus, de partu, quem postulabat, quanto magis virgines Christi, quæ spiritali, ac longe meliori fructui student, ista decet abstinentia? Filias Belial specialiter appellat, quas sibi diabolus tanquam propriam prolem generat. Ebrietas quippe statum mentis evertit; et quidquid imaginis Dei per rationem habemus, extinguit; ut jumentis insipientibus comparandi, efficiamur sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus. Antiquus hostis, et diabolus dicitur, hoc est, deorsum fluens; et Zabulus, sive Satanas, quod in latinum sonat adversarius, sive transgressor; et Belial, hoc est, absque jugo. Quod quidem nomen hoc loco propter ebrios recte positum est : quum ebrii, tanquam insani, nulli Dei vel disciplinæ jugo subjaceant. Tales ergo dicit filias Belial, quales furibundæ Bacchi sacerdotissæ describuntur.

PROBLEMA HELOISSÆ XXXII.

Quid est etiam illud de Anna[1] : « Vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati? »

Solutio Abælardi.

Hilarem tantum faciem, et non mœstam vel flebilem deinceps exhibuit.

PROBLEMA HELOISSÆ XXXIII.

Quid et illud est[2] : « Oravit Anna, et ait : « Exultavit cor meum in Domino? etc. » Hoc quippe canticum verba gratiarum, vel prophetiæ potius habet, quam orationis.

Solutio Abælardi.

Quantum æstimo, ante canticum orationem præmisit : quo ejus canticum, vel actio gratiarum acceptabilius Deo fieret. De oratione itaque præmissum est, « oravit, » et de cantico subjunctum : « Et ait : « Exultavit cor meum, etc. » Nam et mos Ecclesiæ est in singulis horis orationem præmittere his, quæ in laudibus Dei decantanda sunt. Plura autem cantica sanctarum feminarum legimus, ut Debboræ[3], Judith[4], et istud Annæ matris Samuelis, sicut et Mariæ matris Domini[5], de partu sibi a Domino commisso, illi quidem sterili, ut mater fieret tanti prophetæ, isti vero virgini, ut mater fieret Salvatoris. Et hoc profecto canticum

[1] *Reg. I*, cap. I, v. 18. — [2] *Reg. I*, cap. II, v. 1. — [3] *Judic.*, cap. V, v. 1 et sq. — [4] *Judith*, cap. XVI, v. 1. — [5] Luc., cap. I, v. 46 et sq.

Annæ, sicut et illud Virginis summæ, Ecclesia maxime frequentare consuevit, non solum pro sanctitate matris, vel dignitate partus ei concessi in Samuele, scilicet a quo specialiter prophetæ dicuntur incœpisse, et qui primus a matre Domino est oblatus : verumetiam quia nullus ante prophetarum tempus tam manifeste Christum, et ejus imperium in suis canticis, sicut nunc Anna, prophetasse videtur. Sic quippe ait de patre Christi et ipso[1] : « Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. » Nondum quippe rex in Israel erat constitutus, ad quem hæc prophetissæ gratulatio pertineret. Ipsa primo Christum, hoc est Messiam verum patenter exprimere meruit, ipsa manifeste prænuntiat futurum, quod Maria decantat completum tanquam fidem virginis tam prophetia quam partus instrueret sterilis.

PROBLEMA HELOISSÆ XXXIV.

Illud etiam movet, quod hic dicitur[2]: « Donec sterilis peperit plurimos. » Etsi enim Scriptura postmodum referat, quod post Samuelem adhuc tres filios, et duas filias Anna pepererit; nondum tamen, dum hoc diceret canticum, nisi Samuelem habuisse refertur. Quomodo etiam de filiis suis dicit, « plurimos, » et de filiis æmulæ suæ Fenennæ, dicit multos, tanquam ipsa plures habuerit, quam illa? Quamvis enim Scriptura non definiat, quot filios habuerit Fenenna, nonnulli tamen astruunt eam plures habuisse, quam Annam, hoc est, septem.

Solutio Abælardi.

Non est necesse ut « plurimos » hoc loco, pro plures comparative accipiamus, respectu pauciorum : sed plurimos dicit absolute, sicut et multos, verbis in eodem sensu variatis. Nec impedit, si jam multos filios habuisset Anna, quando canticum istud Domino persolvit, quamvis Scriptura nondum retulerit eam habuisse nisi Samuelem. Sæpe namque series Scripturæ non tenet ordinem historiæ, sed nonnulla narrat præpostere. Potuit etiam istud per prophetiæ spiritum Anna dicere, quum solum adhuc haberet Samuelem. Denique nec incongrue dicere potuit pro solo Samuele, ut ipse scilicet pluris esset in pretio, quam filii Fenennæ, licet unus in numero. Hoc enim modo nonnunquam contingit, ut illum dicamus plus habere, quam alium, qui pauciora numero, sed pretiosiora possidet.

PROBLEMA HELOISSÆ XXXV.

Obsecramus et quid illud sit[3] : « Samuel autem ministrabat ante faciem Do-

[1] *Reg. I*, cap. II, v. 10. — [2] Ibid., v. 5. — [3] Ibid., v. 18.

mini puer accinctus ephod lineo, et tunicam parvam faciebat mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem. » Sive enim levita, ut probabilius est, sive sacerdos Samuel fuerit : nequaquam ætas pueritiæ ministerio ejus convenire secundum legem poterat, ut videlicet ephod accinctus tanquam levita, vel sacerdos vitam tenera ætate ministraret. Quærimus et quam tunicam vel quibus temporibus statutis mater puero afferret.

Solutio Abælardi.

Ministrare puer in aliquibus officiis minoribus poterat, ephod quoque lineo accinctus. Unde et illud est Rabani secundum Augustinum[1] : « Samuel accinctus ephod bar, hoc est superhumerali lineo, quod distat ab illo ephod, quo induebatur pontifex : quia istud tantummodo lineum fuit, et concessum minoribus gradibus ad utendum. Illud enim, quod vestiebat pontificem, ex quatuor coloribus, id est, hyacinto, bisso, cocco, purpura, et ex auro habebatur contextum. » Statutos dies patet esse supradictos trium festivitatum secundum legem, ut in singulis illis præcipuis solemnitatibus anni, mater sollicita filio novam tunicam afferret, in qua ipse Domino mundius vel honestius ministraret, superhumerale lineum desuper habens, quo accinctus, et non oneratus, expeditius ministrare posset. Quem, ni fallor, habitum monachi nunc imitantur, quum opera manuum in tunica et scapulari desuper accincto soleant exercere. Quid enim aliud scapulæ quam humeri? Aut quid scapulare nisi superhumerale? Denique, quis improbet Samuelem, licet puerum, in officio levitarum, pro necessitate ministrare, hoc etiam Eli jubente, quum nullus tunc in domo Eli reperiretur hoc officio dignus? Notum quippe proverbium est : « Necessitas non habet legem. »

PROBLEMA HELOISSÆ XXXVI.

Rogamus quippe et quærimus, quis fuerit ille vir Dei a Domino missus ad Eli, ut eum corrigeret, et mala domui ejus ventura prædiceret? Quid et illud sit, quod inter cætera dicitur, de sacerdote meliore successuro Eli[2] : « Suscitabo, » inquit, « mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciat : et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. Futurum est autem, ut quicunque remanserit in domo, veniat, ut oretur pro ea, et offerat nummum argenteum, et tortam panis, dicatque : Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis. » Scimus quidem Samuelem, qui Eli supervixit, fidelissimum extitisse Domino. Sed quod levita

[1] *Opp.*, t. III, p. 50. — [2] *Reg. I*, cap. II, v. 35.

potius quam sacerdos extiterit, communis opinio est, nec domum ejus fidelem extitisse, cujus filii reprobati sunt. Quod etiam dicitur : « Ambulabit coram Christo meo, » utrum de ipso sacerdote, an de domo ejus accipiendum sit, et quis ille Christus sit, quærimus. Denique quod supponitur de oblatione nummi argentei, et tortæ panis, tanquam oblatione nova, quam lex non habuit, et cæteris, quæ adduntur, exponi postulamus.

Solutio Abælardi.

Vir ille Dei creditur angelus fuisse apparens in humana specie. Sacerdos successurus Eli, non tam Samuel qui levita fuerit, nec fidelem, sed reprobam domum habuit, quam quicunque alius vir sanctus, qui in ordine sacerdotii Eli successerit, intelligendus esse videtur, qualis fortassis Abinadab[1] fuit, in cujus domum arca Domini Cariathiarim reducta est a Philistæis, vel Eleazarus[2] filius ejus sanctificatus ibi ad custodiendam arcam, vel denique ipse Achimelec, quem cum aliis sacerdotibus Saul interfecit in Nobe[3] civitate sacerdotum. Quod vero dictum est : « Ambulabit coram Christo meo, » non de sacerdote, sed de domo ejus accipe sub ipso ministrante. Denique quod additur : « Futurum est enim, etc., » ita Hebræum quemdam audivi exponentem. Nummus argenteus, siclus argenteus est, quo unusquisque redimebat se a sacerdote. Torta panis, quicar, id est quarta panis pars, quæ pauperum oblatio erat. Pars sacerdotii armus dexter, et pectusculum, id est superior pectoris pars, maxillæ, ventriculus, et cauda, quæ tamen non semper eadem erat quia secundum diversos sacrificiorum ritus, ut in *Levitico* legitur[4], pars sacerdoti dabatur. Nuntiatur itaque Eli, quod domus ejus ad tantam ventura sit[5] paupertatem, ut qui modo redemptionum et oblationum susceptores erant, quibus etiam propter ipsum Eli pars sacerdotalis dabatur, ab aliis se redimendos sacerdotibus, alimoniam petant, orantes, ut eis quantulacunque sacerdotii particula, et buccella panis, quæ torta superius appellata est, dimittatur.

PROBLEMA HELOISSÆ XXXVII.

Quid est illud in exordio Marci Evangelistæ, quod ait[6] : « Sicut scriptum est in Isaia : « Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, etc. » Cur enim dicit « in Isaia, » quum primum testimonium, quod statim addit, sit Malachiæ, secundum Isaiæ? Sin autem e converso fecisset, stare veritas posset; ita scilicet, ut illud, quod præmiserat : « Sicut scriptum est in Isaia, » ad primum tantum pertineret testimonium.

[1] *Reg. I,* cap. VII, v. 1. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. XXII, v. 9 et sq. — [4] *Levit.,* cap. X, v. 12. — [5] *Erat* Cod. Vict. — [6] Marc., cap. I, v. 2.

Solutio Abælardi.

Sed quia eadem sententia in verbis utriusque prophetæ continetur, breviloquus evangelista idipsum, quod Malachias dixit, Isaiæ ascripsit, qui majoris erat auctoritatis, et a quo fortassis ille hoc didicerat. Missio quippe angeli, ad parandam viam Domini, vel ipsa ejus præparatio, et vox clamantis in deserto, Joannis est prædicatio. Quem etiam diligentius Isaias describit, quum eum non angelum appellat, sed clamantem in deserto prænuntiat, unde et bene evangelista post testimonium Isaiæ, quod posterius posuit, statim adjecit[1] : « Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans. » Quod quidem quum ait : « In deserto, et prædicans, » apertius verbis consonat Isaiæ dicentis, scilicet : « Vox clamantis in deserto. » Provide quoque Marcus quum præmiserit : « Scriptum est in Isaia, » addidit : « propheta. » Tanquam Isaias testimonio quoque Malachiæ[2] propheta potius esset, quam ille : qui hoc, ut arbitror, testimonium ex prophetia Isaiæ, quam legerat, non hoc sola inspiratione spiritus acceperat. Ad hunc etiam modum illud posse solvi arbitror testimonium, quod Matthæus inducit de duobus prophetis collectum, Zacharia scilicet et Jeremia, quum ipse totum tribuat Jeremiæ dicens[3] : « Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem[4] : « Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appre-« tiaverunt a filiis Israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi « Dominus. » Quum igitur tam primum testimonium Zachariæ, quam secundum Jeremiæ, in eadem de Domino sententia sint conjuncta, Jeremiæ tamen, qui majoris erat auctoritatis, et a quo Zacharias illud quod dixit accipere potuit, Matthæus totum Jeremiæ tribuit.

PROBLEMA HELOISSÆ XXXVIII.

Illud quoque testimonium Zachariæ prophetæ, quod Dominus in Matthæo inducit de se ipso dicens[5] : « Scriptum est enim : « Percutiam pastorem, et disper-« gentur oves gregis. » nonnullam generat quæstionem. Hoc enim Zacharias de pseudopropheta potius quam de Domino dicere videtur. Sic quippe in eo scriptum est[6] : « Erit, quum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus et mater ejus, qui genuerunt eum : « Non vives, quia mendacium locutus es in « nomine Domini. » Et configent eum pater ejus et mater ejus, genitores ejus, quum prophetaverit. Et erit in die illa, confundentur prophetæ, unusquisque ex visione sua, quum prophetaverit, nec operientur pallio saccino, ut mentiantur ; sed dicet :

[1] Marc., cap. I, v. 4. — [2] Malach., cap. III, v. 1. — [3] Matth., cap. XXVII, v. 9. — [4] Zachar., cap. II, v. 12. — [5] Matth., cap. XXVI, v. 31. — [6] Zachar., cap. XIII, v. 3 et sq.

« Non sum propheta : homo agricola ego sum; quoniam Adam exemplum meum « ab adolescentia mea. » Et dicetur ei : « Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum « tuarum? » Et dicet : « His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. « Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, « dicit Dominus exercituum. Percute pastorem, et dispergentur oves. »

Solutio Abælardi.

Quamvis Zacharias illud pro pseudopropheta dixerit, Dominus vero pro se ipso induxerit, tamen tale est illud Domini testimonium ex Zacharia sumptum, quod tam bono pastori, quam malo conveniat. Sive enim bonus pastor, sive malus, aliqua adversitate percussus, a cura illa pastorali, quam acceperat, præpediatur; ab ejus regimine grex, quem adunaverat, dispergitur, et disgregatus in diversa vagatur, sine pastore et duce factus. Quia ergo persecutio adversariorum, tam in bono pastore, quam in malo hanc dispersionem gregis operatur, non incommode Dominus, quod generaliter de pastoribus dicitur, ad suam etiam passionem applicuit; tanquam si diceret : Quod generaliter de pastoribus verum est, hoc etiam in se complendum esse, et sic etiam in se futurum, sicut in pseudopastore fuerat prædictum : ut in hoc etiam cum iniquis sit reputatus, quod eis etiam in hoc assimilatus.

PROBLEMA HELOISSÆ XXXIX.

Quærimus etiam quomodo illud quod de galli cantu Dominus Petro prædixit, tam varie scriptum sit ab evangelistis. Matthæus quippe ita scribit[1] : « Ait illi Jesus : « Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. » Marcus vero, qui Evangelium suum ipso Petro dictante dicitur scripsisse, sic ait[2] : « Amen dico tibi, quia hodie in nocte hac priusquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus. » Lucas vero ita[3] : « Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. » Joannes vero sic[4] : « Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges. » Quid ergo sibi vult tanta verborum diversitas, si semel unum ex his Dominus Peto dixerit? Quid est etiam quod dicit Marcus : « Hodie in nocte hac, » quum nequaquam nox in die sit, et in cantu galli addiderit « bis, » quod cæteri tacent?

Solutio Abælardi.

Consuetudo est Scripturæ, nomine diei pariter diem et noctem comprehendere : veluti quum dicimus, quia ille vixit, vel sedit tot annis et tot diebus, vel

[1] Matth., cap. XXVI, v. 34. — [2] Marc., cap. XIV, v. 30. — [3] Luc., cap. XXII, v. 34. — [4] Joan., cap. XIII, v. 38.

quia ibi fuit per tot dies. Sic et quum Marcus dixit « hodie, » noctem etiam cum suo die comprehendit. Quod vero adjunxit, « in nocte hac, » noctem non tempus, sed imminentis noctis adversitatem dixit. Ut vero utraque solvamus de galli cantu dicta, ponamus Dominum ita temperate Petro dixisse prius, ut Marcus refert, antequam gallus scilicet bis vocem dederit, et postea, tanquam Petrus constantiam suam promitteret, adjecisse, quod etiam illud faceret, antequam gallus cantaret. Nam et Marcus Petrum quasi nimium confidentem sæpius verbis Domini quasi procaciter contradicere commemorat, dicens[1]: « Petrus autem ait : « Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego. » Et ait illi Jesus : « Amen « dico tibi, quia hodie in nocte hac, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me « es negaturus. » At ille amplius loquebatur : « Et si oportuerit me simul commori « tibi, non te negabo. » Qui prius dixerat se non esse scandalizandum, plus aliquid nunc addit, dicens, se etiam paratum commori antequam neget. Ad quam majorem suæ constantiæ præsumptionem et ipse Dominus plus aliquid adjecisse non incongrue creditur, dicendo scilicet, quod priusquam etiam gallus cantet, ter sit negaturus, ut diximus. Sed illud plurimum quæstionis generat, quod negationes Petri, et cantum galli Marcus sic ordinat, ut post primam negationem, gallus primo cantaret; et post duas alias, secundo; ex quo videtur nequaquam posse stare, quod, sicut dicunt cæteri Evangelistæ, Petrus ter negaret, antequam gallus cantaret; nisi forte in verbis quoque ipsorum subaudiatur « bis, » quod Marcus ponendo subaudiendum innuit, et quod Dominus tantummodo dixerit. Quum enim aliquid uno loco magis determinate quam in alio dicitur, sæpe determinationem subaudiri oportet, ubi etiam ipsa non ponitur, vel quod alibi est exceptum, diligenter annotandum, ne falsitas confundat sensum. Quod nec ipsos etiam latet infideles. Unde cum Judæis nonnunquam opponimus[2] : « Ad usuram non accommodaveris, » tanquam nec nobis etiam fœnerare debeant; dicunt, « proximo tuo, » subintelligendum esse, quod alibi legitur determinatum esse. Sed et quum veritas habeat Evangelica[3] : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, » subintelligendum est, vel sua passione sanctificatus, quum alibi quoque de martyribus generalem habeamus sententiam, Domino dicente[4] : « Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. » Augustinus vero, lib. III *de Consensu Evangelistarum*[5], hanc diversitatem de negatione Petri ita dissolvit, ut quod Marcus ait, ad prolationem vocis referat negantis; quod cæteri dicunt, ad propositum animi jam tanta formidine percussi, atque perturbati : ut paratus esset

[1] Matth., cap. XXVI, v. 34. — [2] Ezech., cap. XVIII, v. 8. — [3] Joan., cap. III, v. 3. — [4] Matth., cap. X, v. 39. — [5] Cap. XI, *Opp.* t. III, part. II, col. 101 et sq.

tertio negare, antequam omnino gallus cantaret. Quod si quis forte requirat, cur dixerit Dominus, ter, et non quater, vel amplius, quod similiter ex magnitudine formidinis facere paratus esset : videtur mihi nonnulla etiam ratio in hoc negationis haberi ternario, quo comprehenso intelligatur omnis negatio. Omnis quippe Christum negans, vel per errorem id facit, vel timore aliquo, sive cupiditate compulsus id præsumit. Ter igitur negaturus Petrus quum a Domino prædicitur, ad omnem paratus esse negationem insinuatur. Neque enim dubitandum est ex his, quæ jam in Domino gesta conspexerat, antequam primum negaret, in desperationis scandalum una cum cæteris ipsum corruisse : a quo postmodum liberatus, Domino eum respiciente, amaro pœnitentiæ fletu delevit, quod commisit. Nec illud fortassis absurde dici potest quod ille prior cantus galli, post primam negationem Petri, naturalis non fuit : sed ex aliquo strepitu, vel Petri de atrio foras exeuntis, vel quorumcunque illic deambulantium, gallus aliquis prope assistens, excitatus ante horam, primo cantaverit : ut non esset ille prior cantus naturaliter factus, sed vi quadam extortus. Nec tamen sine ratione id Dominus ordinavit, ut ad primam statim negationem Petri, statim gallus, quasi Petrum arguendo, cantaret, nec sic Petrus negando desisteret, ut veritas ipsa appareret. Quum itaque Dominus prædixerit Petrum ter negaturum, antequam gallus cantaret, horam naturalis cantus galli intellexisse videtur. Marcus vero qui solus apposuit bis, tam naturalem quam accidentálem cantum galli indifferenter accepit.

PROBLEMA HELOISSÆ XL.

Quid est quod solæ bestiæ, vel aves commemorantur adductæ esse in paradisum ad Adam [1], ut videret, quid vocaret ea : et non etiam reptilia terræ, ut serpentes, vel reptilia aquæ, ut pisces ?

Solutio Abælardi.

Bene quidem, quantum ad mysterium, hoc credimus actum. In Ecclesia namque præsenti, continentes qui se maxime per desiderium ad cœlestia sublevant, et quasi volucres in altum volant, avibus comparantur ; boni vero conjugati bestiis, quæ terram ex parte contingunt, pedibus videlicet, et ex parte ab ea separantur, cum corpore in ea non volutentur. Qui enim matrimonio conjunctus est, divisus est ; partim Deo serviens, partim sæculo intentus, propter instantes conjugii necessitates. Quasi ergo pedibus, hoc est, inferiori parte sui terram contingit ; quia terrenis curis, propter occupationem matrimonii, quod

[1] *Genes.*, cap. II, v. 20.

lapsioris vitæ est, deseruit. Reptilia vero, quæ toto corpore in imo jacent, nec se ullatenus erigere possunt, reprobi sunt terrenis desideriis penitus vacantes, et in profundo vitiorum commorantes. De qualibus scriptum est [1] : « Peccator quum in profundum vitiorum venerit, contemnit. » Unde nec pisces unquam in sacrificio Dei permissi sunt offerri. Recte igitur volatilibus tantum et gressilibus animantibus in paradisum adductis, non etiam reptilibus, Adam nomina imposuisse dicitur : quia de toto præsentis Ecclesiæ populo, in qua granis paleæ adhuc sunt permixtæ, soli continentes, et boni conjugati ad verum cœlestis patriæ paradisum sunt perventuri, et Dei vocatione digni : quorum nomina jam in libro vitæ sunt scripta. De qua quidem vocatione Dei, illud est Apostoli [2] : « Quos autem prædestinavit, hoc et vocavit; et quos vocavit, illos et justificavit. »

PROBLEMA HELOISSÆ XLI.

Quærimus quis illud addiderit in fine *Deuteronomii* [3], librorum scilicet quinque Moysi novissimi, quod de morte Moysi et deinceps narratur : utrum videlicet ipse Moyses id quoque prophetico spiritu dixerit, ut etiam id libris ejus connumerari possit, an ab alio postmodum sit superadditum?

Solutio Abælardi.

Sicut Beda super Esdram meminit [4] : « Ipse Esdras, qui non solum legem, sed etiam, ut communis majorum fama est, omnem sacræ Scripturæ seriem, quæ pariter igni absumpta est, prout sibi videbatur legentibus sufficere, rescripsit, » tam hoc quam pleraque alia scriptis Veteris Testamenti adjecit. Sic et nonnulla scriptis etiam evangelicis superaddita videmus a translatoribus : quale est illud in Matthæo [5] : « Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est : Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? » Sic et in cæteris evangelistis, quæ non hebraice, sed græce scripta sunt, simul expositio istorum hebraicorum verborum addita reperitur. Libro etiam Hieronymi *de Illustribus viris*, ubi se ipsum in fine operis posuit, ejus vitæ quantitas et finis a quodam addita reperitur.

PROBLEMA HELOISSÆ XLII.

Utrum aliquis in eo quod facit a Domino sibi concessum, vel etiam jussum, peccare possit, quærimus.

[1] *Prov.*, cap. XVIII, v. 13. — [2] *Rom.*, cap. VIII, v. 30. — [3] Cap. XXXIII et XXXIV. — [4] *Opp.* t. IV, col. 387. — [5] Matth., cap. XXVII, v. 46.

Solutio Abælardi.

Quod si, ut oportet, verum concedatur, quæstione gravi pulsamur, quomodo conjuges, vel in antiquo populo, vel in novo, carnalem concupiscentiam exercentes, in eo peccare dicantur, unde in posteros peccatum originale transfundunt. Priorem quippe populum ad procreationem filiorum Dominus ex præcepto, et legis maledicto in eos, qui semen in Israel non relinquerent, constringebat. Unde non solum primis parentibus ante peccatum dixit[1] : « Crescite et multiplicamini, et replete terram, » verum etiam hoc ipsum Noe et filiis ejus post diluvium injunxit[2]. De supradicto autem legis maledicto, quo ad propagationem filiorum homines cogebantur, illud est Hieronymi *contra Helvidium de perpetua Virginitate sanctæ Mariæ*[3] : « Quandiu lex illa permansit : « Crescite, et « multiplicamini, et replete terram, » et : « Maledicta sterilis, quæ non facit « semen in Israel, » nubebant omnes, et nubebantur. » Hinc et illud est beati Augustini in libro *de Bono conjugali*[4] : « Continentiam Joannes et in opere, Abraham vero in solo habitu habebat. Illo itaque tempore, quum et lex dies patriarcharum subsequens, maledictum dixit, qui non excitaret semen in Israel, et qui poterat non promebat, sed tamen habebat. » Idem *ad Julianum de Viduitate servanda*[5] : « Nec quia dixi Ruth beatam, Annam beatiorem, quum illa his nupserit, hæc uno viro cito viduata diu vixerit, continuo etiam te meliorem putes esse quam Ruth, alia quippe propheticis temporibus sanctarum feminarum dispensatio fuit, quas nubere obedientia, non concupiscentia compellebat, ut propagaretur populus Dei, ex quo nasceretur etiam caro Christi. » Ut ergo ille populus propagaretur, maledictus habebatur per legis sententiam, qui non suscitaret semen in Israel. Unde et sanctæ mulieres accendebantur non cupiditate concumbendi, sed pietate pariendi, ut rectissime credantur coitum non fuisse quæsituræ, si proles posset aliter provenire. Et viris usus plurimarum vivarum concedebatur uxorum. Proinde sancta Ruth[6] quale quum semen illo tempore necessarium fuit in Israel non haberet in mortuo viro, quæsivit alterum de quo haberet. Ab hoc utique legis maledicto, quod prædictus commemorat doctor, et quasi summo fidelium opprobrio, intantum etiam ipsa lex illi providebat populo, ut posteriores fratres, etsi de uxoribus suis proprium semen haberent, ad semen quoque priorum fratrum suscitandum, uxores eorum ducere compelleret, et illis jam defunctis potius quam sibi filios generare, ut vel sic a maledicto legis illos absolveret, qui prole privati non essent. Ipse etiam Dominus observatoribus

[1] *Genes.*, cap. I, v. 28. — [2] Ibid., cap. IX, v. 1. — [3] *Opp.* t. IV, P. II, col. 142. — [4] Cap. XXI, *Opp.* t. IV, col. 335. — [5] Cap. VI, *Opp.* t. VI, col. 373. — [6] Ruth, cap. IV, v. 13.

legis id quoque in remuneratione constituit, ut steriles apud eos non permaneant, tam in hominibus, quam in jumentis. Sic quippe scriptum est in *Deuteronomio*[1] : « Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea, custodiet te Dominus, diliget et multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et terræ tuæ armentis, gregibus ovium. Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis. » Unde et nullos sanctorum Patrum legimus semine privatos, quamvis steriles haberent uxores, quas non ad voluptatem concupiscentiæ carnalis exercendam, sed ad populum Dei propagandum ducebant : ut non tam sibi quam Deo filios procrearent. Quale et illud est Tobiæ[2] : « Et nunc, Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam ; sed sola posteritatis causa ; in qua benedicetur nomen tuum in sæcula sæculorum. » Hac intentione Abraham matrimonio copulatus, de uxore sterili prolem suscipere meruit[3]. Sic quoque Isaac[4], Manue pater Samsonis[5], Elcana de Anna[6], Zacharias de Elizabeth[7] optatam adepti sunt prolem, ne maledictum legis vel opprobrium incurrerent matrimonii. Quod inde matrimonium est dictum, quod ad matrem familias faciendam sit initum. Hoc maledicium legis Jepte[8] filia considerans, virginitatem suam deflebat ; quod virgo moritura, semen in Israel non esset relictura. Ab hoc opprobrio se liberari Elizabeth exultabat, dicens[9] : « Quia sic fecit mihi Dominus, in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. » Hæc omnia supra memoratus doctor diligenter attendens, illum conjugatorum concubitum, qui fit propter filios non tam generandos quam in Christo regenerandos, ita commendat, ut illum magis a peccato immunem dicat, quam eum qui fit causa vitandæ fornicationis : quam tamen solam Apostolus causam constituit, ad continentiam plurimum nos adhortans[10] : « De quibus, » inquit, « scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere : propter fornicationem autem, unusquisque suam uxorem, et unaquæque suum virum habeat. » Tanquam ergo melius fit, concubitum quoque conjugalem Deo magis quam nobis impendi ; ut ei scilicet filios generare magis quam utilitati nostræ intendamus providere. Adeo prædictus doctor illam intentionem isti præponit, ut nequaquam illum concubitum ad indulgentiam referat, quem a culpa penitus alienat : ut non solum tanquam culpabilis non vitetur, sed tanquam laudabilis expetatur. Qui etiam nuptiarum bonum commendat, ut si causa qua convenit ineantur, procreandi videlicet filios : illos etiam concubitus excuset, qui non hac intentione, qua convenit, fiunt : atque in seipsis, magis quam in operationem vitandæ for-

[1] *Deuter.*, cap. VII, v. 13. — [2] *Tob.*, cap. VIII, v. 9. — [3] *Genes.*, cap. XVI, v. 1 et sq. — [4] *Genes.*, cap. XXV, v. 20. — [5] *Judic.*, cap. XIII. — [6] *Reg. I*, cap. I, v. 19. — [7] Luc., cap. I, v. 5 et sq. — [8] *Judic.*, cap. XI, v. 38. — [9] Luc., cap. I, v. 25. — [10] *Corinth. I*, cap. VII, v. 2.

nicationis, nuptias esse bonas convincit. Unde et in prædicto libro, *de Bono* scilicet *conjugali*, sic ait[1] : « Bonum ergo conjugii, quod etiam Dominus in Evangelio confirmavit, non solum quia prohibuit dimittere uxorem nisi ex causa fornicationis, sed etiam quia venit invitatus ad nuptias, cur sit bonum merito quæritur. Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem. » Item[2] : « Tantum valet illud sociale vinculum conjugum, ut quum causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi solvatur. Posset etiam homo dimittere sterilem uxorem, et ducere aliam, de qua filios habeat, et tamen non licet habere. » Item[3] : « Sane videndum est alia bona Deum nobis dare, quæ propter seipsa expetenda sunt, sicut est sapientia, salus, amicitia : alia quæ propter aliquid sunt necessaria, sicut doctrina, cibus, et potus, somnus, conjugium, concubitus. Horum enim quædam necessaria sunt propter sapientiam, sicut doctrina : quædam propter salutem, sicut cibus, et potus, et somnus : quædam propter amicitiam, sicut nuptiæ vel concubitus. Hinc enim subsistit propagatio generis humani, in quo societas amicabilis magnum bonum est. His itaque bonis, quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad hoc utitur propter quod instituta sunt, peccat, alias venialiter, alias damnabiliter. Quisquis vero eis propter hoc utitur propter quod data sunt, benefacit. » Item[4] : « Mihi videtur hoc tempore solos eos, qui se non continent, conjugari oportere, secundum illam ejusdem Apostoli sententiam[5] : « Quod si se non « continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri. » Nec ipsis tamen non peccatum sunt nuptiæ, quæ si in operationem fornicationis eligerentur, minus peccatum esset, quam fornicatio; sed tamen peccatum essent. Nunc autem quid dicturi sumus adversus evidentissimam vocem Apostoli dicentis[6] : « Quod vult « faciat, non peccat si nubat, etc.[7] Si acceperis uxorem, non peccasti, et, si « nupserit virgo, non peccat ? » Hinc certe jam dubitare fas non est, nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus; nam quis ambigat absurdissime dici non eos peccasse, quibus venia datur ? Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, et aliquando nulla causa procreandi : quem nuptiæ non cogunt fieri, sed ignosci impetrant : si tamen non ita sit nimius, ut impediat quæ seposita esse debent tempora orandi, nec immutetur in eum usum, qui est contra naturam. De quo Apostolus tacere non potuit, quum de corruptelis nimiis immundorum et impiorum hominum loqueretur. Concubitus enim necessarius causa generandi, inculpabilis et solus ipse nuptialis est. Ille autem, qui ultra

[1] Cap. III, *Opp.* t. VI, col. 321. — [2] Cap. VII, ibid., col. 324. — [3] Cap. IX, ibid., col. 325. — [4] Cap. X, ibid., col. 326. — [5] *Corinth. I*, cap. VII, v. 9. — [6] Ibid., v. 36. — [7] Ibid., v. 28.

istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnaliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non plane nuptiarum. Verumtamen si magis in sua conjunctione diligunt quod honestum, quam quod inhonestum est, id est, quod est nuptiarum, quam id quod non est nuptiarum, hoc eis, auctore Apostolo, secundum veniam conceditur. » Item [1] : « Ille naturalis usus, quando prolabitur ultra pacta nuptialia, id est ultra propagandi necessitatem, venialis fit in uxore, in meretrice damnabilis; iste, qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in uxore. Tantum valet ordinatio creatoris et ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum concessis, etiam quum modus exceditur, longe sit tolerabilius, quam in eis, quæ concessa non sunt, vel unus vel rarus excessus. Et ideo in re concessa, immoderatio conjugis, ne in rem non concessam libido prorumpat, toleranda est. Hinc est etiam quod longe minus peccat quamlibet assiduus ad uxorem, quam vel rarissimus ad fornicationem. Quum vero vir membro mulieris non ad hoc concesso uti voluerit, turpior est uxor, si in se, quam si in alia fieri permiserit. Decus ergo conjugale est castitas procreandi, et reddendi carnalis debiti fides; hoc est opus nuptiarum, hoc ab omni crimine defendit Apostolus, dicendo [2]: « Et si acceperis uxorem, non peccasti, et si virgo nupserit, non pec« cat; et quod vult faciat : non peccat, si nubat. » Exigendi autem debiti ab alterutro sexu immoderatior progressio, propter illa, quæ supra diximus, conjugibus secundum veniam conceditur. Quod ergo ait [3]: « Quæ innupta est cogitat « ea, quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu, » non sic accipiendum est, ut putemus non esse sanctam corpore christianam conjugem castam. Omnibus quippe fidelibus dictum est [4] : « Nescitis quoniam corpora vestra templum in « vobis est Spiritus sancti, quem habetis à Deo? » Sancta sunt etiam corpora conjugatorum, fidem sibi et Domino servantium. Cui sanctitati cujuslibet eorum, nec infidelem conjugem obsistere, sed potius sanctitatem uxoris prodesse infideli viro, aut sanctitatem viri prodesse infideli uxori, idem Apostolus testis est, dicens [5] : « Sanctificatus est enim vir infidelis in uxore fideli; et sanctificata est « mulier infidelis in fratre fideli. » Proinde illud dictum est secundum ampliorem sanctitatem innuptarum quam nuptarum. » Item [6] : « Manet vinculum nuptiarum, etiam si proles, cujus causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur : ita ut jam scientibus conjugibus non se filios habituros, separare se tamen, vel ipsa causa filiorum atque aliis copulare non liceat. Quod si fecerint, cum eis, qui-

[1] Cap. XI, *Opp.* t. VI, col. 327. — [2] *Corinth. I*, cap. VII, v. 28. — [3] *Corinth. I*, cap. VII, v. 34. — [4] *Corinth. I*, cap. VI, v. 19. « An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis a Deo? » — [5] *Corinth. I*, cap. VII, v. 14.— [6] Cap. XV, ibid., col. 329.

bus se copulaverint, adulterium committunt; ipsi autem conjuges manent. Plane uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur unius commixtione, ac semine, alterius autem jure ac potestate, apud antiquos patres fas erat : utrum et nunc fas sit, non temere dixerim. Non est enim propagandi necessitas, quæ tunc fuit : quando et parientibus conjugibus alias propter copiosiorem posteritatem, superducere licebat, quod nunc certe non licet. » Item[1] : « Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis, et utrumque non est sine delectatione carnali : quæ tamen modificata, et temperantia refrenante in usum naturalem redacta, libido esse non potest. Quod est autem in sustentanda vita illicitus cibus, hoc est in quærenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus. Et quod est in luxuria ventris et gutturis illicitus cibus, hoc est in libidine nullam prolem quærente illicitus concubitus. Et quod est in cibo licito nonnullus immoderatior appetitus, hoc est in conjugibus venialis ille concubitus. Sicut ergo satius est mori fame, quam idolothytis vesci : ita satius est defungi sine liberis, quam ex illicito coitu stirpem quærere. Undecunque autem nascantur homines, si parentum vitia non sectentur, et Deum recte colant, honesti et salvi erunt. Semen enim hominis ex qualicunque homine, Dei creatura est, et eo male utentibus male erit, non ipsum aliquando malum erit. Sicut autem filii boni adulterorum, nulla defensio est adulteriorum : sic mali filii conjugatorum, nullum crimen est nuptiarum. » Idem supra[2] : « Sunt viri usque adeo incontinentes, ut conjugibus, nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter se conjugati immodestum, inverecundum, sordidumve gerunt, vitium hominum est, non culpa nuptiarum. Jam in ipsa quoque immoderatiore exactione debiti carnalis, quam eis non secundum imperium præcipit, sed secundum veniam concedit Apostolus[3], ut etiam præter causam procreandi sibi misceantur; et si eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt. Neque enim illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi conjugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum causa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas, verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodam modo servitutem; ut et si alteri eorum perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit. Et ad hoc enim uxor non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier : ut et quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis et incontinentiæ causa expetit, vel ille de matrimonio, vel illa de marito, non sibi alterutrum ne-

[1] *Corinth. I*, cap. XVI, col. 330. — [2] Ibid, cap. VI, col. 323. — [3] *Corinth. I*, cap. VII, v. 6.

gent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante Satana propter incontinentiam vel amborum, vel cujusquam eorum. Conjugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam. » Item[1] : « Reddere debitum conjugale, nullius est criminis : exigere autem ultra generandi necessitatem culpæ venialis. » Idem *ad Valerianum Comitem, de Nuptiis et Concupiscentia,* libro primo[2]: « Quis autem audeat dicere donum Dei esse peccatum? Anima et corpus, et quæcunque bona animæ et corporis, naturaliter insita etiam peccatoribus, dona Dei sunt; quoniam Deus, non ipsi, ista fecerunt. De his quæ faciunt dictum est, omne quod non est ex fide, peccatum esse. Absit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter verum Deum, fidem connubii servat uxori. Copulatio itaque maris et feminæ, generandi causa, bonum est naturale nuptiarum. Sed isto bono male utitur, ut sit ei intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis.... Hac intentione cordis, qui suum vas possidet, id est conjugem suam : procul dubio non possidet in morbo desiderii, sicut gens quæ ignorat Deum, sed in sanctificatione et honore, sicut fideles qui sperant in Deum. Illo quippe concupiscentiæ malo utitur homo, non vincitur, quando eam inordinat aut indecoris motibus æstuantem frænat et cohibet, neque nisi propagini consulens relaxat atque adhibet, ut spiritualiter regenerandos carnaliter gignat, non ut spiritum carni sordida servitute subjiciat[3]. » Item de conjugio Joseph et Mariæ[4]: « Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum, fidem, quia nullum adulterium, sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat, sine illa carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati : ut hinc etiam doceret omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati: quandoquidem, sola quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. Quamvis conjugalis concubitus, qui fit intentione generandi, non sit ipse peccatum : quia bona voluntas animi sequentem ducit, nec ducentem sequitur corpus voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, quum juste redigitur in usum generandi plaga peccati. » Item[5] de eo quod dicit Apostolus[6] : « Hoc autem dico secundum veniam, non secundum « imperium. » Ubi ergo danda est venia, aliquid esse culpæ nulla ratione negabitur. Quum igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est; quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges, dum se non continent, debitum ab alterutro carnis exposcunt, non

[1] *Corinth. I,* cap. VII, v. 6. — [2] Cap. III, *Opp.* t. X, col. 281. — [3] Cap. VIII, ibid., col. 284. — [4] Cap. XII, ibid., col. 287. - [5] Cap. XIV, ibid., col. 288. — [6] *Corinth. I,* cap. VII, v. 6.

voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hic sunt laudabiles nuptiæ; quia et illud, quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se. Neque etenim iste concubitus, quo servitur concupiscentiæ, sic agitur, ut impediatur fœtus, quem postulant nuptiæ; sed tamen aliud est non concumbere nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud carnis voluptatem appetere concumbendo, sed non propter conjugem, quod venialem habet culpam. » Item libro secundo[1]: « Panem et vinum sic non reprehendimus, propter luxuriosos et ebriosos, quo modo nec aurum propter cupidos et avaros. Quocirca commixtionem quoque honestam conjugum non reprehendimus propter pudendam libidinem corporum. Illa enim posset esse nulla præcedente perpetratione peccati, de qua non erubescerent conjugati. Hæc autem exorta est post peccatum, quam coacti sunt velare confusi. Unde remansit posterioribus conjugatis, quamvis hoc malo bene et licite utentibus, in ejusmodi opere humanum vitare conspectum, atque ita confiteri quod pudendum est, quum debeat neminem pudere quod bonum est. Sic insinuantur hæc duo, et bonum laudandæ conjunctionis, unde filii generentur; et malum pudendæ libidinis, unde qui generantur, regenerandi sunt ne damnentur. Proinde pudenda libidine qui licite concumbit, malo bene utitur; qui autem illicite, malo male utitur. Rectius enim accipit nomen mali quam boni, quoniam erubescunt boni et mali. Meliusque credimus ei qui dicit[2]: « Scio quia non habitat in me, » hoc est in carne mea, « bonum, » quam huic, qui hoc dicit bonum, unde si confunditur, confitetur malum; si autem non confunditur, addit impudentiam pejus malum. Recte ergo diximus, ita nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari, sicut adulteriorum malum bono naturali quod inde nascitur, non potest excusari; quoniam natura humana, quæ nascitur vel de conjugio vel de adulterio, Dei opus est; quæ si malum esset, non esset generanda, si malum non haberet, non esset regeneranda. »

[1] *Corinth. I*, cap. XXI, col. 319. — [2] *Rom.*, cap. VII, v. 18.

MAGISTRI
PETRI ABÆLARDI
CARMINA.

SEQUENTIÆ ET HYMNI

PER TOTUM ANNI CIRCULUM

IN USUM

VIRGINUM MONASTERII PARACLITENSIS.

In ea ad Heloissam epistola, quam quasi præfationem Sermonum libro adhibuit [1], Abælardus nos docet quemdam a se, ut precibus conjugis obtemperaret, compositum fuisse libellum Hymnorum vel Sequentiarum quas Heloissa in Paraclito recineret. Illas autem, de quibus apud Henricum Gandavensem mentio fit [2], quum in manibus habuisset Franc. Amboesius, non tamen, quod mirum est, in lucem edidit, quamvis non indignas auctore suo æstimaret. Declarat enim, neque immerito, « magnam in eis catholicæ pietatis lucem seu legenti seu canenti effulgere [3]. » Quam ob causam eas neglexerit, nescimus. Utcunque est, quæ in Abælardi carminibus laus inesset, nemo poterat judicare, nisi e duobus vel tribus opusculis, quum doctissimo viro Oehlero, in bruxellensi Bibliotheca quædam inquirenti, occurrit codex formæ minoris, et ad finem XII sæculi referendus, cui titulus : *Vita Pilati. Cicero, de Amicitia.* XIII° *sec.* [4]. Librum autem Oehlerus quum diligentius recognovisset, factus certior in eo plura contineri quam e titulo ipso sperandum esset, et inter cætera opuscula inesse tres et nonaginta sequentias Abælardi, atque insuper alterius hymni initium, rem omnibus nuntiare properavit; sed morte interceptus est, priusquam opus absolvisset. Primi igitur Hymnos Abælardi, si octo priores excipias, in lucem proferimus ex accuratissimo apographo quod confecerat Oehlerus, quodque ab illo emptum habemus. Hujus autem veluti imaginem quam

[1] Vide infra. — [2] « Petrus dialecticus cognomento Abailardus.... composuit metrico stylo hymnos, in monasterio quod vocatur Paraclitus decantandos. » Henricus Gandav., *de Script. eccles.*, ap. Fabricii *Biblioth. eccles*,. Hamburg., 1718, in-fol. — [3] Vide Præfat. apologet. — [4] Cujus si historiam et descriptionem ampliorem requiras, vide *Comptes rendus de la Société d'histoire de Belgique*. Brux., 1841, in-8°.

fidelissime reddere, quum opus illud nondum fuisset editum, officii nostri esse rati, perpauca tantum mutavimus ubi aperta scripturæ vitia occurrebant, variis etiam lectionibus in parte paginarum inferiore subjunctis.

Operæ pretium est animadvertere Abælardum, quum in tres partes hymnos divisisset, in partes totidem dividisse epistolam hymnis adjunctam, quarum unaquæque sequentium hymnorum seriem, procemii loco, antecedit, ut primus animadvertit Dom. Le Noble in *Philosophiæ christianæ Annalibus* [1].

Hymnis et Sequentiis accesserunt alia quædam Abælardi carmina, quorum originem indicabimus prout res postulabit.

I.

Ad tuarum precum instantiam, soror mihi Heloissa, in seculo quondam cara, nunc in Christo carissima, hymnos græce dictos, hebraice tillim [2] nominatos composui; ad quos quidem me scribendos quum tam tu quam quæ tecum morantur sanctæ professionis feminæ sæpius urgeretis, vestram super hoc intentionem requisivi. Censebam quippe superfluum me vobis novos condere, quum veterum copiam habeatis [3], et quasi sacrilegium videri antiquis sanctorum carminibus nova peccatorum præferre vel æquare. Quum autem a diversis diversa mihi responderentur, tu inter cætera talem, memini, subjecisti rationem : Scimus, inquiens, latinam et maxime gallicanam Ecclesiam, sicut in psalmis ita et in hymnis magis consuetudinem tenere quam auctoritatem sequi. Incertum etenim adhuc habemus cujus auctoris hæc sit translatio Psalterii quam nostra, id est, gallicana frequentat Ecclesia. Quam si ex eorum dictis dijudicare velimus qui translationum diversitates nobis aperuerunt, longe ab universis interpretationibus dissidebit, et nullam, ut arbitror, auctoritatis dignitatem obtinebit. In qua quidem adeo longævæ consuetudinis usus jam prævaluit, ut, quum in cæteris correcta Beati Hieronimi teneamus exemplaria, in Psalterio, quod maxime frequentamus, sequamur apocrypha. Hymnorum vero quibus nunc utimur tanta est confusio ut qui, quorum sint, nulla vel rara titulorum præscriptio distinguat; et si aliqui certos habere auctores videantur, quorum primi Hilarius atque Ambrosius extitisse creduntur, deinde Prudentius et plerique alii, tanta est frequenter inæqualitas syllabarum, ut vix cantici melodiam recipiant, sine qua nullatenus hymnus consistere potest, cujus descriptio est laus Dei cum cantico. Plerisque etiam solemnitatibus addebas deesse proprios

[1] *Annales de Philosophie chrétienne*, in-8°. Janvier 1844. — [2] Lege *tehillim*. — [3] Lege *haberetis*.

hymnos utpote Innocentum et Evangelistarum seu illarum sanctarum quæ virgines vel martyres minime extiterunt. Nonnullas denique asserebas esse in quibus nonnunquam hos a quibus decantantur mentiri necesse sit, tum videlicet pro temporis necessitate, tum pro falsitatis insertione. Casu quippe aliquo vel dispensatione, eo modo sæpius præpediti fideles constituta horarum tempora vel præveniunt, vel ab ipsis præveniuntur, ut de ipso saltem tempore mentiri compellantur, dum videlicet aut nocturnos die, aut diurnos nocte hymnos decantant. Constat quippe secundum propheticam auctoritatem et ecclesiasticam institutionem, nec a laude Dei noctem ipsam vacare, sicut scriptum est : « Memor fui nocte n. t. D.[1], » et iterum : « Media nocte, s. ad c. tibi[2], » hoc est ad laudandum te; nec septem reliquas laudes de quibus idem meminit propheta : « Septies in die l. d. tibi[3], » nisi in die persolvendas esse. Quarum quidem prima quæ matutinæ laudes appellantur, de qua in eodem scriptum est propheta : « In matutinis D. m. in te[4], » in ipso statim diei initio, illucescente aurora seu lucifero, præmittenda est, quod etiam in plerisque distinguitur hymnis. Quum enim dicit : « Nocte surgentes v. o.[5], » et iterum : « Noctem canendo r.[6], » vel : « Ad confitendum surgimus morasque[6] n. r., » et alibi : « Nox atra rerum contegit ter. c. o.[8], » vel : « Nam lectulo consurgimus n. q. t.[9], » et rursum : « Ut quique horas noctium nunc c. r.[10], » et similia, ipsi sibi hymni quod nocturni sunt testimonium præbent. Sic et matutini hymni proprii temporis, quo dicendi sunt, institutionem nonnunquam profitentur. Verbi gratia quum dicitur : « Ecce jam n. t. u.[11], » et iterum : « Lux ecce s. a.[12], » vel : « Aurora jam s. polum[13], » seu : « Aurora lucis r.[14], » et alibi : « Ales diei nuntius l. pro. præcinit[15], » vel : « Ortum refulget l.[16], » et si qui sunt hujusmodi, ipsi nos instruunt hymni quo tempore sint cantandi, ut si eis videlicet sua tempora non observemus, in ipsa eorum prolatione mendaces inveniamur. Hanc tamen observantiam non tam negligentia plerumque tollit, quam necessitas aliqua vel dispensatio præpedit; quod maxime in parochialibus seu minoribus ecclesiis propter ipsas plebium occupationes quotidie fieri necesse est, in quibus omnia et fere continue peraguntur in die. Nec solum tempora non observata mendacium ingerunt,

[1] « Nominis tui, Domine. » Psalm. CXVIII, v. 55. — [2] « Media nocte surgebam ad confitendum tibi. » Psalm. CXVIII, v. 62. — [3] « Laudem tibi dixi. » Psalm. CXVIII, v. 164. — [4] « In matutinis, Domine, meditabor in te. » Psalm. LXII, v. 7. — [5] « Nocte surgentes vigilemus omnes. » Hymn. S. Gregorii papæ. — [6] « Noctem canendo rumpimus. » Hymn. S. Ambrosii. — [7] « Ad confitendum surgimus morasque noctis rumpimus. » Hymn. S. Ambrosii. — [8] « Terræ colores omnium. » Hymn. S. Ambrosii. — [9] « Noctis quieto tempore. » Hymn. S. Ambrosii. — [10] « Nunc concinendo rumpimus. » Hymn. S. Ambrosii. — [11] « Ecce jam noctis tenuatur umbra. » Hymn. S. Gregorii. — [12] « Lux ecce surgit aurea. » Hymn. Prudentii. — [13] « Aurora jam spargit polum. » — [14] « Aurora lucis rutilat. » — [15] « Ales diei nuntius lucem propinquam præcinit. » Hymn. Prudentii. — [16] « Ortum refulget lucifer. » Hymn. Ambrosii.

verum etiam quorumdam hymnorum compositores, vel ex propria animi compunctione alienos pensantes, vel improvidæ studio pietatis extollere sanctos cupientes, in aliquibus ita modum excesserunt, ut contra ipsam nostram conscientiam aliqua in ipsis sæpius proferamus tanquam a veritate prorsus aliena. Paucissimi quippe sunt qui contemplationis ardore vel peccatorum suorum compunctione flentes ac gementes, illa digne valeant decantare : « Preces gementes f. d. q. p.[1], » et iterum : « Nostros pius cum canticis f. b. s.[2], » et similia quæ sicut electis ita paucis conveniunt. Qua etiam præsumptione singulis annis decantare non vereamur : « Martine, par apostolis, » vel singulos confessores immoderate de miraculis glorificantes dicamus : « Ad sacrum cujus tumulum frequenter membra languentum modo sanitati, etc., » discretio vestra dijudicet. His vel consimilibus vestrarum persuasionibus rationum ad scribendos per totum anni circulum hymnos animum nostrum vestræ reverentia sanctitatis compulit. In hoc itaque mihi vobis supplicantibus, sponsæ Christi vel ancillæ, et nos e converso vobis supplicamus, ut quod nostris onus imposuistis humeris, vestrarum orationum manibus sublevetis, ut qui seminat et qui metit, simul operantes congaudeant.

I.

Universorum conditor,
Conditorum dispositor,
Universa te laudant condita,
Glorificant[3] cuncta disposita.

Instrumento non indigens,
Neque thema discutiens,
Solo cuncta comples imperio.
Dicis : Fiant, et fiunt illico.

Auctor es præstantissimus,
Omnipotens, non æmulus;
Tantum ergo quæ facis omnia,
Quantum decet facis eximia.

Cujus enim judicium
Non censet illum imperium
Qui commodum scienter subtrahit,
Quod nec gravat tandem nec minuit[4].

Fit ergo mundus optimus,
Ac perfectus in omnibus;
Fit pondere, mensura, numero,
Ne vacillet in quoquam ratio.

Opus dignum opifice,
Pulchrum, indissolubile,
Ad exemplar fit perfectissimum,
Instar cuncta concludens optimum.

Nec minore disponitur
Bonitate quam conditur:
Quidquid male gerit iniquitas,
Summa bene disponit æquitas.

Sit perpes Deo gloria,
Ex quo sunt quæ sunt omnia.
Ipsum cuncta per quem sunt prædicent,
Ipsi semper in quo sunt jubilent.

AMEN.

II.

Deus, qui tuos erudis
Testamentorum paginis,

[1] « Preces gementes fundimus; dimitte quod peccavimus. » Hymn. S. Ambr. — [2] « Fletus benigne suscipe. » Hymn. S. Ambr. — [3] *Glorificent* Cod. Brux. — [4] Cod. Brux. *Minuitur*.

Ex eorum intelligentiæ
Cantus nostros condis dulcedine.

Tibi sit acceptabile,
Nobis sic fiet utile
Quod de tuis solvemus laudibus,
Si quod sonat intellexerimus.

Triplex intelligentia
Diversa præbet fercula.
Deliciis abundat variis
Sacræ mensa Scripturæ fertilis.

Alunt parvos historica,
Pascunt adultos mystica.
Perfectorum ferventi[1] studio
Suscipitur moralis lectio.

Illis fides astruitur,
Ex hac fructus colligitur,
Fructus hic est et consummatio,
Quam des nobis, morum instructio.

Hæc nobis, Deus, fercula
Tua paravit gratia,
Ut his nostra peregrinatio
Sustentetur quasi viatico.

Sit perpes Deo gloria, etc.

III.

In ortum mundi sensilis
Mundus intelligibilis,
Cœlo simul et terra condito,
De divino jam prodit animo.

Cœlum mox spiritalibus
Redimitum est civibus;
Hæc auctorem suum laudantia
Matutina sunt illa sidera.

Tellus inanis, vacua,
Latebat aquis obsita;
Hac facies profundi gurgitis
Caligabat obductis tenebris.

Aqua[2] fovens vivificus
Jam incumbebat spiritus,
Ut hinc aquæ jam tunc conciperent
Unde prolem nunc sacram parerent.

In[3] mundi quoque primordia
Lucis venustans gratia,
Dixit Deus : Sit lux, et facta est,
A tenebris inde divisa est.

Sit perpes Deo gloria, etc.

IV.

In coæterno Dominus
Verbo dixit altissimus :
Firmamentum sit interpositum,
Ut dividat aquarum medium.

Dictum effectus sequitur.
Abyssus interceditur;
Jacentibus aquis inferius
Suspenduntur aquæ superius.

Quibus has aquas usibus
Reservet, novit Dominus.
Constat autem et hæc, et cætera
Nobis esse, non sibi, condita.

Nostris necessitatibus
Providetur in omnibus;
Pro singulis a nobis Domino
Gratiarum debetur actio.

Sit perpes Deo gloria, etc.

V.

Ad laudes die tertia
Nos ejus monent opera;
Congregatis inferioribus
Aquis terram detexit Dominus.

Terra detecta pululat[4];
Herbam et lignum germinat;
Omne genus herbæ producitur;
Omne ligni genus emittitur.

In terra terræ principem
Collocaturus hominem,
Locum Deus ornando præparat
Vitæ nostræ quem usus postulat.

Recusamur in omnibus
Si factorem contemnimus;

[1] *Ferimenti* Cod. Brux. — [2] Sic Cod. Brux. — [3] Sic Cod. Brux. - *In* delendum esse videtur. — [4] Sic Cod. Brux.

Rationem pro cunctis exigit
Is qui cuncta pro nobis condidit.

Disceptat mundus contra nos,
Factus ornatus propter nos,
Si nos Deo non subdat gratia,
Quibus ipse subjecit omnia.

Placemus ipsum laudibus,
Quem irritamus actibus.
Quanta laudis sit immolatio,
Nos psalmorum docet instructio.

Sit perpes Deo gloria, etc.

VI.

Ornarunt terram germina,
Nunc cœlum luminaria.
Sole, luna, stellis depingitur,
Quorum multus usus cognoscitur.

Lucem distinguunt tempora,
Sunt insignia[1] certissima,
Cuncta fere terrarum commoda
Planetarum ministrat physica.

Hæc quoque pro te condita
Sursum, homo, considera;
Esse tuam et cœli regio
Se fatetur horum servitio.

Sole calet in hieme
Qui caret ignis munere;
Pro nocturnæ lucernæ gratia
Pauper habet lunam et sidera.

Stratis dives eburneis,
Pauper jacet germineis;
Hinc avium oblectant cantica,
Inde florum spirat fragrantia.

Impensis, dives, nimiis
Domum casuram construis;
Falso sole pingis testudinem,
Falsis stellis in cœli speciem.

In veri cœli camera
Pauper jacet pulcherrima;
Vero sole, veris sideribus
Istam illi depinxit Dominus.

Opus magis eximium
Est naturæ quam hominum,
Quod nec labor, nec sumptus præparat,
Nec vetustas solvendo dissipat.

Ministrat homo diviti,
Angelus autem pauperi,
Ut hinc quoque constet cœlestia
Quam sint nobis a Deo subdita.

Sit perpes Deo gloria, etc.

VII.

Ornatis luce partibus
Mundi superioribus,
Loca restat ornandum infima,
Ex his ex[2] quibus lux est jam condita.

Educunt aquæ reptile,
Producunt et volatile;
Uno jussu pisces et volucres
Prodierunt in suas species.

Simul et cete grandia,
Et parva fiunt ostrea,
Uno grypho momento maximus
Perfectus est et passer modicus.

Dixit enim, et facta sunt,
Mandavit, et creata sunt;
Magna simul complet et modica,
Cui sunt æque cuncta facilia.

Sit perpes Deo gloria, etc.

VIII.

Laus instat sextæ feriæ,
Pro qua debentur aliæ,
Qua formatur homo novissimus
Præparatis ei jam omnibus.

Hac in luce terrestria
Creantur animantia;
Omne terræ de terra reptile,
Omne genus profertur bestiæ.

Fit omnium novissimus
Homo qui præsit omnibus;
Ad hunc cuncta spectabant terminum,
Tanquam finem cunctorum unicum.

[1] Sic Cod. — [2] Sic Cod. — *Ex* certe delendum est.

Summus creator omnium,
In quo summa stat operum;
In hoc omnis expletur termino
Consilii divini ratio.

Hoc unum plasma nobile
In quo resplendes, Domine.
Illud tuæ decus imaginis,
Et gloria similitudinis.

Vir primum, inde femina,
De costa viri condita,
Postquam viro sopor immittitur,
Sacramentum quo magnum geritur.

Dantur his animantia
In potestate cætera.
Potiuntur pro tabernaculis
Paradisi tempore[1] gratissimis.

Sit perpes Deo gloria, etc.

IX.

Perfectis Deus omnibus
Et inspectis operibus,
Summe bonus cuncta quæ fecerat
Valde bona videt et approbat.

Sunt perfecta senario
Cuncta dierum numero,
Ut perfecto dierum operi
Attestetur et virtus numeri.

Quievit die septimo
Non lassatus in aliquo;
Quies ipsa Deus perpetua,
In quo cuncta quietis gaudia.

Diem ergo sanctificat,
Quo cessando quieverat,
In sabbati veri mysterio
Benedicit diei septimo;

Illius inquam sabbati,
Quod est ignarum termini,
Quo pax vera, summa tranquillitas
Juges agit festorum ferias.

Sit perpes Deo gloria, etc.

X.

Advenit veritas, umbra præteriit,
Post noctem claritas diei subiit,
Ad ortum rutilant superni luminis
Legis mysteria plena caliginis.

Doctorum Moysi cedat præconium,
Diurnum congruit diei canticum.
Cum Christo prodeunt cuncta de latebris,
Nec locum deserit lux tanta tenebris.

Velamen exuunt figuræ mysticæ.
Est in re veritas, jam non in schemate;
Promissa liquido complens prophetica
Tota vel apicem non sinit irrita.

Transacto flebili de morte vespere,
Quum vita redditur mane lætitiæ,
Resurgit Dominus, apparent angeli,
Custodes fugiunt splendore territi.

Sanctorum plurimi qui jam dormierant,
Surgentis gloriam surgendo prædicant.
In testimonium surgentis Domini,
Conscendunt mortui, descendunt angeli.

Perenni Domino perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, in quo sunt omnia,
Ex quo sunt Pater est, per quem sunt Filius,
In quo sunt Patris et Filii Spiritus.

AMEN.

XI.

Auroram lucifer præit, sol sequitur.
Aurora fidei lux intelligitur,
Quam verus lucifer surgendo contulit,
Caro dominica quum refloruerit.

Hic idem lucifer, ut sol, refulserit,
Quum ad judicium commune venerit,
Cujus lux fuerit tanta præsentiæ,
Ut conscientiæ loquantur singulæ.

Hunc invisibilem quem intelligimus
Solem annuntiat iste quem cernimus,
Et invisibilem auctorem omnium
Laudat visibilis effectus operum.

[1] Forte leg. *templo*.

Cunctis laudantibus, homo ne taceas,
Quum laudes Domino pro cunctis debeas.
Urgeris singulis ex beneficiis,
Ut grates laudibus solvas continuis.

Perenni Domino, etc.

XII.

In altum orbita solis jam ducitur,
Calorque proficit quo mundus alitur,
Lux primum, deinde calor infunditur,
Quam fidem caritas in nobis sequitur.

Hanc lucem fidei sol verus attulit,
In carne Verbum nos quum visitaverit,
Cœlum fortissimum amoris attulit
Hac hora Spiritus quem Verbum miserit.

Hinc recte Spiritus in igne visus est
Super apostolos, quum hoc largitum est;
Nam ignis amor est qui mentes animat,
Ut testam luteam ignis corroborat.

Perenni Domino, etc.

XIII.

Plena meridie lux solis radiat,
Plenusque calor est quo mundus æstuat.
Beatitudinis hæc est perfectio,
Quum ipsa Dei nos incendet visio.

Cujus quo fuerit major cognitio,
Major in singulis erit dilectio,
Quem nihil aliud erit conspicere,
Quam vera perfrui beatitudine.

Felices oculi, beata lumina,
Quibus concessum est hac frui gloria.
Hujus te supplices rogamus, Domine,
Loca vel ultima da nobis curiæ.

Perenni Domino, etc.

XIV.

Deus qui corpora creas et animas,
Et cibis propriis utraque recreas,
Tibi tam corpora psallant quam animæ,
Esse qui tribuis illis et vivere.

Ignosce, Domine, nostris excessibus,
Si plus quam decuit gulæ indulsimus;
Immo piissime quia sic fecimus
Tam hoc quam cætera condona, quæsumus.

Hoc primi vitio parentes exulant,
Et crebris posteros ærumnis implicant.
Hoc naturaliter est nobis insitum,
Et quasi filiis hæreditarium.

Immoderatior et inter epulas
Si quid addiderit culpæ loquacitas,
Id quoque tuum est tuis ignoscere,
Qui nobis spatium reservas veniæ.

Tuum est gratiam dare supplicibus,
Qua sibi temperet ab his et talibus.
Tuum est omnibus modum præfigere
Atque præcipitem naturam regere.

Peregrinantibus nobis viaticum
Da necessarium, tolle superfluum;
Sit quæ non oneret supellex modica,
Ne tarde profugis occurrat patria.

Quis in exilio quærat delicias?
Vel nudus utinam hinc tandem exeat.
Nudeque naufragum hærentem tabulæ
Cautes excipiant saxoso littore.

Qui spiritalibus se cibis præparat,
Non quærit qualibet stercus conficiat.
Cœlesti pane qui saginans[1] animam
Ventris rugitibus non parat similam.

Quem veræ poculum vitis inebriat,
Vini dulcedine gulam non incitat,
Regum deliciæ, non Christi pauperum,
Sollicitudines sunt istæ gentium.

Terrena cogitant hi, non cœlestia;
Ponunt exilium sibi pro patria;
Sortem cum bestiis hic suam faciunt,
Et tales miseri comites eligunt.

Averni facilem descensum appetunt,
Arduum cœlorum callem refugiunt.
Ventre et pectore repentes penitus
Se jam attollere valent nullatenus.

Ut pronas corpore natura bestias,
Sic istos animo fecit edacitas.
Bacchi vel Cereris templis assidui,
In cærimoniis sunt ventris prodigi[2].

[1] Certe *saginat*. — [2] Male Cod. *prodii*.

Tu autem exules factos ingluvie
Per abstinentiam reduc nos, Domine,
Nullumque deseras tuorum inopem,
Qui vestis lilium, et pascis passerem.

Nullum necessitas premat inopiæ,
Sed sit frugalitas sufficientiæ.
Sit quod sufficere naturæ valeat,
Non quod lasciviæ fomentum præbeat.

Perenni Domino, etc.

XV.

Septem quas solvimus diurnis laudibus
Nocturnis additis octo perficimus,
Ex quibus quattuor ascribe vesperæ
Et mane quattuor, diemque perfice.

A nona vesperam scimus incipere,
Quum sol se cœperit terris immergere;
E contra recte quis mane tribuerit
Post noctis medium quum sol emerserit.

Octo conficitur nostra substantia
Quam demum perficit octavæ gloria;
Corpus ex quattuor constare novimus,
Ornari totidem mentes virtutibus.

Hinc recte gratias in octo laudibus
Pro nobis Domino solvi statuimus.
Defectum corporis præbentes vespere,
Mane tribuimus vigorem animæ.

Perenni Domino, etc.

XVI.

Octavæ titulo in Psalmis legimus
Futuræ gloriam vitæ canentibus,
Quum lux subierit perpes fidelium
Istius temporis post septenarium.

Hanc jam in capite completam novimus,
Quum resurrexerit hac luce Dominus,
Ut sic certissimam spem membris propriis
Ejusdem tribuat beatitudinis.

Hinc a Christicolis hæc dies merito
Præ cunctis colitur hoc in mysterio.
Æternis etenim, non temporalibus
Hi bonis inhiant quorum fons Dominus.

Neve tam arduam viam tenentibus
Ex diffidentia tepescat animus:
Hac ipsa Dominus die paraclitum
Misit discipulis in æram Spiritum.

Ad hujus additæ diei gloriam
Quo recte videas diei dominicam[1],
Quod corporaliter hac luce Dominus
Ut rex susceptus est et hæres regius.

Ingressus proprium statim palatium,
Potentis exhibet regis imperium;
Pravos ejiciens, cæcos illuminat,
Et domum Domini sic reconciliat.

Octavæ peragit Jesus mysterium
In qua resederit ut judex omnium,
Suos illuminans sui præsentia,
Pravos ejiciens a regni gloria.

Nec a mysterio vacare credimus,
Quod soli dies hæc datur a gentibus;
Ipsi quoque[2] consecrent eam ex nomine,
Quum sibi vindicet hanc sol justitiæ.

Perenni Domino, etc.

XVII.

Ubique tuis nos et semper laudibus
Vacare, Domine, debere novimus,
Qui loca fabricas nobis et tempora,
Noctem ad requiem, diem ad opera.

Et quum non ferat hoc nostra fragilitas,
Horas instituit, fixit ecclesias,
Ut ipsa loca nos ad hæc admoneant,
Invitent tempora vel segnes arguant.

Hora jam requiem diei septima
Completa poscimus laudum hebdomada.
Tu nostro, Domine, benedic sabbato,
Quos tuo reparet quies obsequio.

Hanc tua dextera domum sanctificet
Et immanissimum leonem religet;
Somno pacifico sic corpus recrea,
Ut in te vigilet mens semper sobria.

Perenni Domino, etc.

XVIII.

Ætates temporum nostrique corporis
Divini numerus præsignat operis;
Dierum novimus in hoc senarium,
Et sex ætates sunt mundi vel hominum.

[1] Sic Cod. Brux. – *Diem dominicam?* — [2] Sic Cod. Brux.

In Noe primæ fit ætatis terminus,
Instar infantiæ quam recte ponimus;
Similitudine quadam a singula
Lux prima continet horum mysteria.

Tunc incomposita facta materies,
Formanda deinceps erat in species,
Et rude seculum legem non noverat,
Nec ætas terrena rectum quid cogitat.

Deleta prior est ætas diluvio,
Sic et infantiam delet oblivio;
In primo die lux narratur condita
Et istam inchoat lucem infantia.

Est et lux fidei quædam minoribus,
Quam quasi parvuli primum suscepimus.
Hanc quoque species ipsa diluerit,
Quum, vel nunc credimus, videri cœperit.

Perenni Domino, etc.

XIX.

Secunda desinit ætas in Abraham,
Ac si jam ventum sit ad pueritiam,
Non hanc diluvium ætatem diluit,
Quum pueritiæ quisque meminerit.

Hac firmamentum est in die conditum,
Ut aquas[1] dividat his interpositum,
A compluentibus et inundantibus
Aquis consuluit arca fidelibus.

Non Dei populum hæc ætas genuit,
Legis instructio quum nondum fuerit,
Nec vires suppetunt gignendi puero,
Etsi memoriam jam firmet animo.

Post lucem fidei, spes nos corroborat,
Et jam ad fortia credentem animat,
Ut spe cœlestium et veræ gloriæ
Jam cuncta tolleret hujus miseriæ.

Perenni Domino, etc.

XX.

Ætas perducitur ad David tertia.
Huic est similis adolescentia.
Interpres sapiens diei tertio
Utramque comparat ætatem merito.

Aquas ab arida lux ista removet,
Et fluxa sæculi data lex inhibet,
Ne, deprimentibus nos libidinibus,
Concupiscentiis se mergat animus.

Hæc ætas populum per legem genuit,
Et patrem Abraham multorum statuit,
Et quasi prima sit hæc terræ soboles,
Nascuntur hodie cum herbis arbores.

Perenni Domino, etc.

XXI.

Post fidem atque spem, timor incutitur,
Quo mercenarius aut servus agitur,
Dum hunc sollicitant sperata commoda
Vel illum stimulant flagella condita.

Antiquum timor hic possedit populum
Legis pollicitis et minis subditum,
Dum lex promitteret hæc bona cupidis,
Reos afficeret pœnis gravissimis.

Ex terra vivere plantas agnoscimus
Creatas hodie quas esse legimus,
Et vitam Israel terrenam duxerit
Cujus promissio terrena fuerit.

Perenni Domino, etc.

XXII.

Quarta lux decorat cœlum sideribus,
Quorum perpetuus vigor est igneus,
Quæ nunquam excidit; sic fervet carita
Quæ sibi vindicat sedes æthereas.

Cujus quadrifida lex Evangelium
Constat ad quattuor dierum numerum,
Quadrati corporis est magna firmitas
Et cuncta sustinet invicta caritas.

Virtutum caritas est consummatio,
Virilis virium ætas perfectio.
Ut corpus hominis hoc implet viribus,
Sic mentem caritas consummat moribus

XXIII.

Ætatis sæculi quartæ primordium
Ponunt theologi regnum Davidicum;
Istius vespera sit transmigratio
Israelitici sub Babylonio.

[1] Cod. Brux. *aqua*.

In David caritas perfecti noscitur,
Quæ sævos [1].... et hostes amplectitur,
Pepercit Sauli quem planxit mortuum,
Morte mox puniens mendacem nuntium.

Hostilem religat prædonem caritas,
Nec erit animæ cum hac captivitas;
Ubi defuerit, salus amittitur,
Et nostri pectoris urbs hosti traditur.

Perenni Domino, etc.

XXIV.

Quod ætas sæculi quinta perducitur,
Ad Christi tempora a multis traditur,
In mundi senio novus ad veterem,
Ut eum renovet, missus est hominem.

Defectum virium senectus patitur,
Et mundi senium hoc recte dicitur,
In quo consulere virtus Altissimi
Bonorum omnium venit defectui.

Jam præterierat patrum religio,
Prophetæ deerant, defecit unctio,
Quum hunc injunxerit divina gratia,
Qui spiritaliter restauret omnia.

Perenni Domino, etc.

XXV.

Ex aquis hodie viventes animas
Produci docuit Scripturæ veritas,
Quia baptismatis absente lavacro
Morum non sufficit catechizatio.

Hic mater gratia sepelit veterem,
Hinc novum pia plebs suscipit hominem,
Qui sacramentum hoc primum exhibuit,
Adventum Domini Baptista prævenit.

In quintæ mittitur ætatis tempore,
Quintæ mysterium qui pandat feriæ.
Qui finis veterum nova dat lavacra,
Quasi produceret hinc animantia.

Perenni Domino, etc.

XXVI.

Sexta tam hominum ætas quam temporum
Meta vel finis est ætatum omnium,
Finis perficiens bonorum Christus est,
Ætate sæculi sexta qui passus est.

Ipsius passio, nostra redemptio,
Bonorum est omnium et consummatio [2];
Salutis cætera sunt adminicula,
Hæc est completio salutis hostia.

Hac die conditus homo se perdidit;
Eadem conditor ipsum restituit,
Propter quem subiens crucis suspendium,
Ut servum redimat, se dedit pretium.

De costa viri fit sopiti femina.
Ubi Christus, sponsa ejus est Ecclesia [3];
Mors Christi sopor est, de cujus latere
Nos mundat prodiens aqua cum sanguine.

Rei cujuslibet ejus imaginem
Expressam dicimus similitudinem;
Quod vero quamlibet rem munus exprimit,
Similitudinis nomen non refugit.

Virum et feminæ præesse novimus,
Ejus de corpore quam sumpsit Dominus.
Hinc Dei dicimus virum imaginem
Ejusque feminam similitudinem.

Quo nempe major est viri sublimitas,
Atque potentiæ præcellit dignitas,
Eo vir amplius est Deo similis,
Quum hanc et ratio præponat cæteris.

Perenni Domino, etc.

XXVII.

Finem ac requiem laborum omnium
Beatitudinis imponit brachium.
Ad hanc pertingitur per præcedentia,
Quæ sex significant dierum opera.

Fides, spes illa sunt, timor, dilectio,
Baptismi gratia Christique passio.
Hujus senarii beatis gradibus
Beatitudinis succedit aditus.

Per gradus singulos deduc nos, Domine,
Ut queant membra te caput apprendere,
In veri sabbati perenni gloria,
Cujus exsuperant omne cor gaudia.

Perenni Domino, etc.

[1] Hic verbum quoddam excidit. — [2] Sic Cod. – *Est* delendum esse videtur. — [3] Sic Cod. Brux.

XXVIII.

O quanta, qualia sunt illa sabbata,
Quæ semper celebrat superna curia!
Quæ fessis requies, quæ merces fortibus,
Quum erit omnia Deus in omnibus!

Vere Jerusalem illic est civitas
Cujus pax jugis est summa jucunditas,
Ubi non prævenit rem desiderium,
Nec desiderio minus est præmium.

Quis rex! quæ curia! quale palatium!
Quæ pax! quæ requies! quod illud gaudium!
Hujus participes exponant gloriæ,
Si, quantum sentiunt, possint exprimere.

Nostrum est interim mentem erigere,
Et totis patriam votis appetere,
Et ad Jerusalem a Babylonia,
Post longa regredi tandem exilia.

Illic molestiis finitis omnibus
Securi cantica Sion cantabimus,
Et juges gratias de donis gratiæ
Beata referet plebs tibi, [Domine?]

Illic ex sabbato succedet sabbatum,
Perpes lætitia sabbatizantium,
Nec ineffabiles cessabunt jubili,
Quos decantabimus et nos et angeli.

Perenni Domino, etc.

II.

Tripartitum est divini cultus officium. Doctor gentium in epistola *ad Ephesios* ordinavit dicens[1] : « Et nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini Spiritu loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. » Et rursus *ad Colosenses* inquit[2] : « Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritalibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Domino. »

Psalmi vero et cantica quoniam ex canonicis antiquitus præparata sunt Scripturis, nec nostro nec alicujus egent studio ut modo componantur.

De hymnis vero quum nihil in superpositis distinctum habeatur scripturis, quamvis et nonnulli psalmi nomen hymnorum sive canticorum sanctorum inscriptum titulis habeant, passim a pluribus postea scriptum est, et pro temporum aut horarum seu festivitatum varietate quibusque proprii hymni sunt constituti, et hos nunc proprie hymnos appellamus, quamvis antiquitus indifferenter nonnulli tam hymnos quam psalmos dicerent quælibet divinæ laudis cantica rhythmo vel metro composita. Unde Eusebius Cæsariensis *Ecclesiasticæ*

[1] *Ephes.*, cap. v, v. 18, 19. — [2] *Coloss.*, cap. iii, v. 16.

historiæ libri capitulo XIX disertissimi Judæi Philonis laudes erga Alexandrinam sub Marco Ecclesiam commemorans inter cætera adjecit[1].... Post pauca rursum etiam de eo quod psalmos faciant novos, ita scripsit : « Itaque non solum subtilium intelligunt hymnos veterum, sed ipsi faciunt novos in Deum, omnibus eos et metris et sonis honesta satis et suavi compage modulantes. » Haud fortassis incongruum est omnes psalmos hebraice metro vel rhythmo compositos et melica dulcedine conditos appellari etiam hymnos, juxta ipsam videlicet hymnorum definitionem quam in præfatione prima posuimus. At quum jam psalmi ex hebræo in aliam linguam translati a rhythmi vel metri lege soluti sint, bene ad Ephesios qui Græci sunt Apostolus scribens separatim a psalmis hymnos distinxit sicut et cantica.

De his itaque quoniam nostrum sæpe ingeniolum, dilectissimæ Christi filiæ, multis precibus pulsavistis, addentes insuper quibus de causis id necessarium vobis videatur, vestræ jam petitioni, prout Dominus annuerit, ex parte paruimus. Superiori namque libello quotidianos feriarum hymnos qui toti sufficere possint hebdomadæ comprehendimus. Quos ita compositos esse cognoscatis ut bipartitus sit eorum cantus sicut et rhythmus, et sit una omnibus nocturnis melodia communis atque altera diurnis, sic et rhythmus. Hymnum etiam gratiarum post epulas exsolvendum non prætermisimus, secundum quod in Evangelio scriptum est[2] : « Hymno dicto exierunt. »

Cæteros vero suprapositos hymnos hac consideratione digessimus ut qui nocturni sunt suarum opera feriarum contineant, diurni autem ipsorum operum allegoricam seu moralem expositionem tradant. Atque ita factum est ut obscuritas historiæ nocti, lux vero expositionis reservetur diei. Super est de cætero vestris me orationibus adjuvari ut optatum vobis munusculum transmittam.

XXIX.

Verbo Verbum virgo concipiens,
Ex te verus ortus est oriens
A quo vera diffusa claritas
Circumductas abduxit tenebras.

Felix dies, dierum gloria,
Hujus ortus quæ vidit gaudia !
Felix mater quæ Deum genuit !
Felix stella quæ solem peperit !

O vere beata pauper puerpera !
Cujus partus ditavit omnia ;
Pauper, inquam, sed celsa genere,
Pontificum et regum sanguine.

Vitæ viam in via peperit,
Hospitium non domum habuit,
Regum proles et cœli domina,
Pro cameris intravit stabula.

Obstetrices in partu deerant,
Sed angeli pro eis aderant,

[1] Desunt in Codice verba Eusebii. — [2] Matth., cap. XXVI, v. 30. – Marc., cap. XIV, v. 26.

Quorum statim chorus non modica
Hujus ortus eduxit gaudia.

Defuerunt fortassis balnea,
Sed quam lavent non erat macula.
Non est dolor quem illa relevent,
Nec scissura quam illa reparent.

In excelsis sit Deo gloria,
Pacis in terra fœdera,
Quam super his voces angelicæ
Decantasse noscuntur hodie.

AMEN.

XXX.

Dei patris et matris unicus,
In præsepe pro cunis positus,
Angustias præsepis sustinet,
Quem ambitus cœli non continet.

Excipitur vili tugurio,
Qui præsidet cœli palatio.
Quis super hoc, quis non obstupeat?
Cujus mentem hoc non commoneat?

Pauper Deus, imo pauperrimus,
Sic factus est pro nobis omnibus.
Quæ sunt grates, quæ retributio
Super istis a nobis Domino?

In præsepi vagit, ut parvulus,
Qui concutit cœlum tonitrubus;
Stratum habet fœni reliquias,
Qui regibus largitur purpuras.

Bestiarum infertur pabulo
Angelorum ipsa refectio.
Instat inde grex animalium,
Hinc angeli præbent obsequium.

In excelsis sit Deo gloria, etc.

XXXI.

Quam beatum stratum hoc straminis
Tantæ latus quod pressit virginis,
Quo parvulus nascens excipitur,
Cujus palma cœlum concluditur!

In sericis reginæ cæteræ
Summo solent dolore parere.
Vilis strati beatus lectulus
Omni fuerit dolore nescius.

Regum natis in alimonia
Sunt subacta nutricum ubera.
Educatur lacte virgineo,
Virgo clauso quem fudit utero.

Nulli regum inter tot epulas,
Inter tantas et tot delicias,
Concessum est ut lacte virginis
Quis de suis alatur parvulis.

Virgo pauper fortassis esurit,
Quæ parvulum hoc lacte reficit.
Stupent cœli, mirantur angeli,
Obsequio lactantis seduli.

In excelsis sit Deo gloria, etc.

XXXII.

Gaude, virgo virginum gloria,
Matrum decus et mater, jubila,
Quæ commune sanctorum omnium
Meruisti conferre gaudium.

Patriarchis sanctis ac regibus
Te filiam promisit Dominus;
Te figurant legis ænigmata,
Prophetarum canunt oracula.

Te requirunt vota fidelium,
Ad te corda suspirant omnium;
Tu spes nostra post Deum unica,
Advocata nobis es posita.

Ad judicis matrem confugiunt,
Qui judicis iram effugiunt.
Quæ supplicare pro eis cogitur[1],
Quæ pro reis mater efficitur.

O pia............ietas! filius
Ad hoc gignit, ad hoc est genitus,
Ut salventur servi per.......[2]!
Quam exhibet hæc dies maximam.

In excelsis sit Deo gloria, etc.

XXXIII.

Nasciturum sive natum
Cœli regem et terræ

[1] Sic Cod. – *Quæ* delendum esse videtur. — [2] Membrana hoc loco sic contrita est, ut litteræ intermediæ nullo modo legi possint.

Miris signis eo dignis
 Prædicarunt utraque.

Nam, Auguste, te florente
 Solem cinxit corona;
Mundavit quod mandavit
 Oleum de taberna.

Veniente Redemptore
 Servis datur libertas,
Servitutis jugum tollis,
 Et quem nescis præsignas.

Interdicis nec permittis
 Te Dominum vocari,
Ut venturo possit Christo
 Decus hoc reservari.

Jani portas tenet clausas
 Pax a Christo præmissa,
Quæ prophetæ quondam voce
 Mundo fuit promissa.

Pax in terris, in excelsis
 Sit gloria, sit summa
Regi summo Patri, Verbo,
 Spiritui per sæcula.

AMEN.

XXXIV.

Angelorum stupent cantu
 Admoniti pastores;
Magos nova ducit stella,
 Metu languet Herodes.

Dat mandata magis stulta,
 Loquens eis in dolo;
Sed illusus fuit dolus
 Fraudulento fraudato.

Illi cœptam tenent viam,
 Reperiunt quem quærunt,
Et oblatis tribus donis
 Per hæc ipsum describunt.

Ad Herodem ne redirent
 Admonentur in somnis,
Et divino documento
 Sunt quid agant edocti.

Pax in terris, etc.

XXXV.

Consecrandas intrat aquas,
 Baptizatus a servo,
Qui peccata tollit nostra,
 Qui non eget baptismo.

Baptizato qui baptismo
 Vere suo baptizat,
Statim cœli sunt aperti
 Quos peccatum claudebat.

Revelatus est descensus
 Spiritus in columba;
Baptizandis renascendis
 Gratia demonstrata.

Est audita vox paterna,
 Filium protestata,
Et renatos facit veros
 Filios illa data;

Quis blanda, mansueta
 Deum monstrat placatum,
Nec divinæ quemquam æqua
 Gratiæ tenet typum [1].

Pax in terris, etc.

XXXVI.

Qui baptismo nobis suo
 Aquas sanctificavit,
Has in merum vertit vinum
 Et convivas reficit.

Inde clara dies ista
 Trino facto resplendet;
Quia per tanta [2] mundo signa
 Mundi salus apparet.

Nec post tanta vel majora
 Signa credit Judæus,
Quem ad unam statim stellam
 Requisivit Chaldæus.

Elementa suum cuncta
 Recognoscunt auctorem.
Te nec signa, nec lex ipsa
 Movent, miser, ad fidem?

[1] Sic Cod. – Locus corruptus, ut videtur. — [2] Sic Cod. – *Tot?*

Si nec signis, nec prophetis
Arbitraris credendum,
Exul longa saltem pœna
Tuum disce reatum.

Pax in terris, etc.

XXXVII.

Adorna, Sion, thalamum,
Quæ præstolaris Dominum;
Sponsum et sponsam suscipe
Cum cereorum lumine.

Prudentes illæ virgines,
Vestras aptate lampades,
Et occurentes Dominæ,
Surgant adolescentulæ.

Faces accendant famuli,
Veroque mundi lumini
Domus dominis cum omnibus
Occurrat cum luminaribus.

Beate senex, propera,
Promissa comple gaudia,
Et revelandum gentibus
Revela lumen omnibus.

Devota Deo vidua,
Ejusque templo dedita,
Pari propheta gaudio,
Et confitere Domino.

Deo patri cum Filio,
Cum Spiritu paraclito,
Ut est una substantia
Sic et una sit gloria.

AMEN.

XXXVIII.

Parentes Christum deferunt,
In templo templum offerunt.
Legi parere voluit,
Qui legi nihil debuit.

Offer, Beata, parvulum
Tuum et patris unicum;
Offer per quem offerimur,
Pretium quo redimimur.

Procede, virgo regia,
Profer natum cum hostia,
Tollantur aves mysticæ,
Tibi vel ipsi congruæ.

Monstret columba simplicem,
Designet turtur virginem;
Pauper quidem est hostia,
Sed magna sunt mysteria.

Hæc quidem erat pauperum
Quum esset[1] agnus divitum,
Sed agni veri latio
Non eget agno mystico.

Deo patri cum Filio,
Cum Spiritu paraclito, etc.

XXXIX.

Qui paupertatem admonet,
Hanc in se prius exhibet;
Deus dives in omnibus,
Ut nos ditet pauperrimus.

Factis primum exhibuit,
Quod verbis tandem docuit,
A cunis mox incipiens,
Et re vocem præveniens.

Hic est ille funiculus,
In manu viri lineus,
Subtilis evangelicæ
Sermo legis in opere.

Hic est mensuræ calamus
Quem gestat manu parvulus,
Ut super montem positum
Mensuret ædificium.

Mensuræ quippe calamus
Liber est evangelicus,
Quem manu fertur gerere
Qui scriptum complet opere.

Hoc super ipsum posita
Mensuratur Ecclesia,
Dum in hoc quisque percipit
Quantum crescit ac deficit.

Deo patri, etc.

XL.

Omnis sexus et quælibet
Ætas plaudat et jubilet.

[1] *Esse* Cod. Brux.

Monet omnes ad gaudium
Qui venit salus omnium.

Gaude, vir, gaude, femina,
Communi læti gloria.
Virum, quem Deus induit,
Ignara viri peperit.

Congaude, virgo, virgini!
Mater est hæc Altissimi;
Nupta nuptæ congaudeat,
Quæ mox conceptum prædicat.

Conclusus adhuc utero,
Quo potens infans gaudio
Vitam mundi quam senserat
Mundo statim adnuntiat!

Hinc senex, inde vidua
Laude Christum prophetica
Confitentes dominicam
Ostenderunt præsentiam.

Deo patri, etc.

XLI.

Christiani, plaudite,
Resurrexit Dominus.
Victo mortis principe
  Christus imperat,
Victori occurrite,
  Qui nos liberat.

Superato Zabulo,
Resurrexit Dominus;
Spoliato barathro,
  Suos eruit,
Stipatus angelico
  Cœtu rediit.

Fraus in hamo fallitur,
Resurrexit Dominus,
Quæ dum carne vescitur
  Circumposita,
Virtute transfigitur
  Carni insita.

Captivatis inferis,
Resurrexit Dominus,
Ditatisque superis,
  Cœlum jubilat,
Hymnis, psalmis, canticis
  Terra resonat.

Deo patri gloria,
Resurrexit Dominus,
Salus et victoria,
  Christo Domini;
Par honor per sæcula
  Sit Spiritui.

AMEN.

XLII.

Da Mariæ tympanum,
Resurrexit Dominus,
Hebræas ad canticum
  Cantans provocet,
Holocausta carminum
  Jacob immolet.

Subvertens Ægyptios,
Resurrexit Dominus,
Rubri maris alveos
Deus replens hostibus,
Quos involvit obrutos
  Undis pelagus.

Dicat tympanistria:
Resurrexit Dominus,
Illa quidem altera,
  Re non nomine
Resurgentem merita
  Prima cernere.

Cantet carmen dulcius,
Resurrexit Dominus,
Reliquis fidelibus
  Mixta feminis,
Cum ipsa narrantibus
  Hoc discipulis.

Deo patri cum filio,
Cum Spiritu paraclito, etc.

XLIII.

Golias prostratus est,
Ense jugulatus est,
Resurrexit Dominus,
  Hostis proprio;
Cum suis submersus est
  Ille Pharao.

Dicant Sion filiæ:
Resurrexit Dominus.
Vero David obviæ
  Choros proferant,
Victori victoriæ
  Laudes concinant.

Sanson noster validus,
Resurrexit Dominus,
Circumseptus hostibus
Portas sustulit.
Frustratus Alophilus,
Stupens ingemit.

Ut leonis catulus,
Resurrexit Dominus,
Quem rugitus patrius
Die tertia
Suscitat vivificus,
Teste physica.

Deo patri, etc.

XLIV.

Veris grato tempore,
Resurrexit Dominus.
Mundus reviviscere
Quum jam incipit,
Auctorem resurgere
Mundi decuit.

Cunctis exultantibus,
Resurrexit Dominus;
Herbis renascentibus,
Frondent arbores,
Odores ex floribus
Dant multiplices.

Transacta jam hieme,
Resurrexit Dominus,
In illa perpetuæ
Vitæ gaudia,
Nullius molestiæ
Quæ sunt conscia.

[1]..... restauret omnia,
Resurrexit Dominus,
Tanquam ista gaudia
Mundus senserit,
Quum carne dominica
Jam refloruit.

Deo patri, etc.

XLV.

In montibus hic saliens,
Venit colles transiliens,
Sponsam vocat de montium[2] vertice:
Surge, soror, et me jam sequere.

Ad paternum palatium,
Ad patris scandens solium,
Sponsæ clamat: Dilecta, propera;
Sede mecum in patris dextera.

Omnis turba te civium,
Te regnum manet patrium.
Tuæ tota cum patre curia
Præsentiæ requirit gaudia.

Quæ regis sponsæ congruant,
Quæ reginæ conveniant,
Hic intextas ex auro cyclades
Cum purpuris gemmatis indues.

Sit Christo summa gloria,
Qui scandens super sidera,
Cum Spiritu, cum patre, supera
Deus unus regit et infera.

AMEN.

XLVI.

Quibusdam quasi saltibus
Superni patris filius,
Ad terrena venit a superis,
Spoliatis nunc redit Tartaris.

A sinu venit patrio,
Matris susceptus utero;
In sepulchro de cruce positus
Resurrexit per quem resurgimus.

Ascendentem ad æthera,
Nubes excepit lucida;
Terebatur erectis manibus,
Benedicens suis astantibus.

Ascendentem cernentibus
Ac super hoc mirantibus,
Astiterunt in albis angeli,
Tam facie quam veste nitidi.

Quid, inquiunt attoniti,
Sic cœlum intuemini?
Quem euntem in cœlum cernitis,
Sic veniet in forma judicis.

Sit summo, etc.

XLVII.

In terris adhuc positam,
Sponsam Christus Ecclesiam

[1] Membrana hoc loco erasa est. — [2] Leg. *montis*.

Ad se sursum vocat quotidie,
Et hortatur mente conscendere.

Dicat[1] hæc: Post te trahe me,
Nitenti dexteram porrige;
Super pennas ventorum evolas;
Quis sequetur ni pennas conferas?

Columbæ pennas postulet,
Ut ad quietem properet.
Alas petat potentis aquilæ,
Quibus alta possit conscendere.

Dabit cum alis oculos,
Ut mihi[2] solis radios
In reflexis possit obtutibus
Intueri, quo nil felicius.

Pennatis animantibus
Ille locus æthereus
Pro meritis virtutum congruit
Quibus alas has Deus dederit.

Sit Christo summo, etc.

XLVIII.

Salve, cœlestis
Vexillum regis;
Salve, crux sancta;

Qua, spoliato
Prædone diro,
Præda reducta.

Averni portæ
Jacent contritæ,
Claustra confracta;

Tau[3] beatum
Quo pœnitentum
Fronte signata,

Interfectoris
Ira crudelis
Est religata.

Fide[4] latronum
Quondam tormentum
Eras pro pœna,

Nunc gloriosum
Frontibus regum
Signum impressa.

Tu lignum vitæ,
In qua rex ipse
Conscendit palma,

Ut fructu tui
Letalis pomi
Restauret damna.

Felici nautæ
Quæ[5] quasi nave
Fruendo vita,

Per mare magnum
Hoc navigandum
Est ad superna.

Personis trinos, etc.

XLIX.

Serpens erectus,
Serpentum morsus
Conspectus sanat.

Antiqui virus
Serpentis Christus
Suspensus curat.

Sophia patris
Medelam cunctis
Ex se ministrat.

Prophetæ virga
Silex bis icta
Aqua redundat.

Lignis duobus
Christus appensus
De se nos potat.

Bibit Judæus,
Sed Christianus
Refectus extat.

Personis, etc.

L.

Lignum amaras
Indulcat aquas
Eis immissum.

[1] Male Cod. *Citat.* — [2] Sic Cod. — [3] Sic. Cod. – Vid. *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, auct. Ducange, ad vocem *Tau.* — [4] Sic Cod. – *Turpe* vel *vile?* — [5] Sic Cod. – *Qua?*

Omnes agones
Sunt sanctis dulces
Per crucifixum.

Salix præclarus
Mortis est potus
Ipsis per ipsum.

Quæque tormenta
Sunt eis grata
Per hoc exemplum.

Ut dolor meus
Dolor est nullus;
Attendunt scriptum.

Quippe qui cuncta
Portat peccata,
Nescit peccatum.

Passo pro cunctis
Est universis
Compatiendum.

Personis trinos, etc.

LI.

Quum in altum Deus ascenderet,
Et una secum traheret
Triumphantis majestas Domini,
Circumstabant victorem eruti.

Superna regis civitas
Pompas educit obvias [1],
Chere[2], cantant victori angeli
Et hosanna salvati populi.

Illis tanquam quærentibus
Et super hoc mirantibus
Hi respondent, et alternantibus
Ita cantum mulcent sermonibus:

Quis est iste rex gloriæ?
Quod hoc decus victoriæ?
Quis est iste de Edon veniens,
Purpureo vestitu renitens?

Fortis et potens Dominus,
Triumphans victis hostibus,
Manu forti potens in prælio
Victor redit subacto Zabulo.

Sit Christo summo, etc.

LII.

Adventu sancti Spiritus,
Nostri cordis altaria
Ornans Deus virtutibus,
Tu tibi templa dedica
Illa septiformi quam habet gratia,
Cujus dona bona sunt omnia,
Contra septem illa dæmonia.

Per timorem nos Domini
Primum a malo liberat,
Ut pauper hujus sæculi,
Cœlum dives introeat.
Tu hanc da nobis, Domine, gratiam,
Pœnam reis ne reddas debitam,
Sed nomini tuo da gloriam.

Da pietatis viscera,
Ne superet tentatio;
Mites facit hæc gratia
Quorum terra possessio.
Et hanc da nobis, Domine, etc.

Apponis et scientiam,
Per quam flenda cognoscimus;
Consolaris per veniam
Quum hanc primo fecerimus.
Et hanc, etc.

Fortitudine roboras
Esuriem justitiæ.
Veri panis saturitas
Viaticum est animæ.
Et hanc, etc.

Summum illud consilium
Das de misericordia,
Ut idem reddas præmium;
Vis hanc, non sacrificia.
Et hanc da, etc.

Intellectus es spiritus
Quo videtur divinitas

[1] Cod. *ovias*. — [2] Χαῖρε.

Mundi cordis luminibus;
Hæc est spiritus regni sublimitas[1].
Et hanc da, etc.

Das tandem sapientiam
Per quam fiant pacifici,
Nomen patris sanctificans,
In quo sint Dei filii,
Et hanc da, etc.

Populorum precibus,
Quos hac in die consecras,
Isdem nos charismatibus
Confirma quos regeneras.
Illa septiformi, etc.

LIII.

Remissionis numerum
Lux signat quinquagesima,
Quo jubileus omnium
Annus relaxat debita.
Summa summo regi Deo sit gloria,
Cujus cuncta subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, in quo sunt omnia.

Sub hoc dierum numero
Remissionis Spiritus,
A summi Patris solio
Venit, quem misit Filius.
Summa summo, etc.

Divinum quippe Spiritum
Amorem ejus dicimus,
Quo reis hunc propitium,
Quo mitem esse novimus.
Summa, etc.

Cujus amoris hodie
Flamma mundus accenditur,
Quem venit Christus mittere
In terram ignis mittitur.
Summa, etc.

In igneis hunc hodie
Linguis super apostolos
Demonstrans legis igneæ
Præsignavit hos nuntios.
Summa, etc.

Lex vetus tanquam frigida
Servos metu coercuit,
In Christo mater gratia
Filios Deo genuit.
Summa summo regi Deo, etc.

LIV[2].

Tradentem legem Domino
Mons tremens metum attulit;
Spiritus in cœnaculo
Susceptus illum abstulit.
Summa, etc.

Micabant illic fulgura,
Mons caligabat fumigans;
Hic est flamma multifida
Non urens, sed illuminans.
Summa, etc.

Horrendæ sonum buccinæ
Pavebat illic populus;
Verbum intelligentiæ
Sonus hic fuit Spiritus.
Summa, etc.

Fumus illic caliginem
Obscuræ signat litteræ.
Splendentis ignis speciem
Clare signum hic accipe.
Summa, etc.

Terroris ac caliginis
Illic plena sunt omnia,
Curat hic ex contrariis
Paraclitus contraria.
Summa, etc.

Omnes aufert molestias
Divina consolatio:
Cordis exarat tabulas
Ut reparetur ratio.
Summa summo, etc.

LV.

Apostolorum pectora
Divinus replens spiritus,
Corda ditat sententia,

[1] Sic Cod. Brux. - *Spiritus* delendus est. — [2] Ex codicis habitu non potest bene colligi utrum hinc novus hymnus incipiat, an potius versus sequentes prioribus annectendi sint.

Linguas loquelis omnibus.
Summa, etc.

Ut superbos disperserat
Linguæ quondam divisio,
Sic humiles nunc aggregat
Diversarum collectio.
Summa, etc.

Laudari linguis omnibus
Et prædicari debuit
In cunctis mundi partibus,
Qui has, qui cuncta condidit.
Summa, etc.

Johelis testimonium
Completum esse novimus,
Petrus calumniantibus
Quod opponit latrantibus.
Summa, etc.

Divinorum completio
Festorum hæc festivitas;
Divini consummatio
Promissi sit hæc largitas;
Qui verum omne doceat
Promissus hic est qui cuncta suggerat [1]
Quæ suis dixit filius.
Summa, etc.

LVI.

Sacra Hierosolymis
Facta sunt encænia,
Quum lux esset celebris
Domini præsentia.

Ipse nostris hodie
Festis adsit quæsumus,
Præsentis basilicæ
Basileon proprius.

Nostri templum pectoris
Ipse sibi consecret [2],
Et signis extrinsecis
Res internas aggreget.

Quæ fiunt exterius
Intus ipse compleat
Mundi penetralibus
Qui cordis inhabitat.

Deo patri gloria,
Par sit honor Filio,
Compar sit Spiritui
Gratiarum actio.

AMEN.

LVII.

Spiritale signum est
Templum hoc visibile,
Et in illo totum est
Quod in hoc sit mystice.

Aqua benedicitur,
Salis fit commixtio,
Templum his conspergitur
Circumvectis tertio.

Accenduntur interim
Intus luminaria,
Numero duodecim
In gyro disposita.

Aspergendo circuit
Templum ter episcopus.
Portæ frontem percutit
Virga ter superius.

Aperiri præcipit,
Ut rex intret gloriæ,
Quod quum ter expleverit,
Patefiunt januæ.

Ingressus basilicam
Preces offert Domino,
Pro se primum hostiam
Deinde pro populo.

Alphabeti duplicis
Dum figuras imprimit
Cancellatis lineis
Crucis signum exprimit.

Quæ fiunt exterius, etc.

Deo patri gloria, etc.

LVIII.

Ad altare pontifex
Sacrandum se præparat,

[1] Locus corruptus, ut videtur. — [2] Cod. *consecrat*

Aquæ salem, cinerem,
Atque humum sociat.

Bis intincto digito
Per altaris cornua
Signum crucis imprimit
Consecrantis dextera.

De hysopo deinde
Tenens aspersorium
In altare septies
Aspergit circumdatum.

Ligatis ter deinceps
Intus parietibus,
Orat ut exaudiat
Ibi vota Dominus.

Ad altare præsul his
Peractis convertitur;
Psalmus cum antiphona
Præeunte dicitur.

Ad altaris funditur
Basim aquæ reliquum;
Quo extergi debetur [1],
Mundum adest linteum.

Thus antistes adolet
Super ipsum Domino;
Tam ipsum quam angeli
Consignantur oleo.

Unctione chrismatis
Altare perfunditur,
Et simul antiphona
Decantanda sumitur.

Cruces hinc duodecim
Chrismantur parietum,
Altare contegitur,
Et fit sacrificium.

Quæ fiunt exterius, etc.

Deo patri gloria, etc.

LIX.

Ecce domus Domini,
En fidelis populus,
Psalmis, hymnis, canticis
Vacans spiritalibus.

Christus cujus domus est,
Ipsam sibi protegat,
Et ovile proprii
Gregis pastor muniat.

Manum spiritalium
Tutelam adhibeat.
Lupos invisibiles
Super illos arceat.

Angelorum præsidens
Semper hic custodia,
Ad fideles populi
Vigilet præsidia.

Ad superbum Zabulon
Conterendum Michael,
Ad medendum sauciis
Dirigatur Raphael.

Corda titubantium
Gabriel corroboret,
Et perseverantia
Stantes idem adjuvet.

Nunquam, quum sit regis hoc
Cœlestis palatium,
Ministris cœlestibus
Decet esse nocuum.

Horum ministerio
Disponantur omnia
Qui norunt quæ Domino
Sint vel non sint placita.

Christi vota populi,
Ipsi preces offerant,
Et quid ipse voveat,
Quid precetur doceant.

Nihil cassis precibus,
Nihil votis irritis
Hinc fideles postulent
Vel sibi vel aliis.

Quis autem fidelium
Preces Deo fuderit,
Impetrasse gaudeat
Se, quidquid petierit.

Hiezita nullus hic,
Nullus simoniacus,
Corrumpat hereticis
Gregem Christi pestibus.

[1] Cod. – *Debeatur.*

Quos a domo propria
Per semet expulerit,
Iram ejus sentiat
Quisquis hos reduxerit

III.

Superioribus duobus libellis quotidianos feriarum hymnos et solemnitatum divinarum proprios digessimus. Nunc vero superest ad cœlestis gloriam regis et communem fidelium exhortationem ipsam quoque superni curiam palatii debitis hymnorum, prout possumus, efferre præconiis. In quo quidem opere ipsi me præcipue adjuvent meritis quorum gloriosæ memoriæ qualiumcunque laudum munuscula cupio persolvere, juxta quod scriptum est : « Memoria justi cum laude[1], » et iterum : « Laudemus viros gloriosos, etc.[2] »

Vos quoque obsecro, sorores carissimæ Christoque dicatæ, quorum maxime precibus hoc opus aggressus sum, vestrarum adjungite devotionem orationum, illius memores beatissimi legislatoris qui plus orando quam populus potuit dimicando[3]. Et ut caritatem vestram in orationum copia largam inveniam, pensate diligenter quam prodigam vestra petitio nostram habeat facultatem. Dum enim divinæ gratiæ laudes pro nostri ingenioli[4] prosequi studeremus, quod de ornatu deest eloquentiæ, recompensavimus hymnorum multitudine, singulis videlicet singularum solemnitatum nocturnis proprios componentes hymnos, quum unus solummodo hucusque hymnus in festis quoque sicut in feriis ad nocturnos præcineretur.

Quatuor itaque hymnos singulis festivitatibus ea ratione decrevimus, ut in unoquoque trium nocturnorum proprius decantetur hymnus, et laudibus insuper matutinis non desit suus. Ex quibus rursus quatuor instituimus, ut duo in vigilia pro uno conjungantur hymno et duo reliqui similiter ad vesperas ipso die solemni recitentur, aut ita bini et bini in singulis vesperis dividantur, ut cum duobus prioribus psalmis unus, et cum duobus reliquis alius decantetur. De cruce autem, memini, quinque conscripti sunt hymni quorum primus singulis præponatur horis, invitans diaconem crucem de altari tollere et in medio chori afferre atque ibidem eam quasi adorandam ac salutandam statuere, ut in ejus quoque præsentia tota per singulas horas peragatur solemnitas.

[1] *Prov.*, cap. X, v. 7. — [2] *Eccli.*, cap. XLIV, v. 1. — [3] *Num.*, cap. XVII, v. 8 et sq. — [4] Hic vox aliqua, ut *virtute*, deesse videtur.

LX.

Deus Dei verbum,
Pater coæternum,
Mens ex Deo nata
Non creata[1],

Per quem factus mundus,
Per quem reparatus,
Votis supplicantium
Intende servorum.

Judex noster Christe,
Nostri miserere,
Ignosce nunc bonus,
Ne condemnes justus.

Esto nobis natus,
Esto nobis passus,
Qui das spem salutis
In utroque nobis.

Ne sit nasci vanum,
Ne sit pati cassum,
Nec insultet hostis
Nobis in te fisis.

Mater pietatis,
Adsis pia nobis,
Nec spe sua fraudes
De te præsumentes.

Per te Dei factus
Ad nos est descensus,
Per te conscendendum
Nobis est ad ipsum.

Per te reducamur,
Qui te profitemur,
Ejus ad nos portam
Et ad eum nostram.

Cui sit et trino
Perpes honor Deo,
Ex quo, per quem cuncta,
In quo sunt creata.

AMEN.

LXI.

Mater Salvatoris
Vide quid dicaris,
Pensa singularem
Nominis honorem.

Comple dictum facto,
Sed labore nullo,
Quam vis una prece
Reos absolvente.

Aure[2] quippe matris
Quidquid postulabit[3],
Apud tam benignum
Impetrabis natum.

Sanctam matrem justus
Non offendet natus,
Nec ferent repulsam
Tuæ preces ullam.

Virtus sanctitatis
Et potestas matris
Quantumcunque magnum
Obtinebunt donum.

Preces supplicantis
Non contemnet matris,
Qui parere patri
Jubet sive matri.

Cui sit, etc.

LXII.

Apostolici culmen ordinis
Novis recreat mundum gaudiis,
Quem exhilarat festis annuis.

Alii[4] signiferi sunt Ecclesiæ,
In dominica duces acie,
Post hos martyrum laus militiæ.

Tanquam pedites sancti reliqui,
Abstinentiæ longe dediti,
Non deficiunt castris Domini.

Perpes gloria regi perpeti,
Exercituum Christo principi,
Patri pariter et Spiritui.

AMEN.

LXIII.

Apostolicis recte laudibus
Cunctis intonat mundus partibus
Per quos cunctis est Deus cognitus.

[1] Sic Cod. — [2] Leg. *ore.* — [3] Leg. *Postulabis.* — [4] Leg. *hi.*

Apud Israel notum antea,
Nomen Domini nunc ad omnia
Per hos prodiit mundi climata.

Ad hoc omnium linguis præditi
Et miraculis erant splendidi,
Verbo pariter et re maximi.

Perpes gloria, etc.

LXIV.

Regum solia, philosophici
Celsas modo [1] cathedras magisterii,
Hi subjiciunt jugo Domini.

Si res bellicas plebs invalida,
Eloquentiam lingua rustica,
Mundum subigit turba modica.

Inde gladiis reges dimicant,
Hinc philosophi verbis intonant,
Sed miraculis victi supplicant.

Perpes gloria regi perpeti, etc.

LXV.

Stulta sæculi, mundi infima,
Christus eligens sapientia
Quæque conterit et sublimia.

Nil urbanitas hic rhetoricæ,
Nil verbositas [2] logicæ,
Sed simplicitas fidei sacræ.

Eloquentia cessit Tullii,
Tace dictum est Aristoteli;
Leges proferunt mundo rustici.

Perpes gloria, etc.

LXVI.

Piscatoria modo linia,
Imperatoris sæpe genua
Deo supplicant procumbentia.

Non impar Paulus vitæ merito
Diademate pollet gemino,
Virgo candido, martyr rubeo [3].

Beatissimos mundi principes
Bello socios, morte comites,
Hæc ad superos transmisit dies.

Perpes gloria, etc.

LXVII.

Princeps apicis apostolici,
Pastor ovium gregis Domini,
Has custodia serva vigili.

Arte melius utens pristina,
Piscans homines trahe retia,
Complens Domini sic pollicita.

Forte claviger aulæ cœlicæ,
Fores aperi, manum porrige;
Quos ad Dominum ducis suscipe.

Perpes gloria, etc.

LXVIII.

Tuba Domini, Paule, maxima,
De cœlestibus dans tonitrua,
Hostes dissipans cives aggrega.

Doctor gentium es præcipuus,
Vas in poculum factus omnibus,
Sapientiæ plenum haustibus.

Mane Benjamin prædam rapuit,
Escas vespere largas dividit,
Vitæ ferculis mundum reficit.

Ut rhinoceros est indomitus,
Quem ad aratrum ligans Dominus,
Glebas vallium frangit protinus.

Nunc nequitiæ laudat villicum,
Quem prudentiæ dicit præditum
Ac pro filiis lucis providum.

Perpes gloria, etc.

LXIX.

Cœlo celsius volans aquila,
Ad dominici sinus abdita
Nidi contulit habitacula.

[1] *Modo* delendum est. — [2] Hic verbum deesse videtur. — [3] Cod. *rube*.

Solis intuens illic radios
Summo jubare beatissimos,
Visum reficit, pascit oculos.

Ex substantia solis ignea
Calor prodiens et lux genita
Oblectamina præbent maxima.

Perpes gloria, etc.

LXX.

Quadrigæ Christi vehiculum
Torcular gestat dominicum,
Quo botrus pressus in poculum
Reficit corda fidelium.

Scripturæ textum dominicæ
Quadrigæ corpus intellige,
Qua Dei verbum innumeræ
Delatum tenent ecclesiæ.

Quadrigæ rotæ volumina
Quatuor sunt Evangelia,
Quorum scriptores clarissima
Promeruere solemnia.

Gloria Patri et Filio,
Spirituique paraclito,
Uni tam Deo quam Domino,
Quum sint personæ tres numero.
AMEN.

LXXI.

Torcular crux est dominica;
Botrum hic Christum considera;
Vecte suspensum hunc mystica
Præfiguravit historia.

Hunc deferentes ad populum
Fertilitatis indicium,
Hi sunt qui crucis mysterium,
Mundi salutem, aperiunt.

Prior non videns quem bajulat
Christi prophetas significat.
Is qui succedit ut videat,
Visa narrantes hos denotat.

Gloria Patri, etc.

LXXII.

Quatuor sunt hæc animalia
Variis formis distantia.
Visio refert prophetica
Apocalypsisque mystica.

A dextris homo concipitur
Eique leo conjungitur,
Vitulo læva conceditur,
Aquila super extollitur.

Alis quaternis hæc prædita
Vel faciebus sunt singula;
Oculis plena sunt corpora,
Ut nec his dorsa sint vacua.

Gloria Patri, etc.

LXXIII.

Eunt cum illis euntibus
Atque stant rotæ cum stantibus;
Levantur cum elevantibus;
Cum his vitæ sit spiritus.

Pedes eorum pedes recti,
Plantaque pedis ut vituli
Tanquam ex ære sint candenti,
Scintillæ visæ sunt progredi.

Carbonum instar ardentium
Lampadum habent splendentium
In modum visa micantium
Ire redire sunt fulgorum.

Gloria Patri, etc.

LXXIV.

Ad cœlestis
Ortum regis,
Rex terrenus
Jus auferri
Timet sibi
Principatus.

Inauditum
Stellæ signum
Ubi narrant,
Civitatem
Atque regem
Magi turbant.

Hinc commotus
Rex iniquus

In infantes,
Ut infantum
Perdat unum,
Perdit plures.

Propter unum
Multi Christum
Sunt perempti,
Sed per unum
Omnes Christum
Coronati.

LXXV.

Rex tyrannos
Universos
Supergressus,
Et plus ipsis
Quoque feris
Inhumanus,

In infantes,
Ut in hostes,
Castra cogit,
Et in nullos
Nisi suos
Arma vertit.

Furor iræ
Nec ferinæ
Comparandus
Perdit eos
Quos arreptos
Fovet lupus.

Ad mandatum
Regis datum
Generale [1]....

Ad Augustum
Hoc delatum
Risum movit,
Et rex mitis
De immiti
Digne lusit.

Malum, inquit,
Est Herodis
Esse natum;
Prodest magis
Talis regis
Esse porcum.

LXXVI.

Ad lactantum [2]
Sinus matrum,
Ut ad castra,
In lactentes [3]
Ruit omnis
Plebs armata.

Ad micantem
Infans ensem
Lactabundus,
Irruenti
Ridet hosti
Perimendus.

Quid est dictu
Vel auditu
Tam stupendum?
A natura
Quid humana
Tam remotum?

Quid Herodes
Metu langues
Super Christo?
Non meum, inquit,
Regnum est
De hoc mundo [4].

In æternis,
Non caducis
Iste regnat:
Non hæc tollit
Neque cupit
Qui dat illa.

[1] Cætera desunt in Codice Bruxellensi; hæc autem interseruntur Macrobii: « Macrobius in *Saturnaliorum* libro II, de Augusto et jocis ejus: Quum audisset inter pueros quos in Syria Herodes rex Judæorum in tribunatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: « Melius est Herodis porcum esse quam filium; nec ipsius infans tutus est « a cæde. » — [2] Cod. *Lactandum.* — [3] Cod. *Lactantes.* — [4] Lectio certe vitiosa; forte legendum:

Meum, inquit,
Regnum non est
De hoc mundo.

LXXVII.

Est in Rama
Vox audita
Rachel flentis,
Super natos
Interfectos
Ejulantis.

Lacerata
Jacent membra
Parvulorum,
Et tam lacte
Quam cruore
Rigant humum.

His incumbens
Orba parens,
Ejulando
Recollecta
Fovet frustra
Sinu pio[1].

Fundit pectus,
Scindit sinus
Cæcus furor
Quem maternus
Et humanus
Facit amor.

Interfecti
Sunt inviti,
Sed pro vita
Meritorum
Fuit nullum,
Merces multa.

Merces ipsa
Fuit vita,
Quam et ipsi
Moriendo,
Non loquendo,
Sunt confessi.

LXXVIII.

Scutum, Deus, omnium,
Et corona martyrum,
Tam causa certaminum
Quam palma certantium,
Per inermes dimicas,
Et armatos superas.
Intus arma fabricas,
Quibus pugnat caritas.

His confisa bene virtus
Nudum hosti præbet pectus,
Quam a dextris
Et sinistris
Muniunt,
A læsuris
Universis
Protegunt.
In hanc pugnæ
Quantæcunque
Sæviunt,
Spes securam,
Fides certam
Faciunt.

Per hanc pectus martyris,
Turris fortitudinis
In cunctis periculis
Persistit immobilis.
Eriguntur machinæ
Hinc illiuc innumeræ;
Diriguntur saxeæ
Moles in hanc undique.

Pugnat thoris[2] mundus extra,
Salvat unus Deus intra.
Ferro, flammis
Cæcus hostis
Sæviens;
Noscunt intus
Quæ sit virtus
Protegens.
Crebros ictus
Dat assultus
Vehemens,
Sed est intus
Dei virtus
Prævalens.

Multa sunt, magna sunt
In sanctos prælia;
Sed pauca vel parva
Quantum ad præmia.

[1] Cod. *sic cupio.* — [2] Sic Cod.

Cujus hæc dona sunt,
Regi sit gloria.

AMEN.

LXXIX.

Exquiruntur omnia
Tormentorum genera,
Ut probetur maxima
Martyrum constantia.
Fornax aurum excoquit
Sicque purum efficit,
Sinapis vim accipit,
Dum quis eam atterit.
Exercentur ferramenta;
Damno suo parant cuncta.
Consumuntur dum tunduntur lapides,
Hebetantur dum dolantur arbores.
Illis malos, istis bonos compares,
Quum affligi videns[1] Christi milites.

Probra, carcer, vincula,
Flagella, spectacula,
Nuditas, inedia,
Pœnæ sunt præludia.
Flammis, aquis, gladio,
Ungulis, equuleo,
Omnique patibulo
Pugnatur in ultimo.
Sed ut pœna protenditur,
Pœnæ finis mors differtur.
Optant mori diu torti martyres.
Sed qui necant, mori vetant principes.
Delicatæ viris mixtæ virgines,
Ut in pœna, sunt in palma comites.

Multa sunt, magna, etc.

LXXX.

Pugnant mundi principes,
Dæmonum satellites;
Vincunt Christi milites,
Voti sui compotes.
Nec huic militiæ,
Vel tantæ victoriæ,
Præmiique gloriæ
Desunt quoque feminæ.
Sicut fortis, sic infirmus
Pugnat et triumphat sexus;
Ut haberent summi regis acies
Suas quoque cum viris amazones,
Quæ quo magis natura sunt debiles,
Palmæ harum magis sunt mirabiles.

Viri cum uxoribus,
Fratres cum sororibus,
Filii cum matribus,
Belli stant congressibus.
Virum uxor animat,
Natos mater roborat,
Et cœlo regenerat,
Quos terræ genuerat.
Ipsos statim secutura,
Holocaustum Christi facta
Soror fratrem provocat ut dimicet,
Et tam verbis quam exemplis admonet.
Quid agant, nisi pugnent, juvenes,
Quum bellantes intuentur virgines?

Multa sunt, etc.

LXXXI.

Turris his davidica
Certa dat præsidia,
Habent ad munimina
Scuta, propugnacula.
Armatura fortium
Omnis hæc est omnium
Ad quorumvis hostium
Propulsandum impetum.
Hinc athletæ pugnant Christi,
Et irrident hostes tuti.
Adamante bitumen robustius,
Nec securis dissipat, nec malleus.
Circumseptus miles hic ab hostibus
Cassis horum insultat conatibus.

Hac nos quoque, Domine,
Turre semper protege,
Vallo nos et aggere
Tuo vallans undique,
Ne quis hosti pateat
Aditus quo feriat.
Hinc te quisquis invocat;
Tutos somnos capiat,
Et quo sumus plus ignavi,
Ope muni nos majori.

[1] Sic Cod. — *Vides?*

Qui si palma non pollemus, nostrum
Vice quadam assistamus peditum;
Si victorum non meremur brabium,
Evasisse satis sit periculum.

Multa sunt, etc.

LXXXII.

Justorum memoriam dignam laudibus
Psalmis, hymnis, canticis spiritalibus
Mater ovans celebrat Ecclesia;
Quorum fidens postulat suffragia.
Summe pater, tibi grates et solemnes hostiæ
De collatis tuæ donis exsolvuntur gratiæ,
Per quem sunt justi quicunque sunt,
Per quem sunt beati quicunque sunt[1].

Horum bona dona sunt tuæ gratiæ,
Horum laudes hymni sunt tuæ gloriæ;
Laudat quisquis, laudat hos veraciter,
Te in ipsis, ipsos in te pariter.
Horum festa celebrandi summa non est alia,
Nisi quædam recitandi tua beneficia
Per quem sunt justi quicunque sunt, etc.

In sanctis mirabili Deo gloria,
Ex quo, per quem, in quo sunt omnia,
Cujus agit quidquid vult potentia,
Optimeque disponit prudentia,
Quem et velle geri bene disponique singula
Dubitari non permittit ejus summa bonita.

LXXXIII.

Tu quæ carnem edomet
Abstinentiam,
Tu quæ carnem decoret
Continentiam,
Tu velle quod bonum est his ingeris
Ac ipsum perficere tu tribuis.
Instrumenta
Sunt hi tua
Per quos mira peragis,
Et humana
Moves corda
Signis et prodigiis,
Per quem sunt, etc.

Obsessos dæmonibus
Ab his liberant,
Audactum[2] languoribus
Cunctis imperant,
Verbo paracliticis subveniunt;
Lepræ fert oratio remedium;
Cæcis visum,
Claudis gressum,
Vitam reddunt mortuis;
Quidquid petunt,
Per te possunt,
Qui, quæ jubes, perficis;
Per quem, etc.

In sanctis, etc.

LXXXIV.

Præsens vita fuit his sexta feria,
Qua Christo compassi sunt abstinentia,
Sicut ipse tolli crucem præcipit,
Et se Paulus crucifixus asserit.
Post hanc quies animarum subit tanquam sabbatum
Stolam tandem in octava reddes illis corporum.
Per quem, etc.

Persequentis gladius illis defuit,
Sed paratus animus[3] affuit.
Si non tulit corpus ictus gladii,
Palmam tamen habet mens martyrii.
Cesset lictor, cessent cuncta tormentorum genera.
Tu qui cordis es inspector, ad hoc refers præmia.
Per quem, etc.

In sanctis, etc.

LXXXV.

Justorum exequiæ laudes exigunt,
Impiorum funera luctus ingerunt;
Hos ad vitam mors æternam evehit,
Illos duplex mors in morte conterit.
Gravis ista sanctis vita carcer est et vincula.
His contritis ad te fugit erepta hinc anima.
Per quem, etc.

Ad te quum pervenerit felix anima,
Quis narrare sufficit ejus gaudia?
Quæ majestas illa sit, quam conspicit,
Quæ circumstans curia, quis dixerit?
Nemo miser illam potest gloriam conspicere

[1] Legitur inter lineas: *Vel: sine quo beati nulli sunt.* – [2] Leg. *audacter.*—[3] Hic aliquid deesse videtur ad rhythmum.

Qua lætare cum electis, ad quam et nos pertrahe.
Per quem, etc.

In sanctis, etc.

LXXXVI.

Ab utroque sexu plagam traximus,
Ab utroque medelam suscepimus,
Virum Deus induit in virgine,
Quo salventur tam viri quam feminæ :
Orta salus est ex femina ;
Unde culpa, cœpit gratia.

Quo post culpam sexus hic abjectior
Per naturam fuerat inferior,
Hoc nimirum divina clementia
Hunc majori[1] sublimavit gratia ;
Quod ab ejus matre virgine
Per singulos gradus inspice.

Quis sanctarum eam æmulantium
Numerare possit choros virginum ?
Post has esse quis nescit innumeras
Sacrum votum amplectentes viduas?
Nec deesse matrimonio
Quæ flagrent hoc desiderio.

Post has omnes, si scorta respiciam,
Magdalenæ ungens Ægyptiacam,
Ubi culpa prius abundaverat,
Cerno quia virtus post ea liberat.
Christi decus ipsi gloria,
Qui tot facit mirabilia.

LXXXVII.

Post honorem singularem virginis,
Quæ sic pollet, ut sit Dei genitrix,
Qua virtute vel honore præditi
Sint istius gradus sexus singuli,
Multiplici rerum specie
Sacræ docent nos historiæ.

Paradisi primus Adam incola
Extra factus fuit, intus femina,
Ut et locus ipse sit indicio,
Quam excellens harum sit creatio,
Quæ de costa viri conditæ
Fortes essent velut osseæ.

Hæc in multis fortitudo irruit,
Quum virorum virtus exaruit[2].

In exemplo præstat judex Debora,
Et quæ stravit Holofernem Judita,
Solemnemque missam merita,
Septem fratrum mater inclita.

Jephthæ nata victoris in proprium
Patris dextram animavit jugulum,
Mori magis eligens, quam gratiam
Voto pater fraudet sibi præstitam.
Christi decus, etc.

LXXXVIII.

Si cum viris feminas contendere
De virtute liceat constantiæ ;
Quis virorum mentis fortitudine
Adæquari possit Jephthæ filiæ,
Quæ ne voti pater reus sit,
Se victimam patri præbuit ?

Quid fecisset in agone martyrum,
Si negare cogentur Dominum ?
Unde tanta virginis constantia
Quadam pollet spiritali gratia,
Ut solemnes hymni virginum
Virgineum colant exitum.

Multi ut factis excellentibus
Liberarunt fideles ab hostibus,
Esther sola liberando populum
Hinc festinum meruit præconium,
Ut scilicet, quantum emineat
Feminarum, virtus pateat.

Quantum quippe sexus hic est fragilis,
Eo virtus ipsius mirabilis
Majus laudis erigit præconium,
In præcelsum erigenda titulum.
Christi decus, etc.

LXXXIX.

Ut ad nostra veniamus tempora,
Quæ divina superfudit gratia,
Quis in ista feminas præcellere
Non valebit ex multis colligere,
Post Mariam Annam intuens,
Elizabeth quoque contuens ?

Christi pedes capit ungens mulier,
Christum eum fecit corporaliter.

[1] Cod. *majora*. — [2] Cod. *Exaruerit*.

Sacerdotis et regis mysteria
Suscepisse constat hunc a femina,
Et qui eum sexus peperit
Sacramenta quoque tradidit.

Et sepulto ferens hinc aromata
Resurgentis prior vidit gaudia,
Et ex culpa vile magis femina
In hac omnes antecessit gratia,
Ut pateat quanto gaudio
Peccantium sit conversio.

XC.

Sponsa Christi, tam virgo quam mater,
Cujus palma celebris hæc dies est,
Palma duplex festum præsens geminat,
Virgo carnem, martyr hostem superat.
Hinc igitur psalmi resonent,
Lectiones inde concrepent.

Hæc in viris duplex palma rarior;
Eminet in feminis uberior;
Ut sexus harum est infirmior,
Sic ipsarum virtus mirabilior,
Et ipsarum tanto gratior,
Sit hostia quanto purior.

Integra tam spiritu quam corpore,
Holocaustum verum fit ex virgine.
Ad incensum hujus refer hostiæ
Rufæ typum et tenellæ vitulæ.
Illic umbra, sed hic veritas,
Si res signis bene conferas.

Quæ cor Deo per se consecraverat,
Per lictorem nunc et corpus immolat;
Consecratus Deo primum animus
Hosti corpus exponit intrepidus.
Christi decus, etc.

XCI.

Quum in sanctis Deus sit mirabilis,
Præminet in meritum victoriis.
Sed quum dat feminis victoriam,
Quis non cunctis præferat gratiam?
Ut sexus est fragilior,
Hoc sit virtus mirabilior.

Exquisita tormentorum genera
Feminarum superat constantia.
Aut istarum virtus est mirabilis,
Aut agonum horum pœna facilis;
Sed utrumque geri melius,
Disponente Deo credimus.

Valida est, sicut mors, dilectio,
Nec istius ignis est extinctio.
Aquæ multæ non possunt extinguere
Caritatis flammam invictissimæ;
Nec est unquam cum hac debilis
Sexus, quantumcunque fragilis.

Quid barbati dicturi sunt juvenes,
Delicatæ quum hæc ferant virgines?
Erubescat ad hæc sexus fortior,
Ubi tanta sustinet infirmior.
Christi decus, etc.

XCII.

Quanto sponso fidelis hæc fuerit,
Tam ipsius vita quam mors docuit.
Illa corpus integrum custodiens,
Hæc ipsius holocaustum offerens,
Virgo sponsa, virgo sponsus est,
Sponsa mater, sponsus martyr est.

Talem sponsum talis sponsa decuit,
Quæ secuta sit, quocunque ierit,
Quos nec sacræ carnis decor dividat,
Nec in morte dispar amor pateat.
Subsequuntur sponsum cæteræ;
Hæc incedit victo latere.

Et regina sponsi tenens dexteram,
Subsequentem turbam habet cæteram.
In vestitu deaurato renitet,
Et quæ coronas supradictas possidet.
Cæterarum hoc est optimum,
Incorruptum est et rutilum.

Sertum rosis, intextum et liliis
Sunt insigne martyris et virginis,
In odorem Christo suavissimum.
Martyr rosam, virgo profert lilium.
Indumenta dant insignia,
Cadens byssus, rubra purpura.

Pulchri gressus ejus sunt in calceis,
Quos et sponsus conlaudat in canticis.

Quis sit ejus ornatus, prædictum est;
Quo sit ejus progressus, dicendum est.
Christi decus, etc.

XCIII.

Ut aurora consurgens progreditur,
Quæ cœlestis sponsi toro jungitur [1];
Sicut sponsa fœderata fecerat,
Illic tanquam uxor jam cohabitat.
Sic in fide facta fœdera
Illic in re perpes copula.

Paranymphos illic habent angelos,
Quos custodes habemus hic proprios.
Ad superna thalamorum gaudia
Illam pompa deducit angelica.
Hinc obviam [2] virgo virgines,
Illinc mater habet martyres.

Quum ad sponsum sic deducta venerit,
Et in ejus complexu quieverit,
Qua fruatur gloria quis dixerit?
Quæ mens tanta gaudia conceperit?
Ad hæc certe nemo sufficit,
Nisi forte quum hæc senserit.

Hæc sunt illa quæ non vidit oculus,
Nec humanis capi possunt cordibus,
Quæ se Deus præbet diligentibus,
Ab æternis parata temporibus.
Christi decus, etc.

XCIV.

Peccatricis beatæ solemnitas
Peccatores maxime lætificat.
[3] . . . .

PETRI ABÆLARDI

DE BEATA VIRGINE PROSA.

Andreas Quercetanus hanc prosam Abælardo tribuit, auctore Judoc. Clichtoveo [4], qui ipse sequitur opinionem Democharis [5] et Antonii Bellote [6]; utrum jure an immerito, incertum. Constat tamen hos versiculos in nonnullis olim ecclesiis decantatos, si ad modulationis elegantiam atque gratiam spectas, non Abælardo indignos habendos esse.

Mittit ad Virginem
Non quemvis angelum,
Sed Fortitudinem
Suum archangelum
Amator hominis.

Fortem expediat
Pro nobis nuntium,
Naturæ faciat
Ut præjudicium,
In partu Virginis.

[1] Cod. *junguntur.* — [2] Cod. *aviam.* — [3] Codex noster hoc loco abrupte deficit, nec pauca deesse videntur. — [4] *Elucidatorium ecclesiasticum*, Parisiis, 1526, in-fol., lib. IV, cap. v. — [5] *De Observat. Missæ celebr.*, cap. xv. — [6] *Ritus Ecclesiæ laudunensis redivivi*, Parisiis, 1662, in-fol., p. 414, n. 6.

Naturam superet
Natus rex gloriæ,
Regnet et imperet,
Et zima scoriæ
Tollat de medio.

Foras ejiciat
Mundanum principem,
Matremque faciat
Secum participem
Patris imperii.

Superbientium
Terat fastigia,
Colla sublimium
Calcans vi propria,
Potens in prælio.

Exi, qui mitteris
Hæc dona dicere;
Revela veteris
Velamen litteræ,
Virtute nuntii.

Accede nuntia,
Dic : Ave cominus,
Dic : Plena gratia,
Dic : Tecum Dominus,
Et dic : Ne timeas.

Virgo suscipias
Dei depositum,
In quo perficias
Casta propositum,
Et votum teneas.

Audit et suscipit
Puella nuntium.
Credit et concipit,
Et parit filium,
Sed admirabilem,

Consiliarium
Humani generis,
Et Deum fortium,
Patremque posteris
In pace stabilem.

Cujus stabilitas
Nos reddat stabiles,
Ne nos labilitas
Humana labiles
Secum præcipitet.

Sed dator veniæ,
Concessa venia,
Per matrem gratiæ,
Obtenta gratia,
In nobis habitet.

Natura [1] premitur
In partu Virginis,
Rex regum nascitur,
Vim celans numinis,
Et rector superum.

Qui nobis tribuat
Peccati veniam,
Reatus diluat,
Et donet patriam
In arce siderum.

AMEN.

VERSUS
MAGISTRI PETRI ABÆLARDI.

Hanc prosam nondum in lucem prolatam invenimus in codice Sorbonico, nº 1739, qui, sæculo XII vergente, exaratus fuisse videtur. Ea autem cum miraculosis narrationibus, pre-

[1] Hi quinque versus non sunt in Clicthoveo.

cibus, hymnis aliisque in Beatæ Virginis honorem opusculis mixta diu latuit. Extat etiam Montibus Hannoniæ in codice qui ad eamdem ætatem referendus est, ac fere similia complectitur, teste doctissimo viro Oehlero cujus notulas in manibus habemus.

Lux orientalis,
Et amica Dei specialis;
Aula salutaris,
Genitrix pacis generalis,
Virgo triumphalis,
Persona magisterialis;
Regula moralis,
Regina puerperialis;
Femina regalis,
Fidei calor effigialis;
Fœdere sponsalis[1],
Sed nulli connubialis,
Nec naturalis
Usus pariendo jugalis;
Spes mea causalis,
Mediatrix sola vocalis;
Munere pluralis,
Largaque manu venialis;
Hostia paschalis,
Cujus fuit alta sub alis
Gloria vitalis;
Salvatio spiritualis;
Ops medicinalis,
Placatio subsidialis;
Mentio festalis,
Operaria prodigialis,
Dextra maritalis,
Quam non tetigit socialis,
Sed neque rivalis
Se miscuit officialis;
Sic immortalis
Fuit actio spiritualis,
Nullaque carnalis
Corruptio fœda sodalis;
Flos rosa vernalis,
In fructu perpetualis;
Cujus odor suavis
Vitiis est exitialis;
Stella diurnalis,
Reverentia catholicalis;
Mentibus humanis
Non est laus cujus inanis;
Fons rationalis
Et Christi collateralis;
Plus quam regalis,
Quia non erit altera talis,
Nec fuit æqualis,
Tam fortis et imperialis;
Mater ovans regis,
In cujus lumine degis
Qui dat in aure gregis
Divinæ dogmata legis;
Nobilis, insignis,
Memorabilis, inclyta, mitis;
Strenua, sublimis,
Et tota potenter[2] herilis;
Jure cluens prole,
Pariens tamen absque dolore;
Splendidior sole,
Cœlesti plena decore,
Fac fore me jure
Sine fine tuæ genituræ.
AMEN.

[1] *Fidei calor effigialis, fœdere sponsalis* desunt in Cod. Montano. — [2] *Patenter.* Cod. Mont.

RHYTHMUS

MAGISTRI PETRI ABAILLART

DE SANCTA TRINITATE.

Carmen sequens de Sancta Trinitate inter opera Hildeberti Cenomanensis ab editore ejus D. Ant. Beaugendre numeratum est[1]: tributur autem Abælardo in antiquo codice Beccensi, unde illud D. Martene in amplissimæ collectionis tomum IX, p. 1092-1097, traduxit. Adde quod auctor, ut animadvertunt scriptores *Historiæ litterariæ*[2], postquam Sanctæ Trinitatis mysterium aptissimis verbis definierit, fidei suæ sinceritatem absolute profitetur, ut qui in erroris alicujus suspicionem inciderit, dum Hildebertus, qui nunquam tali criminationi dederit locum, non hac opinionum suarum professione indiguisset.

A et Ω, magne Deus,
Eli, Eli, Deus meus,
Cujus virtus totum posse,
Cujus sensus totum nosse,
Cujus esse summum bonum,
Cujus opus quidquid bonum.
Super cuncta, subtus cuncta,
Extra cuncta, intra cuncta;
Intra cuncta nec inclusus,
Extra cuncta nec exclusus,
Subter cuncta nec subtractus,
Super cuncta nec elatus.
Super totus possidendo,
Subter totus sustinendo,
Extra totus complectendo,
Intra totus es implendo.
Intra nusquam coarctaris,
Extra nusquam dilataris,
Subtus nullo fatigaris,
Super nullo sustentaris.
Mundum movens non moveris,
Locum tenens non teneris,
Tempus mutans non mutaris,
Vaga firmans non vagaris.
Vis externa vel necesse
Non alternat tuum esse,
Heri nostrum, cras et pridem,
Semper tibi nunc et idem.
Tuum Deus hodiernum,
Indivisum, sempiternum,
Ad exemplar summæ mentis
Formam præstans elementis.
Nate Patri coæqualis,
Patri consubstantialis,
Patris splendor et figura,
Factor factus creatura,
Carnem nostram induisti,
Causam nostram suscepisti,
Sempiternus, temporalis,
Moriturus, immortalis,
Verus homo, verus Deus,
Impermixtus homo Deus,
Non conversus hic in carnem,
Nec minutus propter carnem.
Hic assumptus est in Deum,
Nec consumptus propter Deum.
Patri compar veritate,
Minor carnis veritate,

[1] *Hildeberti.... Turon. episcopi Opera*, labore et studio D. Ant. Beaugendre, Parisiis, 1708, in-fol., p. 1337-1342. — [2] T. XII, p. 136. Cf. t. XI, p. 389.

Deus pater tantum Dei,
Virgo mater sed et Dei.
In tam nova ligatura
Sic utraque stat natura,
Ut conservet quidquid erat,
Facta quiddam quod non erat.
Noster iste mediator,
Iste noster legislator,
Circumcisus, baptizatus,
Crucifixus, tumulatus,
Obdormivit et descendit,
Resurrexit et ascendit.
Sic ac cœlos elevatus
Judicabit judicatus.
Paraclitus increatus,
Neque factus, neque natus,
Patri consors genitoque,
Sic procedit ab utroque,
Ne sit minor potestate,
Vel discretus qualitate.
Quanti illi, tantus iste,
Quales illi, talis iste.
Ex quo illi, ex tunc iste,
Quantum illi, tantum iste.
Pater alter, sed gignendo,
Natus alter, sed nascendo;
Flamen ab his procedendo,
Tres sunt unum subsistendo.
Quisque trium plenus Deus,
Non tres sunt Dii, sed Deus.
In hoc Deo, Deo vero,
Tres et unum assevero,
Dans usiæ unitatem
Et personis trinitatem.
In personis nulla prior,
Nulla major, nulla minor.
Unaquæque semper ipsa
Sic est constans atque fixa,
Ut nec ipsa varietur,
Nec in ullum transmutetur.
Hæc est fides orthodoxa,
Non hic error sive noxa.
Sicut dico, sic et credo,
Nec in pravam partem cedo;
Inde venit bonus Deus,
Ne desperes quamvis reus.
Reus mortis non despero,
Sed in morte vitam quæro.
Quo te placem nil prætendo,
Nisi fidem quam defendo
Fidem vides, hanc imploro,
Leva fascem quo laboro.
Per hoc sacrum cataplasma
Convalescat ægrum plasma,
Extra portam jam delatum,
Jam fœtentem tumulatum.
Vitta ligat, lapis urget,
Sed si jubes hic resurget.
Jube: lapis revolvetur;
Jube: vitta dirumpetur;
Exiturus nescit moras,
Postquam clamas: Exi foras.
In hoc salo mea ratis
Infestatur a piratis.
Hinc assultus, inde fluctus,
Hinc et inde mors et luctus.
Sed tu, bone nauta, veni,
Preme ventos, mare leni,
Fac abscedant hi piratæ,
Duc ad portum salva rate.
Infœcunda mea ficus,
Cujus ramus ramus siccus,
Incidetur, incendetur,
Si promulgas quod meretur.
Sed hoc anno dimittatur,
Stercoretur, fodiatur.
Quod si necdum respondebit,
Flens hoc loquar, tunc ardebit.
Vetus hostis in me furit,
Aquis mersat, flammis urit.
Inde languens et afflictus,
Tibi soli sum relictus.
Ut hic hostis evanescat,
Ut infirmus convalescat,
Tu virtutem jejunandi
Des infirmo, des orandi.
Per hæc duo, Christo teste,
Liberabor ab hac peste.
Ab hac peste solve mentem,
Fac devotum pœnitentem.
Da timorem, quo projecto
De salute nil conjecto.
Da spem, fidem, caritatem,
Da discretam pieta tm,
Da contemptum terrenorum,
Appetitum supernorum.
Totum, Deus, in te spero,
Deus, ex te totum quæro.
Tu laus mea, meum bonum,
Mea cuncta tuum donum.
Tu solamen in labore,
Medicamen in dolore,

Tu in luctu mea lyra,
Tu lenimen es in ira.
Tu in arcto liberator,
Tu in lapsu revelator.
Meam præstas in provectu,
Spem conservas in defectu.
Si quis lædit, tu rependis;
Si minatur, tu defendis.
Quod est anceps, tu dissolvis,
Quod tegendum, tu involvis.
Tu intrare me non sinas
Infernales officinas,
Ubi mœror, ubi metus,
Ubi fœtor, ubi fletus,
Ubi probra deteguntur,
Ubi rei confunduntur,
Ubi tortor semper cædens,
Ubi vermis semper edens,
Ubi totum hoc perenne,
Quia perpes mors gehennæ.
Me receptet Sion illa,
Sion David urbs tranquilla,
Cujus faber auctor lucis,
Cujus portæ lignum crucis,
Cujus claves lingua Petri,
Cujus cives semper læti,
Cujus muri lapis vivus,
Cujus custos rex festivus.
In hac urbe lux solemnis,
Ver æternum, pax perennis.
In hac odor implens cœlos,
In hac semper festum melos.
Non est ibi corruptela,
Non defectus, non querela,
Non minuti, non deformes:
Omnes Christo sunt conformes.
Urbs cœlestis, urbs beata,
Super Petram collocata,
Urbs in portu satis tuto,
Ex longinquo te saluto.
Te suspiro, te saluto,
Te affecto, te requiro.
Quantum tui gratulentur,
Quam festive conniventur,
Quis affectus eos stringat,
Aut quæ gemma muros pingat,
Quis calcedon, quis jacinthus,
Norunt illi quid sit intus.
In plateis hujus urbis,
Sociatus piis turbis
Cum Moïse et Elia
Pium canam alleluia.

AMEN.

MAGISTRI PETRI ABÆLARDI

PLANCTUS VARII.

Ea carmina in Bibliotheca Vaticana reperta sunt. Illorum initium tantum transcripsere auctores *Historiæ litterariæ*[1]; integra autem publici juris facta sunt a Carl. Greith[2] qui male omnino suspicatur ea esse ἀλληγορούμενα, et sub fictis nominibus Abælardi et Heloissæ amores spectare.

[1] Tom. XII, p. 134. — [2] Vid. *Spicilegium vaticanum*, von Carl Greith. Frauenfeld, 1838, in-8, p. 123-131.

I.

PETRI ABÆLARDI PLANCTUS DINÆ FILIÆ JACOB.

—

Abrahæ proles Israel[1] nata,
Patriarcharum sanguine clara,
Incircumcisi viri rapina,
Hominis spurii facta sum præda.
Generis sancti macula summa,
Plebis adversæ ludis illusa!
Væ mihi miseræ
Per memet perditæ!

Quid alienigenas[2] juvabat me cernere?
Quam male sum cognita volens has cognoscere[3]?
Væ mihi miseræ,
Per memet perditæ!

Sichem in exitium
Nate tui generis,
Nostris in opprobrium
Perpes facta posteris!
Væ tibi misero
Per temet perdito!

Frustra circumcisio
Fecit te proselytum,
Non volens infamiæ
Tollere præputium.
Væ tibi misero
Per temet perdito!

Coactus me rapere,
Mea raptus specie,
Quovis expers veniæ
Non fuisses judice.

Non sic censuistis,
Simeon et Levi,
In hoc facto nimis[4]
Crudeles et pii.

Innocentes coæquastis
In pœna nocenti,
Quin et patrem perturbastis,
Ob hæc execrandi.

Amoris impulsio,
Culpæ sanctificatio,
Quibus[5] sunt judicio
Culpæ diminutio?

Levis ætas juvenilis
Minusque discreta,
Ferre minora[6] discretis
Debuit in pœna.

Ira fratrum ex honore
Fuit lenienda,
Quem his fecit princeps terræ
Ducta peregrina.

Væ mihi,
Væ tibi,
Miserande juvenis,
In stragem
Communem[7]
Gentis tantæ concidis!

II.

PLANCTUS JACOB SUPER FILIOS SUOS.

—

Infelices filii,
Patre nati misero,
Novo meo sceleri
Talis datur ultio.

Cujus est flagitii
Tantum damnum passio,
Quo peccato merui
Hoc feriri gladio?

Joseph decus generis,
Filiorum gloria,
Devoratus bestiis
Morte ruit pessima.

Simeon in vinculis
Mea luit crimina;
Post matrem et Benjamin
Nunc amisi gaudia.

Joseph fratrum invidia,
Divina pollens gratia,

[1] Greith *Israelis*. — [2] Greith *alienigenis*. — [3] Greith :

Quam male sum cognita
Volens has cognoscere.

— [4] Greith :

In eodem facto
Nimis crudeles et pii.

— [5] Greith *quis*. — [6] Greith *minus a*. — [7] Greith :

Væ mihi, væ tibi
Miserande juvenis,
In stragem communem.

Quæ, fili mi, præsagia
Fuerunt illa somnia!

Quid sol, quid luna, fili mi,
Quid stellæ, quid manipuli,
Quæ mecum diu contuli,
Gerebant in se mystici?

Posterior natu fratribus,
Sed [1] amore prior omnibus,
Quem moriens mater Bennonim,
Pater gaudens dixit Benjamin.

Blanditiis tuis miserum
Revelabas patri sennium,
Fratris mihi reddens speciem
Et decoræ matris faciem.

Pueriles næniæ
Super cantus omnes
Orbati miseriæ
Senis erant dulces.

Informes in facie
Teneri sermones,
Omnem eloquentiæ
Favum transcendentes.

Duorum solatia
Perditorum maxima
Gerebas in te, fili!

Pari pulchritudine
Repræsentans utrosque,
Reddebas sic me mihi.

Hinc tecum hos perdidi,
Et plus justo tenui
Hanc animam, fili mi.

Ætate tu parvulus,
In dolore maximus,
Sicut matri sic patri.

Deus, cui servio,
Tu nos nobis facito
Apud te conjungi.

III.

PLANCTUS VIRGINUM ISRAELIS SUPER FILIA JEPHTÆ GALADITÆ.

Ad festas choreas cœlibes
Ex more venite virgines!
Ex more sint odæ flebiles,
Et planctus ut cantus celebres.
Incultæ sint mœstæ facies
Plangentum et flentum similes,
Auratæ sint longe ciclades,
Et cultus sint procul divites.
Galadithæ virgo Jephtæ filia
Miseranda patris facta victima,
Annuos virginum elegos,
Et pii carminis modulos
Virtuti virginis debitos
Per annos exigit singulos.

O stupendam plus quam flendam virginem!
O quam rarum illi virum similem!
Ne votum sit patris irritum,
Promissaque fraudet Dominum,
Per hunc solavit populum,
In suum hunc urget jugulum.
Victor hic de prælio
Dum redit cum populo,
Prior hæc præ gaudio
Accurrit cum tympano.
Quam videns et gemens pater anxius
Dat plausum in planctum voti conscius.
Triumphum in luctum vertit populus.

« Decepisti, filia,
Me dux ait, unica [2],
Et decepta cujus
Nostra lues gaudia,
Quamque dedit Dominus
Perdit te victoria. »

Illa refert : « Utinam
Mea ignorantia
Tantæ rei victimam
Aptet sic placidam.

Immolare filium
Volens Abraham,
Non hanc apud Dominum
Habuit gratiam,
Ut ab ipso puerum
Vellet hostiam.

Puerum qui respuit,
Sic puellam suscipit.

Quod decus sit sexus mei percipe,
Uteri qui tui fructus inspice.
Quid enim, quid tibi sit hoc gloriæ,

[1] Greith *suis*. — [2] Greith :
Decepisti, filia mea,
Dux ait, unica.

Ut sexu sic animo
Vir esto, nunc obsecro.

Nec meæ nec obstes tuæ,
Si tuæ præferre me vis animæ,
Exemploque pravo cunctos lædere.
Sinat te delectio,
Proferat hanc Domino,
Unaque tu Dominum
Offendes cum populo,
Ammittas et propterea
Displicendo Domino.

Hoc est hic crudelitas,
Sed pro Domino pietas,
Qui, ni vellet hostiam,
Non daret victoriam.
Solvens ergo debitum,
Placa, pater, Dominum,
Ne forte quum placitum
Erit, non sit licitum.
Quod ferre non trepidat
Virgo tenera,
Inferre sustineat
Viri dextera.
Sponsio quæ obligat
Voti propria.
Sed duorum mensium
Indulgebis spatium,
Quo valles et colles cum sodalibus
Peragrans et plorans vocem planctibus,
Quod sic me semine privet Dominus.
Sitque legis sanctio
Mea maledictio!
Non sit remedio
Mundæ carnis hostia,
Quam nulla pollutio,
Nulla novit macula. «
His gestis rediit ad patrem unica;
Secreti thalami subintrans abdita,
Lugubris habitus deponit tegmina.
Quæ statim ingressa balneum,
Circumstante choro virginum,
Fessam se refovet paulului
Et corpus pulvere squalidum
Laboremque viæ languidum
Mundat ac recreat lavacrum.

Varias unguenti species
Amatæ continent pixides,
Quas flentes afferunt virgines.
His illam condiunt
Aliæ, capillos componunt
Reliquæ, ut præparent Domino.

Egressa post paululum,
Virgo lota balneum,
Mittit patri nuntium.
Ut aram extruat,
Ignem acceleret,
Dum ipsa victimam interim præparet;
Quæ Deo convenit,
Principem condecet.

O quantis ab omnibus
Istud ejulantibus
Nuntium excipit!
Urget dux populum,
Ut hæc accelerent,
Et illa virgines
Ut cultum præparent,
Et tanquam nuptiis
Morti se præparent.
Illa byssum propriis,
Madefactum lacrymis
Porrigit, hæc humidam
Fletu suo purpuram.

Auro, gemmis, margaritis
Variatum est monile,
Quod sic pectus ornat,
Et ut ornet magis inde;
In aures et annuli,
Cum armillis aurei
Virginis tenerrimum
Onerant corpusculum.

Rerum pondus et ornatus
Moram virgo jam non ferens,
Lecto surgit et repellit,
Quæ restabant ita dicens:
« Quæ nuptæ satis sunt,
Perituræ nimis sunt. »

Mox quem patri detulit,
Ensem nudum arripuit,
Quid plura, quid ultra dicimus
Quid fletus, quid planctus gerimus?

Ad finem quod tamen cepimus
Plangentes et flentes ducimus.
Collatis circa se vestibus
In aræ succensæ gradibus,
Traditur ab ipsa gladius;
Peremit hanc flexis genibus.

O mentem amentem judicis,
O zelum insanum principis,
O patrem, sed hostem generis,
Unicæ quod nece diluit!

Hebrææ dicite virgines,
Insignis virginis memores,
Inclytæ puellæ Israel,
Hac valde virgine nobiles!

IV.

PLANCTUS ISRAEL SUPER SAMSON.

—

Abyssus vere multa
Judicia Deus tua,
Eo plus formidanda,
Quo magis sunt occulta,
Et quo plus est ad illa
Quælibet vis infirma.
Virorum fortissimum
Nuntiatum per angelum,
Nazarenum inclytum,
Israelis clypeum,
Cujus cor ut saxeum
Non fleat sic perditum;
Quem primum Dalida[1]
Sacra cesarie,
Hunc hostes postea
Privarunt lumine.

Exhaustus viribus,
Orbatus oculis,
Molæ fit deditus,
Athleta nobilis.
Clausus carcere,
Oculorumque lumine
Jam privatus, quasi geminis
Ad molam sudans tenebris oppressus.
Ludos martios
Plus exercere solitos,
Frangit artus.
Quid tu, Dalida,
Quid ad hæc elicis impia?
Quid fecisti, quænam munera,
Per tanta tibi scelera conquiris?
Nulla gratia
Per longa manet tempora
Proditori.
Hos cibario
Vix sustentat edulio,
Jumentorum quod et durus
Labor hunc et insolitus
Sumit rarus, crebris stimulis
Agitatus et ab æmulis
Ut jumentum.
Renatis jam viribus,
Reparatis juribus,
Tremulentis hostibus,
Cæsui inducitur,
Ut morte doloribus
Finem ponat omnibus.

A jocis ad seria,
Fertur mens diu concita,
Tam læva quam dextera
In columnis applicita,
Hostium et propria
Miscet dolor funera.
O semper fortium
Ruinam maximam,
Et in exitium
Creatam feminam!
Hæc patrem omnium,
Dejecit protinus,
Et mortis poculum,
Propinat omnibus.
David sanctior,
Salomone prudentior
Quis putetur?
Aut quis ineptus
Magis per hanc fatuus
Reperitur?
Quis ex fortibus
Sicut Samson fortissimus
Enervatur?

Adam nobile,
Divinæ plasma dexteræ,
Mox hæc stravit;
Quam in proprium
Acceperat auxilium,
Hostem sensit.
Ex tunc femina
Virorum tela maxima
Fabricavit.

[1] Leg. *Dalila.*

Sinum aspidi
Vel igni pectus aperi,
Quisquis sapis,
Quam femineis
Te committas illecebris,
Nisi malis ad exitium
Properare certissimum
Cum prædictis.

V.

PLANCTUS DAVID SUPER ABNER FILIO NER QUEM JOAB OCCIDIT.

—

Abner fidelissime,
Bello strenuissime,
Amor ac deliciæ
Militaris gloriæ,

Quod vis non prævaluit,
Dolus in te potuit;
Per quem peris perditus
Par ejus sit exitus.

Nullis dignus fletibus,
Quos tuus dat omnibus
Dolus execrabilis.
Casus miserabilis
Cogit ad continuas
Hostem quoque lacrymas,
Dissolvitque pietas
Mentes adamantinas,
Hostis regni dum fuisti manifestus
Semper claris et triumphis sublimatus.

Multis damnis nos mulctasti,
Nulla passus armis potens,
Sensu potens,
Vir perfectus,
Israelis fortis murus,
Vide[1] mecum inimicus,
Et amicus eras summus!

Tandem nostris cedens votis,
In his fœdus et spe[2] pacis,
Arma ponis male tutus,
Dum timendum tibi credidisti,
Periculis cunctis providisti.
Fide nostra fidens corruisti,
Qua de tua vir verax pensasti,
Armati qui horruit
Nomen Abner,
Inermi prævaluit
Tibi Abner.
Nec in via congredi tecum ausus,
Portas urbis polluit per hoc scelus.

Milites militiæ,
Ducem tantum
Lacrymantes plangite
Sic prostratum!
Principes justitiæ
Sumant zelum
In tam execrabilem
Vindicandum.

VI.

PLANCTUS DAVID SUPER SAUL ET JONATHAN.

—

Dolorum solatium,
Laborum remedium,
Mihi mea cithara,
Nunc quo major dolor est,
Justiorque mœror est
Plus est necessaria.

Strages magna populi,
Regis mors et filii,
Hostium victoria,
Ducum desolatio,
Vulgi desperatio,
Luctu replent omnia.

Amalech invaluit
Israel dum corruit,
Infidelis jubilat
Philistæa
Dum lamentis macerat
Se Judæa[3].

Insultat fidelibus
Infidelis populus;
In honorem maximum
Plebs adversa,
In derisum omnium
Fit divisa.

[1] *Valde* forte legendum. — [2] Forte leg. *Inis fœdus et spem*. — [3] Greith:

Infidelis jubilat Philistæa
Dum lamentis macerat se Judæa.

Quem primum his præbuit,
Victus rex occubuit;
Talis est electio
Derisui,
Talis consecratio
Vatis magni[1].

Insultantes inquiunt:
« Ecce de quo garriunt,
Qualiter hos perdidit
Deus summus,
Dum a multis occidit
Dominus prostratus. »

Saul regum fortissime,
Virtus invicta Jonathæ,
Qui vos nequit vincere,
Permissus est occidere.

Quasi non esset oleo
Consecratus dominico,
Scelestæ manus gladio
Jugulatur in prælio.

Plus fratre mihi Jonatha,
In una mecum anima,
Quæ peccata, quæ scelera,
Nostra sciderunt viscera!

Expertes montes Gelboe,
Roris sitis et pluviæ,
Nec agrorum primitiæ
Vestræ succurrunt incolæ.

Væ, væ tibi, madida
Tellus cæde regia!
Quare te, mi Jonatha,
Manus stravit impia?

Ubi Christus Domini,
Israelque inclyti,
Morte miserabili
Sunt cum suis perditi?

Tu mihi nunc, Jonatha,
Flendus super omnia,
Inter cuncta gaudia
Perpes erit lacryma.

Planctus, Sion filiæ,
Super Saul sumite,
Largo cujus munere
Vos ornabant purpuræ.

Heu! cur consilio
Acquievi pessimo,
Ut tibi præsidio
Non essem in prælio?

Vel confossus pariter
Morirer feliciter,
Quum, quod amor faciat,
Majus hoc non habeat.

Et me post te vivere
Mori sit assidue,
Nec ad vitam anima
Satis est dimidia.

Vicem amicitiæ
Vel unam me reddere,
Oportebat tempore
Summæ tunc angustiæ;

Triumphi participem
Vel ruinæ comitem,
Ut te vel eriperem
Vel tecum occumberem,

Vitam pro te finiens,
Quam salvasti totiens,
Ut et mors nos jungeret
Magis quam disjungeret.

Infausta victoria
Potitus interea,
Quam vana, quam brevia
Hic percepi gaudia!

Quam cito durissimus
Est secutus nuntius,
Quem in sua anima[2]
Locuta est superbia!

Mortuos quos nuntiat
Illata mors aggregat,
Ut doloris nuntius
Doloris sit socius.

Do quietem fidibus:
Vellem ut et planctibus
Sic possem et[3] fletibus!
Cæsis pulsi manibus,
Raucis planctu vocibus
Deficit et spiritus.

[1] Greith:

Talis est electio derisui
Talis consecratio vatis magni.

— [2] Greith: *quem in suam animum.* — [3] Greith: *sic possem ut et.*

VERSUS

PETRI ABÆLARDI

AD ASTRALABIUM FILIUM[1].

Carmen illud, cujus initium fuerat a scriptoribus *Historiæ litterariæ*[2] jam vulgatum, primo publici juris fecit D. Th. Wright, e duobus Musæi Britannici codicibus, altero Burneiensi, altero Cottoniensi erutum[3]. Postremo nuperrime recensitum fuit ad fidem codicis e Bibliotheca Sancti Audomari, sæculo XIII° vergente exarati, et in lucem tertio prolatum est in Diario cui titulus est *Bibliothèque de l'école des Chartes*[4]. Nova autem ista editio a præcedentibus multum discrepat, quum plura addantur, omittantur nonnulla, totus ordo carminis permutetur. Alterum hunc igitur textum priori subjiciendum esse duximus, addita lectionum varietate quas D. Th. Wright nobis suppeditavit.

Verisimile est Abælardum *Dysticha Dionysii Catonis de Moribus ad filium* imitanda sibi proposuisse his in versibus qui, memoria ejus commendati postea ac vulgati, exemplo forsan fuerunt, uti censet Wright, innumeris hujusmodi opusculis quæ media, ut vocant, ætate fuerunt composita. Scriptor vero quidam recentior[5] contendit hoc carmen opus esse commentitium, a pessimo quodam fictum auctore, qui, quo melius præceptis suis gratiam legentium conciliaret, illustrem virum induxerit ea proferentem. Dubium tamen nobis videtur quin hanc opinionem, quamvis non indocte propugnatam, approbent ii qui noverint quanta sit codicum auctoritas, et quam levia sint ista argumenta, quæ quisque, ut libet, ducit ex ipsorum operum stylo ac genere.

Dom. Gervaise[6], nescio quibus repertis indiciis, versus *ad Astralabium* affirmat ab Abælardo compositos fuisse dum maneret in abbatia Sancti Dionysii.

Astralabi fili, vitæ dulcedo paternæ,
 Doctrinæ studio pauca relinquo tuæ.
Major discendi tibi sit quam cura docendi,
 Hinc aliis etenim proficis, inde tibi.
Quum tibi defuerit quod discas, discere cessa,
 Nec tibi cessandum dixeris esse prius.
Disce diu firmaque tibi tardaque docere,
 Atque ad scribendum ne cito prosilias.

[1] Sic Cod. Cotton. – Sed titulus non idem ubique occurrit. Fert Cod. Burneiensis *Doctrina magistri Petri Abælardi*, et Cod. Sancti Audomari *Sententiæ Petri Abælardi*. — [2] Tom. XII, p. 134. — [3] *Relliquiæ antiquæ*. Ed. Th. Wright et J. O. Halliwell. London, 1839–41, in-8°, t. I, p. 15-21. — [4] Sec. ser. t. II, p. 406 et sq. — [5] *Journal des savants de Normandie*. Caen, 1844, in-8°. — [6] *Vie d'Abailard*, Paris, 1720, 2 vol. in-12, t. I, p. 170.

Non a quo, sed quid dicatur, sit tibi curæ :
Auctori nomen dant bene dicta suo.
Ne tibi dilecti jures in verba magistri,
Nec te detineat doctor amore suo.
Fructu [1], non foliis pomorum quisque cibatur,
Et sensus verbis anteferendus erit.
Ornatis animos captet persuasio verbis,
Doctrinæ magis est debita planities.
Copia verborum est, ubi non est copia sensus,
Constat et errantem multiplicare vias.
Cujus doctrinam sibi dissentire videbis,
Nil illam certi constet habere tibi.

Instabilis lunæ stultus mutatur ad instar;
Sicut sol, sapiens permanet ipse sibi.
Nunc huc, nunc illuc stulti mens cæca vagatur,
Provida mens stabilem figit [2] ubique gradum.
Providet ante diu quid recte dicere possit,
Ne judex fiat turpiter ipsa sui.
Nolo repentini tua sit doctrina magistri,
Qui cogatur adhuc fingere quæ doceat.
Nemo tibi tribuet quod nondum est nomen adeptus:
Post multos, si vis, experiaris eum.
Filius est sapiens benedictio multa parentum,
Ipsorum stultus dedecus atque dolor.
Insipiens rex est asinus diademate pollens,
Tam sibi quam cunctis perniciosus hic est.
Scripturæ ignarus princeps qui sustinet esse,
Cogitur arcanum pandere sæpe suum.

Occasum sapiens, stultus considerat ortum,
Finis quippe rei cantica laudis habet.
Dictis [3] doctorum, factis intende bonorum;
Ferveat hac semper pectus avaritia.
Ingenii sapiens fit nullus acumine magni;
Hunc potius mores et bona vita creant.
Factis, non verbis, sapientia se profitetur;
Solis concessa est gratia tanta bonis.
Credit inhumanam mentem sapientibus esse,
Qui nihil illorum corda dolere putat.
Ferrea non adeo virtutis duraque mens est,
Ut pietas horum viscera nulla sciat [4].
Sit tibi cura prior faciendi, deinde docendi
Quæ bona sunt, ne sis dissonus ipse tibi.

Sit tibi, quæso, frequens scripturæ lectio sacræ;
Cætera si qua legas, omnia propter eam.
Est justi proprium reddi sua velle quibusque;
Fortis in adversis non trepidare suis;
Illicitos animi motus frenare modesti,
Tunc quum succedunt prospera præcipue.
Sicut in adversis virtus ea murus habetur,
Sic istius egent prospera temperie,
Nec prior illa manet virtus, nisi fulta sit istis,
Ne sit fracta malis, sive remissa bonis,
Quid vitii, quid sit virtutis, discute [5] prudens :
Quod si perdideris, desinis esse quod es.
Philosophus causas rerum discernit opacas;
Effectus operum practicus exsequitur [6].

Sit tibi præcipuus divini cultus honoris,
Teque timor semper subdat amorque Deo.
Nemo Deum metuet vel amabit sicut oportet,
Si non agnoscat, sicut oportet eum,
Quam justus sit hic [7] atque potens, quam sit bonus ipse,
Quantum nos toleret, quam grave percutiat.
Quo melior cunctis Deus est, plus debet amari;
Et melior post hunc ordine quisque suo,
Quo melior quisque est, majore est dignus amore;
Utque Deo fuerit carior, et tibi sit.
Quos etenim nisi propter eum debemus amare?
Finis hic in cunctis quæ facis unus erit.
Non tua, sed Domini quæratur gloria per te.
Non tibi, sed cunctis vixeris, immo Deo.

Detrimenta tuæ caveas super omnia famæ,
Ut multis possis et tibi proficere.
Quæ præcesserunt cogunt nova crimina credi;
Et prior in testem vita sequentis erit.
Scandala quam possis hominum vitare labora.
Ut tamen [8] incurras scandala nulla Dei.
Infames fugiat tua conversatio semper,
Et socio gaude te meliore frui.
Est melius socium quam cognatum esse bonorum;
Hinc etenim virtus eminet, inde genus.
Ne tentare Deum, fili, præsumpseris unquam :
Nitere quo [9] possis et merearis opem.
Summa Dei bonitas disponens omnia recte,
Quæ bona, quæ mala sunt, ordinat ipse bene.
Hinc nec in adversis justo solatia desunt,
Ut mala sint etiam quum sciat esse bonum.
Jussa potestatis terrenæ discutienda :
Cœlestis tibi mox perficienda scias.
Si quis divinis jubeat contraria jussis,

[1] *Fructuque* Cod. Burn. — [2] *Fugit* Cod. Burn. — [3] *Doctis.* Cod. Cotton. — [4] *Ciat* Cod. Cotton. — [5] *Discite* Cod. Burn.; quod sequitur D. Th. Wright, minus bene, ut suspicor. — [6] *Exequitur* Cod. Burn. — [7] *Is atque* Cod. Cott. — [8] *Ut tunc* Cod. Cott. — [9] *Quod* vel *quid* Cod. Cott.

Te contra Dominum pactio nulla trahat.
Contemnendo Deum peccat solummodo quisque,
Nec sibi contemptus hic facit esse reum.
Non est contemptor qui nescit quid sit agendum,
Si non hoc culpa nesciat ipse sua.
Major adhuc tamen est insania quam furor ille
Quæ[1] differt illum conciliare sibi.
Supremus furor est offendere cuncta potentem;
Quod qui præsumit, nescio quid metuat.
Quisquis apud Dominum se quærit justificari,
Justitiam si qua est, nesciat ipse suam,
Agnoscat culpas, accuset, corrigat illas;
Nec se corde bonum censeat, ore malum.
Hoc autem pro justitia reputetur ab illo,
Quod bona quæ impendit reddita, non data sunt[2].
Quæ tibi tu non vis fieri, ne feceris ulli.
Quæ fieri tibi vis, hæc quoque fac aliis.

Omnia dona Dei transcendit verus amicus:
Divitiis cunctis anteferendus hic est,
Nullus pauper erit thesauro præditus isto,
Qui quo rarior est, hoc pretiosior est.
Sunt multi fratres, sed in illis rarus amicus.
Hos natura creat, gratia præbet eum.
Gratia libertas, natura coactio quædam est,
Dum generi quivis hæret amore suo;
Quo pecudes etiam naturæ lege trahuntur,
Affectus quarum gratia nulla manet.
Si roget aut faciat quisquam quod lædat honestum,
Metas et legem transit amicitiæ[3].
Exaudire preces inhonesta rogantis amici,
Est ab amicitiæ calle referre pedem;
Plus tamen offendit qui cogit ad ista rogando,
Quam qui consensum dat prece victus eis.
Nullum te Dominus plus quam te cogit amare;
Nec te, quisquis te turpia poscat, amat.
Turpia ne facias, sed vites propter amicum,
Si cupis ut vere sis pretiosus ei.
Turpiter excusat noxam quem propter amicum
A se hanc committi dicere non pudeat.
Propter amicitiam si quid commisero vile,
Re turpi pulchram fœdo, malaque bonam.
Debita sunt quam dona magis quæ dantur amico;
Nil tamen est quo plus non mereatur amor.
Quos in amicitia sua quærere lucra videbis,
Quod dici cupiunt, hoc simulare scias.
Si non subvenias donec te exoret amicus,
Quæ dare te credis, vendere crede magis.
Non parvo pretio est rubor ille rogantis habendus,
Quo quæ tu dicis dona, coactus emit.
Plus recipit quam dat, pro donis quisquis amatur;
Nam quid amicitia carius esse potest?
Majores grates dono majore meremur:
Majus se dando quam sua quisque dabit.
Alter ego nisi sis, non es mihi verus amicus;
Ni mihi sis ut ego, non eris alter ego.
Qui bonus est, damnum contemnit propter amicum;
Sic etenim prodi, si sit amicus habet.
Cujus criminibus cito credis, non es amicus.
Ultimus hinc propriæ scit mala quisque domus.
Non poterit proprios cognoscere dives amicos,
An sint fortunæ scilicet aut hominis.
Pauper in hoc felix errore est liber ab isto;
Quum perit hæc, pereunt quos dabat illa tibi[4];
Cui mala fecisti, ne te commiseris illi[5]:
Prætereunte malo, permanet ira mali.
Quam jactura mali jactantia pejor habetur,
Et[6] gravior læso cuilibet esse solet.
Sit tibi præcipuus quisquis bonus inter amicos
Nec memor in talem conditionis eris.
Erectum stimulis et verbere comprimes illum,
In tua ne calcem dirigat ora suum.
Non homini te, sed vitio servire pudebit;
Quum sit libera mens, nil tibi turpe putes.
Non est quem possunt corrumpere dona fidelis:
Proditor alterius non tibi fidus erit.
Obsequio superant meretrix et proditor omnes:
Qua placeant aliis hæc via[7] sola patet.

Nil melius muliere bona, nil quam mala pejus:
Omnibus ista bonis præstat, et illa malis.
Quæcunque est avium species assueta rapinis,
Quo plus possit in his, femina fortior est;
Nec rapit humanas animas plus femina quidquam;
Fortis in his[8] hæc est quolibet hoste magis.
Quæ se luxuriæ gratis supponit, amica
Censetur, meretrix quæ pretio gerit hoc.
In vitio tamen hoc ardentior illa videtur,
Quæ præter sordes suscipit inde nihil.
Uxorem ratione suam vir debet amare,

[1] *Quid differt* Cod. Cott. — [2] *Data sint* Cod. Burn. — [3] Hic interseruntur in Cod. Cott. versus *An se luxuriæ solam putat esse creatam* et sq., usque ad *Vilescit mulier suspicione cito,* quos infra rejicimus, secundum Th. Wright, et codicem Burneiensem. — [4] In utroque Codice a Th. Wright collato, *hæc* ad *fortuna, quos* autem ad *amicos* referenda esse notula ad marginem monet. — [5] *Ulli* Cod. Cott. — [6] Aliter *sed gravior.* — [7] Cod. Cott. – *Una* Cod. Burn. — [8] *Fortis in hoc* Cod. Burn.

Et non ad coitum, sicut adultera sit.
Ut pecudes quo vult trahit impetuosa voluptas,
Sic homines agitat luxuriosus amor.
Si post conceptum pecudum satiata libido
Ferre marem nolit, quid mulier, quid agat[1]?
An se luxuriæ solam putet esse creatam,
Ad coitus fructum cætera nata feret?
Gratior est humilis meretrix quam casta superba,
Perturbatque domum sæpius ista suam.
Polluit illa domum quam incendit sæpius ista:
Sorde[2] magis domui flamma nocere potest.
Mitior est anguis linguosæ conjugis ira:
Qui tenet hanc, ejus non caret angue sinus.
Deterior longe linguosa est femina scorta:
Hoc aliquis, nullis illa placere potest.
Est linguosa domus incendia maxima conjux,
Hac levior flamma quilibet ignis erit.
Quum modicum membrum sit lingua, est maximus [ignis:
Non tot per gladium quot[3] periere per hanc.
Prævalet in lingua qui non est fortis in armis.
Nullus in hac pugna plus meretrice potest.
Ex hoc præcipue distant ignavus et audax,
Quod factis iste, prævalet ille minis:
Si linguæ bellum quam armorum fortius esset,
Tersites Trojæ major Achille foret.
In verbis pavidus semper lætare fuisse:
In factis audax sis aliquando licet.
Nil magis offendit quam pravus[4] sermo potentem;
Plus probra liber homo quam sua damna timet.
Accensas mollis responsio mitigat iras,
Auget eas potius dura creatque novas.

Nolo virum doceas uxoris crimen amatæ,
Quod sciri potius quam fieri gravat hunc.
Opprobriis aurem propriis dat nemo libenter,
Nec te, nec quemquam, talia scire volet[5].
Cuique viro casto conjux sua casta videtur,
Semperque incestus suspiciosus erit.
Ne sis natarum sic cæcus amore tuarum,
Ut non corrumpi posse reæris eas.
Quam cito fas sit, eas festina tradere nuptum.
Vilescit mulier suspicione cito.

[6] Nec catus poterit servari pelle nitente,
Nec mulier[7], cunctis, si pretiosus erit.
Quam nuptum tradunt studeant ornare puellam;
Ornatu sapiens vir cito privat eam.
Incestam ut castam frustra servare labores;
Non potes hanc, illam non opus esse scias.
De quo culpasti mulierem cogis amari,
Et verum falso crimine sæpe struis.
Ne dubites illam propriæ diffidere formæ,
Nec studet ut fallat per bona facta viros.
Quanto plus fragilis muliebris sexus habetur,
Tanto ejus virtus præminet in meritis.
Quo fuit asperior quæ postea nupsit amanti,
Tanto gratior est ipsa futura viro.
Aspernata virum propria placet ipsa repulsa
Et blandum facit hunc asperitate sua.
Miror si mulier privignum diligat ulla,
Ni quo Phædra suum fertur amasse modo.
Quem vir amat famulum, miror si diligit uxor,
Semper in insidiis hunc timet ipse sibi.
Luxuriæ nimis est mulieri grata voluptas,
Si plus quam fratrem diligat illa virum.
Si sua quam mater cuiquam sit carior uxor,
Constat naturam cedere luxuriæ.
Quem natura suos non cogit amare parentes;
Conciliare tibi gratia nulla potest.
Qui patri malus est, nulli bonus esse putetur;
Nolo roges pro quo non rogat ipsa parens.
Ne super inducta crucies uxore parentes,
Hos sepeli primo si superesse queas.
Est velox vindicta Dei maledictio patrum;
Nemo nisi demens hanc tolerare potest.
Quo plus proficiat, tua sit perfectio blanda;
Aspera perversos non capit, immo movet.
Objurga culpam pueri, juvenisque flagella;
Exhortare senem blanditiisque mone.
Quum te corripiat senior, patienter habeto,
Et grates, tanquam post data magna, refer.
Culpari metuens, culpam præcidere tentat.
. . . .
Quisquis non fuerit patiens parendo jubenti,
Imperio nulli proficiendus erit.

[1] Legit Th. Wright *quid agitat*. — [2] *Corde* Cod. Burn. — [3] *Quam* Cod. Cott. — [4] *Parvus* Cod. Cott. — [5] *Valet* Cod. Cott. — [6] Versus sequentes tantum in Codice Burneiensi reperiuntur, teste Th. Wright, l. l.— [7] Sic. *Cultus* Cod. S. Aud.

ALTERA
EJUSDEM CARMINIS RECENSIO

E CODICE BIBLIOTHECÆ SANCTI AUDOMARI.

Astralabi fili, vitæ dulcedo paternæ,
  Doctrinæ studio pauca relinquo tuæ.
Major discendi tibi sit quam cura docendi :
  Hinc aliis etenim proficis, inde tibi.
Quum tibi defuerit quid discas, discere cessa,
  Nec tibi cessandum dixeris esse prius.
Non a quo, sed quid dicatur, sit tibi curæ :
  Auctori nomen dant bene dicta suo.
Nec tibi dilecti jures in verba magistri,
  Nec te detineat doctor amore suo.
Fructu, non foliis pomorum quisque cibatur,
  Et sensus verbis anteferendus erit.
Ornatis animos captet persuasio verbis,
  Doctrinæ magis est debita planities.
Copia verborum est ubi non est copia sensus,
  Constat et errantem multiplicare vias.
Cujus doctrinam sibi dissentire videbis,
  Nil illam certi constat habere tibi.
Instabilis lunæ stultus mutatur ad instar,
  Sicut sol, sapiens permanet ipse sibi.
Nunc huc, nunc illuc, stulti mens cæca vagatur,
  Provida mens stabilem figit ubique gradum.
Cogitat ante diu quid sanum dicere possit,
  Ne judex fiat turpiter ipse sui.
Dictis doctorum, factis intende bonorum,
  Ferveat hac semper pectus avaritia.
Disce diu firmaque tibi tardaque docere,
  Atque ad scribendum ne cito prosilias.
Nolo repentini tua sit doctrina magistri,
  Qui cogatur adhuc fingere quæ doceat.
Nemo tibi tribuit quod nondum est nomen adeptus :
  Post multos, si vis, experiaris eum.
Detrimenta tuæ caveas super omnia famæ,
  Ut multis possis et tibi proficere.
Quæ præcesserunt credi sua crimina cogunt,
  Et prior in testem vita sequentis erit.
Non tua, sed Domini quæratur gloria per te;
  Non tibi, sed cunctis vixeris, immo Deo.
Sit tibi, quæso, frequens scripturæ lectio sacræ :
  Cætera si qua legas, omnia propter eam.
Sit tibi præcipuus divini cultus honoris,
  Teque timor semper subdat amorque Deo.
Nemo Deum metuet vel amabit sicut oportet,
  Si non agnoscat sicut oportet eum, [ipse,
Quam justus sit hic atque potens, quum sit bonus
  Quantum nos toleret, quam grave percutiat.
Semper divinæ tua sit subjecta voluntas,
  Et contra si vis, appetis esse Deus;
Nec tibi quid possit quæras, sed quid placet ipsi :
  Mercenarius hoc, illud amicus agit.
Sufficit ut tantum quæras ipsius honorem :
  Utilitatis erit sic memor ipse tuæ.
Sicut thesauris præstat sapientia cunctis,
  Sic nihil opposito vilius esse potest.
Ingenii sapiens fit nullus acumine magni;
  Hunc potius mores et bona vita creant.
Factis, non verbis, sapientia se profitetur;
  Solis concessa est gratia tanta bonis.
Filius est sapiens benedictio multa parentum,
  Ipsorum stultus dedecus atque dolor.
Quod tolerat major, non sit grave ferre minorem,
  Nec se prolato præferat ullus homo.
Oblatam Cato fudit aquam, populumque refecit,
  Dum refici propriam non tulit ipse sitim.
Insipiens rex est asinus diademate pollens,
  Tam sibi quam cunctis perniciosus hic est.
Nolo militiam, sed sensum in principe laudes :
  Consilium, non vis, præminet ad regimen.
Quum bonus est princeps, divini muneris est hoc;
  Quum malus, id perpeti promeruere mala.
Sit tibi cura prior faciendi, deinde docendi
  Quæ bone sunt, nec sis dissonus ipse tibi.

Quæ tibi tu non vis fieri, ne feceris ulli;
Quæ fieri tibi vis, hæc quoque fac aliis.
Simplicis est hominis similem sibi quemque putare,
Et leviter falli, fallere nolle quidem.
Est autem vitium falli, sed fallere crimen;
Crimine, non vitiis, quisque carere potest.
Ut sapiens falli, sic mens bona fallere nescit,
Est vitii falli, fallere criminis est.
Credere te nunquam falli fallacia summa est:
Rem istam constat solius esse Dei.
Nolo Deum similes, nec te super æthera quæras,
Dum situs hic terræ te tenebrosus habet.
Est justi proprium reddi sua velle quibusque;
Fortis in adversis non trepidare suis;
Illicitos animi motus frenare modesti;
Tunc quum succedunt prospera præcipue,
Sicut in adversis virtus ea murus habetur,
Sic istius egent prospera temperie,
Nec prior illa manet virtus, nisi fulta sit istis,
Ne sit fracta malis, sive remissa bonis.
Quid vitii, quid sit virtutis discute prudens:
Quod si perdideris, desinis esse quod es.
Philosophus causas rerum discernit opacas;
Effectus operum practicus exsequitur.
Quisquis apud Dominum se quærit justificari,
Justitiam, si qua est, nesciat ipse suam.
Ne timeas unquam, meliores aspice semper
In quibus attendas quid tibi desit adhuc.
Ante potestatem ne quæras magnus haberi;
Parvus eris si te quærere noverit hoc.
Quo melior quisque est, majori dignus amore est;
Utque Deo quisque carior et tibi sit.
Sunt multi fratres, sed in illis rarus amicus:
Nos natura creat, gratia præbet eum.
Turpia ne facias, sed vites propter amicum,
Si cupis ut vere sis pretiosus ei.
Turpiter excusat noxam quam propter amicum
A se committi dicere non pudet hanc.
Si roget aut faciat quisquam quod lædat honestum,
Metas et legem transit amicitiæ.
Exaudire preces inhonesta rogantis amici
Est ab amicitiæ calle referre pedem.
Propter amicitiam si quid commisero vile,
Re turpi pulchram fœdo, malaque bonam.
Si non subvenias donec te exoret amicus,
Tradere te credis, vendere crede magis.
Non pretio parvo est rubor ille rogantis habendus,
Quo quæ tu dicis dona, coactus emit.
Debita sunt quam dona magis quæ dantur amico:
Nil tantum est quo plus non mereatur amor.
Alter ego nisi sis, non es mihi verus amicus;
Ni mihi sis ut ego, non eris alter ego.
Quos in amicitia sua quærere lucra videbis,
Quod dici cupiunt, hoc simulare putes.
. . . .
Ultimus hinc propriæ scit mala quisque domus.
Non poterit proprios cognoscere dives amicos,
An sint fortunæ scilicet aut hominis.
Pauper in hoc felix errore est tutus ab isto:
Quo sit paupertas cuique ferenda magis.
Quos in amicitia fortuna secunda tenebat,
Quum perit hæc, pereunt quos dabat illa tibi.
Plus recipit quam dat pro donis quisquis amatur;
Nam quid amicitia carius esse potest?
Majores grates dono majore meremur
Dando se magis quam sua quisque dabit.
Antiquum retine, quum sis expertus, amicum,
Nec similem credas, si sapis, esse novum.
Præcipueque tuus sit qui patris extitit ante,
Ut sit et hinc etiam carus amore patris.
Non est qui donis corrumpi possit amicus:
Proditor alterius non tibi fidus erit.
Quem corruperunt tua munera credere noli:
Alter erit cujus sic quoque dona volet.
Quos ad consensum traxerunt munera turpem,
Horum te fidei credere turpe puta.
Cui male fecisti, ne te commiseris illi;
Prætereunte malo, permanet ira mali.
Sit tibi præcipuos servus bonus inter amicos,
Nec memor in talem conditionis eris.
Erectum stimulis et verbere comprime servum;
In tua ne calcem dirigat ora suum.
Non homini te, sed vitio servire pudebit:
Dum sit libera mens, nil tibi turpe putes.
Nolo virum doceas uxoris crimen amatæ,
Quod sciri potius quam fieri gravat hunc.
Opprobriis aurem propriis dat nemo libenter,
Nec te nec quemquam talia scire volet.
Quumque viro casto conjux sua casta videtur,
Semper et incestus suspiciosus erit.
Nil melius muliere bona, nil quam mala pejus:
Omnibus ista bonis præstat et illa malis.
Nil teneris constat verecundius esse puellis,
Hocque carere bono nil ita sicut anus.
Incestam ut castam pariter servare caveto,
Quippe hæc non debet, sic etiam illa nequit.
Quid facit incestæ custodia? nonne pudicam
Sic fieri credis, quæ mala non minus est?
Virtus quippe animi, non corporis, esse putanda est:
Nemo vi bonus est, sed malus inde magis.
Quæ mulier famæ nequaquam damna veretur,
De falso verum crimine crimen agit.

Vile minus scortum, sed vilior est sodomita;
Pejor quam meretrix femina vir meretrix.
Gratior est humilis meretrix quam casta superba.
. . . .
Prævalet in lingua qui non est fortis in armis;
Nullus in hac pugna plus meretrice potest.
Ex hoc præcipue distant ignavus et audax,
Quod factis iste, prævalet ille minis.
Plus ratio quam lex, plus consuetudine lex sit:
Singula sint proprio constituenda gradu.
Majori parti ne cedas, sed meliori:
Stultorum numerus innumerabilis est.
Tempere tu judex legis moderare rigorem:
Hoc etenim leges qui statuere volunt.
Quo plus proficiat tua sit correctio blanda;
Aspera perversos non capit, immo movet.
Quum te corripiat senior, patienter habeto,
Et grates tanquam post data magna refer.
Ne libertatem vendas, fuge dona potentum:
Emptum te credas, hæc ubi sustuleris.
Ne servire bonos ad turpia cogat egestas:
His natura manus ingeniumque dedit.
Contenta est modico mediocritas tuta labore,
Quæ quum libera sit, nil pretiosius est.
Archelaï reprobans Socrates donaria regis
Dixit se non his posse referre vicem.
Philosophum puduit donis a divite vinci,
Quem se gaudebat vincere pauperie.
Vincere contemptu mundi, virtute perire,
Cautela hæc magni regula magna viri.
Oblatum gratis Abraham cur emerit agrum,
Respueritque datum? forsitan audierat.
Multi, ne cupidi videantur, dona refutant,
Atque sibi nomen arte parare student.
Nolis ex habitu populi captare favorem:
Fallere prudentes pellis ovina nequit;
Quæ pellis sit ovis, quæ vulpis, non latet illos.
. . . .
Ex habitu non secus eris, potes esse superbus:
Est nimis hæc summis res odiosa viris.
Hypocritæ miseram super omnia censeo vitam.
. . . .
Nemo senex adeo quin vivere posse per annum
Se confidat adhuc: fallitur omnis in hoc.
Nullus enim est qui non aliquo moriatur in anno
Quem tunc et vitæ deputat ipse suæ.
Ad requiem sanctos constat pertingere morte,
Quum tunc ad mortem nemo venire velit.
Si sit amica senex, donis conducat amica:
Suppleat ex donis quod caret ex facie.
Artificem commendet opus, non propria lingua:
Sola loquatur in hoc, ore tacente, manus.
Maxima sobrietas tam virtus quam medicina:
Cor simul et corpus conferet incolume.
Bella gerant juvenes; seniores consilientur;
Hos, quid agant illi, constituisse decet.
Si sine consilio tibi concessisse videbis,
Gratia fortunæ sit sine laude tua.
Si post consilium non sint tibi facta benigna,
Non hinc culpandus, sed miserandus eris.
Quæ voveas discerne pius multumque diuque;
Consilium tarde post tua vota venit.
Omne minus votum solvi majore licebit,
Et cambire bonum pro meliore juvat.
Dulcia sunt adeo commissi gaudia nostri,
Ut memorata juvent quæ placuere nimis.
Qui dicit verum, non hoc dicendo laborat:
Fingere falsa prius nitimur, inde loqui.
Mendaces faciunt ne credas vera loquenti,
Et multis justis perfidus unus obest.
Non leve corrigitur qui se delinquere nescit:
Plagaque tunc minor est, sed medicina gravis.
Quid, cui des videas, ubi, quando, quomodo, [quare;
Ni grata pariter donaque perdere vis.
Largus quisque datis, acceptis gaudet avarus,
Nec si pœniteat post data largus erit.
Qui sua dat largo non dat, sed fenerat illi:
Semina pauca jacit, commoda multa metit.
Vix sua pauperibus moriens largitur avarus,
Ad manes properans hæc quasi ferre velit.
Quisquis plus retinet quam vitæ postulat usus,
Admovet ad jugulum pauperis ipse manus.
Qui leviter spondet, nec multum solvere curat.
. . . .
Ex hominis vitio ne culpes illius artem:
Est homo sæpe malus qui bonus est opifex.
Frigore bruma pigrum crucians æstasque calore
Cogunt mendicum vivere semper eum;
Quumque pigrum vexaret hyems, tectoque careret:
Ver, inquit, veniet, tuncque parabo domum.
Ver venit dixitque piger non esse necesse
Temperie tanta temporis esse domum.
Si piger excusans præsentia tempora culpat,
Tanquam sit vitium temporis hoc quod eget.
Asserit ignavus bona tempora præteriisse,
Et vitium fatis imputat ipse suum.
Mulcet adulator stultum, delator iniquum;
Auris confestim sancta repellit eos.
Divitis est rerum numerum nescire suarum,
Pauperis aut nullus compotus aut brevis est.
Si quis divinis jubeat contraria jussis,

Te contra Dominum pactio nulla trahat.
Quos alios damnare vides seseque beare,
Hos fuge, si cupias approperare Deo.
Quos populus laudat, quos vulgi sublevat aura,
Miror si placeant huic simul atque Deo.
Hoc puto, tuque putes inter miracula summa,
Si quemquam videas hæc retinere simul.
Ne superinducta crucies uxore parentes:
Hos sepeli primo, si superesse queas.
Laus vetus obruit, nisi laus nova fulciat illam,
Spectandusque magis finis in omnibus est.
Qui prodesse sibi proprio medicamine nescit,
Languor eum frustra postulat alterius.
Vivere sic studeas ut de te nemo queratur:
Si prodesse nequis, hoc age ne noceas.
Bella cave; sensuque tuo plus nitere quam vi;
Utere fortuna, sed ratione magis.
Vestibus ornatos alienis sæpe videmus
Et sua metiri quæ minime sua sunt.
Talis erat cornix alienis splendida plumis
Quas mentita suas in sua probra tulit.
Cor miserum livor, detractio possidet ora,
Dum non majorem ferre paremve potest.
Turgidus in verbis, factis temerarius omnes
Urget, et in jugulum provocat ipse suum.
Intolerabilius nihil est quam vita superbi,
Cunctaque transcendit sordida luxuria,
Viribus hæc corpus, mentem virtutibus haurit.
. . . .
Qualiacunque velis da fercula relligiosis,
Dummodo vina neges, summa fomenta mali.
Ne quis consilio mulieris tradat habenas:
A primo cunctis sunt documenta viro.
Non est vicino tutum dormire culubro:
Anguem transcendit femina nequitia.
Vivit in occulto vir honestus ut in manifesto:
Nunquam deprendi se bona vita timet.
Cui venit ad causam tarde diffidit ab illa,
Accelerat causam qui bene fidit ei.
Consilio longo causa pars altera ducta
Non minimum pravæ suspicionis habet.
Orator bonus atque pugil fiducia parva est:
Quo major fraus est, amplius optat eos.
Ne dubites illam propriæ diffidere formæ
Quæ eavet aspectum, compta prius nisi sit.
Qui non dat quod amat, non accipit ipse quod optat:
Ut tua cara tibi, sic mea cara mihi.
Vilia pro caris recipi non convenit æquo,
Nec commercia sunt talia justitiæ.
Ut largus largo, sic sis et avarus avaro,
Qualis hic est aliis, sis quoque talis ei.
Si nequeas caste, nec spernas vivere caute:
In populo vita plus tibi fama nocet.
Id justo pudor est hominum complere timore,
Ad quod non fuerit tractus amore Dei.
Vim metuit sapiens, stultus confidit in illa.
Audiri cupit hic, ille ferire parat.
Infirmis legem positam non esse fatemur,
Nec tolerant pondus sanus et æger idem.
Finitimæ vitiis virtutes fallere norunt,
Sæpeque, quum non sint, esse putamus eas.
Hoc igitur nullus data censeat, immo relicta,
Quæ quantum potuit strinxit avara manus.
Quem Domino placuit servorum absolvere gratis,
Si sit ingratus, gratia non maneat.
Contra consilium si nubat virgo parentum,
Horum non debet participare bonis.
Armiger esse prius quam miles debuit omnis,
Quidquam ageret doctor discere discipulus.
Si quando dare quid cuiquam contingat avarus,
Hoc quia non didicit, nescit habere modum.
Relligio juvenis levis est impulsio mentis,
Et tanquam torrens impetuosus aquæ.
Quo vehementior est, citius siccabitur ipse,
Excedensque modum deperit illa cito.
Dædalus ad patriam mediocri calle redivit;
Icarus alta petens lapsus ad ima ruit.
Jejunando modum superans superabit edendo,
Quique nimis vigilat dormiet ipse nimis.
Nec catus poterit servari pelle nitente,
Nec mulier cultus si pretiosus erit.
Magna Dei reprobis, quum non irascitur, ira est,
Quos sinit ad pœnam multiplicare dies.
Plus famam quam res amittere vitat honestas,
Et nomen præfert omnibus ipsa bonum.
Nil magis offendit quam pravus sermo potentem:
Plus probra liber homo quam sua damna timet.
Ut pecudes quo vult trahit impetuosa voluptas,
Sic homines agitat luxuriosus amor.
Luxuriæ stimulus, supremus et intimus hostis,
Civili bello nos grave persequitur.
Cui malus assistit vicinus, damna propinquant,
Et cui damna vacant, mens sine pace manet.
Displicuisse bonis non est infamia parva,
Nec placuisse malis suspicione caret.
Quaque die quo proficias tua cura revolvat,
Ut quo longior est, vita sit et melior.
Libera mens ita provideat quæ sint facienda,
Ne quid servorum more coacta gerat.
Emendare bonum est, melius peccare cavere:
Victus ab hoste semel jam minus obstat ei.
Extorquere potes fidei mendacia frustra;

Ipsa fides non vi, sed ratione venit;
Mentiri natura nequit firmissima semper.
Conjectura fuit quam dedit iste locus.
Expensas moderare tuas ut res tua poscit,
Nec fore majores quam tua lucra feras.
Damna timet pauper, contemptum nobilis horret.
. . . .[1] . . .
Est in peccatis mala consolatio quædam,
Si majora tuis crimina respicias.
Scit sibi, non aliis, qui nescit scita docere;
Tanquam nil scierit talis habendus erit.
Quum minus accipiat lucri, plus Martha laborat,
Ut merito soror hanc torqueat invidia.
Fertilitas largum, parcum te agnoscat egestas,
Ut fiat donis gratia multa tuis.
Si taceat stultus, sapiens reputabitur esse;
Nil sic ut sermo perdere corda solet.
Falsa figurari non est mirabile falsis,
Ut falsum ornari qualibet arte queat.
Non eget ornatu quem nullo constat egere.
Nec manus artificis hunc decorare potest.
Quo se mollius hic studet unusquisque fovere
Ad pœnam tenerum se magis ipse parat.
Corrigias corio largas facit ex alieno
Qui quum distribuat plurima, plura rapit:
Cui bene fecisti ne credas laudibus ejus:
Cuilibet hoc faciet qui facit illud ei.
Quisquis se laudat, multum sibi detrahit ipse:
Laudet se factis, ore tacente suo.
Discipulus sapiens est gloria summa magistri:
Istius laus est illius utilitas.
Notius est semper vitium virtusque potentis:
Quo magis eminet hic, sunt sua nota magis.
Ut te alii laudent, alios laudando mereris:
Laudari cupiens, vituperare cave.
Multa Deo dives, quia multa possidet, offert;
Et velut ex vomitu quod superest rejicit.
Multa dat, et damni nil sentit copia multa;
Censum non animum, cogitat insipiens. [est,
Credit habere Deum pro magno quod sibi magnum
Non viduæ pensans illa minuta duo.
Sic male de venia confidens liberiusque
Delinquens, donis mortem emit ipse suis.
Scribere, scire stude, simul ac dictare labora:
His sine secretum nullus habere potest.
Scripto se faciet præsentem quilibet absens,
Nemo magis fidus nuntius esse potest.
Dissimulat, simulat sapiens pro tempore multa,
Paucaque vi peragit, plurima consilio.
In cunctis sapiens tam tempora quam loca pensat.
. . . .
Persuadere bonum stulto non est leve quiddam:
Solus habet sapiens credere consilio.
Multus vicinus, rarus circumstat amicus.
. . . .
Iratum nunquam præsumas cedere quemquam:
Impedit in cunctis ira tenere modum.
Distulit insipiens oblatum sumere donum;
Sæpius hoc ipsum nemine dante petit.
Post epulas facile poteris reperire datorem:
Tunc pete, si qua vis, quum dator est hilaris.
Femineis lacrymis quas mors extorquet amici
Non modicus pudor est ora madere viri.
Quum male cuncta geras, si quid volo dicere de te,
Mentiri cogar, ni mala sola loquar.
Indignare tibi, quum te tua culpa flagellat,
Non illi qui dat verbera justa tibi.
Quos paupertatem vel rerum damna timentes
Converti videas, ne tibi spes sit in his;
His quoque quos pueros traxit devotio matrum,
Mirandum si quid religionis inest.
Sanguinis ejusdem plures in relligionis
Conventu, noli consociare tibi.
In quibus offensis multis quum offenderis unum,
Adversum multos sit tibi pugna gravis.
Si quis opes plus quam mores in conjuge quærat,
Si mœchabitur hæc, non habet unde queri.
Multa dat insipiens, nec gratis inde meretur;
Multa recepturus, pauca dabit sapiens.
In dandis sapiens tam tempora quam loca pensat;
Mensuram pensi non habet insipiens.
Ignarat trutinam nec libræ pondera novit:
Est ideo donis gratia nulla suis.
Vi Sathanas pugnat, patiens virtute resistit[1]....

[1] Præter illa carmina, tribuitur etiam Abælardo sequens distichon:

Arbiter hic ambo reges conjunxit amore
Et tenet illustris stemma ab utroque decus.

Galliæ Christianæ auctores (t. VII, p. 595) hoc dicunt conditum fuisse in honore Alphonsi de Goulaine qui missus ad reges Franciæ et Angliæ, quum inter eos pacem reformasset, ambo Franciæ scilicet Philippus I et Angliæ Guillelmus Rufus, sua illi dederunt insignia. Res autem nequaquam constat, nec versus eos Abælardi esse certum est.

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI

SERMONES PER ANNUM LEGENDI.

Monasterium D. Virginis ad Heremitas apud Helvetios, vulgo *Einsiedeln,* manuscriptum codicem unicum possidet, neque alius quisquam ad nostram cognitionem venit, in quo Abælardi contineantur *Sermones.* Hic est in-folio, formæ minoris, membranaceus, et si scripturam respexeris, ad sæculum XII referri posse videtur. Comprehendit τό *Sic et Non,* et quinque Sermones : 1° *in Natali Domini;* 2° *de Stephano;* 3° *de Sancto Johanne;* 4° *de Innocentibus;* 5° *de Epiphania.* Sermo *de Innocentibus* et ultima sacræ *de Stephano* orationis nondum edita fuerunt, cæteris tamen omnibus jam antea vulgatis.

Einsidelnensis codicis recensionem amicæ L. de Sinner procurationi et reverendi P. Galli Morel, bibliothecæ et archivi monacensis custodis, diligentiæ debemus; utrique publice gratias agimus.

Codices vero illos quibus usus est Amboesius, et quorum alter Paraclitensis, alter e Sorbonico gymnasio erat, frustra quæsivimus : nunc amissi, non nisi fortuna quadam reperiri possunt; illos autem eo magis desideravimus, quo ea quæ ab Amboesio edita sunt, sæpius mutila, sæpius interpolata esse videntur.

Abælardus enim in illa epistola qua *Sermones* ad Heloissam mitti significat, eos ab ipso redemptionis nostræ initio, Annuntiatione scilicet B. Virginis Mariæ exordiri, præcipuasque inde anni festivitates complecti monere videtur. Atqui in primis quidem sermonibus hunc ordinem certa via tenet; ubi vero in septimum veneris, qui in die Ramorum est, sæpius tibi reperire erit plures de eadem festivitate homilias, quasdam autem frustra requires quæ quominus ad Heloissam scriptæ fuerint, vix potest dubitari. Adde quod harum homiliarum nonnullæ ad Virgines paraclitenses minime spectabant, quum una ex his in die S. Marcellini certis ac propriis verbis habeatur *ad fratres rothomagenses reliquias habentes,* et sæpius noster *ad fratres* verba faciat. Forsan putandum est Abælardum, quoscunque composuerit sermones sive in S. Gildasii monasterio, sive alias, omnes ad Heloissam diversis temporibus misisse. Quod quidem si verisimile judicaveris, facilius reperies cur adeo mixtæ confusæque sint illæ ab Amboesio repertæ homiliæ. Utcunque est, oporteret sane ut totam illam operis partem retractaret aliquis ac mutaret, et, quod maximum nobis videtur, in meliorem locum referret sermonem *de S. Joanne Baptista,* qui inter pretiosissima Abælardi opera an-

numerandus est, tum pro singulari sententiarum audacia, tum pro iis quæ de monachorum sui temporis moribus perhibet. Nos autem deficiente codice, vix perpauca quædam impresso libro immutavimus, quæ tibi jam indicanda sunt. Scilicet decimum quartum in Amboesiana editione [1] sermonem *de Cruce* undecimo *de Rebus gestis in die Passionis,* cui vel continuando, vel perficiendo forsan hærebat, postposuimus; postquam enim extrema narravit quæcunque in morte Domini evenerunt, Abælardus sic perorando incipit: « Ecce seriem dominicæ passionis, prout memoriæ occurrit, etc. » Tum sermonem trigesimum secundum [2] in sexta feria post octavam Ascensionis, retraximus ad calcem eorum qui de eadem festivitate habentur. Suum insuper restituimus in locum sermonem istum de Innocentibus in Codice Einsidelnensi recens repertum, et aliam de S. Stephano orationem quæ falso ab Amboesio inscripta erat *Epistola ad Virgines paraclitenses de laude S. Stephani protomartyris* [3]. Denique ut concionatoria Abælardi quæcunque ad nos pervenerunt, quasi in fascem collecta legerentur, tres sermonibus expositiones subjiciendas esse duximus, quas noster pronuntiavisse videtur, unam scilicet in *Orationem Dominicam*, alteram *in Symbolum Apostolorum*, tertiam *in Symbolum sancti Athanasii* [4]. Hæ quidem exstant in codice Victorino 397; illius vero codicem nullum novimus. Verisimile est eas compositas fuisse, dum noster apud Sancti Gildasii abbatiam maneret.

EPISTOLA AD HELOISSAM.

Libello quodam hymnorum vel sequentiarum a me nuper precibus tuis consummato, veneranda in Christo et amanda soror Heloissa, nonnulla insuper opuscula sermonum, juxta petitionem tuam, tam tibi quam spiritalibus filiabus tuis in oratorio nostro congregatis, scribere præter consuetudinem nostram utcunque maturavi. Plus quippe lectioni quam sermoni deditus, expositionis insisto planitiem, non eloquentiæ compositionem : sensum litteræ, non ornatum rhetoricæ. Ac fortasse pura minus quam ornata locutio quanto planior fuerit, tanto simplicium intelligentiæ commodior erit; et pro qualitate auditorum ipsa inculti sermonis rusticitas quædam erit ornatus urbanitas, et quoddam condimentum saporis parvularum intelligentia facilis. In his autem scribendis seu disponendis ordinem festivitatum tenens, ab ipso nostræ redemptionis exordio sum exorsus. Vale in Domino, ejus ancilla, mihi quondam in seculo cara, nunc in Christo carissima : in carne tunc uxor, nunc in spiritu soror, atque in professione sacri propositi consors.

[1] Vid. Abælardi *Opera,* Parisiis, 1616, p. 860-865. — [2] Ibid., p. 968-971. — [3] Ibid, p. 263-269. — [4] Ibid., p. 359-384.

IN ANNUNTIATIONE BEATÆ VIRGINIS MARIÆ,

AD VIRGINES PARACLITENSES.

SERMO I.

Exordium nostræ redemptionis, hodiernus est conceptus dominicæ matris. Concepit Dominum femina, ut Creatorem pareret creatura. Communis quidem salus hæc est hominum, sed specialis gloria feminarum. Primus Adam de terra plasmatus, non de femina est natus : imo de ejus costa femina est formata. Secundus Adam, ac prioris et omnium tam factor quam redemptor, nostri sexus formam de femina decrevit assumere, ut in utroque sexu consisteret gratia, sicut in utroque præcesserat culpa, et eædem naturæ, per quas vulnus est inflictum, curationis afferrent medicamentum, et unde illata est plaga, inde mirabiliter conficeretur cataplasma. Actor plagæ diabolus, minister curationis angelus. De quo nunc dicitur[1] : « Missus est angelus Gabriel a Deo, etc. » Serpens a diabolo immissus, hic a Deo memoratur missus ; ut, ex ipsa statim fronte lectionis, spe divinæ gratiæ saucii releventur ad nuntium salutis. Bene autem angelus ex nomine designatur, quum dicitur Gabriel ; ut quum idem referatur missus ad Mariam, quem jam superius evangelista dixerat missum ad Zachariam, sic et ista promissio complenda credatur, sicut illa completa jam noscitur. Unde et ipse postmodum Angelus illam in hujus argumentum inducens : « Et ecce, » inquit[2], « Elizabeth cognata tua, etc. » Quo vero mittatur, diligenter evangelista describit, quum ait[3] : « In civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. » Civitas quippe non paucorum, sed multorum est. Et ista curatio non unius languidi, sed totius humani generis est futura. Et quia non singulorum hominum, sed eorum tantum, qui in sua non remanentes ignavia, de valle vitiorum migraturi sunt ad montem virtutum, recte civitas ista memoratur esse de Galilæa. Quæ et bene Nazareth, hoc est *flos*, nominatur ; ubi hodie ille flos conceptus est a virga, de quo Isaias prædixerat[4] : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. » Qui etiam de semetipso ait[5] : « Ego flos campi, et lilium convallium. » Ut ergo hunc florem virga illa producat, ad Virginem ipsam angelus mittitur, qui eam ad hoc præparet, et quasi quodam suæ annuntiationis sarculo ad fœcunditatem excolat. Unde et post locum quo mittitur, de persona

[1] Luc., cap. I, v. 26. — [2] Ibid., v. 36. — [3] Ibid., v. 26. — [4] Isaiæ cap. XI, v. 1. — [5] *Cant.*, cap. II, v. 1.

subditur, ad quam iste legatione fungitur : « Ad Virginem, » inquit[1], « desponsatam. » Virginem præmittit desponsatæ, non tam temporis quam dignitatis ordine. Sed quæ ista, quæso, est dignitas, esse virginem in carne, si jam per consensum corrupta fuerat mente ? Non enim desponsari, vel matrimonium contrahi, nisi pari duorum consensu potest; nec aliter ipsa conjux vel uxor Joseph vocaretur ab evangelista. Quis igitur iste consensus fuit ? Nunquid commixtionis carnalis, ut in hoc jam Virgo consensisset, quod florem dignitatis amitteret ? Absit hoc a piis mentibus, ut quæ prima virginitatis munus obtulisse Deo creditur, in hunc consensum ducta æstimetur, in quem tot virgines ne venirent, vitæ dispendium elegerunt, et sic Agnum sequi quocunque ierit, non solum permanentes virgines, verum etiam factæ mulieres. Quis hic autem consensus intelligendus sit tam in sponsa quam in virgine, sequentia ni fallor insinuant. De sponso quidem, quum nec nomen ipsius reticetur, quum dicitur[2] : « Viro cui nomen erat Joseph. » Joseph quippe, quod interpretatur *augmentum*, quid aliud nobis innuit, quam magnam in eo perfectionem virtutum ? Quem etiam, ut beatus meminit Hieronymus[3], virginem, sicut sponsam ipsius, constat permansisse. A qua profecto virginitatis perfectione si per consensum imminutus esset carnalis concupiscentiæ, nequaquam dignum esset ab evangelista commemorari eum Joseph nominari. Qui postmodum comperto Virginis conceptu, tanto gravius id eum ferre non est mirabile, quanto se magis illusum dolebat, quem ad continentiæ consensum sponsa pertraxerat. Ipsa etiam Virgo, quum de se postmodum ait[4] : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » patenter innuit, nequaquam in usum carnis eam consensisse, nec in concupiscentia se viro fœderasse. Ut quid enim diceret, « quomodo fiet hoc, quia virum non cognosco? » si in mente haberet viro commisceri ? Et si enim jam commixta non esset, posset utique postmodum commisceri, ut mirandum non esset, si ipsa quoque, sicut Elizabeth, per divinæ gratiæ donum ex viro conciperet. Sciebat etiam nec homines latere integritatem virginitatis suæ. Cur ergo quasi admirans quæreret, qualiter id fieri posset, quum virum ipsa non cognosceret? Si hanc, inquam, cognitionem viri ad commixtionem carnis referret, quomodo de Adam vel nonnullis aliis dictum est, quia cognoverunt uxores suas? Quid est ergo quod ait : « Virum non cognovi, » nisi quia nulli unquam consensu carnali me commisceri acquievi ? In quo ergo consenserat Joseph quum ab eo desponsaretur, nisi ut castimoniæ virtutem pari custodirent consensu ? Videbat quippe se a parentibus ad nuptias cogi, ex ipsa maxime legis sanctione, quæ sub maledicto ponebat omnes qui non relinquerent semen in Israel. Nove-

[1] Luc., cap. I, v. 26. — [2] Ibid. — [3] Adv. Helvidium, *Opp.* t. IV, part. II, col. 142. — [4] Luc., cap. I, v. 34.

rat virgo virginem Joseph, quem ex castimoniæ amore, et cognationis propinquitate familiarem habebat. Hunc igitur elegit in sponsum, quem in suum trahere confidebat consensum, ne si alium cogeretur accipere, quod voverat Deo non posset custodire. De qua etiam quum dicitur[1]: « Et ingressus est ad eam angelus, » diligenter sanctum ejus propositum describitur, quæ non in plateis exterius cum secularibus feminis reperitur, sed clauso cubiculi sui ostio, Deo devote supplicans et orans; ut continentiæ quod fecerat votum tam sibi quam sponso suo custodiat inviolatum. Unde et in ipsis suis precibus de sua petitione statim consolationem meruit accipere, et securitatem obtinere. De hoc autem cubiculi sui secreto tanquam oraculo divino, quam sancto ibi occupata esset studio, beatus Ambrosius libro *de Virginitate* II his scribit verbis[2]: « Hæc ad ipsos ingressus Angeli, inventa domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet[3], ne quis obstreperet. Neque enim comites feminas desiderabat, quæ bonas cogitationes habebat. Quin etiam tunc sibi minus sola videbatur, quum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot archangeli, tot prophetæ? Denique et Gabriel eam virginem ubi revisere solebat invenit, et angelum Maria quasi virum specie mutata trepidavit, quasi non incognitum audito nomine recognovit. Ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in angelo, ut agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, et appellata respondit. Sed quæ primo titubaverat affectu[4], postea promisit obsequium. » Ecce studium non tam desponsatæ quam virginis, non se ad nuptias præparantis, sed Deo penitus vacantis; non curis seculi, sed sacræ prorsus intentæ lectioni, non sponsi quærentis solatium, ut colloquium mereretur angelicum. Attendite, virgines, quæ non virum, sed Deum elegistis sponsum, et sacræ formam professionis a Maria sumpsistis. Desponsata illa homini, non hominem in publico, sed Deum quærebat in secreto. Non oculos retorquebat ad mundum, sed erigebat ad cœlum. Non canticis nuptiarum aures præbebat, sed sacræ lectionis pabulo mentem reficiebat. Ex quo liquidum est quam sit verum, quod diximus, nunquam ejus animum ad nuptias declinasse, quia nullam certum est curam eam suscepisse. Unde et ab angelo salutata, cujus vita non carnalis erat, sed angelica, audire meruit[4]: « Ave, gratia plena. » Gratiam dicimus gratis datam, hoc est beneficium divinum supra merita collatum. Unde et Apostolus[5]: « Si autem ex operibus, jam non ex gratia. Alioquin gratia jam non esset gratia. » Constat vero unumquemque fidelium nonnihil gratiæ præter merita sua collatum habere. Mariæ vero non participatio gratiæ, sed

[1] Luc., cap. I, v. 28. — [2] Ambros., *de Virginib.*, lib. II. — [3] Male fert editio Amb.: *Intentione arrumperet*. — [4] Edit. Amb. *Turbaverat affectum*. — [4] Luc., cap. I, v. 28. — [5] *Rom.*, cap. XI, v. 6.

plenitudo ascribitur, ut tantum ei conferri demonstretur, quantum humanæ naturæ infirmitati promittitur. Quod quidem qualiter fieret, si jam in consensum carnalis concupiscentiæ tracta fuisset, nulla ratio habet. Unde autem amplitudinem gratiæ adepta sit, subinfertur quum dicitur : « Dominus tecum. » Tecum, inquit, potius quam in te. Qui enim ubique per præsentiam divinitatis jam se unire disponebat carni virginis per assumptionem humanitatis; ut tecum, hoc est, cum carne tua unum fiat in persona. « Benedicta tu in mulieribus. » Nunquid et in viros non redundat benedictio Mariæ ? Nunquid et ipsa de semine Abrahæ, et per illam Christus descendit : in quo videlicet semine omnium gentium benedictio fuerat promissa? Quid est, quæso, in mulieribus, et non magis in omnibus viris pariter ac mulieribus ? Hæc iterum dico, virgines, attendite, et in vos specialiter istam benedictionem Mariæ redundare gaudete. Paucos quippe virorum reperimus, qui in virtute virginitatis Christum imitentur. Multas sequaces hæc Mariæ gratia in vobis habet, quarum tanto virtus gratior, quanto sexus infirmior. Virtus quippe in infirmitate perficitur. Quid est autem benedictio, nisi divinæ gratiæ multiplicatio ? Benedicta igitur Maria in mulieribus potius quam in viris dicitur, quia hæc ejus gratia virginalis propositi in feminis maxime per ejus imitationem multiplicanda fuerat, sicut et Psalmista antea prædixerat, dicens [1] : « Adstitit regina a dextris tuis, etc. » Et rursum [2] : « Adducentur regi virgines post eam, adducentur in templum regis. » Post eam, inquit, adducentur in templum regis, quia per imitationem hujus summæ reginæ, virgines innumeræ in verum Dei templum sunt consecrandæ. « Quæ quum audisset, turbata est [3]. » Ad verba loquentis, et magno præconio laudis eam salutantis turbata memoratur esse, non eum qui loquebatur aspicere. Fixis quippe oculis in lectione, vel terræ affixis in oratione, quo animus intendebat tota inhiabat, atque immobilis hærebat; nec humanum curabat aspectum, quæ tantum intendebat divinum. Unde autem turbata ? Diversis undique de causis. Tum quia viri consortium fugiebat, tum quia lectioni vel orationi totam operam impendebat, quarum assiduitatem præpediri graviter sustinebat. « Et cogitabat, » inquit [4], « qualis esset ista salutatio. » Ex qua videlicet intentione procederet utrum adulationis verba hæc essent, an veritatis : qua temeritate, quo aditu ille cubiculi sui secretum inquietare præsumeret? Quam ita perturbari angelus non perferens : « Ne timeas, » inquit, « Maria. » Non quidem ait : Ne perturberis; sed : Ne nimia sollicitudine affligaris : ne aut te obtinere desperes quod vovisti, aut tanquam rea maledictum incurras legis. Et hoc quidem loco quum ait : « Maria, » primum eam vocat ex nomine, ut quasi familiarem sibi majori relevet consolatione. Cur

[1] Psalm. XLIV, v. 10. — [2] Ibid., v. 15. — [3] Luc., cap. I, v. 29. — [4] Luc., ibid.

autem non sit ei timendum, hoc est de petitione sua differendum, annectit quum ait : « Invenisti gratiam apud Deum. » Hoc est, supra omnia merita illi grata facta es, atque accepta. Quomodo autem tam legis maledictum evitet, si virgo permaneat, quam propositi sui votum incorrupta custodiat, patenter exponit dicens eam pariter tam esse parituram quam virginem permansuram. Parituram, inquam, non solum hominem, verum etiam hominum Salvatorem, hoc est Jesum. Cujus quidem virginei partus quanta sit excellentia, diligenter describit dicens : « Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur. » Ac si aperte dicat : Attende in hoc ipso incomparabilem gratiam, singularem gloriam tuam, vide ipsum qui Dei filius dicatur et tuus. « Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, » hoc est, id in eo perficiet quod in typo ejus David promissum est, sicut et ipsemet profitetur dicens[1] : « Juravi David servo meo, usque in æternum præparabo sanctum tuum. Et ædificabo in generatione et generationem sedem tuam. » Domus Jacob, in qua regnaturus in æternum promittitur, Ecclesia est gentium, quæ tempore præteritorum, et gratia priorum synagogam supplantavit, et benedictionem ei surripuit. Finem hoc regnum non accipit, quia nec cum vita præsenti deficit : quod tanto in cœlestibus est verius, quanto felicius. « Dixit autem Maria : « Quomodo fiet istud? » Tanquam si diceret : Magna quidem promissio, et incomparabiliter non solum feminæ virtutem, sed omnem humanam transcendens dignitatem. Quo itaque modo quove ordine futura est completio rei tantæ? « Virum enim, » inquit, « non cognosco. » Ac si diceret : Longe hoc a meo remotum proposito videtur, ut videlicet partum habeam, quæ virgo persistere decrevi. Et hoc est, ut supra jam meminimus, eam virum nequaquam cognoscere, nulli unquam in commixtione carnali per consensum acquievisse. Legerat quidem Abrahæ factam de Christo promissionem, sicut et ipsa postmodum profitetur, inquiens[2] : « Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham et semini ejus. Unde nequaquam de hac promissione dubia, de modo requirebat quo esset complenda, utrum scilicet per admixtionem viri sine dilectione peccati, sicut in paradiso fieret si homo non peccasset, an integritate corporis pariter et mentis conservata, sicut in ejus proposito fuerat. Bene autem angelus, quum ei filium promitteret, modum conceptionis reticuit, donec ipsa videlicet manifestato voti sui proposito, quum ab eo requireret : ne videlicet quia eam audieramus desponsatam, crederetur per concupiscentiam hanc inisse copulam.

« Spiritus sanctus superveniet in te, » hoc est, superiori dono Dei ditaberis, ut virgo pariter ac mater sis. Venit Spiritus in multas fidelium animas, per ali-

[1] Psalm. LXXXVIII, v. 4. — [2] Luc., ibid., v. 54.

quod divinæ gratiæ donum, sed in Mariam supervenit, quum ei superiorem et excellentiorem omnibus gratiam contulerit. Quid autem Spiritus Dei, nisi divinæ bonitatis amor seu donum intelligitur, quum aliquid nobis supra merita confertur? Quum ergo mysterium hoc Incarnationis totum per operationem bonitatis divinæ magis quam per solitam institutionem naturæ fuerit gestum, recte Spiritui sancto est ascriptum. « Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. » Virtus Dei filius, hoc est coæterna ejus sapientia intelligitur, juxta illud Apostoli[1] : « Nos autem prædicamus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. » Sicut enim Deus omnia in sapientia sua fecit, sic et per ipsam perdita restauravit, ab hoc, ut supra meminimus, nostræ redemptionis exordio restaurationem istam inchoans. Virtus itaque Dei filius dicitur, qui brachium ejus seu fortitudo, ad omnia quæ disposuerit peragenda sufficiens. Hæc virtus obumbravit Virgini, dum in ipsa suæ divinitatis fulgorem velamine carnis operuit, et sic ad nos quasi calciata divinitas processit; ut in nostra Deus visibilis appareret natura, qui permanet invisibilis in sua. Hæc autem divinæ majestatis obumbratio in illo præfigurata est electro, cujus speciem de medio ignis propheta Ezechiel conspexit. Electrum quippe est metallum ex auro simul et argento commixtum. In qua quidem mixtura argentum ad claritatem proficit, aurum vero a suo temperatur fulgore. Electrum igitur istud ipse intelligitur Christus, in cujus una persona divinitatis et humanitatis duæ naturæ ita sibi ad invicem sunt unitæ, ut inferior natura, quæ per argentum exprimitur, sese visibilem præbeat, et divinæ majestatis splendor carnis velamine obumbratus, qui per aurum figuratur, invisibilis persistat. Hoc electrum in igne, Deus homo est in passione.

« Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. » Ac si aperte dicat : Ac per hanc unionem Verbi Dei ad hominem vitæ factam, non solummodo ipsum Verbum filius Dei dicetur, verumetiam ipse homo a Verbo assumptus filius Dei vocabitur. Et attende, quod ait, « vocabitur, » de homine potius, quam de Verbo, cui competit esse. Quod diligenter evangelista considerabat, quum diceret[2] : « In principio erat Verbum. » Non enim dixit : Vocabatur Verbum, sed : « Erat. » Esse namque proprium est incommutabilitatis divinæ, sicut ipse ad Moïsem loquitur[3] : « Hæc dices filiis Israel : « Qui « est, misit me ad vos. » Qui est, inquit, hoc est, qui incommutabiliter consistit : quia nequaquam verum habet esse, nisi quod est incommutabile. Ubicunque mutatio fit, esse pariter et non esse concurrunt. Illi ergo proprium est esse, qui penitus ignorat non esse. Unde bene dictum est[4] : « Erat Verbum, » potius quam vocabatur. Vocatio quippe non est æternitatis, sed temporis; nec ad natu-

[1] *Corinth. I,* cap. I, v. 23. — [2] Joan., cap. I, v. 1. — [3] *Exod.,* cap. III, v. 14. — [4] Joan., cap. I, v. 1.

ram, sed ad placitum hominum spectat impositio nominum. Unde recte quum de homine assumpto a Verbo loqueretur, cujus natura non est æterna, nec per naturam, sed per gratiam et unionem Verbi habet esse filius Dei, dictum est « vocabitur, » potius quam erit. Quod si etiam personam totam in duabus naturis consistentem dicamus ex Virgine nasci secundum corpus, quod inde traductum est, et totam illam personam, non solum humanitatem, filium Dei vocari, non incongrue dicitur. Nam et surculus trunco alterius naturæ insertus toti arbori propriæ naturæ confert vocabulum : ut si æsculus coctano inseritur, æsculus, non coctanus tota arbor dicetur, a digniori scilicet parte quæ fructum affert ita nominanda, sicut et ex fructu suo cognoscenda. Quædam autem insertio divinitatis in humanitate facta est hodie, et tanquam una arbor facta est ex duabus naturis in unam sibi personam convenientibus. Scriptum quippe est de sapientia, quæ Dei Verbum intelligitur, quia « lignum vitæ est his qui apprehendunt eam[1]. » Quid autem humanitas, nisi arbor maledicta, et tanquam lignum mortis antea erat? Quasi ergo lignum vitæ ligno mortis insertum intelligite, quum in Virgine velut in bona terra hæc insertio sit facta. Cujus quidem insertionis ipse spiritus in eam superveniens operator fuit, tanquam illam prævidens diem, quæ ad inserendum commodior videtur; sicut communis hominum opinio tenet, qui inserendi peritiam habent, et longa hoc experientia didicerunt. Unde et confidenter asserunt, vix aut nunquam aliquam insertionem quæ hac die fiat, inutilem esse.

« Et ecce Elizabeth. » Ne de possibilitate partus Virginis quidquam suboriretur dubitationis, quasi hoc esset impossibile quod solitus cursus non haberet naturæ : in memoriam reducitur Elizabeth conceptus, quæ quum tam senio quam sterilitate esset infœcunda, obtinuit ex gratia quod habere non poterat ex natura. Unde bene ab angelo tam senectus ejus quam sterilitas memoratur : « Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. » Verbum Dei hoc loco ipsa est divina locutio, quæ a beato describitur Augustino, divina dispositio non habens sonum strepentem et transeuntem, sed vim in perpetuo manentem. Nullum igitur verbum Dei impossibile est ipsi, quum quidquid ipse disponit ut faciat, nullo impediri casu queat. « Dixit autem Maria : « Ecce ancilla Domini. » Quid est quod ais? domina; quid est quod respondes, regina non solum hominum, sed et angelorum ex hoc futura? Non dicis : Ecce mater Domini, vel etiam dilecta Dei, vel etiam ab ipso electa, quum sis singulariter præelecta. Quanto te ad sublimiora promissio intollit angelica, tanto summa humilitatis virtus te dejicit ad inferiora. Ubi obsecro, illud est honorabile nomen quod unigenitus tuus fidelibus suis imponit, quum ait[2] : « Jam non dicam vos servos, sed amicos? » Ille

[1] *Prov.*, cap. III, v. 18. — [2] Joan., cap. XV, v. 15.

de honore suorum in ipso quoque nomine dignatus est providere, tu e contrario servilem tibi conditionem non erubescis ascribere. Ita, domina, ut ex te præcipue illa humilitatis exempla sumantur, ad quæ nos Scriptura exhortans ait[1] : « Quanto major es, humilia te in omnibus. Ex hac maxime humilitatis virtute ad hujus promissionis celsitudinem meruisti conscendere. Ex hac tuæ disciplinæ regula, virgo illa tui imitatrix Agatha, et una de numero prudentum, instructa dicebat : « Ancilla Christi sum, ideo me ostendo servilem personam. » Et iterum : « Summa ingenuitas ista est, in qua servitus Christi comprobatur. » In hanc tamen regulam et humilitatis formam tuus ipse, ni fallor, quasi avus te induxerat, dicens[2] : « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, etc. » Quum enim de altitudine hujus promissionis ad te filiam suam factam præmisisset, dicens[3] : « Adstitit regina a dextris tuis, etc. » statim de humilitate conservanda admonuit, subjungens : « Audi, filia, etc. » Ac si aperte dicat : Magnum est, filia, incomparabile bonum te cœlestis regis sponsam effici spiritualem, ut quasi regina cœlorum ei juncto latere assistas, et cum eo, cæteros omnes præcedas in vestitu deaurato; hoc est in corpore solido et incorrupto, omni virtutum diversitate intus adornata. Sed quia magna sunt femineæ naturæ tanta præconia, et humanæ infirmitatis tam excellens gloria, audi quæ dicuntur, et intelligendo vide : ut quum hæc tibi nuntiabuntur, non diffidas impleri, et tantæ promissionis altitudinem aure humili suscipe, quasi obliviscendo populum tuum, et domum patris : hoc est, non superbiendo de genere Judæ et regia stirpe, nec attendendo quid habeas ex natura, sed quid tibi conferatur ex gratia. Atque ita rex ille cœlestis concupiscet decorem tuum, qui superbis resistit semper et humilibus dat gratiam. Cujus quidem exhortationis, domina, non immemor facta, dixisti : « Ecce ancilla Domini. » Et rursum : « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. » Ex qua profecto humilitate meruisti quod sequitur obtinere. « Fiat mihi secundum verbum tuum. » Hoc est, ut ipsum Dei Verbum juxta tuæ promissionis verbum concipiam integra, et pariam incorrupta. Amen.

[1] *Eccles.*, cap. III, v. 20. — [2] *Reg. IV*, cap. XIX, v. 16. — [3] Psalm. XLIV, v. 10.

IN[1] NATALI DOMINI,

AD EASDEM VIRGINES.

SERMO II.

Lætentur cœli, et exultet terra; quoniam hodie rex cœlorum ortus sui gloria[2] singulas terras insignivit, ut hinc cœlestes cives colligeret[3], per quos cœlestia restauraret damna. Unde et angeli de reparatione sui lapsus et nostro profectu exultantes, in ipso statim hujus nativitatis die, tam suum quam nostrum commune gaudium nuntiarunt, dicentes[4] : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. » Ac si aperte fateantur : Natus est hodie, de quo spiritualiter[5] a supernis spiritibus sit laudandus, et per quem forti armato alligato, immo prostrato, credentes in eum et sperantes veram pacem adipiscantur[6]. Natus est hodie Deus in terris, ut homines nascerentur in cœlis. Natus est hodie de Virgine matre, qui ante tempora genitus est ex Deo patre. Hinc enim ad eum Pater ipse[7] loquitur[8] : « Ex utero ante Luciferum genui te, » hoc est, ex ipsa mea substantia[9], antequam Lucifer crearetur, es genitus. Utraque nativitas ejus mirabilis, utraque ipsius generatio ineffabilis : ut utramque pariter, tam ad temporalem videlicet ex matre, quam ad æternam generationem ejus ex patre, illud Isaiæ non incongrue referatur[10] : « Generationem ejus quis enarrabit? » In hujus itaque typo ille præcessit rex et sacerdos Melchisedech, quem tam sine patre quam sine matre[11], hoc est sine genealogia, commemorat Apostolus extitisse. Non quod ille quidem patre vel matre caruerit; sed quod ejus genealogiam Scriptura non doceat[12], a nobis commemorari queat. Sic et Christus rex universorum per divinitatis potentiam, sacerdos hominum factus per assumptæ humanitatis[13] hostiam, sine patre vel matre dicitur esse, non quod utrumque non habeat, sed quod neutrum quis quomodo sit discere[14] queat, ut sicut ibi Scripturæ testimonium, ita hic rationis humanæ deficiat ingenium; et tanto ejus utraque nativitas sit mirabilior, quanto ineffabilior : quum illa videlicet ex patre sit sine matre, ista ex matre sit sine patre.

De hujus quoque nativitate[15] mirabili quam habet ex matre, scriptum est Jeremia prophetante[16] : « Creavit Dominus novum super terram, femina circumda-

[1] *De natali* MS. Eins. — [2] Sic MS. Eins. – *Sui gloria* desunt in edit. Amb. — [3] *Colligeret cives* MS. Eins. — [4] Luc., cap. II, v. 14. — [5] Aliter *specialiter*. — [6] *Unde et angeli adipiscantur* desunt MS. Eins. — [7] *Ipse Pater* MS. Eins. — [8] Psalm. CIX, v. 3. — [9] *Ex ipsa substantia mea* MS. Eins. — [10] Isaiæ cap. LIII, v. 8. — [11] Sic. MS. Eins. – *Tantum sine patre vel matre* Edit. Amb. — [12] *Quod* MS. Eins. — [13] *Carnis* MS. Eins. — [14] *Disserere* MS. Eins. — [15] Sic MS. Eins. – *Novitate* Edit. Amb. — [16] Jerem., cap. XXXI, v. 22.

bit virum. » Ac si aperte dicat : Ille qui, sicut scriptum est, fecit quæ futura sunt; jam altissimo suæ dispensationis consilio, futuram cujusdam hominis creationem novam, et cæteris omnibus dissimilem prædestinavit. Qui quum adjunxit, non in terra, sed : « Super terram, » ostendit hanc creationem non tantum supra merita hominum esse; sed etiam superiorem et excellentiorem cæteris omnibus creationibus terrenis existere. Quæ sit autem hujus creationis novitas, subsequenter exponit dicens : « Femina circumdabit virum. » Hoc est ex propria substantia mulier sola, sine virilis seminis admixtione, præbebit corpus, quo se divinitas circumdet ac vestiat, viri formam in ea suscipiens. Unde et bene uterus[1] Virginis, quasi circulus ex[2] omni parte integer, virum illum in se conceptum, non per coitum extrinsecus immissum, undique circumdare dicitur. Totum quippe illud[3] corporale indumentum ex substantia Virginis est contextum, et vir ille in ea quasi in circulo continuo[4] fuit : quia ejus integritatem nec conceptus nec natus dissolvit. Quantum vero nova, et a ceteris sit diversa hujus creationis nativitas[5], animadvertemus, si cæteras hominum creationes ab exordio revolvamus. Primus homo de terra formatus, nec ex patre nec ex matre carnis originem traxit. Eva autem, quæ de costa ejus formata est, ex patre solo est, non ex matre. Cæteri vero homines ex patre simul et matre generantur : hoc uno quidem excepto, qui ex sola matre, ut dictum est, nascitur. Unde et proprie ipse solus filius hominis, non hominum, dictus est[6] : quia eum videlicet secundum carnem sola virgo[7] genuit, et ipse ei quoque solus et unicus filius extitit sicut et patri, ut ejus excellentiæ singularitas[8] per omnia commendetur.

Hujus[9] quidem caro Virginis, qua se verus agnus induit, illud est niveum vellus innocentissimæ ovis, de quo Psalmista longe ante cecinerat[10] : « Descendet sicut pluvia in vellus, etc. » Legimus in *Libro Judicum*[11], ad petitionem Gedeon, ut confirmaretur ad prælium per visibile sibi[12] signum, vellus in area positum rore ita fuisse madefactum, ut circumquaque sicca terra maneret, ac postmodum ad petitionem ejusdem e converso contigisse. Quo quidem signo præfiguratum dicitur, gratiam Dei, quæ rore designatur, judaico populo in medio terrarum olim habitanti, quasi velleri in area posito, collatam primo fuisse, gentili populo reprobato : ac postmodum ab hac gratia vellere siccato, id est Judæa privata, eam circumquaque terrarum in gentes defluxisse. Sed quia ros comparatione pluviæ tenuis est, et minus irrigare sufficit; descensum divinæ gratiæ

[1] Sic MS. Eins. - *Virtus* Edit. Amb. — [2] Sic MS. Eins. - *Ex* deest Edit. Amb. — [3] MS. Eins. - *Illud* deest Edit. Amb. — [4] *Contiguus* MS. Eins. — [5] MS. Eins. - *Novitas* Edit. Amb. — [6] *Dictum est* Edit. Amb. — [7] *Mater* MS. Eins. — [8] *Excellentia singularitatis* MS. Eins. — [9] *Hujus quidem* usque *hæc igitur mulier* hic desunt in codice Eins., sed habentur partim ad finem istius orationis. — [10] Psalm. LXXI, v. 6. — [11] *Jud.*, cap. VI, v. 37. — [12] MS. Eins. - *Sibi* deest Edit. Amb.

in Virginem pluviæ seu stillicidiis magis quam rori Psalmista comparavit. Omnem quippe, ut diximus, tam judaici quam gentilis populi gratiam ea transcendit, quæ matri Domini collata est, et ejus dona, quæ quasi terra stillicidia suscepit, cæteris donis longe sunt eminentiora. Vellus quum sit de corpore, carnis infirmitatem ex læsura non sentit in dolore, et ab omni corporeo sensu penitus alienum est. Et Virgo virginum quum in infirmitate carnalis concupiscentiæ concepta fuerit, ut cæteri homines; hanc tamen penitus infirmitatem ipsa nunquam ex consensu pertulit in mente, nec ullum illecebræ carnalis attactum experta est in carne. Unde factum est, ut sic de carne orta esset, ut vitia carnis ignoraret, et sic de carne esset, quasi caro non esset; et tanquam mortua in carne, et tota vivens in spiritu, carnalium sensuum, qui maxime in concupiscentia carnis vigent, oblectationem nesciret. Unde merito ipsam præ cæteris cœlestis regis filius quasi palatium suæ habitationi congruum, quod ante non invenerat, adipisci gavisus est, et in ipsa quasi pluvia in vellus a supernis placido descendit illapsu. Pluvia quippe in vellus veniens, ipsum ita inundat et abluit, ut nullo ei sensu passionem ingerat : et dum ab eo non sentitur, sic in eo est quasi non sit. Ita et superna sapientia, cujus haustus aquæ comparatur, juxta illud[1] : « Aqua sapientiæ potavit eos Dominus, » quia de plenitudine ejus omnes accepimus, ut de Virgine carnem acciperet, ipso suo descensu gratiæ suæ donis eam irrigando, ab omni humanæ infirmitatis contagio mundavit[2], et nullam ei passionem carnis vel in conceptu vel ex partu attulit; et dum eam tam ante partum, quam post partum Virginem consecravit, sic in ea fuit, quasi non fuerit : et sic ipsa gravida facta est quasi gravida non esset, quum nullum inde passionis gravamen incurreret. Stillicidia autem pluviæ terram quam inebriant, ab ariditate sua in fœcunditatem convertunt. Et spiritus sui donis ita eam filius Dei replevit, ut non solum ipsa Deum pariendo fructum afferret, verumetiam fidelibus omnibus ipsum conferret, quæ salutem omnium mundo peperit.

Hæc illa est fidelium omnium terra communis, et ager specialis[3], cujus et Spiritus sanctus colonus, et Verbum Dei semen extitit. Quod etiam supra memoratus propheta per spiritum prævidens, ad singularem secum exultationem, et divinæ laudis confessionem, omnes pariter admonet dicens[4] : « Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum. » Quod quidem si quis de terrenæ segetis fructu accipiat, quid ad David ista exhortatio laudis, quasi in diebus ejus terra inciperet fructificare, vel copiosiorem fructum afferre? Isaac seminasse, et centuplum collegisse tanquam in admirationem divini beneficii meminit Scriptura, sed nullam inde gratiarum actio-

[1] *Eccli.*, cap. xv, v. 3. — [2] MS. Eins. - *Inundavit* Ed. Amb. — [3] Aliter *spiritualis*. — [4] Psalm. LXVI, v. 6, 7.

nem, de tanta scilicet fructus abundantia eum Domino persolvisse. Intelligamus itaque David in prophetia hujus fructus quem alibi sibi a Domino commemorat promissum esse, dicens[1] : « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, » ad congratulandum sibi omnes pariter adhortari, quorum in hoc communem considerat salutem. Hic est ille fructus terræ sublimis, quem et Isaias prævidens[2] : « Erit, » inquit, « germen Domini in magnificentia, et in gloria, et fructus terra sublimis, et exspectatio his qui salvati fuerint de Israel. » Quid enim germen Domini, sublimem fructum terræ, communemque omnium hinc exultationem fidelium, nisi Christum oportet intelligi qui et ante secula genitus ex Patre, et hodie quasi de terra prodiit natus ex Virgine; cujus quidem sublimationem ac magnificentiam definit Apostolus, dicens[3] : « Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen. » Quod etiam nomen, id est Jesum, quod Salvator interpretatur, idem propheta, quum de ipso terræ fructu alibi præconaretur, ait[4] : « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul. Ego Dominus creavi eum. » Quid enim cœli vel nubium nomine, nisi angeli vel sancti patres dignitate cæteris præminentes, et tanquam in supernis animo conversantes, intelligendum est? Qui dum adventum Mediatoris vel parabolice, vel manifeste prænuntiaverunt, quasi rorem vel pluviam verba ipsorum fideles susceperunt. Ros quippe, pluvia subtilior, et minutissimas habens guttas, ut vix conspici queat, verba sunt allegorica ad intelligendum difficilia. Quæ vero aperta sunt, pluviæ comparantur. Hæc igitur verba terram sanctam, id est immaculatam irrigarunt Virginem, ut hunc nobis fructum afferret : quia promissionibus tam per angelos quam per prophetas de Christo factis erudita, dum eorum auditui credidit, quasi aure concepit, et ex fide audibilis verbi illud concipere Verbum Dei meruit, de quo scriptum est[5] : « In principio erat Verbum, » sicut et consequenter ostenditur quum dicitur : « Et Verbum caro factum est. » Ad hunc itaque rorem seu pluviam divinarum promissionum suscipiendam terra se aperuit, quum per intelligentiam et fidem non solum corporis, sed etiam cordis aures eis apertas habuit : ut quæ videlicet dicerentur simul intelligeret et crederet. Unde bene in eam verba ista, « pluere justum, » potius quam peccatorem dicuntur; quia solus iste sine concupiscentia carnali conceptus ab omni penitus peccato fuit alienus. Tale est ergo, « pluant Justum, » ac si diceretur : doctrinæ suæ verba conceptum a peccato prorsus immunem, conferant Virgini : et ad illa per fidem suscipienda sese aperiat terra, hoc est, de impos-

[1] Psalm. CXXXI, v. 11. — [2] Isaiæ cap. IV, v. 2. — [3] *Philip.*, cap. II, v. 9. — [4] Isaiæ cap. XLV, v. 6 et sq. — [5] Joan., cap. I, v. 1.

sibilitate talis conceptus nec dubitet femina, quando videlicet hæc femina in eam tanquam in terram promissio jecerit angelica, dicens[1] : « Ecce concipies, etc. » Cum quo simul justitia oritur, quia ipse non solum justus in se, sed etiam nos per fidem sui, non per opera legis justificans, « factus est, » ut ait Apostolus[2], « sapientia nobis a Deo, et justitia. » « Ego Dominus creavi eum. » Hoc est, ab æterno jam disposui hanc ejus creationem, non per concubitum virilem, sed per meæ potentiæ peragere virtutem. Quod ergo ibi tanquam futurum prædicitur : « Aperiatur terra et germinet Salvatorem, » hic quasi jam completum ostenditur[3] : « Terra dedit fructum suum. »

Quod vero subditur : « Benedicat Deus[4], » oratio est postulantis efficaciam hujus fructus, in illa videlicet benedictione inde mundo promissa, quæ Abrahæ primo facta est, quum ei a Domino dicitur[5], quia « in semine tuo benedicentur omnes gentes. » In primo quippe Adam terra maledicta, in secundo benedictionem recepit : quia ille in condemnationem omnes secum pariter traxit, a qua nos iste solus liberans, ut proprie Jesus, id est Salvator, vocaretur, obtinuit. Ante adventum quippe ipsius justi etiam apud inferos propter peccatum primi hominis plectebantur; pro quibus inde liberandis ipse quoque ad inferos descendere dignatus est, illud Oseæ complens vaticinium[6] : « O mors, ero mors tua : morsus tuus ero, inferne. » Aperta itaque per ipsum jam nobis janua paradisi, ut videlicet nullus electorum amplius a regno differatur, illam jam querimoniam fidelium sopivit[7] : « Patres nostri comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt. » Quorum quidem querimoniæ statim ipse respondens, et tempus gratiæ de adventu suo promittens, ait[8] : « Vivo ego, si erit ultra fabula[9] hæc in proverbium in Israel. » Et in sequentibus : « Anima, » inquit[10], « quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, etc. » Quid est autem comestio uvæ acerbæ, quæ a patribus facta, in pœnam etiam filiorum redundat, tanquam ipsi quoque unam illam comedissent, nisi transgressio priorum parentum, quæ posteros omnes ante adventum Domini opprimebat, ut nullus quantumcunque justus ad beatitudinem transiret, sed unius vetitæ arboris comestionem tota posteritas plecteretur? Eam vero arborem, quam scientiæ boni et mali Dominus appellat, plerique Judæorum vitem esse autumant, cujus fructus hoc loco uva esse dicitur. Quam etiam inde scientiæ boni et mali, sicut Dominus appellat, merito dici volunt, quia sicut vinum moderate sumptum acuit ingenium, ita quum modum excedit obtundit ipsum. Unde quasi bonum et perversum sensum conferens, scientiæ boni et mali arbitrantur dici. Cui etiam

[1] Luc., cap. I, v. 31. — [2] *Corinth. I*, cap. I, v. 30. — [3] Psalm. LXVI, v. 7. — [4] Ibid. — [5] *Genes.*, cap. XXII, v. 18. — [6] Osee, cap. XIII, v. 14. — [7] Jerem., cap. XXXI, v. 29. — [8] Ezech., cap. XVIII, v. 3. — [9] Aliter *parabola*. — [10] Ezech., cap. XVIII, v. 20.

opinioni non mediocriter illud suffragari videtur, quod post comestionem statim in se illi motum luxuriæ sentientes, erubescentia confusi pudenda texerunt. « Luxuriosa » quippe « res vinum est, » sicut scriptum est[1]. Et Apostolus : « Vinum, » inquit[2], « in quo est luxuria. » In medio autem paradisi tam lignum vitæ, quam lignum scientiæ boni et mali fuisse referuntur, quasi sibi invicem ita copulata, ut alterum alteri adhæreret, sicut vitis ab ulmo ferri solet, et quasi in uno mors et vita simul sint collocata, tanquam lignum vitæ ex proprio fructu vitam ministraret, et ex adjacente vite mortem inferret. Dominus quippe Jesus in ruinam et in resurrectionem multorum positus est, et ex se ipso vitam credentibus præstat : et reprobos, quos diu tolerando portat, per justitiam condemnat. In cujus, ut dictum est, adventu illud præmissum proverbium cessare promittitur, quia in electis, qui per Israel designantur, jam illa pœna originalis peccati finem accepit : ut jam ulterius nullus credentium nisi ex proprio delicto differatur a regno, sed anima quæ peccaverit in Israel, hoc est inter videntes Deum, etiam rationis compotes, ex proprio tantum peccato, non ex alieno puniantur : nec jam filius peccatum patris portet, ubi nullum fidelium jam originale peccatum a beatitudine separat. Unde bene hoc tempus gratiæ, quo plenam remissionem consequimur, sicut illud iræ dici convenit. De hac plenitudine temporis et abundantia divinæ gratiæ qua decreverat Deus implere quod cœperat, et consummare quod promiserat, ait Apostolus[3] : « At ubi plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, etc. »

Hæc igitur mulier sexu, sed infirmitatis ignara muliebris, quæ virgo perpetua[4] divino consecrata est partu, porta illa est orientalis semper clausa, quam Ezechiel sibi per spiritum revelatam describit, dicens[5] : « Porta hæc clausa erit, non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. » Per hanc quippe[6] Virginem quasi portam quamdam ad nos quasi in templum suum Dominus ingreditur, dum se in ea nostræ copulat naturæ. Sed hæc eadem porta semper clausa permanet, et vir per eam non transiet; quia nullus virilis coitus. Quæ bene porta ad orientem respicere dicitur, secundum quod ipsa orienti congrue comparatur. Sicut enim ibi sol iste corporalis oritur, et inde ad cæteras mundi partes diffunditur : sic in ista sol verus justitiæ Christus, secundum quod scriptum est, nascens : « Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est[7], » claritatis suæ radios ad illuminandas totius mundi tenebras dilatavit. Unde et evangelista Joannes[8] : « Erat, » inquit, « lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, etc. » Hæc itaque lux, id est[9] Verbum Patris, et coæterna ejus

[1] *Prov.*, cap. xx, v. 1. — [2] *Ephes.*, cap. v, v. 18. — [3] *Galat.*, cap. iv, v. 4. — [4] *Hæc ejus mater et Virgo perpetua* MS. Eins. — [5] Ezech., cap. xliv, v. 2. — [6] *Itaque* MS. Eins. — [7] Matth., cap. i, v. 20. — [8] Joan., cap. i, v. 9. — [9] *Idem* MS. Eins.

sapientia, sic ad nos per Virginem, quemadmodum claritas solis[1] per solidissimi vitri specular ingreditur. Omnibus quippe metallis vitrum solidius est ac splendidius, tamen fragilius, nec post fracturam ita reparabile ut cætera. Et sanctæ virginis integritas, quam definiens Apostolus ait[2]: « Ut sit sancta et corpore et spiritu, » maximam habet soliditatem, et tanto Deo resplendet acceptabilior, quanto est hujus[3] virtus sublimior. Sed quia hæc facile deperire potest, statim videlicet si vel mens corrupta fuerit, nec jam ulterius recuperari vel integrari[4] valet : quam sit fragile hoc tamen bonum liquet, et quam diligenti custodia indigeat. De hoc itaque tanquam fragili vitro ipsa Dei virtus et sapientia, cui velle posse est, quasi specular quoddam in Virgine sibi composuit; per quod se nobis summus ille divinæ claritatis splendor infudit, et nec per conceptum ingrediens, nec per partum[5] egrediens illud dissipavit. Et notandum quod specular quidem plenam lucis claritatem suscipit, sed adeo plenam non refundit, nec tantam reddere potest, quantam capit. Sic et ille divinus fulgor, quum se ad nos per illud virginale specular immittit, longe ampliore gratia Virginem quam nos illustrat per Virginem. Unde et bene ab angelo gratia plena salutatur[6], et in eam supervenire Spiritus sanctus nuntiatur. Ipsa quippe, quantum humana capere potest natura, omnibus divinæ gratiæ[7] donis cumulata totum simul accepit quod particulatim distribuitur aliis. Venit itaque sæpe Spiritus sanctus in alios fideles per aliquod gratiæ suæ donum, sed in istam supervenit : quia longe superiorem hic adventum habuit, ubi fidelium omnium operatus est salutem. Secundum quam quidem operationem Salvator ipse non solum ex Virgine natus, sed de ipso quoque Spiritu natus esse dicitur, seu conceptus. Aliter tamen ex illa, aliter ex[8] illo. Ex illa videlicet tanquam ex matre, de cujus substantia carnem accepit : de illo autem non ut de patre, sed tanquam de hujus nativitatis operatore. In hac quippe conceptione vel nativitate non consuetudo naturæ, sed divinæ operatio gratiæ consideratur : nec quid natura possit, sed quid omnipotens voluit attenditur. Quod vero ad gratiam Dei magis quam ad merita hominum respicit, Spiritui sancto specialiter tribuitur, quia ipse amor seu bonitas Dei proprie nuncupatur.

Hujus tanquam[9] artificis cujusdam operatione, lapis ille de monte sine manibus abcissus est, qui in Daniele statuam comminuisse legitur, ac postmodum in montem magnum crevisse, et universam terram implevisse dicitur. Quem etiam lapidem per Isaiam[10] nobis Dominus promittens, ait[11] : « Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, etc. » De quo et

[1] MS. Eins. – *Solis* deest Edit. Amb. — [2] *Corinth. I*, cap. VII, v. 34. — [3] *Hæc virtus* MS. Eins. — [4] *Redintegrari* MS. Eins. — [5] *Ortum* MS. Eins. — [6] Luc., cap. I, v. 28. — [7] *Gloriæ* MS. Eins. — [8] *De illa.* – *De illo* MS. Eins. — [9] *Hujus itaque* MS. Eins. — [10] *Esaiam* MS. Eins. — [11] Isaiæ cap. XXVIII, v. 16.

Psalmista ante cecinerat[1]: « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, etc. » Hujus lapidis de monte sine manibus abscisio facta, ipsa est incarnatio divina, in quam illa quæ Virginem replevit, sola operata est Spiritus sancti gratia. Ipse quippe sua operatione carnem illam, qua indueretur filius Dei, de carne Virginis separavit, et in membra formavit. Quid autem manus, nisi humanam operationem significant? Sine manibus igitur id actum est, ubi nulla humani coitus operatio fuit. Mons, de quo lapis hic est abscisus, virginalis eminentia est dignitatis, quæ cœlestem in terris ducebat vitam. De cujus quidem substantia secundum carnem homo ille est assumptus, qui in unam personam Verbo Dei est unitus, quod totum est Jesus Christus. Hic grandem et sublimem statuam comminuens[2], dilatatam in gentibus idololatriam destruxit, sicut et ipse per Isaiam antea promiserat, dicens[3] : « Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum : et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus. » Ægyptus quippe, quæ tenebræ interpretatur, mundus est summa idolatriæ cæcitate percussus? In quem Dominus per carnem manifeste veniens, huic ipsi carni quasi levi nubi insedit, quia homo ille a Verbo assumptus, de quo scriptum est: « Verbum caro factum est, » nullum ex corruptibili corpore, quod aggravat animam, pondus traxit peccati. Sol vapore suo exhalationes terræ generans, nubem attrahit, de qua postea manans pluvia terram inebriat ut fructificet. Vapor itaque sive calor solus, Spiritus ipse est a Deo procedens, qui et ipsius amor dicitur. Hic ubi vult spirans, et terrena corda in Deum accendens, quasi quasdam exhalationes terræ generat, dum ipsorum gemitus atque suspiria in Deum excitat. Unde et Apostolus[4] : « Ipse, » inquit, « Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, » dum nos videlicet postulantes facit, et orantes quæ suggerit. Summa ergo in antiquis patribus hæc ad Deum oratio fuit et exspectatio[5], ut promissum eis mitteret Salvatorem : sicut et de beato illo legitur Simeone[6]. Quod et beatus commemorans Augustinus[7] : « Intelligite, fratres, » inquit, « quantum desiderium habebant antiqui sancti videre Christum ! Sciebant illum esse venturum, et omnes qui cupiebant, dicebant : « O si me « illa inveniat nativitas! o si quod credo in scripturis Dei, videam oculis « meis ! » Idem post aliqua de beato illo prædicto sene quasi desiderante et suspirante, et quotidie in orationibus suis dicente : « Quando veniet, quando « nascetur, quando videbo? Putas durabo? putas hic me inveniet? putas « isti oculi videbunt, per quem cordis oculi revelabuntur? » Dicebat ista in orationibus suis, et pro desiderio suo accepit responsum, quod non gustaret

[1] Psalm. CXVII, v. 22. — [2] Sic MS. Eins. - *Statuam comminuit*, *quia* Edit. Amb. — [3] Isaiæ cap. XIX, v. 1. — [4] *Rom.*, cap. VIII, v. 26. — [5] MS. Eins. - *Et* deest Ed. Amb. — [6] Luc., cap. II, v. 25. — [7] Serm. CCCLXX, *Opp.* t. V, col. 1458 et 1459.

mortem donec[1] videret Christum Domini. » De his quoque sanctorum desideriis et vehementissimo clamore cordis illud est Isaiæ[2] : « Clamabunt ad Deum a facie tribulantis, et mittet eis Salvatorem, etc. » Tales igitur clamores vel gemitus fidelium, quasi quædam erant exhalationes terrarum. Ad quorum quidem postulationem et exspectationem, sol sibi verus vapore suo nubem attraxit, dum operatione Spiritus sancti Verbum Dei de Virgine carnem accepit. De qua etiam carne tanquam de nube pluviam dedit, quum incarnationis ejus[3] mysterium prædicatio terris omnibus nuntiavit, et fidei fructum inde extulit. Cum hac itaque, ut dictum est, carne, ipso in Ægyptum veniente, mota sunt simulacra Ægypti[4], quia inde remota est idololatria, conversis ad ipsum gentibus. Et tunc profecto juxta Danielem[5], statua comminuta, lapis ille in montem magnum crevit, et universam terram replevit : quia ejus corpus non solum hanc morientium, quod est Ecclesiæ, ubi terrarum fides, dilatavit, quum infidelitatem expulerit. Quod denique corpus non solum hanc morientium, sed magis illam viventium est terram repleturum. Hic est mons ille Domini præparatus in vertice montium, qui per divinitatis eminentiam omnium transcendit cacumina sanctorum. Qui nobis hodie quasi de valle nascitur, quia de inferiori sexu et humillima virgine, summus ille divinæ majestatis splendor ad humanos hodie prodit obtutus, carnis velamine obumbratus, ut in nostra saltem[6] videri possit substantia, qui invisibilis persistit in sua.

Hæc illa species electri, quam Ezechieli prophetæ legimus revelatam[7]. Electrum quippe quædam est auri et argenti mixtura, in qua et argentum ad claritatem proficit melioris admixtione metalli, et aurum a suo fulgore temperatur, dum inferiori metallo sociatur. Sic et Christum unam ex duabus naturis intelligimus personam, in quo divinitas auro, humanitas vero inferiori comparatur metallo. In hac igitur persona, quæ Christus est, hoc est Deus et homo, sic sibi divina et humana conjunctæ sunt naturæ, ut ille incomprehensibilis divinæ claritatis fulgor, carnis velamine obumbratus, humanis se oculis temperaret, et suscepta humanitas ad claritatem proficeret, quum videlicet homo ille quasi quædam lutea testa, sapientiæ supernæ illius, cui est unitus, incomparabili luce accensus, nostras[8] illuminans tenebras, tam verbis quam exemplis, omnium nobis plenitudinem virtutum exhiberet, et longe puriorem et intelligentia potiorem, quam in paradiso creata esset, nostram repararet naturam. Ut autem Verbum Dei carnem de Virgine sumens, hoc se velamine obumbraret, ipsam quoque Virginem[9] prius obumbrasse dicitur, ut postmodum ex illa sic obumbra-

[1] *Nisi* MS. Eins. — [2] Isaiæ cap. XIX, v. 20. — [3] *Suæ* MS. Eins. — [4] Isaiæ ibid., v. 1.— [5] Daniel, cap. II, v. 25. — [6] Inseritur *fidei* MS. Eins. — [7] Ezech., cap. I, v. 4.— [8] MS. Eins. – *Nostræ tenebras* Ed. Amb. — [9] MS. Eins. – *Ipsum quoque Virgini* Ed. Amb.

tum nasceretur. Quum enim magnus ille cœlestis paranymphus Gabriel archangelus Virgini prædixisset[1] : « Spiritus sanctus superveniet in te, » statim exprimens in quo hic superior adventus Spiritus sancti consisteret, adjecit dicens[2] : « Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. » Virtus quippe Patris Filius dicitur, quem Dei virtutem et Dei sapientiam Apostolus nominat[3]; eo quod quæcunque per sapientiam suam[4] disponit, per eamdem potenter efficit. Hæc igitur Patris coæterna sapientia obumbrasse Virgini dicitur, quasi videlicet eam occultasse, et de universa humani generis massa ipsam sibi specialiter elegisse, atque attraxisse, in qua nostræ reparationis operaretur mysterium, et altissimum suæ dispensationis compleret arcanum. Quod autem nunc a Gabriele dicitur : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi, et quod nascetur ex te sanctum, etc., » hoc in Isaia[5] diligenter juxta hebraicæ linguæ proprietatem jam expressum fuerat. Ubi enim nos dicimus : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, » in hebræo pro virgine ponitur *alma,* quod sonat « abscondita. » Quam igitur ibi Propheta dicit absconditam, hanc nos, secundum assertionem angelicam, dicimus obumbratam.

Qualiter autem divina sapientia obumbraverit Virgini, id est, quam sapienter Deus, ut dictum est, eam sibi occultaverit, illæ quoque rationes nos docent, quibus de desponsata nasci voluit, nec eam gravidam a viro separari permisit : quem ipsa etiam occurrens infamiæ hominum, unigeniti sui patrem appellare decrevit, ne videlicet conceptus sui vel partus veritas audita nec credita pœnam ei vel infamiam apud infideles magis compararet quam gloriam. Duobus itaque modis a Deo dicitur obumbrata, quum et veritatem partus ejus occultaverit mundo, et eam absconderit protegendo : ad illum videlicet modum, quo dicitur a propheta, protectionem in umbraculum et in absconsionem esse. Et illud Psalmistæ[6] : « Sub umbra alarum suarum protexit me. » Quod enim protegimus, ne lædatur occultamus. Hanc vero Virginis absconsionem illa etiam quæ in ea præcesserunt vel quæ subsecuta sunt, non incongrue insinuant. Missus quippe ad illam angelus ad eam ingressus esse memoratur, ut eam scilicet non in publico cum secularibus feminis ludentem, sed in occulto vacantem Deo, et tanquam orantem cubiculo clauso reperisse doceretur. Cujus etiam corpus nunc usque absconditum humanis obtutibus penitus est subtractum. Bene etiam abscondita dicitur, quæ[7] in hoc conceptu vel partu nec viro est cognita, nec naturæ vel sexus sui legem experta : ut ei soli hujus mysterii ratio reservetur, qui de abscondita natus est absconditus, et de obumbrata processit obumbratus : ut

[1] Luc., cap. I, v. 35. — [2] Ibid. — [3] *Corinth. I,* cap. I, v. 24. — [4] MS. Eins. — *Per sapientiam facta* Edit. Amb. — [5] Isaiæ cap. VII, v. 14. — [6] *Psalm.*, cap. XVI, v. 8. — [7] *Quia* MS. Eins.

sedentem in tenebris et umbra mortis vera suæ lucis claritate mundum illustraret, et qua rediremus ad patriam ipse nobis viam ostenderet, et facultatem præberet, et auditum patefaceret. Denique[1] nec ipsam Christi genealogiam, quam enarrandam susceperunt evangelistæ, usque ad matrem ipsius texuerunt, sed potius ad Joseph sponsum ejus perduxerunt : innuentes quidem huic, non tamen exprimentes, Mariam quoque de stirpe David præcedere; quum referant eam secundum legem contribuli suo desponsatam fuisse, tanquam in hac quoque sua narratione illud supradictum attendentes propheticum[2] : « Generationem ejus quis enarrabit? » Narrant quippe utrumque, sed non enarrant, et rem tangunt, sed non pertingunt, quia Mariæ proximos parentes non exprimunt, magisque seriem generationis ad sponsum, ut dictum est, quam ad sponsam perducunt, ut illius patefacta, hujus relinquatur abscondita. Unde et hic quoque bene Apostolus Christo Melchisedech comparavit[3], quod eum sine genealogia esse dicit. Sicut enim illius generationem Scriptura non exprimit, ita nec humanam etiam Christi generationem, ut dictum est, ipsa definit. Quod ergo supputata genealogia Joseph Matthæus adjecit[4] : « Christi autem generatio sic erat, » non tam ad præcedentia spectare videtur, quam ad sequentia ubi mox subinfertur[5] : « Quum esset desponsata mater ejus, etc. » Ac si aperte diceretur : Talis est generatio Joseph ex supradictis patribus usque ad ipsum deducta, sed humana generatio Christi patrem nesciens ex sola est Virgine per operationem Spiritus sancti facta. Quam etiam absconsionem ipsi infideles Judæi ex promisso vaticinio profitentes dicunt[6] : « Sed hunc scimus unde sit : Christus autem quum venerit, nemo scit unde sit. » Legimus homines olim natalium suorum venerationem celebrare solitos esse, sicut et evangelista commemorat de Herode[7]. Postquam vero creator omnium tantam nobis exhibuit gratiam, ut nascendo de Virgine nostram super Angelos sublimaret naturam; statim totam hanc natalium nostrorum deferentes vanitatem, ad ejus Nativitatis convertimur celebrationem, non jam attendentes quando hic nascamur, sed quomodo per ipsum cœlo renascamur. Cui est cum Patre et Spiritu sancto una essentia, eadem majestas, et inseparabilis gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

[1] *Denique nec ipsam* usque *quam etiam absconsionem* desunt in Cod. Eins.; sed eorum loco leguntur ista quæ supra retulimus ex edit. Amb. : *Hujus quidem caro : stillicidia autem pluviæ terram.* — [2] Isaiæ cap. LIII, v. 8. — [3] *Hebr.*, cap. VII, v. 3. — [4] Matth., cap. I, v. 18. — [5] Ibid. — [6] Joan., cap. VII, v. 27. — [7] Marc., cap. VI, v. 21.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI,

AD EASDEM VIRGINES.

SERMO III.

Circumcisionis dominicæ seu baptismi rationem quærentibus, prima nobis occurrit quæstio : Cur illa in antiquo populo præcesserit? Deinde cur postmodum ea cessante baptismus ei successerit? Denique cur post Joannis adventum, usque ad quem lex et prophetæ, Dominus utraque susceperit : maxime quum id, pro quo auferendo instituta dicuntur, nullatenus habere potuerit? Quas quidem tres quæstiones, si Domino annuente solvere poterimus, præsentis intentionis operam consummabimus. Nunc de prima primum videamus. Constat ante Abraham a quo circumcisio incœpit, nonnullos extitisse justos, velut Abel, et Enoch, sive Noe, et ipsum quoque Abraham per veram cordis circumcisionem prius quam circumcideretur carne, justum fuisse : sicut ex testimonio *Genesis* aperte convincit, sic de hoc inter cætera scribens ad Romanos[1] : « Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura[2]? « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. » Et post aliqua[3] : « Dicimus quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. » Quomodo reputata est? In circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, etc. » Ex quo liquide convincit Apostolus, quod is qui ex dominico præcepto primus est in carne circumcisus, ante hanc circumcisionem dum adhuc præputiatus esset, ex fide sit justificatus, nec justitiam ex circumcisione sit consecutus. Pro signo autem justitiæ jam habitæ circumcisionem suscepit, ut videlicet interiorem mentis a vitiis circumcisionem, hoc est justitiam fidei, exterior circumcisio carnis ostenderet potius quam faceret. Interim autem præcedentium patrum justitia Deo acceptabilis extitit, ut unus eorum, id est Enoch, vitæ præsentis ærumnis subtractus, in paradisum vivus a Domino sit translatus, sicut Ecclesiasticus quoque meminit[4], et Isidorus *de Ortu et Obitu Patrum* his asserit verbis[5] : « Enoch meruit in eum locum transferri vivens, unde fuerat protoplastus expulsus, » in consummationem mundi restituens cum Elia mortalis vitæ con-

[1] *Rom.*, cap. IV, v. 1. — [2] Ibid., v. 9. — [3] Ibid., v. 10 et sq. — [4] *Eccli.*, cap. XLIV, v. 16. — [5] Cap. III, *Opp.*, Romæ, 1797-1803, in-4°, t. IV, p. 154. Male legitur in Edit. Amb. : *protoplaustus*.

ditionem. Alius vero cum tota domo sua, id est Noe, a diluvio liberatus, in seminarium humani generis solus reservari meruit. Job quoque gentilis sanctitas, quem longe post Abraham constat extitisse, adeo dominico testimonio commendatur, ut non sit ei vir similis in terra[1], nimirum eo tempore quo multi de filiis Abrahæ jam circumcisi supererant. Quem quidem lex naturalis, sicut et plerosque alios gentiles verius justificavit, quam Judæos scripta fecerit. De qualibet quidem in eadem epistola, supra commemorans Apostolus ait :[2] « Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Quum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum. » Et post aliqua[3] : « Si igitur præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur, et judicabit quod ex natura est præputium legem consummans te, qui per litteram et circumcisionem carnis prævaricator legis es? Non enim, qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto est in carne circumcisio; sed qui in abscondito Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. » Et rursum[4] : « Arbitramur enim hominem justificari per fidem sine operibus legis. An Judæorum Deus tantum? nonne et gentium? Imo et gentium. Quoniam quidem unus est Deus qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. » Quod et beatus Hieronymus diligenter attendens, et talium vitam tanquam Deo acceptam commendare non veritus, quodam loco Matthæum exponens, ait[5] : « Ex eo quod malus servus ausus est dicere[6] : « Metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti, » intelligamus etiam gentilium et philosophorum bonam vitam recipere Deum, et aliter habere eos qui juste, aliter eos qui injuste agunt, et ad comparationem ejus qui naturali lege serviat, condemnare eos qui scriptam legem negligant. » Constat ergo in antiquo populo æque incircumcisos sicut et circumcisos ex fide justificari : nec eos qui circumcisi sunt, ex circumcisione hoc, ut justi fierent, assecutos esse, sed magis ex fide per dilectionem, ut ait Apostolus[7], operante. Quid igitur causæ fuerit ut hoc circumcisionis signum solus Abraham cum semine suo, vel quos possidebat tam de cognatione sua quam de alienigenis ex præcepto Domini susceperit, merito quæritur. Ipsam quippe justitiam, cujus hoc signum esse Apostolus ait[8], æque in ceteris, ut dictum est, sicut in Abraham, constat extitisse : nec tamen ad hoc signum eos constringit præceptum, sed solum, ut diximus, Abraham cum semine suo, vel ad possessionem suam pertinentibus.

[1] *Job*, cap. I, v. 8. — [2] *Rom.*, cap. II, v. 13. — [3] Ib., v. 26. — [4] Ibid., cap. III, v. 28. — [5] *Comm. in Matth.*, *Opp.*, t. IV, part. I, col. 123. — [6] Matth., cap. XXV, v. 24. — [7] « Fides quæ per charitatem operatur. » (*Galat.* cap. XXV, v. 6.) — [8] *Rom.*, cap. IV, v. 3.

Hinc enim scriptum est, Domino ad Abraham dicente[1] : « Statuam pactum meum inter me, etc., et inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno; ut sim Deus tuus, et seminis tui post te. Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ. » Et rursus[2] : « Et tu ergo custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est, quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri : ut sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris. Tam vernaculus quam emptitius circumcidetur, et quicunque non fuerit de stirpe vestra : eritque pactum meum in carne mea in fœdus æternum. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit animam illam de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. » Et post aliqua[3] : « Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac. Et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, et femini ejus post eum. Super Ismael quoque exaudivi te, ecce benedicam ei, et multiplicabo eum valde. Pactum vero meum statuam Isaac. » Quem quidem Isaac solum ad semen Abrahæ pertinere, postmodum Dominus patenter indicavit, dicens[4] : « Quia in Isaac vocabitur tibi semen. » Juxta quod etiam ipsum Isaac vocat unigenitum Abrahæ, dicens[5] : « Quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo unigenito, etc. » Constat itaque neminem circumcisionis præcepto constringi, nisi Abraham cum semine suo, et his qui ad domum vel possessionem eorum pertinent. Cujus quidem circumcisionis causam Dominus quoque interserens, ait[6] : « Ut sit in signum fœderis inter me et vos. » Ac si aperte dicat : Non ut vos mihi fœderet atque jungat, sed ut fœderatos ostendat. Rufinus quoque, juxta Origenem epistolam Pauli *ad Romanos* exponens, occasionem hujus præcepti de circumcisione facti tam in hoc quam in ceteris diligenter assignat ex verbis ipsius legis, quæ præcepta ejus ad solos Judæos, quæ ad omnes generaliter homines pertineant. « Discutiamus, inquit[7], utrum hoc mandatum etiam eos, qui ex gentibus crediderant, constringat. Nunquam fecit proselyti, id est advenæ mentionem : sed vernaculum servum vel pretio emptum circumcidi jubet, non liberum. Perscrutemur ergo *Levitici* legem[8] : « Loquere, » inquit, « filiis Israel, et dices ad eos : Mulier si peperit masculum, octava die circumci- « detur, etc. » Intueamur et hic, quemadmodum de lege circumcisionis tantum ad filios Israel Moïses loqui jubetur, et alienigenarum nulla sit mentio : quum in quibusdam mandatis non solum filiis Israel, sed et proselytis, id est advenis, loquatur, necessario utique observanda distinctio est, quia sicut ibi dicitur : « Lo-

[1] *Genes.*, cap. XVII, v. 7. — [2] Ibid., v. 9. — [3] Ibid., v. 19. — [4] *Genes.*, cap. XXI, v. 12. — [5] *Genes.*, cap. XXII, v. 12. — [6] *Genes.*, cap. XVII, v. 11. — [7] *Opp.* t. IV, p. 491 et sq. — [8] *Levit.*, cap. XII, v. 12.

« quere ad Aaron[1], » et alibi[2] : « Ad filios Aaron, » et alibi[3] : « Ad levitas, » certum est non subjacere reliquos his legibus etiam quæ filiis jubentur, nec alienigenæ memoria ulla sit[4]. Non est putandum commune esse mandatum, ubi appellationis habetur exceptio. Sic ergo non alius circumcisionis lege constringitur, nisi ex Abraham originem trahens, vel vernaculus eorum, vel pretio emptus. Vis autem videre, quia sicubi vult etiam alienigenas lege connecti, significanter ostendatur ? Audi quid scriptum sit[5] : « Homo ex filiis Israel et advenis, « quicunque manducaverit omnem sanguinem, animam illam disperdam : quia « anima omnis carnis sanguis illius est. Et ego dedi vobis ut ex ipso super altare « propitiaretur pro animabus vestris, quia sanguis pro anima expiabit. » Vides ergo hanc legem, quæ advenis data est, observari et a nobis, qui ex gentibus credimus ? Ergo legem de observatione sanguinis communem cum filiis Israel et gentium suscepit Ecclesia. Hæc namque ita intelligens in lege scripta, tunc beatum illud apostolorum concilium decernebat, decreta gentibus scribens, ut abstinerent a sanguine et suffocato. Verum requires fortasse, si etiam de suffocato communis filiis Israel cum advenis data sit lex. Audi : « Homo, » inquit[6], « ex « filiis Israel, et ex advenis qui sunt ex vobis, quicunque venatus fuerit feram « aut avem quæ manducatur, effundat sanguinem ejus, et cooperiat terra, quia « anima omnis carnis sanguis illius est. » Verum quia inter illa, quæ de *Levitico* superius protulimus, etiam hoc refertur[7] : « Homo ex filiis Israel vel advenis qui « sunt in eis, quicunque fecerit holocaustum aut sacrificium, et ad ostium taber- « naculi non adduxerit illud facere Domino, exterminabitur de populo suo. » Et per hoc videbitur etiam de gentibus Ecclesia holocaustis obnoxia fieri. Non ut faciat jubet, sed si forte fecerit, quomodo facere debeat, docet. Certum est enim quod, quum Hierosolymis templum constaret, et religio tradita patribus vigeret, plurimi etiam gentium veniebant ad templum adorare et offerre sacrificium. Sed hoc quoniam in loco uno fieri præceptum est, de quo etiam hic mandat, ut ad ostium tabernaculi jugulanda victima deducatur : tandiu potuit legitime fieri, quandiu status loci permansit incolumis. Denique Salvator ad decem leprosos, quos mundaverat, inquit[8] : « Ite, ostendite vos sacerdotibus, et offerte pro vobis hostias, sicut præcepit Moyses. » Nunc vero quid exigitur ab advenis, quod exhibere quidem nec propriis cultoribus licet? » Quam quidem dominicæ rationis causam si diligentius inspiciamus, facile est ad omnem objectionem nos satisfacere.

[1] *Exod.*, cap. VIII, v. 16. — [2] *Num.*, cap. VI, v. 23. — [3] *Num.*, cap. XVIII, v. 26. — [4] Locus mutilus sic restituendus : « Legibus quæ vel filiis Aaron, vel levitis, vel ipse Aaron promulgatæ sunt : ita etiam quæ filiis jubentur, nec alienigenæ memoria ulla fit. Non est putandum commune in his esse mandatum..... » — [5] *Levit.*, cap. XVII, v. 10. — [6] Ibid., v. 13. — [7] Ibid., v. 8. — [8] Luc., cap. XVII, v. 14.

Primus Abraham de terra Chaldæorum et cognatione sua divino eductus imperio, propriæ terræ promissionem sibi et semini suo suscepit a Domino: in qua videlicet terra populus Dei a gentibus viveret separatus, et divino cultu serviret expeditus, quum antea fideles passim cum gentibus habitare et victitare consuevissent. In hac igitur terra tanquam in civitate quadam populum suum Dominus congregaturus, et a gentibus eum tam loco quam vita segregaturus, decrevit ei legem instituere, a circumcisione inchoans. Unde, ut supra meminimus, facta promissione terræ, qua populus Dei ab infidelibus disjungeretur, et Domino firmius conjungeretur ac fœderaretur, statim circumcisionis præceptum inducitur, quod sit videlicet in hujus fœderis signum. Ex genitali quippe membro humanæ generationis est propagatio. Hoc igitur membrum circumcisum Abraham et suos a ritu et moribus originis suæ, id est infidelium Chaldæorum, segregatos esse ostendit, et hac carnis exspoliatione jam eos veterem et carnalem exuisse hominem, et novum ac spiritalem induisse, qui secundum Deum creatur et renovatur de die in diem; ad quod etiam hujus signi consideratione præcipue admonerentur. Cujus insuper signi, quasi divini cujusdam in homine signaculi, non mediocre commodum Dominus prævidebat ad fidelium salutem tutius muniendam, et eos ab infidelibus maxime dividendos. Constat quippe tantas esse carnalis voluptatis illecebras, ut facile homines ad idololatriam quoque istam concupiscentia inclinet, sicut de summo sapiente actum est. Ne igitur fideles infidelibus feminis copulati, in ritu earum transirent, et a Domino recederent, quasi quadam maceria interposita, hoc signo maxime, talium copularum familiaritatem abscidit: ut si videlicet rursum filii Dei filias hominum concupiscerent, illæ tamen eorum copulam spernerent, hujus membri detruncationem tanquam turpissimam abhorrentes: et illi contra hoc signo fœderis Dei membra sanctificata a turpitudine infidelium servarent intacta. Unde et populus Israel eo tempore, quo in deserto segregatus a gentibus fuit, nequaquam circumcidi compulsus est. Tunc vero maxime hanc maceriam interponi necesse fuit, quum in Abraham fidelium peregrinatio inter infideles cœperit, et in ea cujus jam acceperat promissionem terra. Facile namque peregrinantes ab incolis qua possunt occasione familiaritatem captant, quam ex matrimoniis maxime contrahi constat. Quo quidem contactu si populus Dei populo Chananæorum vinciretur, difficile illum delere, vel a terra expellere sustinerent, sicut postmodum divino actum est consilio. Solet etiam communio mensæ maximum familiaritatis vinculum esse. Unde et lex postmodum delicatos interdicens cibos, hanc quoque familiaritatis abstulit occasionem. Et quo difficilioribus observantiis Judæos implicuit, tanto amplius ab eis gentes removit, et majores inimicitias hac interposita maceria peperit. Quod quidem tunc fieri opus fuit, quum

nondum gentilem populum vocare Deus decreverit, sed tantum judaicum. In plenitudine vero temporis gratiæ, quum gentilem quoque populum sua vocatione dignaretur Deus, ut Ecclesiam in duos populos dilataret, et eos sibi capiti in uno corpore conjungeret, et magna invicem concordia ligaret, illam legalium observationum maceriam removit, quæ inimicitias pepererant, ut sic eos adinvicem vinculo caritatis colligaret. Quam quidem divini consilii providentiam summus Ecclesiæ doctor et specialis gentium magister ad Ephesios scribens his aperit verbis[1]: « Propter quod memores estote, quod aliquando vos gentes eratis in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manufacta, quia eratis illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites Testamentorum, promissionis spem non habentes; sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans; ut duos condat in semetipsum, in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo, etc. » Judæi quippe quasi peculiaris populus Dei de legitimis suis gloriantes, quandiu lex statum suum obtineret, semper gentes despicerent, nec se illis æquari paterentur. Qui etiam post Evangelium de præterito statu legis adeo intumescebant, ut hoc sibi privilegio singularem in Ecclesia prærogativam vindicarent. Ad quam quidem superbiam maxime reprimendam Apostolus frequenter in epistolis opera legis et ejus gloriationem deprimere vel extenuare compellitur, et ea omnino removere decrevit; ne videlicet de his Judæi gentibus insultarent, aut gentes eorum legi se subdere prorsus dedignarentur, de qua illi maxime adversus eos gloriabantur. Quam quidem Apostoli discretionem in tantum postea sancti patres æmulati sunt, ut quum in gentibus ecclesiasticas dignitates secundum pristinos civitatum gradus ordinarent, in illo Hierosolymam honore illam quondam Dei egregiam civitatem extulerunt; imo ipsam adeo depresserunt, ut eam metropoli subjugarent : ne forte privilegio civitatis suæ vel templi gloriari superbus ille posset populus, sicut nec vel cærimoniis suis. Unde nec in illis parascevæ solemnis orationibus, quum pro gentilibus et hereticis quoque sive schismaticis genua flectamus, solos in hoc Judæos præterimus, qui genu flexo illudentes Domino dicebant : « Ave, rex Judæorum. »

Sicut autem lege cessante, perfectior Evangelii doctrina successit, ita post circumcisionem, baptismi subiit sacramentum, quod tam viros quam feminas æque sanctificat, et eum jam venisse demonstrat, qui nos a peccato penitus abluat,

[1] *Ephes.*, cap. II, v. 11 et sq.

et ipsam etiam pecccati pœnam cœlos reserando deleat. Unde et bene hoc sacramentum super totum hominem, non in aliqua ejus parte agitur : quo post Salvatoris hostiam ita penitus peccatum deletur, ut pœna quoque peccati omnino relaxetur. Quod etiam sacramentum tanto amplius dominici adventus gratiam commendat, quanto et ad salutem perfectius est, et ad tolerandum levius, ut tanto lex nova sit gratior, quanto quæ præcessit fuerat onerosior : et qui legis jugum ferre consueverant gentiles, nulla sacramentorum difficultate vel multitudine territi repellerentur. A quo quidem oneris gravamine ad evangelicam libertatem Dominus invitans aiebat[1] : « Venite ad me qui laboratis et onerati estis. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. » Ut enim legalium vindictarum severitatem prætereamus, ubi Dicitur[2] : « Dentem pro dente, etc., » quis vitam tenera parte corporis acutis lapidibus circumcidi non horreat? Non enim alio instrumento hanc fieri lex monstrat, quum et Sephora uxor Moysi sic filium circumcidisse scribatur[3], et Josue cultris lapideis ex præcepto Domini populum circumciderit[4] : quanquam id modo pro difficultate rei nequaquam Judæi observent. Quod diligenter apostolorum princeps considerans, manifeste fatetur, neque se, neque patres suos jugum legis portare potuisse. Nec solum perfectione vel lenitate sui baptismus commendatur, verumetiam quadam in semet specie decoris adornatur, quum videlicet quælibet anima Deo copulanda hujus ablutione sacramenti convenienter innuat, neminem ei, nisi qui a sordibus peccati lotus fuerit, sociari. Quoddam namque specialis desponsationis conjugium in baptismate cum Deo inimus, quum prius in scrutinio catechuminorum ei sponsione nostra fœderati et quasi desponsati, postmodum in baptismo corpori ejus, quod est Ecclesia, convenimur[5]; tanquam si sponsa post balneum in amplexus sponsi suscipiatur. Sunt qui etiam circumcisionem ad originalis peccati, sive actualium quoque remissionem dixerint fuisse necessariam, et ob hoc institutam. Nobis autem illa, quam supra reddidimus, causa probabilior atque rationabilior videtur; quum videlicet constet priores justos hoc sacramento nequaquam eguisse, nec feminas, quæ eisdem obligatæ sunt peccatis, et a quibus peccatum incœpit in nobis, hoc sacramento sanctificari. Quis etiam dubitet antiqua sacramenta excellentiæ novorum multum derogatura esse, et in maximum errorem nos tractura, si ipsa quoque cum novis pariter remanerent : tanquam hæc scilicet sine illis sufficere non valerent? Hæc ad propositas duas priores quæstiones : de institutione scilicet circumcisionis seu legis, et postmodum cessatione, dicta nunc sufficiant.

[1] Matth., cap. XI, v. 28. — [2] *Levit.*, cap. XXIV, v. 20. — [3] *Exod.*, cap. IV, v. 25. — [4] *Josue*, cap. V, v. 2. — [5] Sic Amb. - An non *conjungimur?*

Superest autem, ut tertiæ respondentes, præsentem operam consummemus. Cur videlicet Dominus legem finiens, et Evangelium inchoans, ipsa etiam quæ finivit legalia suscepit, quasi nos suo adhortans exemplo, ut a lege incipientes, in Evangelio consummemur, nec sic ad nova transeamus sacramenta, ut derelinquamus antiqua. Et quippe, ut Salomon ait[1] : « Oculi sapientis in capite ejus. » Quod quasi exponens apostolus[2] : « Qui dicit se in Christo, » inquit, « manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. » Sicut ergo Dominus, qui ait[3] : « Non veni solvere legem, sed adimplere, » post circumcisionem suscepit baptismum, post veteris Paschæ sacrificium celebravit novum ; ita nos ejus vestigia sequentes, ab his minime, inquies, convenit declinare. Sed id profecto recte diceretur, si eadem nunc in nobis ratio esset, quæ in illo quondam extitit. Ut enim scandalum declinaret, et hoc quoad possemus, vitandi formam nobis præberet, antiqua suscepit sacramenta. Alioquin aperte reus legis crederetur, et a semine Abrahæ et toto Judæorum populo penitus alienus, unde promissus exspectabatur. Juxta namque Domini sententiam, quisquis in illis circumcisus non fuerat, de populo suo peribat, quum sine hoc sacramento nemo tunc posset connumerari Judæis, sicut nec modo sine baptismo christianis. Unde et pro scandalo Judæorum vitando in exordio nascentis Ecclesiæ, nondum evangelica veritate roborata, in tantum apostoli superfluis jam legis operibus dispensative ad tempus consenserunt, ut Paulus ipse maximus legis persecutor Timotheum discipulum circumcideret[4], et ipse postmodum ex consilio Jacobi, et qui Hierosolymis erant fidelium, assumptis quibusdam aliis viris secundum Nazaræorum ritum observare se legem exhiberet[5]. Qui tamen postmodum de ipsa legis simulatione Petrum manifeste arguit[6], ubi jam videlicet evangelicam veritatem confirmatam esse intellexit : diversis itaque de causis, sed utrisque rationabilibus, Deus tam antiqua quam nova suscepit sacramenta. Illa quippe, ut dictum est, pro vitando scandalo, hæc in nostræ imitationis exemplo. Sicut enim mediator Dei et hominum factus duas in se naturas habuit, divinam scilicet atque humanam, quas reconciliare venit : ita duos populos sibi conjungens, et quasi duos parietes lapis angularis colligans, tam priorum fidelium quam posteriorum sacramenta suscepit : ut juxta illud Apostoli[7], « omnibus omnia factus, omnes lucrifaceret. » Si enim se a sacramentis Judæorum subtrahens eos scandalizaret, magis eos a se repelleret, quam sibi alliceret. Quisquis enim ab his inter quos vivit, dissimilem vitam eligit, magis eorum familiaritatem sibi tollit. Unde et angeli hominibus olim apparentes, quum nec hospitio nec cibo egerent, hæc tamen pro necessitate po-

[1] *Eccle.*, cap. II, v. 14. — [2] Joan. I, cap. II, v. 6. — [3] Matth., cap. V, v. 17. — [4] *Act. Apost.*, cap. XVI, v. 3. — [5] Ibid., cap. XV, v. 13 et sq. — [6] *Galat.*, cap. II, v. 14. — [7] « Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. » (*Galat.*, cap. IX, v. 22.)

stulantes vel accipientes, tanto nos sibi eos familiariores reddebant, quanto infirmitati nostræ magis condescendebant, et eorum ad quos veniebant consuetudinem non respuebant. Hanc et Dominus providentiam tenens, nihil in cibis vel in humana conversatione præter peccatum tam a se quam a discipulis vitari decrevit. Qui si etiam legis onera non suscepisset, nequaquam postmodum hanc removisse videretur, tam propter mutilationem ejus, quam[1] propter gravamen ipsius. Qui nunc profecto amplius a nobis diligendus videtur, quoniam et illius onera propter nos ipse suscepit, et ab ipsis postmodum nos liberavit. Sunt et alia nonnulla, quæ et Dominum egisse meminimus, et ea tamen salubriter declinamus omnino, vel alio tempore et alio modo convenienter celebramus. Legimus[2] quippe ad nuptias Dominum invitatum cum matre et discipulis convivio illi interfuisse : quod nunc quidem provida dispensatione sacerdotibus Christi locis specialiter obtinentibus a sanctis patribus interdictum est penitus. Alia quippe in illo ratio fuit, alia in nobis. Nostra namque infirmitas ad tentationem prona, in conviviis maxime non solum religionis, verum etiam communis honestatis modum excedit. Nec ille ad nuptias tam propter convivium, quam propter miraculi beneficium, quo se manifestaret, et in se discipulos confirmaret, venire dedignatus[3] est. Quod diligenter Evangelista considerans, ait[4] : « Et crediderunt in eum discipuli ejus. » Scimus et ipsum post baptismum statim in eremum condescendisse, et quadraginta dierum jejunium tunc inchoasse, et sic consummasse, nec ipsos apostolos ab eo sacramentum corporis et sanguinis sui jejunos accepisse. Quæ tunc quidem sic fieri oportebat, et nunc aliter alia ratione in consuetudinem venerunt Ecclesiæ. Sic et Dominus, ne Judæos scandalizaret, circumcisionem suscepit, et nos postea, ut dictum est[5], repelleremus, hanc omnino respuimus. Multa quippe sunt, quæ secundum temporis opportunitatem alio tempore sunt probanda, et alio improbanda, etsi ab eisdem prius et postmodum gerantur personis. Habent quippe in omnibus loca et tempora suas rationes, secundum quas in eis eadem modo fieri, modo vitari convenit. Adeo pro scandalis vel repulsione gentium vitandis, quædam nunc a nobis legitima caveri manifestum est, utpote circumcisionem et sabbati seu festorum observationes, et sacrificiorum ritum, sive quorumdam abstinentiam ciborum; quod in quibus apostoli vel sancti patres nullum præsenserunt scandalum, imo aliquid utilitatis vel decoris intellexerunt, ea retinere non abhorruerunt. Unde et adhuc Quatuor Temporum jejunia celebramus, et ipsos ecclesiasticorum officiorum gradus, ab ostiario scilicet, vel ab ipsa etiam clericatus tonsura usque ad episcopum, necnon et sacerdotalis vel ecclesiastici cultus or-

[1] Amb. *Quantum*. — [2] Joan., cap. II, v. 2. — [3] Amb. *dignatus*. — [4] Joan., cap. II, v. 11. — [5] Hic aliquid deesse videtur.

namenta ex antiqua retinemus et confirmamus auctoritate; veluti candelabra, coronas, et vela; ecclesiarum quoque dedicationes, vel altarium consecrationes, in tantum ex antiquitate suscepimus, ut in his peragendis nihil fere nisi de Veteri Testamento cantetur vel recitetur : ubi et ad antiquæ aspersionis exemplum hysopum et cinerem adhibemus. Quis etiam illud intelligens[1] : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, » ignoret nostri sacrificii formam legem etiam præcessisse, et inde originem seu testimonium accepisse? In quo quidem nos latino azymo vescentes, aliquam etiam de veteri pascha retinemus figuram, juxta illud Apostoli[2] : « Itaque epulemur non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis. » Ipsam denique mixturam salis et aquæ in aspersionem fidelium quotidianam exemplo Elisæi conficimus, sicut et ipsa benedictionis verba testantur.

Quum igitur aliqua ex antiquitate retineamus, aliqua respuamus, causæ vel opportunitates pensandæ sunt in singulis. Quod quidam minus attendentes, inde omnia jam respuenda judicant, quia figuræ fuerunt subsecutæ veritatis, et per Christum jam completæ. Unde merito illa jam omnino superflua censent, ubi quam præfigurabant veritas completa est : ne forte si adhuc cum ipsa veritate retinerentur figuræ, quæ ipsam præsignarunt, adhuc exspectaretur futurum quod jam est completum. Sed juxta hanc profecto rationem, omne rei futuræ sacramentum vel figuram mysticam manere non convenit postquam res ejus completa est. Unde et conjugium, quod Christi et Ecclesiæ continet sacramentum, vel ipsam regum et sacerdotum unctionem, cum his, quæ prædiximus a nobis retineri, cessari jam oportet. Ut jam videlicet nec sacrificium Melchisedech in figuris sequamur, nec altaria chrismate consecremus, nec ecclesias dedicemus, nec candelabra in ecclesiis erigamus, et cætera quæ diximus penitus removeamus. Quod quia nemo fidelium vel discretorum approbat, constat aliquas esse rationes, cur ex Veteri Testamento nonnulla in rerum signis sicut in verbis omnia retinemus. Quamvis enim prolationes verborum manifestius quam figuræ sacramentorum demonstrent id quod significant, nulla tamen Veteris Testamenti verba respuimus, etiam quum aliter loqui videntur quam se jam rei veritas habeat : veluti quum dicitur[3] : « Ecce virgo concipiet. » Quid ita mirum, quum tam rebus quam verbis ea quæ nunc completa sunt Vetus Testamentum prænuntiet, nonnulla ejus sacramenta post rerum etiam completionem suscipiamus, cujus, nulla respuere verba præsumimus? Tanto quippe major est concordia Veteris et Novi Testamenti, et hoc ex illo magis confirmatur, quanto non solum verbis, verum etiam rebus ipsis conjuncta videntur.

[1] Psalm. cix, v. 4. — [2] *Corinth. I*, cap. v, v. 8. — [3] Isaiæ cap. vii, v. 14.

Notandum vero quod solis infantibus circumcidendis certum præfinitum tempus, id est octava dies, quia eos solos, qui innocenter vivunt, quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, certum est ad illius veræ octavæ gaudia pervenire : ubi tam animarum quam corporum veram ac perfectam circumcisionem assequimur, veterem penitus hominem tam per culpam scilicet quam per pœnam exuentes, ubi mens omnino sit libera, et caro a corruptione vel passibilitate pariter aliena. Totum quippe tempus vitæ præsentis septem diebus comprehenditur. Unde merito perpes illa sanctorum claritas, quæ post septenarium hujus vitæ sequitur, octava nominatur. Juxta quod psalmi qui specialiter ad resurrectionem pertinere videntur, intitulari pro octava dicuntur. Legimus a Josue[1] filios Israel cultris petrinis secundo circumcisos esse, quum post transitum Jordanis jam in terra promissionis essent introducti. Populus quippe de Ægypto egressus, et in eremo defunctus, filios in deserto natos incircumcisos reliquerat. Quos postmodum Josue circumcidens, secundo circumcidisse filios Israel dicitur : non quidem, juxta historiam, in eisdem personis convenientius accipere possumus. Multi quippe alii in populo Judæorum multos circumciderunt, et nemo præter Josue secundam circumcisionem dicitur peregisse. Legimus Abraham[2] priorem circumcidi vel circumcidisse, primo quidem Ismaelem et vernaculos suos, postea vero Isaac. Sephoram[3] quoque uxorem Moysi cum acutissima petra filium circumcidere Dominus coegit. Nulla tamen harum circumcisionum secunda sive prima dicta est, vel ex ordine distincta, nisi quæ a Josue memoratur facta. Unde igitur iste solus secundo circumcidisse dicatur, vel cujus primæ comparatione hæc secunda circumcisio vocetur, non facile solvi credo, nisi ad allegoriam stylo converso. Ad quam nos quidem Apostolus invitans[4] : « Hæc, » inquit, « omnia in figura contingebant illis. » Secunda autem circumcisio dicitur, quum terræ promissionis hæredes efficimur, hoc est quum terram viventium in illa felici, quam diximus, octava consequimur. Prima vero est circumcisio, quæ hic mentem et carnem a vitiis, vel carnalibus illecebris, quantum nobis datum est abscindimus, ut illam quam supra meminimus, veram et integram circumcisionem illic assequamur, a vero scilicet Josue, id est Jesu nostro, imo omnium Salvatore. Hic quippe ille Josue, qui Moysi successit, et in terram promissionis introduxit, tam nomine ipso quo Josue dicitur, id est Jesus, quam factorum suorum excellentia specialiter exprimere videtur. Qui, ut dictum est, Moysi succedens, et populum de Ægypto profectum in terram promissionis introducens, quod ille incœpit, consummavit : quia lex per Moysem tam significata quam data, nihil[5],

[1] *Josue*, cap. v. — [2] *Genes.*, cap. xvii, v. 26, cap. xxi, v. 4. — [3] *Exod.*, cap. iv, v. 25. — [4] *Corinth. I*, cap. x, v. 11. — [5] *Hebr.*, cap. vii, v. 19.

ut ait Apostolus, ad perfectum adduxit. Impossibile enim est, inquit, sanguine hircorum aut taurorum auferre peccata. Unde Moysi Josue succedere necesse fuit, quia frustra processisset legislator, nisi sequeretur salvator. Qui profecto post transitum Jordanis introductos in terram promissionis cum petra circumcidit, dum videlicet nos in baptismo regeneratos, atque ad supernæ vocationis hæreditatem perductos, veram sibi nobis circumcisionem per semetipsum in petra figuratum tribuit, cui est cum Patre et Spiritu sancto æqualis gloria, coæterna majestas, per infinita seculorum secula. Amen.

IN EPIPHANIA DOMINI.

SERMO IV.

Epiphaniæ præsens solemnitas vocabuli sui proprietatem multis et variis rerum eventibus mundo exhibuit. Quod enim Theophania vel Epiphania græce dicitur, id latine Dei apparitio, vel super-apparitio nuncupatur. Salvator igitur mundi, post illam temporalis sui ortus apparitionem, qua de utero prodiens Virginis carne se visibilem mundo præbuit, et in præsepio pastoribus innotuit, una postmodum per revolutionem temporum die, signis mirabilibus sese amplius manifestare decrevit : ut qui eum ex Scriptura non cognoscerent, rerum saltem admiratione traherentur ad fidem. Novum quippe cœlestis regis ortum in terris nova stella magis revelavit, et super baptizatum Dominum, cœlis apertis, et columba in eum descendente, et paterna voce de Filio testificante, non solum populo circumstanti, verum etiam ipsi Baptistæ Joanni plenarie, quantus esset, innotuit, sicut et ipse Joannes profitetur dicens[1] : « Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum. Et ego nesciebam eum. Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : « Super quem videris Spiritum « descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. » Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. » Denique miraculo aquæ in vinum conversæ divinitatis ejus potentia declaratur, sicut evangelista commemorat dicens[2] : « Hoc fecit initium signorum Jesu in Cana Galilææ, et manifestavit gloriam suam. Et crediderunt in eum discipuli ejus. » Nunc igitur

[1] Joan., cap. I, v. 32. — [2] Ibid., cap. II, v. 11.

singulas istas revelationes Domini ordine prosequentes, ad præsentis diei gloriam incœptam consummemus operam.

Bene magi, primitiæ gentium, ad fidem primo tracti fuerunt, ut qui maxime erroris tenuerant magisterium, ipsi postmodum etiam suæ conversionis exemplo fidei facerent documentum, et magistrorum conversio discipulorum maxima fieret ædificatio : sicut et in Gamaliele, Nicodemo, Paulo, Dionysio Areopagita, et multis aliis tam in lege quam in philosophia præminentibus, postmodum actum est. Quis enim magos, sive ariolos in tantum detestandos esse ignoret, ut non solum ipsos, sed etiam quemlibet ad eos declinantem lex interfici jubeat? Quorum nefariam et execrabilem doctrinam a dæmonibus inventam atque assumptam, ipse quoque Hieronymus *in Isaiam* his asserit verbis[1] : « Magi ab oriente docti a dæmonibus, vel juxta prophetiam Balaam intelligentes natum filium Dei, qui omnem artis eorum destrueret potestatem, venerunt Bethlehem, et ostendente stella, adoraverunt puerum. » Isidorus quoque, *Etymologiarum* lib. IX[2], magorum etiam proprietatem distinguens : « Magi sunt, inquit, qui vulgo malefici, ob facinorum magnitudinem nuncupantur. Hi elementa convertunt, turbant mentes hominum, ac sine ullo veneni haustu violentia tantum carminis[3] interimunt. » Unde et Lucanus[4] :

> Mens hausti nulla sanie polluta veneni
> Incantata perit.

Dæmonibus enim accitis audent ventilare, ut quisque suos perimat malis artibus inimicos. Hi etiam sanguine utuntur et victimis, et sæpe contingunt corpora mortuorum. Quod vero ait Hieronymus, quod edocti a dæmonibus magi venerint quærere Salvatorem, per quem magisterium suum destrui formidabant, non ita accipere cogimur, ut hac eos intentione diabolica suggestio vel exhortatio mitteret, ut se ad Dominum Christum converterent, sed magis ut eum inquirendo proderent, quem Herodis sive Judæorum nequitia ad perdendum inveniret; quasi ab eo metuentes, vel summum eum magum, vel maleficum opinantes, ad quem tam cito magos confluere viderent. Unde et callide eos ad Herodem et metropolim Judæorum urbem primo direxit, ut consulendo eos proderent quem quærebant. Qui enim concubitus hominum quando fuerit[5] non ignorat, non immerito videtur agnovisse eum de Virgine natum fuisse, cujus nullum noverat concubitum, et sive per angelum ad Mariam primo missum, sive per Angelos postmodum pastoribus apparentes, vel certum habere vel suspicatum esse

[1] Lib. VII, cap. XIX, *Opp.* t. III, col. 182.—[2] Lib. VIII, cap. IX, *Opp.* t. III, col. 370.—[3] Male legitur in edit. Amb. *criminis.* — [4] *Phars.* VI, v. 457. —[5] *Fiunt* MS. Eins.

quam excellens ipse fuerit, et suæ contrarius malignitati. Cui etiam nonnulla alia præcedentia signa, quæ in historiis continentur ecclesiasticis, satis indicio potuerunt esse, quanta rerum in proximo naturus [1] excellentia præmineret. Qualia quidem sunt illa quæ Paulus Orosius *Antiquitatum ab urbe condita* libro VII [2] commemorat. Docet quippe ibi, Augusto Cæsare ab Oriente triumphos importante [3], tantam a Domino pacem mundo esse collatam, ut ipse Augustus sopitis finitisque omnibus bellis, jam portas pacis prorsus obstruxerit, cujus in templo arma conservabantur; ut etiam juxta litteram illa impleretur Isaiæ prophetia, qua pax mundo maxima in adventu Domini fuerat promissa, quum dicitur [4] : « Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lances suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. » « Hodie [5], inquit prædictus Paulus [6], primum ille Augustus consalutatus est, atque ea die summa rerum et potestatum penes unum esse cœpit et mansit, quod Græci monarchiam vocant. » Porro autem hunc esse eumdem diem dicit VIII idus januarii, quo nos hodie regi summo Epiphaniæ laudes excolimus. Ad quem etiam hodie quasi salutandum atque adorandum, fideles gentium primitiæ magi convenerunt, quasi eum alterum Augustum, imo plus quam Augustum æstimantes, quem cœlum pariter et terra tantis signis prædicarent tam apud Romam, quæ caput erat gentium, quam apud Hierosolymam metropolim, ut dictum est, Judæorum.

Refert quippe [7] idem Paulus in eodem tractatu [8], prædicti tempore imperatoris, hora circiter tertia, repente liquido serenoque die circulum ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambisse, et Romæ sub eodem Cæsare de taberna meritoria olei largissimum liquorem per diem integrum emanasse. Quæ profecto quid aliud prætendebant, nisi eum eodem tempore nasciturum esse, qui tam cœli quam terræ monarchiam obtineret? Quid enim prædicta corona solis, aut de terra unctio profluens, nisi cœli pariter ac terræ promittebat regem? Ipse quippe Salvator tam sol justitiæ, quam Christus a chrismate, id est unctus ab unctione, nuncupatus est. Hæc autem secundum humanam naturam larga ejus unctio est, illa [9] spiritalium donorum et septiformis gratiæ plena et perfecta ei facta collatio, de qua ipsi dicitur [10] : « Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. » De hujus plenitudine unctionis, sicut scriptum est, omnes accepimus, tanquam de taberna exuberanter oleum manat, secundum quod ei dicitur [11] : « Oleum effusum nomen tuum. » Quasi namque taberna quædam ejus

[1] *Qui in proximo nascitur* MS. Eins. — [2] Lib. VII, cap. XXII. Vid. Pauli Orosii *adversus Paganos Historiarum* lib. VII, Lugduni Batavorum, 1767, in-4°, p. 448. — [3] *Triumphum reportante.* — [4] Isaiæ cap. II, v. 4. — [5] Lege *hoc die.* — [6] Lib. VI, cap. XX, p. 441. — [7] *Quoque* MS. Eins. — [8] Lib. VI, cap. XX, p. 442. — [9] MS. Eins. – *Unctio, illa et spiritualium* Edit. Amb. — [10] Psalm. XLIV, v. 8. — [11] *Cantic.*, cap. I, v. 2.

seu tabernaculum assumpta humanitas fuit, in qua, ut Apostolus meminit[1], plenitudo divinitatis corporaliter inhabitabat. De[2] hac itaque ipsius humanitate, divinæ gratiæ donis, ut diximus, inuncta; hoc in nobis gratia derivante, quasi de taberna oleum per totum diem manans exuberat. Diem autem totum hunc[3] tempus gratiæ vocat, quod adventus sui præsentia Dominus illustravit, de quo illud est Apostoli[4] : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit. » Per hanc totam diem oleum indeficienter a capite illo nostro defluit ad membra, quum de ejus plenitudine tempus hoc gratiæ specialiter dicatur. Unde[5] hoc ipsum ejus nomen, quod Christus est, ad hujus quoque gratiæ abundantiam denotandam, quasi unguentum in nobis effusum atque dilatatum recte dicitur, dum ex ejus nomine insigniti, a Christo vocamur christiani. Meritoria autem taberna illa domus æstimatur[6], ubi emeriti milites fovebantur. Quæ tanto magis eorum necessitatibus quotidianis sufficere poterat, quanto amplius ejus porticus venalium rerum abundabat copia. Hoc in loco, Basilica S. Mariæ, quæ ideo fundentis oleum agnominata Romæ adhuc ostenditur, celebris habetur. Merito autem domus illa, quæ propitiationis bene merentibus existebat, assumptæ a Domino humanitati comparatur, per quam universis fidelibus propitiatus est Deus. Quis enim Spiritu sancto suggerente factum esse non videat, quum in tanta sublimatus gloria Augustus præmineret, se Dominum vocari omnino interdixerit, nec vel joco id se appellari, sed solummodo Augustum permitteret; quasi quadam divina dispositione venturo Christo hujus appellationis decus reservaret, qui discipulis ait[7] : « Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis : sum etenim. » Unde et ejus humilitatem Dominus ipse respiciens, [quum] ait[8] : « Qui se humiliat exaltabitur, » ipsum Augusti nomen proprium adeo extollere decrevit, ut deinceps romani imperatores se generaliter Augustos vocitari gloriarentur : et quod prius proprium atque personale, factum est generale vocabulum et imperiale. Patenter eum avunculo suo Julio Cæsari in humilitate contrarium videmus, quum ille, ut Lucanus quoque meminit, omnium dignitatum gradus in se retinens, jam non se numero singulari, sed plurali proferri permitteret[9], non se jam quasi unum hominem, sed plures juxta dignitatum multitudinem considerans. Quem adhuc nostra superbia quantum valet æmulans, non solum rerum, sed etiam nominum gloriam in tantum amplectitur, ut non solum abbates, verumetiam domini vocari gloriemur; et magnæ imputemus injuriæ nos qui humiliores esse debemus, si in appellatione nostra subjecti alterum prætermittant vocabulum.

[1] « In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis. » (*Coloss.*, cap. II, v. 9.) — [2] *De hac itaque diem* desunt in Cod. Eins. — [3] MS. Eins. - *Hoc* Ed. Amb. — [4] *Rom.*, cap. XIII, v. 12. — [5] *Unde hoc ipsum - meritoria* desunt in Cod. Eins. — [6] *Existimatur* MS. Eins. — [7] Joan., cap. XIII, v. 13. — [8] Matth., cap. XXII, v. 12. — [9] MS. Eins. - *Permittet* Ed. Amb. — [10] *Quem adhuc. - Sed nec illud* desunt in Cod. Eins.

Sed nec illud a tempore gratiæ et veræ libertatis alienum est, quod omne servorum genus a suo penitus dominio removit, nec a se aliquem servitute[1] opprimi ferret, sed omnium libertate gauderet, quibus tanquam amicis prodesse magis quam tanquam servis præesse eligeret, et amari potius quam timeri appeteret. Qui etiam in tantum servitutem a regno suo studuit extirpare, ut, sicut prædictus historiographus meminit, omnes servos, quorum dominos reperit, eis restituerit[2], cæteros vero servos omnes necari fecit: ne videlicet eorum posteritas in regno remaneret. In quo quid aliud præsignabat, quam christianam libertatem futuram, et servitutem tam legis quam peccati per Christum removendam, qui ait[3]: « Jam non dicam vos servos, sed amicos. » Et alibi[4]: « Si vos, » inquit, « filius liberaverit, vere liberi eritis. » Hinc et Apostolus tempus timoris sub lege a tempore gratiæ distinguens, conversis inter Romanos Judæis scribit[5]: « Non enim subditi estis iterum in timore, etc. » Idem ad Galatas[6]: « Vos, » inquit, « in libertatem vocati estis fratres : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem servite invicem. »

Sunt qui prædictos magos non sic appellari autumant, quia fuerint malefici, sed quod astrorum periti, quasi astronomici, vel quacunque alia de causa sic vocati. De quibus quid antiquitus scriptum fuisse Chrysostomus referat, non est incongruum hoc loco subjicere. Ait quippe sic prædictus doctor, quum Matthæum exponeret[7]: « Legi apud aliquem magos istos, ex libris Balaam divinatoris appariturae illius stellæ scientiam accepisse, cujus divinatio posita est et in Veteri Testamento[8]: « Orietur stella ex Jacob, etc. » Et audivi aliquos referentes de quadam scriptura, etsi non certa, non tamen destruente fidem, sed potius delectante : quoniam erat quædam gens sita in ipso principio Orientis juxta Oceanum, apud quos ferebatur quædam scriptura inscripta nomine *seth*, de apparitura hac stella, et muneribus ejusmodi offerendis, quæ per generationes studiosorum hominum patribus referentibus filiis suis habebatur deducta. Itaque elegerunt inter seipsos duodecim quosdam[9] ex ipsis studiosiores, et amatores mysteriorum cœlestium, et posuerunt seipsos ad expectationem stellæ illius : et si quis moriebatur ex eis, filius ejus, aut aliquis propinquorum, qui ejusdem voluntatis inveniebatur, in loco constituebatur defuncti. Dicebantur autem magici lingua eorum, quia in silentio et voce tacita Deum glorificabant. Hi ergo per singulos annos post messem[10] trituratoriam ascendebant in montem aliquem positum ibi, qui vocabatur lingua eorum *Mons Victorialis*, habens in se quamdam

[1] *Nec de aliqua servitute* MS. Eins. — [2] *Libertate restituit* MS. Eins. — [3] Joan., cap. xv, v. 15. — [4] Joan., cap. viii, v. 36. — [5] « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore. » (*Rom.*, cap. viii, v. 15.) — [6] *Galat.*, cap. v, v. 13. — [7] Hom. II *in Matthæum*, *Opp.* t. VI, p. 759. Disputatum est valde utrum hic commentarius quem vocant *opus imperfectum*, vere Chrysostomi sit, nec ne, et utrum hic, quisquis fuerit interpres, catholicus, an hæreticus, arianusve sit. — [8] *Num.*, cap. xxiv, v. 17. — [9] MS. Eins. - Male Amboesius : *Elegerunt se ipsos* xii *quidam*. — [10] *Mensem* MS. Eins.

speluncam in saxo, fontibus et electis arboribus amœnissimus, in quem ascendentes et lavantes se orabant et laudabant Deum in silentio tribus diebus, et sic faciebant per singulas generationes expectantes semper ne forte in sua generatione stella illa beatitudinis oriretur, donec apparuit eis descendens super Montem illum Victorialem, habens in se quasi formam pueri parvi, et super se similitudinem crucis; et locuta est eis, et docuit eos, et præcepit ut proficiscerentur in Judæam. Proficiscentibus autem eis, per biennium præcedebat stella, et neque esca neque potus defecit in peris eorum. Cetera autem, quæ gesta esse referuntur ab eis, in Evangelio compendiose posita sunt. Tandem[1] quum reversi fuissent, manserunt colentes et glorificantes Deum studiosius magis quam primum, et prædicaverunt omnibus in genere suo, et multos erudierunt. » Legimus mortem terrenorum regum, vel commutationes regnorum stellis quibusdam, quas cometas appellant designari solere : non tamen novis, sed noviter de se quasi quemdam crinem producentibus. Unde et cometæ, quasi a coma, crinitæ sunt appellatæ. Summi vero regis novum nativitatis modum, sicut et conceptum, nova stella et incomparabili splendore præsignare debuit. Cujus et mortem tanquam expavescens, vel de sceleris magnitudine dolens sol obscuratus, mundo indicavit universo; ut tam ortum quam occasum veri solis et cœlestis regis gloriam cœlestia protestarentur signa.

Sunt qui non mediocri admiratione moventur, quo modo tam paucis diebus, a Natali scilicet Domini usque ad Theophaniam, magi ab oriente usque Bethlehem pervenire potuerunt. Quod quidem tunc recte mirarentur, si et quærerent, si constaret hanc stellam nequaquam ante dominicam nativitatem apparuisse, nec et magos iter hoc arripuisse. Quum vero Chrysostomus ex supradicta scriptura commemoret eos per biennium proficiscentes stellæ apparentis ducatum habuisse, et tandem Domino jam nato Hierosolimam pervenisse, nihil quæstionis relinquitur. Illud autem fortassis plurimum movet, quomodo tantus, ut dicitur, splendor stellæ solos commoverit magos, nec ab Herode vel cæteris comperiri potuerit, maxime quum eam propinquiorem quam cæteras[2] extitisse plerique arbitrentur, quo melius super puerum veniens locum magis designaret. Sed quum nihil impossibile Deo esse credatur, non est dubitandum eum quibus voluerit hanc stellam occultasse, et eis tantum qui digni fuerant revelasse. Potuerunt et isti magi tantam præ cæteris astrorum habuisse notitiam, ut soli novam animadverterent stellam, et in ejus progressu vel statione non oberrarent. De quibus quum scriptum sit[3] quia « viderunt eam in oriente; » et rursum quia[4]

[1] MS. Eins. – *Tamen* Edit. Amb. — [2] MS. Eins. – *Cœteris.... plerisque* Edit. Amb. — [3] « Stella quam viderant in Oriente. » (Matth., cap. II, v. 9.) — [4] Ibid.

« antecedebat eos stella, usque dum veniens staret supra ubi erat puer, » patet profecto eos a terra sua usque Hierosolymam, et rursum a Hierosolyma usque Bethlehem, præcedentis stellæ ducatum habuisse. Quod ergo illis ab Herode recedentibus scriptum est[1] : « Et ecce stella quam viderant in oriente antecedebat eos. » Et iterum[2] : « Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde, » satis innuitur quod ex consortio Herodis, vel impiæ urbis ad quam diverterunt stellæ apparitionem, quandiu ibi fuerunt, amiserunt. Quod eo maxime factum esse credimus, ut per hoc eis Dominus intimaret, nequaquam se ab Herode et sceleratis illis hominibus cognosci voluisse.

Nonnulli hos magos reges arbitrantur fuisse, juxta illam prophetiam Psalmistæ[3] : « Reges Arabum et Saba dona adducent. » Unde et Isidorus *contra Judæos* cap. XIII ita meminit[4] : « Quia ei magi munera obtulerunt; » Isaias ait[5] : « In tempore illo deferetur munus Domino a populo terribili. » Hoc autem dicit[6] propter Persarum gentem terribilem, et cujus potentiæ nullus populus comparabatur. De his muneribus et David[7] : « Reges Tharsis et insulæ, etc. » Nam et magos reges habuit Oriens. Quot vero isti magi fuerint, ex numero trinæ oblationis tres eos fuisse multi suspicantur; quum hoc tamen nulla auctoritate Scripturæ definiatur[8], et juxta hoc quod Chrysostomus superius retulit duodecim magis[9] fuisse memorentur; ac si jam in ipsis gentium primitiis, primi discipulorum Christi præsignarentur apostoli. Quum autem præsens solemnitas, ut supra meminimus, non solum ex apparitione stellæ mirabilis, verumetiam ex dominico baptismo, vel nuptiarum miraculo habeatur insignis, juvat et de istis pauca memorare in hujus maxima diei laude.

« Factum est, » inquit evangelista[10], « quum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. Et vox de cœlo facta est, dicens : « Tu es « filius meus dilectus, in te complacui. » Quod Dominus cum populo ad baptismum venerit, vel inter turbas dignatus sit baptizari, magnum est humilitatis indicium, atque congruum mysterii signum. Baptizatus quippe cum cæteris, nequaquam circumcisus fuisse legitur cum aliis. Ex quo non absurdum est præsignare, non jam populo Dei circumcisionem necessariam esse, sicut baptismi sacramentum, quod constat generaliter cunctis ab ipso institutum esse. Quod baptizatus ad orationem se convertit, innuit patenter his etiam[11] qui baptizati sunt semper necessarium esse opem divinam postulare, ut in ea quam perceperunt sanctificatione valeant permanere, et sic sibi aperiri januam cœlestis

[1] Matth., cap. II, v. 9. — [2] Ibid., v. 10. — [3] Psalm. LXXI, v. 10. — [4] *Opp.* t. VI, p. 28. — [5] Isaiæ cap. XVIII, v. 7. — [6] MS. Eins. - *Dicit* deest Edit. Amb. — [7] Psalm. LXXI, v. 10. — [8] *Dici possit* MS. Eins. — [9] MS. Eins. - XIII *magi* Edit. Amb. — [10] Luc., cap. III, v. 21. — [11] MS. Eins. - *Etiam* deest Edit. Amb.

vitæ. Quod statim declaratur, quum eo baptizato et orante, cœli aperiri referuntur, et Spiritus descendere commemoratur. Baptismus quippe cœlos reserat, et perseverantiæ gratiam oratio nobis impetrat. Multis cum Jesu baptizatis, pariter nemo est præter eum, super quem aperiri cœlum, vel Spiritus descendere memoretur : quia quicunque in corpore ejus, quod est Ecclesia, non continentur, tam a janua cœli quam a gratia Dei sunt exclusi. Solus quippe ipse est qui aperit, et nemo claudit, per quem unumquemque salvandum[1] ad vitam ingredi necesse est.

De columba autem, in qua Spiritus sanctus figuratus ostenditur, sicut et de stella, sciendum est, ut ex elementis scilicet creata noviter utraque credatur[2] : quæ officio suo ad quod creatæ sunt completo esse desierunt, in elementa ipsa resolutæ. Spiritus autem, qui per præsentiam divinitatis ubique est, nec localiter quoquam descendere potest in sua incorporali substantia atque invisibili, dicitur tamen descendisse super Dominum in specie corporali sicut columba : eo videlicet quod ad plenitudinem Spiritus sancti, quam semper habuit, demonstrandam, vera illa columba licet noviter facta, super eum insederit juxta illud propheticum[3] : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me : ad annuntiandum mansuetis misit me. » Unde[4] et bene in hujusmodi ave, quæ præ cæteris in tantum blanda et mansueta esse creditur, ut iracundiæ felle carere dicatur. Quanta mansuetudine vel innocentia iste Agnus Dei, sicut de ipso Baptista protestatur, præminuerit, universa ejus opera loquuntur atque præcepta, quæ tantam suavitatem redolent caritatis, ut nec inimicis liceat irasci. Nec putandum est ita Spiritum sanctum in specie columbæ visum esse, ut ullatenus ei incorporaretur, aut in personam uniretur; sed solummodo ea usum esse pro signo, sicut et linguis illis igneis, quibus super apostolos ostensus est. Unde, et beatus meminit Augustinus[5], nunquam Spiritum sanctum patre minorem dici legimus, secundum aliquem unionem naturæ : quum tamen Filius secundum humanitatis assumptionem , Patrem se majorem esse testetur. Columba itaque[6] super Dominum insidente, et eum a ceteris distinguente, et tanquam digito suo, qui Spiritus intelligitur, patre ipsum demonstrante, vox desuper patris audita est. Quæ quidem vox in persona Patris in aere facta est sive per angelum, sive quocunque alio modo formata. Non enim pater corpus habet, aut ipsum unquam assumit, ut corporalibus instrumentis ipse vocem formare possit. Diligenter vero dictum est, non in quo placuit, sed in quo complacuit, ut non solum caput ipsum sibi placere insinuet, sed cum ipso etiam ac per ipsum membra ejus grata sibi denuntiet.

[1] *Sanandum* MS. Eins. — [2] MS. Eins. - *Utraque credantur* Ed. Amb. — [3] Isaiæ cap. LXI, v. 1. — [4] *Unde et bene* usque *columba super Dominum* desunt in Cod. Eins. — [5] Serm. CCLXIV, *Opp.* t. V, col. 1079. Cf. *Opp.* t. VIII, col. 661, 690 et 691. — [6] MS. Eins. - *Itaque* deest Ed. Amb

Restat denique tertiam dominicæ manifestationis apparitionem, in miraculo scilicet nuptiarum, breviter comprehendere. De quo quidem Joannes refert[1], quod post vocationem Philippi die tertio, ab hac videlicet ejus vocatione nuptiæ factæ sunt, ad quas Jesus et discipuli ejus convocati fuerunt. Quod autem Dominus ad nuptias venire dignatus est, et eas tam præsentia sui, quam beneficio miraculi decorare, eorum hæresim patenter damnat qui nuptias damnant. Sunt nonnulli clericorum, qui hoc ipsum Domini factum in exemplum trahentes, moleste sustinent, et graviter ferunt, quod ad convivium nuptiarum sanctorum auctoritas patrum parcere decrevit atque inhibere, non quidem attendentes Dominus qua illud ratione gesserit, et quod opportune hoc etiam[2] postmodum interdictum sit. Non ut carnalibus escis se compleret[3], venit quippe ad nuptias Dominus, qui nulla tentatione commoveri poterat, sed ut præsentia sui magis sanctificaret, et ipsum, de nuptiis, ut dicitur, sponsum magnitudine miraculi ad se traheret, et nuptiarum copulam non esse improbandam, virgo ipse probaret. Si[4] quis igitur clericorum tantæ opportunitatis occasionem se habere confidit, accedat intrepidus : gerat quæ Christus, et ei indulgemus. Quum autem vita hominis tentatio sit, et inter epulas maxime sobrietas pereat, honestas periclitetur, luxuria convalescat : tanto hæc convivia amplius vitanda sunt, quanto eorum vitam[5] in virtutibus præminere decet. Quod vero aquis in vinum conversis convivas Dominus refecit, patenter ostendit nequaquam ex indigentia cibi se ad nuptias venisse, sed quasi more illorum qui symbola conferunt plus illic posuisse quam sumpsisse. Ipse quippe est, qui nihil gratis accipit, teste Apostolo qui ait[6] : « Beatius est dare magis quam accipere. »

Quantum igitur præsenti solemnitati universa debeat Ecclesia, ex his quæ dicta sunt attendat. Magos primitias gentium nova hodie stella quasi quodam prædicationis modo ad fidem convertit, et ad Christum adduxit. Unde nos, qui de gentibus vocati venimus, hanc præcipue festivitatem tanquam nostræ conversionis exordium celebremus. In baptismo etiam Christi ipsum totius christianitatis initium nobis commendatum veneremur. Honor denique nuptiis exhibitus per ipsum, magnum est solatium infirmitati conjugatorum. Bene omnia fecit, et benedictus in secula sit. Amen.

[1] Joan., cap. I, v. 43. — [2] MS. Eins. - *Hoc eis* Ed. Amb. — [3] MS. Eins. - *Non ut.... compleret* desunt Ed. Amb. — [4] *Si quis igitur.... Quum autem* desunt in Cod. Eins. — [5] MS. Eins. - *Vitam* deest Ed. Amb. — [6] *Act. Apost.*, cap. XX, v. 35.

IN PURIFICATIONE SANCTÆ MARIÆ.

SERMO V.

« Quum essemus parvuli, » Apostolus ait[1], « sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda nostra clamantem : *Abba,* pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius, et hæres per Deum. » Quanta perfectione doctrinæ pariter et vitæ christiani debeant præminere, præsens Scripturæ locus patenter insinuat, plenitudinem temporis gratiæ ab imperfectione præcedentium temporum et perfectionem Evangelii ab inchoatione distinguens legis. « Quum essemus, » inquit, « parvuli, etc. » Tota hæc epistola quæ Galatis scripta est, ad eos specialiter intendit, qui de judaismo conversi, pristinum onus legis reducere volebant, non arbitrantes sufficere ad salutem evangelicæ doctrinæ perfectionem. Quibus se connumerans Apostolus tanquam similiter conversus ait : « Quum essemus parvuli, etc. » Constat parvulos, quum ad disciplinam litterarum applicantur, prius litteralium elementorum figuras vel pronuntiationes addiscere, quam integras orationes valeant formare. Elementa itaque mundi hoc loco dicuntur imperfecta documenta legis, quæ carnali populo et amatoribus mundi, tam doctrina quam vita parvulis, primo per Moysem lata est. Ut enim ad Hebræos idem Apostolus scribit[2] : « Nihil ad perfectum adduxit lex, » sed quod illius imperfectioni ad consummationem justitiæ defuit, abundantia supplevit Evangelii. Unde et Novum Testamentum discipulis Dominus tradens[3] : « Nisi abundaverit, » inquit, « justitia vestra, etc. » Bene etiam documenta legis rudi populo data, litteris comparantur potius quam dictionibus vel orationibus. Litteræ quippe carent significatione. Et intellectus legis tanquam litteræ occidentis mysticis obumbratus verbis, rudi illi populo non patuit. Verba itaque legis quasi litteras Judæi habuerunt, quia in eis spiritales et mysticos sensus non intellexerunt, in quibus præcipue utilitas consistit intelligentiæ. Quæ quidem spiritalis intelligentia legis spiritus vitæ est in rotis, sine qua lex ipsa litteræ comparatur occidenti. Qui enim solo litteræ sensu contenti sunt, et in hoc justitiæ finem sibi constituunt, ipsam sibi litteram in mortem convertunt. Ut enim beatus meminit Hieronymus : « Timere servo-

[1] *Galat.*, cap. IV, v. 3. — [2] *Hebr.*, cap. VII, v. 19. — [3] Matth., cap. V, v. 20.

rum est, amare filiorum. » Sub elementis istis serviunt qui timore pœnarum in lege constitutarum, quum dicitur[1] : « Dentem pro dente, etc., » ad obedientiam coguntur ut servi, non amore ducuntur ut filii. Unde et post modum ipse Apostolus duo testamenta per Agar ancillam, et Saram liberam distinguens[2], illud in servitute, istud in libertate declarat populum Deo generare, et quasi ad obediendum ei creare. Unde et illud servitutis, hoc testamentum dicitur libertatis : illud timoris, hoc amoris : illud inchoationis, hoc perfectionis. De qua nunc perfectione subjungit : « At ubi venit plenitudo temporis. » Plenitudinem temporis perfectam mundi ætatem dicit, post illud tempus parvulorum quod præmisit. Non enim jam parvuli vita vel doctrina christiani dicendi sunt, sicut illi fuerunt. Dicitur etiam plenitudo temporis consummatio eorum, quæ promissa fuerant de adventu Christi. Quale est illud Jacobi patriarchæ[3] : « Non auferetur sceptrum de Juda, etc. » Et illud in Daniele[4] de numero hebdomadum annorum, et de institutionis defectu vel sacrificii, quando inungetur Sanctus sanctorum. Hæc ergo plenitudo quasi quidam est defectus legis, ut quum ritus ejus deficeret, et Moyses defunctus esset, Evangelium legi, et verus Josue succederet Moysi, ut consummarentur in istis quæ incœpta fuerant in illis. « Ubi venit, » inquit. Nam etsi Deus quod promittit differat, nullatenus tardat, sed singula tempora sic disponit, ut in eis peragat quod promittit. Hinc et Habacuc dicit[5] : « Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. » Longe ante adventum Christi, de ipso promissum id fuerat. Aliud est itaque moram facere, aliud tardare. Moram quippe facere est differre per aliquod temporis[6] spatium quod faciendum est. Tardare vero proprie dicitur, quum differtur aliquid, quando debere fieri videtur. Deus itaque etsi differat implere quod promittit, tardare nullatenus potest, quia non segnius id agit quam debet. Quod patenter et in geminatione illa monstratur qua dicitur : « Quia veniens veniet, » hoc est, indilate et absque impedimento, quum oportuerit, id aget. Sollicitus de nostra salute Dominus non tardat implere promissum, prout nobis judicat necessarium. Utinam sic et de illa solliciti, ad obediendum sine tarditate essemus prompti !

« Misit Deus filium suum, » videlicet Pater. Pater quippe sicut a nullo est, sic a nullo mitti potest. Filius vero, vel Spiritus sanctus ab illo mitti ad nos dicuntur, quum aliquid pro nobis vel in nobis agunt : quia sicut ab ipso habent esse, ita et ab ipso quod faciunt habent facere. Quod et patenter Filius tam de ipso quam de Spiritu profitetur, dicens[7] : « A me ipso non loquor, » vel : « A me

[1] *Exod.*, cap. XXI, v. 24. — [2] *Galat.*, cap. IV, v. 24. — [3] *Genes.*, cap. XLIX, v. 10. — [4] Dan., cap. IX, v. 24. — [5] Habac., cap. II, v. 3. — [6] *Tempus* Amb. — [7] Joan., cap. XIV, v. 10.

ipso facio nihil. » Et rursum de Spiritu[1] : « Non enim loquitur a semetipso. » « Suum, » inquit, hoc est proprium et consubstantialem, non adoptivum. « Factum ex muliere, » quia temporalem secundum humanitatem, quam assumpsit de matre qui natus est; non factus secundum æternitatem, quam habet ex Patre. Quidam hoc loco natum ex muliere potius quam factum ex muliere dicunt. Sed diligentius Apostolus factum quam natum hoc loco dixit, ut hanc nativitatem ab illa, quæ de Patre est, patenter distingueret, quum eam temporalem his verbis ostenderet. Beda super Lucam[2] : « Beatus venter qui te portavit, etc. » Neque enim audiendi sunt qui legendum putant, « natum ex muliere, factum sub lege, » sed « factum ex muliere. » In utero virginali carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne. Alioquin nec filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Ne parum videretur pro nobis actum ad humilitatis exemplum, quod de inferiori sexu Dominus est incarnatus, additur quod etiam sub lege factus, hoc est, obedientiam legis non necessitate, sed dispensatione complens. Non enim in eo erant peccata, cui legis sacramenta essent necessaria. Circumcisus tamen est more aliorum, et cum hostiis templo præsentatus, et more feminarum mater ejus purificationem observavit legalem, in qua nihil purificandum fuerat purgandum. Quæ enim virgo de Spiritu sancto concepit et peperit, nihil legi debebat in ritu purificationis.

Quod igitur evangelista dicit[3], « dies purgationis ejus, » in qua, ut dictum est, nihil culpæ purgandum fuerat in lege, ritum, non effectum purgationis, purgationem vocavit. Qui profecto ritus in lege sancitus, quum his tantum mulieribus injungatur, quæ suscepto viri semine pepererunt, patenter ostenditur, nequaquam subjacere huic legi, quæ virgo concepit et peperit. Quod insuper dicitur, « adaperiens vulvam[4], » nihil ad eam pertinere censetur, cujus integritas nulla est apertione dissoluta. Ille quippe clauso utero matris est natus, qui clausis januis, postmodum ad discipulos est ingressus. Sic ergo mater, sicut et filius, legem in sacramentis tenuit, non aliqua, ut dictum est, necessitate, sed magna humilitatis dispensatione. Nec solum sub lege divina obtemperando facti sunt, verumetiam sub humana. De matre quippe legimus, quod cum viro profecta est Bethlehem, ut persolvendi census Cæsaris susciperet legem : ac sub illa profectione quum ibi morarentur, ipsa peperit unigenitum. Qui etiam postmodum non solum, ut dictum est, legi Dei, sed etiam legi obtemperans mundi, censum Cæsari persolvit, quem et persolvere cæteros admonuit, dicens[5] : « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. » Scriptum in Matthæo[6] : « Quum ve-

[1] Joan., cap. xvi, v. 13. — [2] Luc., cap. xi, v. 27. — [3] Luc., cap. ii, v. 22. — [4] Ibid., v. 23. — [5] Matth., cap. xxii, v. 21. — [6] Matth., cap. xvii, v. 23.

nissent Capharnaum, accesserunt qui didragma exigebant ad Petrum, et dixerunt: « Magister vester non solvit didragma? » At ille : « Etiam. » Et quum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: « Quid tibi videtur, Simon? « reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum, a filiis suis an ab alienis? » At ille dixit: « Ab alienis. » Dixit illi Jesus: « Ergo liberi sunt filii. Ut autem non « scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum. Et eum piscem qui primus « ascenderit tolle : et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro « me et pro te. »

Bene ergo factus sub lege dicitur, qui quum nihil penitus legi deberet, sub lege tamen tam Dei quam seculi sese humiliavit, et filius Dei pariter et hominis tam Deo quam homini se per legem subjecit : ne quis forte per elationis timorem, cujuscunque potestatis contemneret prælationem. Ecce, fratres, a censu vel tributo secularium potestatum liberos nos absolvit, qui sibi libertatem vindicare voluit. Filii hominum sumus, et de servili conditione, vel vilissima plebe Deo nos ipsi mancipavimus, et propitios in hoc terrenos dominos habuimus, qui cum suæ dominationis dispendio manumissos dedicaverunt Deo, et ejus dominium prætulerunt proprio. Ipsi domini nostri quum ante nos venerint, submissis capitibus habitum nostrum venerantes, Deum in nobis adorant. Securi jam supplicationem illorum suscipimus, ad quorum conspectum prius trepidabamus. Tanquam dominos suos ipsi nos recognoscunt, quorum grave dominium fugientes, necessitate magis quam voluntate hanc fortasse libertatem elegimus. A lege seculi et intolerabili jugo liberati, illius suave jugum et onus leve suscepimus, cui servire regnare est. Magna hæc dignitas, et egregia libertas, si non tam corporalis sit quam spiritalis, nec tam servitutem hominum fugiamus quam vitiorum. Non enim turpe est aut damnosum hominibus servire, sed vitiis; nec istam tollere servitutem, sed illam Dominus venit. Quem nec Apostolus dicit sub lege factum, ut eos qui sub lege erant redimeret. Quid est hoc, fratres, quod legis suscepit, et sic onus ab eo liberavit, et ut nobis parceret, sibi non pepercit? Quæ ista, quæso, vel ratio fuit, ut non in se illam prius quassaret, et sic postmodum proprio exemplo nos ab ea liberaret? Attendite ergo summi consiliarii summum consilium, et supernæ sapientiæ magnum providentiæ profundum. Certe si legis onus suscipere renuerit, de qua ipse ait[1] : « Usque ad Joannem lex et prophetæ, » videretur eam tanquam non a Deo datam improbare, nec tam eam pro ejus inutilitate, quam pro difficultate præceptorum a se removere. Unde illud est in homelia Joannis episcopi *de Proditione Judæ*[2] : « Ubi vis paremus tibi manducare pascha? » Non illud quod nostrum est, sed Judæorum. Illud quidem discipuli præpa-

[1] Luc., cap. XVI, v. 16. — [2] Marc., cap. XIV, v. 12.

rabant, istud autem quod nostrum est ipse constituit. Sed ipse factus est pascha. Et cur illud manducavit? Quia omnia quæ legis sunt adimplevit. Nam quando baptizabatur dicebat[1] : « Sic enim decet nos implere omnem justitiam. » Item, Deus filium suum misit natum de muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, et ipsi legi requiem daret : et ut nemo dicat quia ideo eam evacuavit, quia eam complere ut molestam et arduam non valuit, ipse prius eam complevit, et sic fecit requiescere.

Factus est itaque sub lege, ut sic competentius nos liberaret a lege, et de servitute legis in libertatem transferret Evangelii, et de timore servorum in amorem traduceret filiorum. Liber quippe est, quem timor ad serviendum non cogit, sed ad obediendum amor spontaneum facit. Quæ duo diligenter idem apostolus attendens, et libertatem filiorum, quorum perfecta caritas foras mittit timorem, a conditione servorum distinguens, quodam loco Romanis scribit[2] : « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus : *Abba,* pater. » Et in hac ipsa epistola[3] : « Vos, » inquit, « in libertatem vocati estis fratres : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur : « Diliges proximum tuum sicut teipsum. » Attendite, fratres, quod quum dixisset : « In libertatem vocavit nos Deus, » statim adjecit, « tantum ne libertatem detis in occasionem carnis. » Tanquam si diceret : Hoc unum in hac obedientia libertatis providentes, ne forte quia legis pœnam non timemus, occasionem de impunitate sumentes, securius carni serviamus, et libertas corporalis deleat spiritalem. Quam et alibi præveniens occasionem, Romanis dicebat[4] : « Peccatum vobis non dominabitur. Non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam? » Quibus patenter verbis dedecorosam et damnosam inhibet servitutem peccati, qui hominibus servire sæpe jubet. Quale est illud[5] : « Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. » Et rursum[6] : « Servus vocatus es? non sit tibi curæ : sed si potes liber fieri, magis utere. Qui enim in Domino vocatus est, servus est; Christi pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. » Quo enim expeditius Deo deservire possimus, minus hominum servitutem appetere debemus. Quam utique si jam incurrimus, injustum est ut debitum eis servitium subtrahamus, cum quo servitus Christi humilius conservatur. Hinc iterum

[1] Matth., cap. III, v. 15. — [2] *Rom.*, cap. VIII, v. 15. — [3] *Galat.*, cap. V, v. 13. — [4] *Rom.*, cap. VI, v. 14. — [5] *Rom.*, cap. XIII, v. 1. — [6] *Corinth. I*, cap. VII, v. 21.

dicit[1] : « Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri sicut Christo : non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus. » Quum enim propter Deum homini servitur, Deo magis quam homini servitium impenditur. Unde scriptum est[2] : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. » Quod ut liberum possit esse servitium, ipse Dominus sub lege factus nos a servitute legis redemit, ut adoptionem filiorum reciperemus. Filius Dei, fratres, facere venit, et ut nos in filios sublimaret de servis. Unde et evangelista meminit dicens[3] : « In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. » Propter quam causam, ut hic idem apostolus ad Hebræos scribit, non confunditur fratres eos vocare, dicens ad Patrem[4] : « Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. » Et in Evangelio ad Mariam loquitur[5] : « Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. » Qui et omnino servorum nomen a filiis removens juxta illud Isaiæ[6] : « Et servos suos vocabit alio nomine, » ait illis[7] : « Jam non dicam vos servos, sed amicos. » Hoc quippe sunt amici Christi, quod filii Dei, amore justitiæ magis quam timore pœnæ Deo subjecti. Hæc vera libertas de qua ipsemet dicit[8] : « Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. » Moyses quanquam fidelis in domo Dei, sicut ipse Apostolus Hebræis scribit, tamen famulus ejus, non filius erat, nec liberare potuit qui servitutem legis attulit.

Christus vero factus pro nobis maledictus, sicut factus sub lege, nos a maledicto legis, et ejus intolerabili jugo quod suscepit, absolvit. Factus est pro nobis maledictum secundum legem, dum ignominiosum crucis patibulum sustinuit, quod in maledictionem, hoc est pœnam reorum, maximeque blasphemorum lex instituerat. Hanc ergo legis maledictionem, hoc est pœnam subiens, ab universo legis maledicto nos absolvit, ut jam nemo nostrum quidquid delinquat, propter præceptum legis debeat puniri; magisque seculi leges ad vindictam malorum sunt reservatæ, quam lex divina, et instituta Cæsaris potius quam Dei : ne videlicet superbus ille Judæorum populus habeat aliquid unde possit gloriari. Has tamen seculi leges nequaquam jussas, sed permissas Christianis intelligimus, ut misericordiæ locus reservetur. Quod nequaquam in lege licebat, quæ ad vindictas omnes ex præcepto cogebat, quum nullum vindictæ præceptum, sed misericordiæ tantum novum habeat testamentum, nec timore pœnæ, sed amore justitiæ malitiam reprimit. Nemo quippe tam innocens est dicendus, qui timore, non

[1] *Ephes.*, cap. VI, v. 5. — [2] *Deuter.*, cap. VI, v. 13; — Matth., cap. IV, v. 10. — [3] Joan., cap. I, v. 11 et 12. — [4] *Hebr.*, cap. II, v. 12. — [5] Joan., cap. XX, v. 17. — [6] Isaiæ cap. LXV, v. 15. — [7] Joan., cap. XV, v. 15. — [8] Joan., cap. VIII, v. 36.

voluntate a malo cessat, magisque animi quam corporis esse malitia est dicenda; sicut virtutes vel vitia ad animum tantum, non ad corpus pertinent. Ut ergo veros innocentes Christus efficeret, necessitatem in voluntatem, et timorem convertit in amorem. Quem videlicet amorem per hoc plurimum ampliavit, atque ad perfectum duxit, quod onus legis voluit suscipere, a quo nos venerat liberare : tanquam per hoc nobis propitius magis factus quam sibi. Unde nunc recte dicitur, sub lege factus, qui legi non erat obnoxius, ut a servitute legis redimeret, quos in Dei filios adoptaret. Ipse quippe unigenitus Dei solus ejus est filius naturalis atque consubstantialis, cujus summa bonitas, quum fratres habere non posset proprios, quæsivit adoptivos; nec solus hæreditatem patris habere voluit, qui cohæredes sibi fecit. Quomodo autem hanc adoptionem filiorum Deus compleret, post missionem filii adnectit Apostolus missionem Spiritus sancti : ut nihil pater consubstantiale habuerit quod nobis per gratiam non impertierit, tam videlicet proprium filium quam Spiritum sanctum ad nos dirigens. Et de Filio quidem ipse Apostolus ad Romanos dixerat[1] : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? » Tanquam si diceret : Qui post tantum donum noluit dare donum. Nunc vero quum dicitur non solum Filius, sed et Spiritus ad nos missus, maxima circa nos divinæ bonitatis sollicitudo monstratur, qui nihil proprium habuit per naturam, quod non communicaret nobis per gratiam. Misit primo filium suum, hoc est coæternam sibi sapientiam, cujus doctrina nos instrueret, ubi salutis summa consisteret. De quo et alibi scriptum est[2] : « Erat lux vera, quæ illuminat, etc. » Misit et Spiritum sanctum, hoc est sui castum nobis infudit amorem, quo sincere eum diligeremus propter ipsum, nec tam in eo commoda nostra quam ejus gloriam, et honorem quærentes.

Hunc Spiritum et ipse Filius tanquam suum dedit. Unde et discipulis insufflans ait[3] : « Accipite Spiritum sanctum. » Hunc et ipse qui misit, ait[4] : « Quum assumptus fuero, mittam eum ad vos. » Hic amor quum nos voluntarie operari facit quod Filius docuit, nos adoptat in filios, quos timore pœnæ non constringit ut servos. Unde nunc dicitur : « Quoniam nunc estis, » hoc est ad efficiendum id quod jam estis, missus est Spiritus, hoc est, caritas Dei diffusa est in cordibus nostris. « Spiritum, » inquit, « filii sui, » ut sicut ille naturalis filius per dilectionem patris obtemperat, factus obediens usque ad mortem, sic et nos adoptivi pro nostro faciamus modulo. « Clamantem *Abba,* » hoc est, recognoscere firmiter nos facientem, quod eum magis pro patre quam pro Do-

[1] *Rom.*, cap. VIII, v. 31. — [2] Joan., cap. I, v. 9. — [3] Joan., cap. XX, v. 22. — [4] Joan., cap. VII, v. 16.

mino habeamus, reverentia filiali, non timore servili obedientes. *Abba*, hebraicum nomen vel syrum, id est quod græce vel latine « pater » dicitur. Ne igitur hæc filiorum adoptio ad solos eos pertinere videretur, quibus de judaismo conversis superius dixerat : « Quum essemus parvuli, etc., » ponit diversa nomina linguarum, quibus nunc in diversis terris invocatur Deus, qui prius in Judæa tantum habebatur notus. Itaque quia videlicet spiritum filii sui nobis dedit, jam non est aliquis nostrum servus per Deum, quia neminem jam cogit obedire timore pœnarum, sed amore spontaneos ducit : « Quod si filius, » inquit, « et hæres. » Servus quippe non manet in domo in æternum, nec perpetuam hereditatis possessionem meretur, quamvis non omnino mercede privetur. Scimus et Judæos nullam de obedientia sua in cœlestibus promissionis remunerationem accepisse, sed tantum abundantiam terrenorum in mercedem eis constitutam esse, quos timor servos, non amor faciebat filios. Ut autem nos homines efficeret filios Dei, et cohæredes suos in regno patris, id est Dei filios, fieri dignatus est filius hominis, ut nostræ particeps infirmitatis communicaret nobis suæ fortitudinem æternitatis, et quum ad ima descenderet, nos ad sublimia sublevaret. Felix commercium nobis, Domine, non tibi, participans nostra, communicans tua, infirmus factus, ut nos fortes efficeremur.

In hujus tantæ gratiæ typum, qua de Adam secundo fuerat Ecclesia formanda, de costa primi Adæ ita est femina creata, ut pro costa Dominus nequaquam in vero costam reportaret, sed pro costa carnem suppleret. Quid enim costa, quæ est osseæ naturæ, nisi fortitudinem, vel quid caro mollis nisi debilitatem figurat? Quum ergo de costa viri mulier creatur, et caro pro costa suppletur, unde vir infirmatus est, inde femina fortis facta est : quia nostræ infirmitatis in Christo susceptio nostra facta fortitudo, et unde ille est infirmatus, nos fortes, ut dictum est, facti sumus. Et hæc quidem costa de Adam dormiente in mulierem est traducta, quia memoria dominicæ passionis ad omnia pro ipso toleranda, fortes nos facit, et unde ipse pro nobis obdormivit in morte, inde nos in præceptis suis facit vigilare, tanquam illud semper cum propheta dicentes[1] : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. » Calicem salutaris accepit, qui passioni communicat Christi. Ex qua et ipse Jesus, hoc est Salutaris sive Salvator est dictus, quia per eam nos salvavit, quam sustinuit. In hoc maxime Christo pro nobis mortuo vicem reddimus, dum usque ad mortem pro eo dimicamus : illud totum implentes quod possumus. Unde et ipsemet ait[2] : « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Sed quia hæc virtus non

[1] Psalm. cxv, v. 12. — [2] Joan., cap. xv, v. 13.

est ex nobis, ipse est invocandus ut hanc nobis conferat, qui exemplo suæ passionis nos ad eam invitat. Ipse Nomen dicitur Dei, qui plenam ejus notitiam mundo attulit. Nomine quippe suo res quælibet declaratur, et quodammodo dignoscitur. Quædam nobis tribuit Deus, quædam retribuit. Nós vero nihil ei possumus tribuere, sed nonnihil retribuere. Ipse quippe est, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate. Ipse nos prævenit ut velimus, ipse nos subsequitur ut possimus; et ipsam voluntatem quam inspirat, adjuvat ne deficiat, voluntatem qua mereamur gratis tribuit, et ipsa merita quæ in nobis efficit, remunerat retributione mercedis. Non enim in nobis remunerat, nisi dona sua, ut tam meritum quam retributio non ex nobis sit, sed ex se nobis ipso. Ipse nobis tribuat per quod mereamur, cujus est retribuere quum meruerimus. Ipse nos offerat patri suo, cui hodierna die cum nostræ carnis substantia præsentatus est in Templo. Ipse quod fidelibus promisit, in nobis compleat; unusquisque nostrum qui eum expectat, cum beato Simone dicere queat[1] : « Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace. » Amen.

IN SEPTUAGESIMA.

SERMO VI.

Ecclesiastes ad hujus vitæ vanitatem et inconstantiam contemnendam nos adhortans ait[2] : « Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. » Et post aliqua, quid nobis in hac mutabilitate et incertitudine vitæ sit faciendum vel expectandum supponit, dicens[3] : « Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi et tempus saltandi. » « Omnia, » inquit, « sub cœlo tempus habent, » hoc est temporaliter mutantur, et more temporis incessanter defluunt. « Sub cœlo, » inquit, non super cœlum : quia hic vanitas, ibi veritas : hic defectus, ibi perennitas : hic incerta prosperitas et miseriæ semper lætitia permixta, ibi sicut indeficiens, ita et inæstimabilis felicitas. « Suis, » inquit[4], « spatiis universa transeunt, » quia quo majus spatium vitæ quilibet habuit, tanto brevius est habiturus, et singulorum vita quanto longior extitit, tanto brevior est futura, et suis incrementis semper ad defectum properat. Id quoque ipsum, quod vitæ dicitur, ita miseriis est implicitum, ut mors potius quam vita sit dicendum; defectus, non profectus sit appellandum : nocti potius quam diei, mœrori magis quam

[1] Luc., cap. II, v. 29. — [2] *Eccles.*, cap. III, v. 1. — [3] Ibid., v. 2. — [4] Ibid , v. 1.

gaudio sit comparandum. Quod philosophi mundi, mundum maxime contemnentes, adeo censuerunt, ut quum se multis annis vixisse cernerent, eos tantum dies ascriberent vitæ suæ, quos se sine molestia recordabantur egisse : vix in centum annis invenientes duos dies, quos ipsi morientes sepulturæ suæ titulo inscriberent, quum dierum vitæ numerum assignarent. Jacob patriarcha, verior Dei philosophus quam mundi, interrogatus a Pharaone quot vitæ dies haberet, quum rex eum conspiceret longævum, respondit[1] : « Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt. » In qua quidem interrogatione vel responsione diligenter nobis intuendum est, quod quum homo gentilis, quasi veræ vitæ ignarus, de diebus vitæ requireret, nequaquam homo sanctus vitam istam reputans vitam suam, peregrinationem vitæ potius quam vitam censuit appellandam esse. Ut enim Apostolus ait[2] : « Dum sumus in corpore, peregrinamur a Deo, » et per exilium properamus ad patriam, et quasi per mortem festinamus ad vitam. Quibus idem alibi Apostolus ait[3] : « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. » Abscondita, inquit, est vita fidelium, sicut manifesta vita reproborum, qui hoc exilium pro patria ducunt, et quasi concives jumentorum, tam corpore quam mente in terram proni, nequaquam quæ sursum sunt quærunt, nec concives esse satagunt angelorum. Terra quippe ista brutis animalibus pro patria, et vita præsens eorum est propria, ad quam solam ipsa constat esse creata tam corpore quam anima hic desitura. Horum igitur recte concives dicendi sunt, qui sensibus magis quam ratione reguntur, et cœlestium obliti ad quæ sunt conditi, solis inhiant terrenis, pecudes magis quam homines vocandi. Qui tanto ardentius vitæ hujus amaritudinem appetunt, quanto futuræ dulcedinem minus advertunt. Ad quam ille vehementer suspirabat inter regias epulas, qui dicebat[4] : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! » Timentibus Deum potius quam mundum, et animæ magis quam corporis damnum. Hæc dulcedo dicitur abscondita, tanquam eis solis in futurum reposita et reservata, non pro reprobis communicanda.

Hoc illud est manna absconditum quod in *Apocalypsi* legimus a Domino fidelibus promissum[5] : « Vincenti, » inquit, « dabo manna absconditum, » hoc est cœlestis panis refectionem. In cujus typum corporale manna refecit in deserto populum, cujus satietatem is quoque ut diximus confidenter expectabat quum diceret[6] : « Satiabor quum apparuerit gloria tua. » Quibus utique hic se semper

[1] *Genes.*, cap. XLVII, v. 9. — [2] *Corinth. II*, cap. V, v. 6. — [3] *Coloss.*, cap. III, v. 1. — [4] Psalm. XXX, v. 20. — [5] *Apoc.*, cap. II, v. 17. — [6] Psalm. XVI, v. 15.

esurire demonstrat, ut ibi satiari mereatur, juxta illud Veritatis[1] : « Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. » « Quum apparuerit, » inquit, « gloria tua, satiabor, » quia quum de ipsa visione, quæ nunc latet, me refeceris, nihil superest requirendum, quousque donec perveniam; quantiscunque interim deliciis affluam, semper mendicum me recognoscam. Qui et alibi ad patriæ suæ beatitudinem totis votis anhelans, et vitæ præsentis exilium deplorans, ingemiscit dicens[2]: « Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar; multum incola fuit anima mea. » Tanquam si diceret : Væ mihi peregrinanti in hujus exilio vitæ, et tam tarde ad patriam venienti ! Quid enim est incolatus, nisi peregrinatio extra proprium solum ? Unde et exilium meminimus dictum. Prolongatum itaque suum dolet incolatum, quia præsentem vitam, qua, dum sumus in corpore, peregrinamur a Deo, et tanquam exules patriam desideramus, qui, ut ait Apostolus[3], « non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus; » sicut et ipse qui dicebat[4] : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo, » gravius sustinemus, et longiorem quam vellemus esse, quum quærimus quanto ad illam, quæ sine fine est, citius pervenire cupimus. Nec solum hanc vitam peregrinationi, verumetiam tenebris comparans, quo graviorem eam demonstret[5] : « Habitavi, » inquit, « cum habitantibus Cedar, » hoc est cum his qui in tenebris commorantur. *Cedar* quippe interpretatur « tenebræ. » Et comparatione supernæ claritatis, tenebræ dicendus est status vitæ præsentis, et nox potius quam dies appellandus. Unde et longæ peregrinationis gravamen replicans, adhuc ingemiscit dicens[6] : « Multum incola fuit anima mea. » Ac si aperte dicat : Multum hic et diu me peregrinari doleo, qui alibi patriam recognosco.

In cujus profecto peregrinationis et patriæ figuram ipse israelitici populi longe postmodum per Babylonios captivati deplorationem describens, ait[7] : « Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus, dum recordaremur Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra, etc. » Duæ quippe sunt electorum et reproborum civitates, quæ hoc loco sub specie Jerusalem et Babylonis describuntur. Altera hic prosperatur, quæ reproborum est, et Babylonia dicitur. Altera hic jugiter per illum afflicta tanto amplius ad supernæ pacis visionem anhelat, quanto graviores pressuras hic tolerat. De hac itaque vita fideles ad supernam mentis oculos erigentes, et tanquam de exilio ad patriam suspirantes, et de captivitate babylonica liberati, ad libertatem civitatis suæ Jerusalem semper anhelant hi, quorum nunc persona psalmus iste compositus, ipsos ad modum exulum deplorantes inducit, quum ait : « Super flumina Babylonis, etc. » Flu-

[1] Luc., cap. VI, v. 21. — [2] Psalm. CXIX, v. 5. — [3] *Hebr.*, cap. XIII, v. 14. — [4] « Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo. » (*Philipp.*, cap. I, v. 23.) — [5] Psalm. CXIX, v. 5. — [6] Ibid., v. 6. — [7] Psalm. CXXXVI, v. 1 et sq.

mina Babylonis vitia sunt, quibus consentiendo si quis ea intraverit, ad Babyloniam, id est confusionem defluit, quia damnationem incurrit. Habet quoque civitas electorum propria flumina, de quibus scriptum est[1] : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. » Et rursum[2] : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Ad differentiam igitur horum bonorum fluminum, noxia flumina sunt Babylonis dicta, sicut est gulositas, luxuria, avaritia, et his similia. Quæ utique tanquam flumina Babylonis fideles attendentes, nequaquam hæc per consensum intrant : sed quasi desuper sedendo premunt, dum eorum motus quasi quosdam intumescentes fluctus in seipsis reprimunt, contrariis virtutibus quasi quibusdam navigii remis ipsos ne prævaleant contendentes[3]. Sic igitur super flumina pestifera sedentes, quæ tanquam obstaculum et impedimentum maximum ad transitum patriæ conspiciunt more captivorum, in recordatione illius a qua se adhuc differri dolent, flere memorantur, quum dicitur : « Et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. »

Sion mons est, in quo civitas Jerusalem sita est. Per hunc ergo montem celsitudo supernæ patriæ, in qua est Jerusalem, id est continua visio veræ pacis, exprimitur. Cujus desiderio fideles accensi ad illam jugiter quasi flentes suspirant, et de hac valle lacrymarum tanquam de captivitate babylonica, quo amplius conscendere cupiunt, differri ab illa gravius gemunt. Ordo congruus prius sedere super flumina, et postmodum fletus referuntur lamenta, quia nemo dum vitiis subjicitur, et voluptatibus subjugatur, erigere se per desiderium ad supernam valet civitatem : nec nisi prius a malo declinemus, bonis faciendis operam damus. Quantum autem voluptates seculi fugiant electi, ne libidinibus depressus animus minus se attollere ad superna valeat, sequentia declarant[4] : « In salicibus, » inquiunt, « in medio ejus suspendimus organa nostra. » Salices infructuosæ sunt arbores, et in humidis locis abundant, ubi diabolus quasi sus immunda volutatur, et quiescit; qui loca inaquosa perambulans requiem non invenit. Unde bene in descriptione Behemot dicitur[5] : « Sub umbra dormivit in secreto calami, in locis humentibus. » Infructuosæ itaque reproborum mentes, in fluxu carnalium voluptatum radicatæ, salices sunt in medio Babylonis plantatæ, et carnalis concupiscentiæ vitiis irretitæ, atque in profundo vitiorum, quod Babylonis intelligatur medium, jam submersæ. Inter tales electi conversantes, quandiu præsens vita tanquam area quædam grana simul continet et paleas, suspendunt organa sua ; dum fletibus magis et lamentis vacantes, a canticis exultationis cessant, tam ærumnas suas vel dilationem patriæ, quam aliorum mortem deflentes. Ut autem organa sua inter tales suspendant, hoc est a vocibus

[1] Psalm. XLV, v. 5. — [2] Joan., cap. VII, v. 38. — [3] *Contundentes* Amb. — [4] Psalm. CXXXVI, v. 2. — [5] *Job*, cap. XL, v. 16.

gaudii cessent, ne illas in terra maledictionis deponant, quas cœlo potius reservandas judicant, subinferunt : « Quia illic, etc. » Hoc est, qui nos captivaverant, nobis insultantes, et solemnitatum nostrarum celebrationem irridentes, tanquam Deus quem colimus nos de manibus eorum liberare non possit. « Interrogaverunt nos verba cantionum, » hoc est, illudentes improperabant nobis, ut nunc quoque cantaremus more pristino. Ac si aperte dicerent, causam hujus rei manifestam esse, quia vanis canticis illi nos constat deseruisse, de cujus plurimum confidebamus ope. Unde et has laudes divinas non tam cantica quam cantilenas et figmenta quædam judicant appellandas.

Satellites isti prædonesque babylonici, per quos captivamur, et de amœnitate paradisi, quo quiete vix unus tanquam de terrena Jerusalem in has miserias dejecti sumus, dæmones intelliguntur. De quibus adhuc subditur : « Et qui abduxerunt nos, » hoc est, ab illa nos excusserunt amœnitate, dicebant, subaudis : « Hymnum cantate nobis de canticis Sion. » Quod est dicere : Laudem illam Dei, quam dicebatis Jerusalem in illis canticis vestris, ad nos convertite : tanquam divino cultu derelicto dæmonibus serviendo, qui subjectis promittunt quæ dare non possunt. Quorum unus in tantam prorupit insaniam, ut ipsi fidelium capiti dicere auderet[1] : « Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. » Quorum quidem illusioni competenter respondent electi, et eorum electionem manifesta refellunt oratione, dicentes[2] : « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ? » Hoc illud est veritatis documentum, quo fidelibus præcipit[3] : « Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas vestras spargatis ante porcos, » quia immundis et irrisoribus divinorum verborum, et more canum ad hoc oblatrantibus, non sunt eloquia committenda divina, ne vilescere videantur irrisa. Terram alienam dicit infidelium vitam a sorte fidelium exclusam, et dæmonibus magis quam Deo subjectam. In hac itaque tam manifesta dæmonum possessione laudes Dei penitus sunt reticendæ, et lamenta potius assumenda quam cantica. Quibus, ut dictum est, lamentis non solum patriæ dilationem in miseriis hujus peregrinationis deploremus, sed magis diabolicas fraudes, per quas tot miseri deluduntur.

Hic tempus flendi nobis debetur, alibi ridendi promittitur. De quo et Ecclesiastes post illa, quæ in exordio sermonis præmisimus, verba, subjecit post aliqua[4] : « Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi, et tempus saltandi. » Prius inquit flendi sive plangendi, et postmodum ridendi seu saltandi : quia deplorandæ sunt præsentes miseriæ, ut de his liberatis veræ succedant gaudia lætitiæ. Unde et Psalmista[5] : « Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. »

[1] Matth., cap. IV, v. 9. — [2] Psalm. CXXXVI, v. 4. — [3] Matth., cap. VII, v. 6. — [4] *Eccle.*, cap. III, v. 4. — [5] « Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. » (Psalm. CXXV, v. 4.)

Quod per semetipsam Veritas[1] : « Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis quum vos oderint homines, et exprobraverint propter filium hominis : gaudete in illa die, et exultate. Ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Verumtamen væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis saturati, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quoniam lugebitis et flebitis. Væ vobis, quum benedixerint vobis omnes homines. » Et alibi hanc reproborum et electorum sortem distinguens[2] : « Mundus, » inquit, « gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. » Quam mox tristitiam et subsecuturum gaudium in comparationem mulieris parientis conferens, ait[3] : « Mulier quum parit, tristitiam habet. Quum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium. » Quid enim partus mulieris cum dolore parientis, nisi opera fortia sunt animæ fidelis, quæ per filium magis quam per filiam designantur? Hæc illa sunt fidelium semina, de quibus supra meminimus : « Qui seminant in lacrymis, » hoc est in hujus vitæ pressuris tanquam hieme quæ colligant in æstate. Seminemus et nos, carissimi, flentes, quæ metamus ridentes. Ad quod nos præcipue ipsa quoque præsentis temporis institutio admonet, quod in lamentis pœnitentiæ prævenit lætitiam resurrectionis dominicæ. Ubi et illæ speciales gaudii voces : « Alleluia, etc., Gloria in excelsis Deo, » subtractæ, mœroris potius quam lætitiæ tempus istud insinuant esse, et planctus magis quam cantici. In quo ad modum captivorum, quos diximus, organa nostra suspendentes, et a canticis cessantes, mœrori magis quam exultationi vacare nos convenit, semper attendentes exilium quod sustinemus, et ad patriam suspirantes, ad quam creati sumus. Cujus quidem patriæ felicitas in resurrectione capitis membris est exhibita, sed nondum in ipsis completa. Unde tanto ardentius nos convenit ad illam suspirare, quanto certius in capite novimus hanc completam esse; ut nec post luctum pœnitentiæ perfectis desint dilationis lacrymæ dissolvi cupientibus, et cum Christo esse. Totum itaque tempus vitæ præsentis in lacrymis deducendis vel pœnitentiæ vel dilationis, sicut est prædictum, hoc temporis intercapedo, a præsenti scilicet die usque ad octavas Paschæ, unde ipsa dicta est septuagesima, nobis figurat. Quid enim dies octavus dominicam resurrectionem subsequens, nisi communem fidelium exprimit resurrectionem? Quæ tanto securius expectatur a membris, quanto illa certius in capite præcessit. Cujus desiderium ipse sic in nobis semper augeat, ut de hac peregrinatione ad patriam, de hac valle lacrymarum ad supernæ felicitatis trahat gaudium. Amen.

[1] Luc., cap. VI, v. 21. — [2] Joan., cap. XVI, v. 20. — [3] Ibid., v. 21.

IN RAMIS PALMARUM.

SERMO VII.

Hodierna solemnitas et tanquam imperialis pompæ triumphalis jucunditas, qua Dei filius regio more a turbis est susceptus, et tanquam filius David recognitus et salutatus, longe antea fuit ab ipso David prophetata, exhortante nos ad eam revelatione prophetica[1] : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus, et lætemur in ea. O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare : benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini; Deus Dominus, et illuxit nobis. Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris. » Quos enim ædificantes hoc loco dicit, nisi sacerdotes judaici populi, qui subjectos per fidem Christi ædificare deberent in templum Dei? Hoc ipsum destruere nitebantur fundamentum, in quo erigendum fuerat ædificium. Ut enim Apostolus ait[2] : « Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, » quod est Christus Jesus. Hæc est illa petra, in cujus fide fundata perseverat Ecclesia, sicut et ipse Petro ait[3], cui eam commisit. Hic est lapis sine manibus de monte abscisus, qui hoc loco ab ædificantibus dicitur reprobatus, a turbis hodie recognitus est et susceptus : ut quum ædificatores respuerent, ædificandi susciperent; et excæcatis magistris, illuminarentur discipuli, et in condemnationem seniorum resonarent pueri laudem Dei. Referente Joanne, novimus quod hodie Jerosolymis multa jam erat turba non solum ex Judæis, verumetiam ex gentibus, qui convenerant ad proximam Paschæ solemnitatem. Sic enim de gentilibus et ipse adjecit[4] : « Erant autem gentiles quidam ex his qui ascenderant, ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, et rogabant eum dicentes : « Domine, volumus Jesum videre. » Venit Philippus, et dicit Andreæ. Andreas rursus et Philippus dixerunt Jesu. Jesus autem respondit eis, dicens : « Venit hora ut clarificetur filius hominis. »

Ab his itaque gentilibus pariter et plebe judaica Dominus hodie susceptus, tanquam lapis reprobatus ab ædificantibus in caput anguli est a Domino constitutus : sicut de illo lapide sine manibus absciso dictum est, quod in montem

[1] Psalm. CXVII, v. 22 et sq. — [2] *Corinth. I*, cap. III, v. 10. — [3] Matth., cap. XVI, v. 18. — [4] Joan., cap. XII, v. 20.

magnum cresceret et universam terram impleret. In angulo domus duo parietes conveniunt, nec nisi conventu duorum angulus fieri potest. Novimus in Ecclesia, quæ domus Dei est ex Judæis et gentibus congregata, quasi duos parietes sibi convenientes erigi, sicut hodie cœptum esse legimus. Unde et ipse Dominus ait[1]: « Venit hora ut clarificetur filius hominis. » Tanquam si diceret: Jam est incœptum de multiplicatione fidelium in utroque populo, per quod maxime filius hominis sit postmodum glorificandus, ut dum a principibus Judæorum reprobatur, ab universo mundo suscipiatur. Factus est itaque in caput anguli, hoc est a Domino constitutus, ut in hac junctura duorum parietum, tanquam in angulo quodam convenientium ipse fidelibus præsit universis, sicut caput in corpore cæteris membris, et tanquam una persona ex ipso fiat Ecclesia, in qua ipse sit caput, et illa corpus. Hoc et ipse Dominus hodie per semetipsum declaravit, quum Jerosolymam veniens tam asinæ primum quam pullo postmodum insedit. Asina quippe mater pulli fidelis est populus primo ad Christum ex Judæis conversus, sicut apostoli et cæteri fideles in primitiva Ecclesia, qui postmodum sua prædicatione gentilem populum ad fidem convertendo, tanquam mater illum pariendo genuerunt Deo. Quorum unus ex eis dicebat[2]: « Filioli mei, quos adhuc parturio, donec Christus formetur in vobis. » Et iterum[3]: « In Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui. » Sedere autem Christum super utrumque populum, est eis tanquam equitem et rectorem præsidere, et eos quos justificat per gratiam inhabitare. Unde et in *Proverbiis*[4] anima justi sedes dicitur sapientiæ, hoc est habitatio Christi, quia sapientia dicitur Dei. Cum his, super quos sedet, Jerosolymam venit, quia eos tantummodo quibus hic regendo præsidet ad cœlestem Jerusalem æternæ pacis visionem introducit. Hos quoque duos populos per asinam et pullum Jacob patriarcha designavit, quum in typo Christi Judam filium suum, de quo ipse ortus est, benedicens ait[5]: « Et ipse erit expectatio gentium, ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam. » Ipse quippe Dominus discipulis ait[6]: « Ego sum vitis, et vos palmites. » Ad vitem itaque, hoc est ad teipsum, Domine Jesus, asina est ligata, et ad vineam pullus, hoc est ad palmites ipsius vitis: quia tu, Domine, propria prædicatione primos ex Judæis fideles tibi copulasti, per quos et postmodum gentiles convertisti, et eis aggregasti, qui tuam minime viderunt in carne præsentiam.

Hoc ipsum igitur quod tam asinæ quam pullo Dominus insidens exhibuit, hoc præsens versiculus psalmi, longe ante præcinit, dicens: « Hic factus est in

[1] Joan., cap. XII, v. 23. — [2] *Galat.*, cap. IV, v. 19.— [3] *Corinth. I*, cap. IV, v. 15. — [4] « In corde prudentis requiescit sapientia. » (*Prov.*, cap. XIV, v. 33.) — [5] *Gen.*, cap. XLIX, v. 10. — [6] Joan., cap XV, v. 5.

caput anguli, » hoc est constitutus a Deo in caput, ut diximus, duorum parietum, in una domo Dei sibi conjunctorum. A quo vero tam magnum quid factum sit, supponitur quum dicitur : « A Domino factum est istud. » In quo patenter ostendit frustra eos laborasse, qui quod disposuerat Deus nitebantur evertere. Unde et in mortem ejus conspirati dicebant[1] : « Videtis quia nihil proficimus. Ecce mundus totus post eum abiit. Et est mirabile in oculis nostris. » Quid enim mirabilius in oculis hominum, quam divinæ dispositionis profundum, de quo ipse ait[2] : « In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant ? » Ecce doctores legis quem in lege promissum expectabant venturum, venientem tanquam incognitum reprobaverunt. Erraverunt magistri, in quo non erraverunt discipuli. Cæcitas ex parte facta est in Israel, ut plenitudo gentium subintraret. Fracti sunt olivæ rami naturales, ut sylvestris insereretur oleaster. Peculiaris ille quondam Dei populus ex magna parte Deum reprobando meruit reprobari a Deo, et quasi filiis alienatis, in eorum locum successerunt alieni. Quod altissimum Dei consilium in tantam admirationem venit mentibus fidelium, ut ipse Apostolus super hoc exclamans dicat[3] : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit ? » Ad hujus temporis plenitudinem gratiæ exultare admonemur, et lætari, quum dicitur : « Hæc est dies, etc. » Tanquam si diceret : Hoc est illud tempus fidelibus optatum, quod per semetipsum Dominus copia replevit omnium bonorum. « Exultemus, » inquit, « et lætemur. » Ingeminat gaudium, prævidens in duobus populis Ecclesiæ crementum. Ad hanc itaque temporis gratiam totis votis ipse psalmographus anhelans, in quam suam et omnium fidelium salutem expectabat futuram, exorat dicens : « O Domine, salvum me fac. » Me, inquam, qui te recognosco, qui in te solum tanquam omnium Jesum, id est Salvatorem, spem totam constituo; quantacunque cæcitate populus meus sit percutiendus. Et ut salvum facias, « bene prosperare. » Hoc est, prospere agas in omnibus quæ disponis, tuæ voluntati obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Quantum autem prosperari debeat in his quæ agit, demonstrat quum supponit : « Benedictus qui venit in nomine Domini. » Benedictus, inquit, hoc est a Deo sanctificatus, et ex utero matris omnibus donis Spiritus sancti consummatus. In nomine Domini, sicut et ipse ait[4] : « Ego veni in nomine patris mei : et alius veniet in nomine suo, et eum suscipietis. » In nomine Patris venit, qui non propriam gloriam, sed Patris quærit; nec tam nosci vult ut honoretur, quam eum cognosci facit ut glorificetur.

[1] Joan., cap. XII, v. 19. — [2] Joan., cap. IX, v. 39. — [3] *Rom.*, cap. XI, v. 33. — [4] Joan., cap. V, v. 43.

Qui venturus est, inquit, quoniam tempore prophetiæ hoc erat futurum, quod in nostro novimus esse completum.

Adeo autem ad præsentem diem psalmus iste pertinet, ut hæc ipsa verba psalmi populus hodie acclamaverit in laudem Domini. Unde et Matthæus meminit : « Turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant dicentes[1] : « Hosanna filio David : Benedictus qui venit in nomine Domini. » Hinc et Hieronymus Damaso *de Hosanna* scribit his verbis[2] : « Ipsa hebræa verba ponenda sunt : in CXVII psalmo, ubi nos legimus : « O Domine, salvum me fac, etc., » in hebræo legitur : *Anna Adonay, Hosianna, etc.* Et quia *Hosianna*, quod nos corrupte propter ignorantiam dicimus *Hosanna,* salvifica, sive salvum me fac, exprimatur, omnium interpretatione signatum est. » Et post aliqua[3] : « Hebræi habent interjectionem, ut quando volunt Dominum deprecari, dicant : *Anna* Domine, quod Septuaginta interpretati sunt : O Domine. *Hosi* ergo salvifica interpretantur, *anna* interjectio deprecantis est. Si ex duobus velis compositum verbum facere, dices *Hosianna,* sive ut nos loquimur *Hosanna,* media vocali littera elisa. » Item : « Ubi nos legimus in latino : « O Domine, salvum me fac, o Domine, bene pro- « sperare, » juxta hebræum legere possumus : Obsecro, Domine, salvum me fac ; obsecro, Domine, prosperare. Matthæus, qui hebræo sermone scripsit, ita posuit : *Hosanna barrama,* id est Hosanna in excelsis. » Tale est ergo juxta Hieronymum : « Hosanna in excelsis, » tanquam si diceret : Precamur, Domine, ut veram nobis salutem conferas in cœlis.

« Benediximus vobis. » Post benedictionem salvationis Domini, qui factus est in caput anguli, ad benedictionem quoque membrorum tanquam duorum parietum ad eum conjunctorum convertens verba, dicit Psalmista : « Vobis de domo Domini existentibus, et in ea tanquam duobus erectis parietibus, vobis, inquam, benediximus, etc., » hoc est : Pro sanctificatione vestra, et Ecclesiæ multiplicatione futura, nos prophetæ Domini sæpe rogavimus, et tanquam de re jam completa certi, eum laudavimus. In hujus typo futuræ benedictionis super utrumque populum, Jacob patriarcha filios Joseph, Ephraim, et Manasse, manibus cancellatis, hoc est in modum crucis obligatis, legitur[4] benedixisse. Ubi quidem patenter innuitur utriusque populi salvationem futuram in Christi consistere passione, et hanc benedictionem tam ipsi Jacob, quam Isaac et Abrahæ in eorum semine promissam esse. Ac ne forte quisquam quæreret a propheta tam longe ante adventum Christi existente, quis hoc ei ceterisque revelaverit de longinquo, tanta cæcitate in Israel facta de proximo, ut subintraret gentium plenitudo, quasi respondens ait : « Ipse idem Dominus, qui nunc per semetipsum apparens

[1] Matth., cap. XXI, v. 11. — [2] *Opp.* t. IV, part. I, col. 146. — [3] *Opp.* t. IV, part. I, p. 146. — [4] *Genes.*, cap. XLVIII.

istos illuminavit, nobis quoque super hoc longe ante illuxit. Constituite diem solemnem. » His præmissis, quasi conclusionem supponit, qui nos exhortatur ad solemnitatem præsentis diei, tanquam sic inferens dicat : Quandoquidem ita Dominus in duobus populis Ecclesiam multiplicavit in figura, quorum qui præcedebant et qui sequebantur hodie Dominum suscepisse referuntur et benedixisse. Igitur et quicunque fideles in memoria tanti beneficii gratias acturi : « Constituite diem solemnem in condensis, » hoc est in magna multitudine populi, et quasi densitate quadam spiritalium arborum incomparabilibus illis ramis palmarum vel olivarum, quas hodie populus accepit, significatarum. Quid enim illi rami vel frondes de arboribus avulsæ prætendebant, nisi utriusque populi aggregationem de massa peccatorum assumptam? In quorum repræsentationem, populus fidelium hodierna die arborum ramis vel frondibus, quas gestavit, totam Ecclesiam usque ad altare, quasi frutetorum replent densitate : ut juxta litteram quoque videatur accipi quod dicitur : « In condensis usque ad cornu altaris. » Mystice autem cornu altaris dicitur sacrificium Christi. Per altare quippe sacrificium, per cornu altaris extremitas ejus intelligitur. Sacrificium itaque Christi, quod veteri sacrificio legis successit, per cornu altaris figuratur, quum sit extremum hoc sacrificium, et suprema hostia complens ceteras. In cornu quoque altaris, tanquam in angulo quodam, duo altaris latera sibi junguntur : ut quemadmodum Christum factum superius diximus in capite anguli, ad quem duo populi junguntur; ita etiam dicamus ad sacrificium Christi duos ritus sacrificii convenire, sacrificii sancti Melchisedech in pane et vino, et sacrificii legis in carnalibus hostiis. Utraque quippe sacrificia in figura nostri præcesserunt, et in significatione illius convenerunt. Constat etiam animalia cornuta, quum in transgressum pugnæ venerunt, vim maximam et robur pugnandi in rigore et fortitudine cornuum habere. Quum igitur Christus pro nobis immolatus virtute hujus sacrificii diabolum straverit, quasi cornu suo eum vulneravit, atque vulneratum dejecit.

Bene itaque per cornu altaris, sacrificium Christi tanquam vituli nostri figuratur, quum hoc efficax et forte, ut dictum est, fuerit in pugna, corneum magis dicendum quam carneum; rigidum, non molle; robustum, non debile. Usque ad hoc cornu altaris celebratio nostræ porrigitur solemnitatis, quum tantæ victimæ dignitate festivitates decorantur christianæ. Ad hoc cornu altaris specialiter hodierna solennitas pervenit, quum in ejus missa primum Christi passio recitatur, qua pro nobis ipse est immolatus. Hac die Dominus Jerosolymam veniens passioni se obtulit, decima videlicet tunc die mensis, sicut ex evangelio perpenditur Joannis[1].

[1] Joan., cap. XI, v. 46; cap. XII, v. 1 et sq.

Ibi quippe habemus quod post resurrectionem Lazari, Judæis in mortem Domini jam omnino conspiratis, ipse Dominus jam non palam ambulabat apud eos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. Deinde quum jam pascha proximum esset, venit Bethaniam ante sex dies paschæ, quasi ad victimam verus agnus accedens, capiendus in pascha ut immolaretur. Inde in crastinum veniens Jerosolymam susceptus est hodie a turbis, et tanquam rex Israel, et David regius hæres recognitus et salutatus. Quinto itaque die ante illud pascha Judæorum, hoc est hodie, qui decimus dies mensis hujus, venit rex in Jerusalem. Pascha enim celebratur in quartodecimo die. Decimo autem voluit ideo ingredi, quia ita præfiguratum erat in lege, ubi præcipitur [1] : « Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. » Et paulo post [2] : « Et servabitis eum usque ad quartamdecimam diem mensis hujus. Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. » Decima autem die mensis primi, agnus qui in pascha immolaretur domum introduci jussus est, quia Dominus decima die ejusdem mensis, hoc est ante quinque dies paschæ, in civitatem in qua pateretur erat ingressurus. Hanc igitur diem secundum mysterium legis competenter elegit, qua se, ut dictum est, offerret passioni, quam antea nonnunquam refugerat sese abscondendo, vel tentus a Judæis libere per medium eorum transeundo, vel frequenter ab eis declinando, quia nondum venerat ejus hora. Qua profecto die quo magis honorifice suscipi voluit a turbis, et ingressus templum ejecit inde libere omnes vendentes et ementes, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit, et his expulsis, accedentes ad eum cæcos et claudos in ipso templo sanavit, eo amplius invidiam perversorum contra se commovit, ut quod jamdudum voluerant perficere maturarent, et ab eo daretur facultas, in quibus præcesserat voluntas. Ipse quippe est, qui ait [3] : « Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam. » Nemo quippe vim ei facere potuit, ut tanquam invitum et coactum occidere, vel etiam comprehendere posset. Ut autem majori incitarentur invidia, qui de morte Domini jam tractabant, et Deo magis indignarentur, quo amplius eum honorari viderent, tantum sibi honoris hodie permisit exhiberi, quantum nulli regum legimus exhibitum. Ut enim de divinis laudibus taceamus, et ramos vel frondes quos in via sternebant prætereamus, quam mirabilis fuit illa singularitas honoris, qua plurima turba sub pedibus vilium jumentorum prosternebant vestimenta, nec pedibus illis, quibus ipsa Dominum bajulabat, contingi tolerabant! In quo nec modicum advertendum est mysterium. Quibus enim cœlestis præsidet diis [4] nequaquam terram suis con-

[1] *Exod.*, cap. XII, v. 3. — [2] Ibid., v. 6. — [3] Joan., cap. X, v. 18.— [4] Sic Edit. Amb.

tingunt pedibus, quia quorum desiderium conversatur in cœlis, eorum affectus non adhærent terrenis; nec animos suos dejiciunt in caducis, qui sursum Christum quærentes solis inhiant æternis. Quos ut imitari possimus, rogamus te, Domine Jesu, ut nos quoque tua facias jumenta, quibus in fidem et regendo digneris præesse, Salvator mundi, cui dicitur in alio psalmo[1] : « Homines et jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus. » Amen.

IN EADEM DIE.

SERMO VIII.

« Erat autem spelunca et lapis superpositus, et ait Jesus : « Tollite lapi« dem, etc.[2].» Miserationes Domini universis operibus ejus Psalmista præferens ait[3] : « Et miserationes ejus super omnia opera ejus. » Miserationum itaque Domini recordantes, tanto hinc eum amplius glorificare debemus, quanto hæc ejus opera cæteris præesse, et magis necessaria nobis cognoscimus esse. Unde et a turbis hodie meruit honorari, maxime quod mœrentium sororum Lazari miseratus, suscitatum eis reddidit fratrem jam in monumento quatuor dies habentem. Ut enim Joannes scribit, propter hoc hodie turba ei obvia venit, quoniam hoc audierant factum. Ad quod tanquam hodiernæ festivitatis originem oculos mentis reducentes, tanto diligentius ejus mysterium intueri debemus, quanto hæc magna Domini misericordia majorem tribuit peccatoribus consolationem. Tres quippe mortuos a Domino legimus suscitatos, quibus universa peccatorum genera doctores nostri dixerunt figurari. Suscitavit enim filiam archisynagogi adhuc in domo jacentem antequam foras efferretur. Suscitavit filium viduæ extra portam civitatis Naim jam deportatum. Suscitavit et hunc, de quo nunc nobis sermo est, videlicet Lazarum, quum jam in monumento quatuor dies haberet. Unde et quatriduanus mortuus dicitur. Tres igitur isti mortui tria peccantium genera signant, qui per præsentiam divinam inspirante gratia reviviscere dicuntur : et felicius isti a morte animæ, quam illi[4] a morte corporis per Dominum suscitantur.

Puella quidem mortua, quæ adhuc in domo tenebatur clausa quando est su-

[1] Psalm. XXXV, v. 7. — [2] Joan., cap. XI, v. 38. — [3] Psalm. CXLIV, v. 9. — [4] *Illæ* Amb.

scitata, illos significat peccatores, quorum peccata mente tantum concepta, nondum per operationem exterius sunt progressa. Juvenis autem extra portam delatus eos significat, quorum peccata jam in effectum proruperunt, ut videri jam ab omnibus possint. Lazarus vero, non solum sepultus verum etiam quatriduanus, eos significat, qui longa consuetudine peccandi magna peccatorum mole premuntur, et divinæ consuetudinis exemplo, alios etiam corrumpunt : unde et fœtere dicuntur. Tres itaque mortes animæ, tres isti mortui, ut diximus, designant : peccatum scilicet cogitationis, hoc est contemptum Dei adhuc in mente latentem, nondum progressum in operationem; et peccatum operationis, hoc est, jam per operationem apparens, atque peccatum consuetudinis, et jamdudum in operatione habitum. Hæc tria genera peccatorum tanquam tres animæ mortes in capite I psalmi a beato viro dicuntur removeri, quum talis ipse describitur, qui non abierit in consilio impiorum, non steterit in via peccatorum, non sederit in cathedra derisorum. At quoniam resurrectio Lazari ad præsentem, ut diximus, solemnitatem maxime pertinere dignoscitur, mysterium ejus sermo noster ut cœpimus prosequatur. Quod ut faciat diligentius, paulo historia altius replicetur.

Refert itaque Joannes, quod, quum facta essent encænia in Jerosolymis, et ibi esset Dominus Jesus, et quærerent eum Judei apprehendere, exiit de manibus eorum, et abiit iterum trans Jordanem, ubi fuerat Joannes baptizans, et mansit illic. Et tunc, Lazaro jam languente, miserunt ad eum sorores ejus Maria et Martha, dicentes[1] : « Domine, quem amas infirmatur. » Quo audito, mansit Dominus in eodem loco duobus diebus. Deinde, quum dixisset discipulis Lazarum interim mortuum esse, venit Bethaniam cum ipsis, et invenit Lazarum quatuor dies jam in monumento habentem. Et suscitaturus mortuum, pervenit ad sepulcrum. « Erat autem, » ut diximus, « spelunca et lapis superpositus ei.» Et ait Jesus : « Tollite lapidem. » Ut ergo tulerunt lapidem, voce magna clamavit Jesus : « La- « zare, veni foras. » Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dicit eis Jesus : « Solvite eum, et sinite « abire. » Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam, et viderant quæ fecit, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus. Collegerunt ergo pontifices et pharisæi concilium, et dicebant : « Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes « credent in eum, etc. » Ex quo profecto liquet, ex hoc denique miraculo adversus Dominum Judæos maxime commotos fuisse, et in ejus nece ex tunc præcipue conspirasse : tanquam eum occidendo possint delere, per quem mortuos

[1] Joan., cap. XI, v. 1 et sq.

noverant suscitatos esse, quasi mortuus non posset resurgere post triduum, qui quatriduanum suscitaverat Lazarum. Cujus quidem resuscitatio tanto diligentius descripta est ab evangelista, quanto plenius nostræ salutis continet mysteria, quos quotidie divina misericordia felicius, ut diximus, resuscitat a morte animæ, quam tunc et semel Lazarum a corporis morte. Lazarus quippe, ut diximus, jam sepultus, et quatriduanus mortuus, illum significat peccatorem, qui longa consuetudine peccati interim dejectus est in profundum, ut in illo profundo tanquam in sepulcro putrescat quatriduanus, nec se tantum perimens, verum etiam alios exemplo quasi fœtore quodam suæ putredinis corrumpens. Unde et bene fœtere describitur quasi quatriduanus. Quatuor enim dies quos in monumento habuit, universitatem peccatorum exprimunt, quibus quisque pessimus est involutus, tanquam in illo profundo vitiorum sepultus, de quo scriptum est[1] : « Peccator quum in profundum vitiorum venerit, contemnet, » quia quum in longa perstiterit consuetudine peccandi, quæ jam ei facta est quasi altera natura, gravi jugo ipsum deprimit, salutiferas fidelium exhortationes vel divina monita respuens contemnit. Unde ipsi necessarium est, ut pro illius obstinatione devotio fidelium intercedat, ut interventu eorum divinæ gratiæ respectum assequatur, quo illi pœnitentiæ gemitus inspiretur, et conversus salvetur. Unde bene pro fratre Lazaro sanando sorores ejus intervenerunt, ejus infirmitatem Domino nuntiando. Quem ad subveniendum invitantes, satis hoc esse consuerunt, ut Domino nuntiarent amici sui mortem, et propriam de infirmitate fratris desolationem. Sic enim mandantes dixerunt: « Domine, ecce quem amas infirmatur. » Nec addiderunt : Veni et cura eum; nec tam orando quam nuntiando quod volebant postulaverunt. Satis enim crediderunt Domino nuntiare anxietatem amici sui, atque suam; tanquam illud proverbium attendentes : « Amicus et medicus in necessitate probantur. » Unde satis æstimaverunt amicitiam fieri quum dicunt : « Ecce quem amas. » Magna fiducia earum in hac sua petitione plurimum nos confirmat, ut nihil hæsitantes a Domino necessaria constanter postulemus. Interveniunt pro infirmo nondum mortuo, quia vivis adhuc, non defunctis supplicatio fidelium proficit ut salubrem pœnitentiam habeant.

In Maria et Martha universi fideles comprehenduntur, tam contemplativæ scilicet vitæ quam activæ. Quarum orationes dum sibi conjunguntur, facile pro aliis quoque impetrant quæ illi non merentur. Et notandum quod, adveniente Domino Bethaniam, Martha occurrit illi. Maria autem domi sedebat. Ex quo diligenter activorum et contemplativorum vita describitur. Activi quippe sunt, qui circa proximi causam maxime occupati, temporalia bona procurant, ut habeant unde tri-

[1] « Impius quum in profundum venerit peccatorum, contemnet. » (*Prov.*, cap. XVIII, v. 3.)

buant necessitatem patienti; et in exterioribus actionibus laborantes, illa implent opera misericordiæ, de quibus illis Dominus dicturus est[1] : « Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc. » Contemplativa vero est vita, quæ amore Dei vehementer succensa, tanto sincerius ei vacat, et in ejus contemplationem, et status supernæ vitæ oculos meritis perfectius erigit, et eo magis in hac speculatione suspensa delectatur, quanto a curis sæculi amplius remota quiescit. Martha itaque tanquam in exteriori administratione occupata, Domino venienti statim occurrit, Maria vero domi sedens quiescit, nequaquam istis visibilibus intenta bonis, sed supernis inhians gaudiis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit. Quam etiam evangelista in tantum quietem suam amare describit, ut nequaquam de domo egressa, nisi a Domino prius vocata, quum ei videlicet Martha diceret : « Magister adest, et vocat te. » Nonnunquam viri contemplativi de secreto intimæ quietis, Deo inspirante, coguntur exire, et populo illo postulante, curis implicantur ecclesiasticis, sicut in beato factum est Martino. Quanto autem contemplativorum major religio ferventiori studio adhæret Deo, tanto Mariæ devotionem evangelista magis commendans ait[2] : « Maria autem, quum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus. Et dixit ei : « Domine, si fuisses hic, non esset « mortuus frater meus. » Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea plorantes, etc. » Nequaquam enim Martha, quæ Domino prior occurrerat, vel ad pedes ejus adorando prostrata, vel super fratre dicitur lacrymata. Prior ad Dominum Martha venit, quoniam activa vita licet in meritis sit posterior, naturaliter tamen in ordine temporis est prior. Ut enim beatus meminit Gregorius a minimis quisque inchoat, ut ad majora perveniat. Et imperfectior activorum vita quædam est fidelium inchoatio, in qua se prius exerceant, quam ad perfectionem contemplationis conscendant.

Quod vero Dominus Lazarum suscitaturus infremuisse spiritu, et seipsum turbasse dicitur, hoc in seipso exhibuit quod misericorditer in nobis agit. Quo enim quisque pœnitens majora commiserit, magis horrore gehennæ infremere ac turbari cogitur de peccatorum suorum magnitudine. Hic vero qui quatriduanus mortuus dictus est, per hos quatuor dies, quos jam in morte habuerat, omni peccatorum genere contaminatus fuisse innuitur. In eo quippe tam cogitationis quam operationis peccatum præcedens in consuetudinem venerat, et tandem alios per exemplum corrumpendo, in morte pariter tam aliorum quam propria consummatum erat, primo, ut dictum est, in cogitatione, secundo habitum in opere, tertio dictum in consuetudine, quarto in aliorum corruptione. Quod vero Dominus interrogat : « Ubi posuistis eum? » tanquam ignorans sepulcri locum; hoc

[1] Matth., cap. xxv, v. 35. — [2] Joan., cap. xi, v. 20, 21.

nobis insinuat, tales maxime a Deo ignorari, quorum opera magis improbat, juxta illud quod reprobis ait[1] : « Amen dico vobis, nescio vos. » Primo lapidem præcipit tolli qui mortuum premit, ut sicut mortuus resurgere possit; quia talibus, ne de magnitudine peccatorum desperent, indulgentia Evangelii magis est prædicanda, quia dictum est adulteræ[2] : « Vade, et amplius noli peccare, » quam legis in lapide scriptæ duritia in contaminationem inducenda. Hic itaque longa consuetudine peccandi detentus, et pravæ consuetudinis jugo graviter depressus, atque in tantum libero arbitrio in ipso jam debilitato, ut non solum ad eum surgere non posset, ut eum requireret, sed nec pro se orare satageret; venit ad eum misericors Dominus, quum ei gemitum pœnitentiæ inspirat, et viribus omnino destitutum erigat ægrotum. Ad quem voce magna clamans: «Lazare, veni foras, » ipso clamore insinuat, quam longe remotus hic ab eo absistat. « Veni foras, » inquit, hoc est, per temetipsum culpam, quæ est in mente, propala confessione, et spiritali medico vulnus ostende, a quo suscipias cataplasma[3] medicinæ. Vocat Dominus Lazarum, quum peccatori salubris pœnitentiæ inspirat gemitum. In quo quidem gemitu mortuus reviviscit, quia mors animæ, quod est peccatum, per eum abscedit. Quippe qua hora peccator ingemuerit peccatum suum, salvus erit. Et quia post pœnitentiam confessio restat peccati, vocatus Lazarus foras exit, dum se pœnitens per confessionem peccatorum prodit, et de profundo vitiorum tanquam de sepulcro surgit.

Sed quia hic talis excommunicari meruerat, et ab Ecclesia expulsis vinculis anathematis adhuc religatus erat pro tam manifestis criminibus suis, procedere dicitur ligatus pedes et manus, et sudario faciem involutus. Quislibet excommunicatus a prælatis, qui jam per pœnitentiam et confessionem Deo sit reconciliatus, tamen ab ipsis Ecclesiæ ministris anathematis vinculis est absolvendus; ut satisfactione peracta, consortium ei reddatur fidelium ab ipsis per quos fuerat exclusus. Pedes et manus ligatos habet, cui adhuc introitus Ecclesiæ non est concessus, ut satisfactionis opera sint injuncta, quæ pro qualitate vel quantitate peccatorum a prælatis sunt imponenda : ut sicut non est liber ad incedendum quo voluerit, ita nec ad operandum quod ipse decreverit. Qui enim diu male vivendo abusus est potestate sua, jam non proprio, sed alieno quod deliquit corrigere debet arbitrio, nec jam sui juris est in talibus agendis, sed alieni. Faciem quoque involutam habet, quia ante satisfactionis impletionem devotio pœnitentis, et verus pœnitentiæ gemitus non potest cognosci. Per faciem quippe, qua quisque cognoscitur, notitia designatur. Faciem itaque pœnitentis involutam aperiunt, qui ejus instituta satisfactione, ipsius, ut dictum est, devotionem cognosci

[1] Matth., cap. xxv, v. 12. — [2] Joan., cap. viii, v. 11. — [3] Amb. *Cataplam.*

faciunt, et reddendo ei Ecclesiam tanquam fidelem eum recognoscunt, qui eum habebant prius tanquam incognitum, et sicut ethnicum vel publicanum. Solvunt itaque discipuli resuscitatum a Domino, et liberum ire sinunt, qui prius extra Ecclesiam fuerat relegatus, dum introitum Ecclesiæ, et consortium fidelium ei reddunt, et in arbitrio ejus proponunt quocunque vitæ tramite velit ad Deum tendere, et quibus operibus id possit eligere. Et hoc est quod eis Dominus ait : « Solvite eum, et sinite abire. » Ecce Dominus mortuum corporaliter suscitando, discipuli suscitatum solvendo, multum meliorem tam suscitationem, quam solutionem justitiæ nobis proponunt, prout exponendo prosecuti sumus.

Illud semel miraculum Dominus egit in corpore, quod multo felicius in animabus pœnitentium agit quotidie. Reddidit Lazaro vitam, sed rursum morituro temporalem. Tribuit pœnitentibus vitam, sed sine fine mansuram. Illud mirabile in oculis hominum, sed istud maximum judicio fidelium. Quo vero majus, eo appetendum amplius. Scriptum est hoc de Lazaro, non ipso Lazaro, sed[1] pro ipso, sed nobis, et pro nobis. « Quæcunque, » inquit Apostolus[2], « scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. » Semel vocavit Dominus Lazarum, et suscitatus est a morte corporali. Sæpius nos vocat, ut melius resurgamus a morte animæ. Semel ei dixit: « Veni foras, » et statim prodiit ad unum Domini præceptum. Quotidie nos Dominus per Scripturam invitat ad confessionem, hortatur ad emendationem, promittit vitam quam dare paratus est nobis, qui mortem non vult peccatoris. Negligimus vocantem, spernimus invitantem, contemnimus promittentem. Inter Deum et diabolum tanquam inter patrem et hostem constituti, paternis monitibus ad vitam hostiles præponimus ad mortem. « Non ignoramus, » inquit Apostolus[3], « astutias Satanæ : » astutias, inquam, illas ejus maximas, quibus nos ad peccatum inducit, et ab emendatione retrahit. Peccatum suggerens, duobus nos exuit, quibus illi maxime potest resisti, timore scilicet ac pudore. Quod enim vitamus, aut timore cujusque damni, aut reverentia pudoris dimittimus. Honesti quippe viri[4] plusquam rerum cavent detrimentum, sicut e converso inhonesti faciunt. Quum ergo Satanas quemlibet ad peccatum impellit, facile hoc efficit, si primo illum timore, ut diximus, et pudore privaverit. Quum autem id effecerit, eadem ei reddit quæ prius abstulit, ut sic eum a confessione retrahat, et in peccato suo mori faciat. Tunc ei latenter susurrat in animo : Leves sunt sacerdotes, et difficillimum est compescere linguam. Si hoc vel illud talibus confitearis, secretum esse non poterit : et quum in notitiam venerit, imminebit periculum, vel incurres famæ detrimentum, vel damnum

[1] *Nec* certe legendum. — [2] *Rom.*, cap. xv, v. 4. — [3] *Corinth. II*, v. 11 : « Ut non circumveniamur a Satana ; non enim ignoramus cogitationes ejus. » — [4] Deesse videtur *famæ*.

te sustinere, vel confundi necesse est ex vilitate. Sic misero diabolus illudens, quum ea primum ei abstulerit, quæ per peccatum vitare debuit, eadem postmodum ei reddidit, per quæ ipsum in peccato detinere possit. Timet captivus temporale, non animæ damnum. Erubescit homines, contemnit Deum. Pudet hoc in notitiam hominum venire, quod non puduit eum in conspectu Dei et totius curiæ supernæ committere. Formidat humanum judicium, qui non veretur divinum. De quo Apostolus ait[1] : « Horrendum est incidere in manus Dei viventis. » Et per semetipsam Veritas[2] : « Nolite, » inquit, « eos timere qui occidunt corpus, animæ vero non habent quid faciant; sed potius timete eum qui potest corpus et animam mittere in gehennam. »

Sunt animæ morbi, sicut et corporis. Et ideo divina pietas medicos utrisque sanandis prævidit. Ipse quippe Dominus Jesus se spiritalem medicum appellans, ait[3] : « Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. » Hujus locum sacerdotes in Ecclesia tenent, quibus tanquam animarum medicis peccata confiteri debemus, ut ab eis satisfactionis cataplasma sumamus. Qui mortem corporis timet, qualicunque corporis parte patiatur quantumque secreta, quantum libet obscena, medico revelare, et ad curandum exponere non differt. Quælibet dura, quælibet aspera sustinet, ut mortem differat, non evadat. Quidquid pretiosum habet, dare non dubitat, ut ad modicum mortem hanc corporalem depellat. Quid ergo pro morte animæ faciendum est, quantumcunque sit gravissima, sine magno labore, sine magnis sumptibus imperpetuum medicari potest. Nos ipsos Dominus, non nostra quærit, nec nostris indiget qui omnia præbet. Ipse quippe est, cui dicitur[4] : « Bonorum meorum non eges. » Apud eum quisque tanto major est, quanto apud se per humilitatem minor. Tanto magis justus, quanto proprio judicio magis reus. Tanto amplius ibi nostra tegimus, quanto hic ea promptius per confessionem propalamus. Ab hac itaque, fratres, nos retinentes, attendamus quod scriptum est[5] : « Est confusio adducens gloriam, et est confusio adducens peccatum. » Et rursum[6] : « Veniensque Babylonem, ibi liberaberis. » Confusio quippe duplex est erubescentiæ. Altera quidem salubris, quum erubescimus nos turpia commisisse in conspectu Dei. Altera lethalis, quum magis homines quam Deum verentes ad confessionem venire nos pudet : vel quotiens aliqua humilia propter Deum agere recusamus, ne viliores apud stultos habeamur. Hæc profecto confusio est adducens peccatum, quia ne vilescamus hominibus, vilescere Deo sustinemus. Illa vero confusio veram nobis acquirit gloriam, qua vilescere hominibus non refugimus, ut gloriosi Deo efficiamur, et magni divino

[1] *Heb.*, cap. x, v. 31. — [2] Matth., cap. x, v. 28. — [3] Matth., cap. ix, v. 12. — [4] Psalm. xv, v. 2. — [5] *Eccli.*, cap. iv, v. 25. — [6] « In Babylonem venies et ibi morieris. » (*Jerem.*, cap. xx, v. 6.)

verius quam humano judicio simus. Ad hanc utique Babylonem, id est confusionem laudabilem quum pervenerimus, ut de peccato scilicet erubescamus, ab ipso statim liberabimur, parati jam ad confessionem, et condignam satisfactionem. Unde et Psalmista[1] : « Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam, etc. » Delictum suum cognitum Deo facit, qui vicario ejus locum ipsius in Ecclesia tenenti confiteri peccatum nequaquam erubescit. Sicut enim ipse in membris suis persecutionem sustinere vel beneficium suscipere se testatur, dicens[2] : « Saule, Saule, quid me persequeris? » et[3] : « Quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti ; » ita et in vicariis suis sacerdotibus cognitum sibi fieri peccatum dicit. Quod statim Psalmographus exponens adnectit : « Et injustitiam meam non abscondi, » hoc est, non solum opera, verumetiam meritis nequitiam in confessione accusans.

« Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino. » Hoc est, stabilivi apud me, ac deliberavi injustitiam meam confiteri sacerdoti. Confitebor, inquit, adversum me, nullum alium in me inde accusans. Sunt enim nonnulli, qui in sua confessione, ut suam minuant culpam, alios magis trahunt in culpam, dicentes, ad ea quæ commiserunt ab aliis se inductos et quasi compulsos, sive diabolo, seu hominibus. Qualis quidem illa confessio fuit, quum ille in uxorem, illa in serpentem culpam retorquens, se magis excusare quam accusare videbatur. Unde et statim debitæ pœnæ sententiam excipere meruerunt. Justus vero, qui sicut scriptum est[4], in primordio accusator est sui, quo se amplius accusat, eo se magis apud supremum ac misericordissimum Judicem excusat; et veniam impetrat se accusando, qui pœnam incurreret se excusando. Ut enim Tullius in *Rhetorica* docet, confessio peccati, quæ a judicibus pœnam institutam suscepit, apud superiorem senatus potestatem indulgentiam potest assequi. Judices quippe a superiori potestate instituti, et legibus jurati, pœnæ sententiam non habent relaxare, sed inferre. Superior autem potestas, cujus est tam legem promulgare quam judices instituere, in arbitrio suo habet rigorem legis temperare, et pœnas institutas misericorditer relaxare. Non enim super se habet potestatem quam metuat, ut non libere misericordiam cui decreverit impendat. Quanto magis summa illa cœlestis potestas, quæ de misericordia illa cœlesti nos consulens ait[5] : « Euntes discite quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium, et justitiam Dei plus quam holocausta. » Justitiam Dei quasi propriam ejus dicit, quam ipse sibi, quod maxime suum est, et eum specialiter decet, reddit : tum ipse videlicet miseri-

[1] Psalm. xxxi, v. 5. — [2] *Act. Apost.*, cap. ix, v. 4.— [3] « Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. » (Matth., cap. xxv, v. 40.) — [4] *Prov.*, cap. xviii, v. 17. — [5] Matth., cap. ix, v. 13.

cordiam impendit, quia maxime glorificandus est a nobis. Unde et idem propheta[1] : « Et miserationes, » inquit, » super omnia opera ejus. » Quum autem præmisisset : « Dixi : Confitebor adversum me, etc., » statim quasi Deo sibi apparente et appropinquante, sermonem ad eum convertit, et gratias agens dixit[2] : « Et tu remisisti impietatem peccati mei. » Quisquis enim jam paratus est ad confessionem, et suscipiendam inde peccati satisfactionem, ex hoc statim suo proposito ita reconciliatus est Deo, ut si aliquo casu præventus hoc implere præpediatur, nequaquam de ejus salute sit desperandum, quum in eo non remanet quod totis appetit desideriis.

Pro hac scilicet impietate remittenda sanctus etiam quilibet orat, tanto minus de se præsumens, quanto magis est humilis, et de se amplius sollicitus, attendens semper quod scriptum est[3] : « Beatus homo qui semper est pavidus. » Orat, inquit, in tempore opportuno, et orationi congruo, hoc est, in præsenti vita tentationibus et ignorantiis plena. Unde et illa est exhortatio apostolica[4] : « Qui stat, videat ne cadat. » Qui etiam quum maximis præmineret virtutibus, nec quid in se accusaret, conscientia ejus reperiret, nequaquam tamen in hoc se justum esse censuit, qui in judicio sui errare potuit. « Sed neque meipsum, » inquit[5], » judico, » hoc est, in nullo propria me arguit conscientia; « sed non in hoc justificatus sum, » hoc est, justus esse ideo dicendus non sum. Ut enim Salomon ait[6] : « Stultorum infinitus est numerus, et est via quæ videtur homini justa : novissima autem ejus deducunt ad mortem. » Et rursum[7] : « Quis poterit dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato ? » In multis enim offendimus omnes. Denique quicunque infidelitate permanent, hoc eis accidit per errorem. « Qui autem, » ait, « judicat me, Dominus est. » Ac si diceret : Ille in judicio mei non errat, et qualis sim veraciter pensat, cujus oculis omnia nuda sunt et aperta. Quod si viri sancti tanto minus de se præsumunt, quanto humiliores fiunt, nec pro seipsis, quamvis justi sint, orare desistunt : quid nobis miseris faciendum est, quibus tanto amplius frequentanda est oratio, quanto nos magis recognoscimus reos ? Tanto sollicitius ira Dei est placanda, quanto contra nos ejus indignatio magis est accensa ? Quibus, ne quis forte desperet de venia, resuscitatio prædicta Lazari in exemplo mystico est proposita. Vocatus a Domino, statim est vivificatus. Vivificato dictum est ut prodiret, nullaque est mora retardatus. Progressus foras, et adhuc ligatus, confestim a discipulis est absolutus.

Oremus itaque, fratres, Dominum, ut quod tunc in corpore mortuo est actum, ipse compleat felicius in nostris mortuis animabus. Ipse per internam inspiratio-

[1] Psalm. CXLIV, v. 9. — [2] Psalm. XXXI, v. 5. — [3] *Prov.*, cap. XXVIII, v. 14. — [4] « Qui se existimat stare, videat ne cadat. » (*Corinth. I*, cap. X, v. 12.) — [5] *Corinth. I*, cap. IV, v. 3, 4. — [6] *Eccle.*, cap. I, v. 15. — [7] *Prov.*, cap. XX, v. 9.

nem verum pœnitentiæ gemitum immittat, quo pœnitens vivificatus a morte animæ resurgat. Ipse nos omni deposito pudore, ad confessionem promptos efficiat, qui hoc unum erubescere debemus, ne quid turpe in oculis ejus committamus. Ipse per Ecclesiæ ministros ita nos absolvere dignetur, ut nullis deinceps peccatorum vinculis constringi mereamur. Ipse nos de peccatis ita hic satisfacere concedat, ut quid in futuro puniendum sit, judex ipse districtus non inveniat, spes nostra, salus nostra, cujus honor et imperium tam finem ignorat quam principium. Amen.

IN EADEM DIE.

SERMO IX.

« Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum. Media caritate constravit propter filias Jerusalem[1]. » Ferculum hoc loco a ferendo, id est portando, vehiculum dicitur, quasi lectica potentium vel infirmorum, qua molliter deferantur. Ligna Libani, duo ligna sunt crucis. Libanus quippe candidatio interpretatur. Ligna itaque crucis, ligna sunt candidationis et emundationis nostræ : quia in illis verus immolatus est Agnus, cujus sanguine a peccatis mundati sumus. Unde et *Apocalypsis* ita meminit[2] : « Hi sunt qui laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni. » Hæc ligna Libani, ex quibus dominica crux fuit composita cedrina; et ob hoc imputribilia esse dicuntur. Unde Hieronymus *in Cantico Canticorum* : « Ferculum crucis secundum historiam de lignis Libani cedrinis factum est. » Quid autem per hæc imputribilia ligna, nisi dominicæ passionis perpes memoria in cordibus fidelium est expressa? Quam præcipue nobis Dominus commendans ait[3] : « Hoc facite in meam commemorationem. » Et Apostolus[4] : « Quotiescunque, » inquit, « manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. » Hæc Domini passio dum per prædicatores annuntiatur, quasi quodam ferculo atque vehiculo crucis verus Salomon per mundum defertur.

Crux itaque duobus lignis composita, vehiculum est Salomonis. Qui dum crucifixus prædicatur, in ipsa cruce tanquam vehiculo, ut dictum est, quodam ubi-

[1] *Cant.*, cap. III, v. 9 et sq. — [2] *Apoc.*, cap. VII, v. 14. — [3] Luc., cap. XXII, v. 19. — [4] *Corinth. I*, cap. XI, v. 24 et sq.

que circumfertur. Hoc vehiculum ipse sibi Salomon fecit, qui bonis operibus Judæos in invidiam accendens, ipsos ad hoc commovit ut eum crucifigerent. Quod nequaquam factum est per illorum coactionem, sed tantummodo per ejus præmissionem, atque optimam ipsius dispensationem. Ipse quippe est qui ait[1]: « Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam. » Et rursum[2]: « Potestatem habeo ponendi animam meam, etc. » Ferculi columnas ipse idem fecit argenteas, quæ sunt apostolicæ prædicationis eloquia, et de ore ipsius accepta documenta. De quibus eloquiis Psalmista prædixerat[3]: « Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. » Casta eorum prædicatio dicitur, quia sicut unus eorum dicit, non erant adulterantes verbum Dei, quia prædicationem suam gratis impendebant : non spe alicujus terreni lucri vendere intendebant, nec se in pretio more adulterarum sive meretricum ponebant. Argentea dicuntur apostolicæ prædicationis verba, quia claritatem habent intelligentiæ, non obscuritatem velaminis, sicut lex et prophetiæ, quæ mysticis magis quam apertis utuntur verbis. Hæc tanquam columnæ ferculum sustentant, et dominicam crucem corroborant, dum passionis dominicæ crucis virtutem annuntiant. Et quod dicunt eduxerunt. Unde bene per excellentiam eloquia dicuntur, quasi extra cæteras sacræ doctrinæ locutiones, quibus sunt ex utilitate longe commodiores. Omnis quippe locutio ad intelligentiam est accommodata, et propter eam in auditore faciendam etiam reperta, et ad hoc unum instituta. Quælibet itaque verba quo intelligibiliora sunt, et ita quod debent magis efficiunt, cæteris utique præponenda sunt.

Sicut autem apostolicæ prædicationis verba columnas ferculi diximus, sic et ipsos ex virtute verborum suorum, vel gratia miraculorum eis collata, qua corroborant sua dicta, columnas novimus appellatas. Unde et unus eorum, nomen cujus supra meminimus, Galatis scribit[4]: « Jacobus, et Cephas Joannes, qui videbantur columnæ esse. » Reclinatorium dicitur, non lectus in quo jacendo moriamur, sed loculus quidam in quem se reclinando qui sedent paululum quiescendo se refovent, et fatigatos se ad horam recreant. Reclinatorium igitur in ferculo a Salomone præparatum, somnus est dominicæ mortis in cruce, de quo scriptum est[5]: « Et inclinato capite, tradidit spiritum. » Hic somnus sicut velociter advenit, ita et velociter transiit. Scimus quippe Dominum hora sexta crucifixum, circa nonam expirasse, et Pilatum miratum fuisse quod tam celeriter obierit, antequam latrones fractis cruribus mori cogerentur. Velox quoque ad transeundum iste somnus fuit, quia cito Dominus resurrexit. Quasi ergo in reclinatorio Dominus obdormivit, quia mortis somnum velocem et transitorium

[1] Joan., cap. x, v. 18. — [2] Ibid., ibid. — [3] Psalm. xi, v. 7. — [4] *Galat.*, cap. ii, v. 9. — [5] Joan., cap. xix, v. 30.

habuit. Somno, qui maxime fessos recreat, mors fidelium comparatur, qui quanto amplius hic pro Deo laboraverunt, ad majorem requiem moriendo transire meruerunt. De hac igitur dormitione et matura ejus resurrectione Psalmista in ejus persona prædixerat[1] : « Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi. » Dormit fidelis et separatur, quia moriendo ad illam requiem transit, qua maxime oblectatur, et eo jam Dei visione fruente, summum desiderium ipsius impletur. Unde et Hieronymus de prædicta Christi dormitione ait : « Dormire Dei est, quum unigenitus Patris in assumpta carne mori pro nobis dignatus est. Quibus mors recte dulcis somnus prædictus est, ipso dicente per Jeremiam[2] : « Ideo quasi ex somno excitatus « sum, et vidi, et somnus meus dulcis est mihi. » Aureum dicitur declinatorium Salomonis, quia quum sit pretiosa mors sanctorum in conspectu Domini, pretiosissima dicenda est Christi, quem non solummodo sanctum, verum etiam constat esse Sanctum sanctorum. Quanti quippe pretii mors illa est dicenda, quæ in nostræ redemptionis pretium data, vitam omnibus emit, et paradisi januam aperuit? Unde bene hoc singulare pretium excellentiori metallo est comparatum, ubi reclinatorium est descriptum aureum.

Ad quod denique reclinatorium ipsius, Salomon purpureum aptasse memoratur ascensum : et horum media, tam reclinatorium scilicet quam ascensus purpurei, interposita caritate constravisse, et tanquam hæc sibi conjunxerit illius interpositione. Ascensus iste purpureus ad illud reclinatorium jam in Christo completum, nobis etiam ab ipso est factus; quum per ejus exemplum et exhortationem malis resistimus usque ad sanguinis effusionem, et sic tanquam purpureum ascensum ad supernæ quietis, quo jam ille præcessit, pervenimus reclinatorium. Sed quia humanæ infirmitatis non est, mortem excipere, sed naturaliter fugere, caritate media hic ascensus et illud reclinatorium sibi conjunguntur, quia nullus hominum in tanto agone persisteret, ut illuc perveniret, nisi caritas, quæ « omnia suffert, omnia sustinet[3], » interveniret. Denique quum adjungit propter filias Jerusalem hunc ascensum ad reclinatorium fieri, vel media eorum caritate consterni, patenter innuit per hanc caritatis interpositionem, hoc tam arduo ascensu illuc conscendere nostram infirmitatem. Quod enim filias dicit potius quam filios, ex infirmiori sexu humanam exprimit imbecillitatem. Sicut filiæ Babylonis animæ intelliguntur reprobæ, sic filiæ Jerusalem electæ. Duæ quippe sunt istæ civitates Dei et diaboli, quarum hæc in malo, sicut illa generat in bono. Potest etiam quod dicitur, « media caritate, » accipi intransitive : ad eumdem casum, scilicet ablativum, sibi sociantur substantivum et adjectivum. Et tunc quidem ita est legendum, quod illum ascensum purpureum media caritate constravit, dum ejus videlicet

[1] Psalm. III, v. 6. — [2] « Quasi de somno suscitatus sum. » (*Jerem.*, cap. XXI, v. 26.)— [3] *I Corinth.*, cap. XIII, v. 7.

gradibus eam interpositam inseruit. Tres quippe sunt gradus, quibus ad supernæ quietis reclinatorium conscenditur: fides videlicet, caritas, et spes. Primus itaque gradus fides est, secundus caritas, tertius spes habetur. Non enim recte speranda est illa felicitas, nec de ea confidendum, nisi quum eam ex caritate meruerimus: nec caritas haberi potest, nisi fide præeunte, tanquam omnium bonorum fundamento. Caritas ergo his duobus extremis gradibus quasi media inseritur, quia de fide ad caritatem, de caritate ad spem, ut diximus, est procedendum. Quod quidem est ascensum illum purpureum media caritate consterni.

His igitur præmissis de illo sancto ferculo Salomonis, et reclinatorio aureo, et ascensu purpureo, filiabus Jerusalem per Christum præparato, ipsæ filiæ consequenter invitantur egredi ad videndum ipsum Salomonem in diademate suo. Sic quippe subinfertur[1]: « Egredimini, filiæ Sion, etc. » Ut enim in agone passionum viriliter pro Christo persistamus, ipse semper præ oculis est habendus, et ejus passio nobis semper esse debet in exemplo ne deficiamus. In cujus videlicet passionis recordatione, ipse corporis et sanguinis sui sacramenta frequentari præcepit in Ecclesia, unde et Apostolus[2]: « Dominus, » inquit, « Jesus qua nocte tradebatur accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: « Hoc est corpus meum « quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. » Similiter et calicem: « Quotiescunque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mor« tem Domini annuntiabitis donec veniat. » Sed quid prodest nobis hoc in nostram reducere vel aliorum memoriam, nisi sic ei compatiamur, sicut idem dicit apostolus[3], ut et conglorificari resurgendo mereamur? Alioquin illud terribile judicium incurremus, quod ipse consequenter adnexuit, dicens[4]: « Itaque qui manducaverit vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. » Per ascensum, ut dictum est purpureum condescendendum nobis est ad reclinatorium aureum; quia nisi communicemus passioni Christi, participes non erimus suæ resurrectionis. Quod ut eo trahente possimus, ipse manum porrigat, qui ut conscendamus invitat. Amen.

[1] *Cantic.*, cap. III, v. 11. — [2] *Corinth. I*, cap. XI, v. 23 et sq. — [3] *Rom.*, cap. VIII, v. 17. — [4] *Corinth I*, cap. XI, v. 27.

IN EADEM DIE.

SERMO X.

« Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate suo quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus[1]. » Quo egredi admoneantur filiæ Sion, ipse textus *Cantici Canticorum* ex illis quæ præmissa sunt patenter insinuat. Quum enim dixisset : « Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, » atque ipsum miraculum quam mirabile fuerit diligenter descripsisset, statim filias Sion egredi hortatur ad ipsum regem in hoc ferculo suo conspiciendum. Hæ vero sunt ipsæ, quas in proximo dixerat filias Jerusalem, quum ait[2] : « Media caritate constravit propter filias Jerusalem. » Quas tanquam ad conscendendum in ipsum ferculum admonens, jubet eas egredi, ut in ipso ferculo rege conspecto ejus amore ad eum ascendere niterentur in ipsum ejus feretrum, hoc est ejus imitatione crucem ejus tollendo, sicut ipsemet admonet dicens[3] : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me, » hoc est, passiones sustinens me imitetur. Filiæ itaque Sion, id est Jerusalem, non Babylonis, fideles animæ sunt, quæ ad civitatem Dei tanquam cives pertinent, non diaboli. Has tanquam filias vera Jerusalem, hoc est mater Ecclesia Deo parit vel generat, dum eas prædicando instruit, vel baptizando regenerat. Unde et Apostolus tam matri quam patri se comparans ait[4] : « Filioli mei, quos adhuc parturio, donec Christus formetur in vobis. » Et rursum[5] : « Nam etsi multos habetis pædagogos, sed non multos patres. In Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui. » De hac matre nostra, cujus conversatio in cœlis est, et per desiderium semper sursum inhabitat, idem apostolus ait[6] : « Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. »

Hujus itaque Sion prædictas filias Salomon exhortatur, egredi, ut verum Salomonem nostrum, id est Christum, egressæ mereantur videre. Egressæ, inquam, maxime de terrena conversatione, ut in his tam sanctis diebus dominicæ passionis per abstinentiam carnem macerantes, crucem ejus tollamus : attendentes quod scriptum est, quia[7] « si compatimur, et conregnabimus. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. » Mactantes in

[1] *Cant.*, cap. III, v. 11. — [2] Ibid., v. 10. — [3] Matth., cap. XVI, v. 21. — [4] *Galat.*, cap. IV, v. 19. — [5] « Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. » (*Corinth. I*, cap. IV, v. 15.) — [6] *Galat.*, cap. IV, v. 26. — [7] « Si sustinebimus et conregnabimus. » (*Tim. II*, cap. II, v. 12.)

nobis vitia, nos ipsos præparemus tanquam hostiam viventem et Deo placentem. Nemo enim ad ejus hostiam, quæ nunc generaliter, pascha imminente, universis proponitur christianis, digne accedere poterit, nisi se ille prius talem, ut diximus, hostiam præparaverit. Alioquin de mensa vitæ mortem sumemus, et quasi pro cibo venenum hauriemus. Unde et Apostolus Corinthiis ait[1] : « Quicunque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. » Idem ad Hebræos[2] : « Habemus, » inquit, « altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim hic habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus. » Altare nostrum altare Christi est, in quo sacrificium ejus celebramus, imo ipsum in sacramento proprii corporis et sanguinis patri offerimus. De quo sancto altari edere non habent qui tabernaculo deserviunt, quia de hoc tanto ac spiritali sacrificio digni sumere non sunt qui carnaliter vivunt. Tabernaculum quippe dicit hujus mortalis corporis, quod nunc habemus habitaculum, quod dissolubile est atque infirmum, sicut tabernacula, id est umbracula pastorum vel peregrinantium, quæ non sunt firmæ domus ac stabiles, sed mobiles, et ad modicum inhabitandæ mansiones. Tabernaculo ergo deservit, qui mortalis carnis concupiscentiis obedit. Regendum est corpus, et caro spiritui subjicienda, servire potius quam dominari digna. « Quorum enim, etc. » Ac si aperte dicat : Bene dixi eos nequaquam sacrificio Christi dignos, qui tabernaculo deserviunt, hoc est, carnalibus indulgent concupiscentiis. Hoc enim et in sacrificio veteri, quod figura nostri fuit, Dominus præsignare decrevit, quum animalium corporibus extra castra in heremo crematis, purus eorum sanguis offerretur a pontifice in sancta sanctorum. Sanguis quippe, in quo maxime vita carnis consistit, juxta illud Moysi[3], « quia anima omnis carnis in sanguine est, » bona fidelium vita vel anima est. Quod quidem per pontificem Christum, qui pro nobis interpellat, quasi sacrificium offertur in sancta sanctorum, quod est secundum tabernaculum, dum dignando efficitur, ut ad supernam mansionem assumatur, ubi pura et perfecta est sanctitas, per sancta sanctorum significata. Sed ut hoc fiat, necesse est prius in hac vita horum animalium corpora cremari extra castra : hoc est carnem affligi atque macerari zelo divini

[1] *Corinth. I*, cap. xi, v. 27. — [2] *Hebr.*, cap. xiii, v. 10. — [3] *Levit.*, cap. xvii, v. 11.

amoris nobis sic extra castra positis, hoc est extra voluptates carnis constitutis. Hæ quippe voluptates quasi quædam castra vel carceres animæ sunt, qui ipsam constringunt et comprimunt, ne se omnino erigat ad superna, et libere toto affectu surgat ad cœlestia. Propter quod etiam significandum ipse noster pontifex passus est extra portam, hoc est extra septa Jerusalem, non intra : ut videlicet significaret non aliquos per suum sanguinem sanctificandos atque redimendos, nisi qui, ut dictum est, extra castra positi, id est voluptates carnis, ipsum imitarentur. Ad quod consequenter nos adhortans Apostolus, ait : « Exeamus igitur, » hoc est, imitando eum sequamur, extra castra, ut determinatum est, facti : ut eum apprehendere possimus in supernis. Improperium hoc est pati, pro eo quæcunque probrosa vel turpia tolerare, sicut et ipse pro nobis nulla respuit perferre. « Non enim, etc. » Exeamus, inquam, ad eum, relictis castris, hoc est properemus ad ipsum pervenire per quæcunque adversa, postpositis voluptatibus carnis : quia non habemus in hac vita stabilem mansionem, nec ad hanc vitam creati sumus, sed futuram, quæ indeficiens est, apprehendere nitimur.

Quod igitur Apostolus hoc loco nostrum exire dicit, hoc Salomon superius nostrum egredi præsignavit, dicens : « Egredimini, filiæ Sion, etc. » Tanquam si diceret : Egredimini mente semper ad eum conspiciendum, qui extra portam crucifixus pro vobis, vestrum factus est sacrificium. A nobis ad eum egredimur, quum abrenuntiantes propriis voluptatibus, ejus voluntati nos dicamus, et eum imitando sequimur, qui Patri usque ad mortem obediens, ait[1] : « Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » Hoc utique modo crucem post Jesum portamus, quod de illo Simeone Cyrenæo Lucas refert[2], quum usque ad mortem in ejus obedientia persistere parati sumus, crucifigentes corpora nostra cum vitiis et concupiscentiis, sicut et Apostolus præcipit. Simon quippe *obediens* interpretatur, qui post Christum crucem ejus bajulans eos significat, qui per imitationem eo usque Christum sequuntur, ut consummatam obedientiam usque ad mortes ei exhibere parentur. De qua profecto perfectione obedientiæ etiam ipse Simoni Petro ait[3] : « Sequere me, » ut videlicet id quod ille Simon Cyrenæus egit in ministerio, iste Simon Petrus Ecclesiæ typum gerens consummaret in facto. Refert supra memoratus evangelista, quod Simone post Jesum crucem ejus bajulante, sequ[eb]atur illum multa turba populi et mulierum, quæ plangebant, et lamentabantur eum. Non enim hic Simon solus per passionem Christum imitatur, verum innumera fidelium multitudo tam in viris quam in feminis per martyrium Christum sequitur, et ad Deum extra portam passum

[1] « Non quæro voluntatem meam facere, sed ejus qui misit me. » (Joan., cap. v, v. 30.) — [2] Luc., cap. xxiii, v. 26. — [3] Luc., cap. i, v. 16; cap. ii, v. 14.

hoc modo egrediuntur. Quem et nos hodie egressum præsentamus, quum de urbibus, vel castellis, aut villis, clerus pariter ac populus cum sanctuario crucem adorare procedunt in campo, ipsa videlicet die qua primum in anno dominica recitatur passio. Qua quidem generali fidelium processione, tanquam ad Dominum extra portam passum egredientes, passionis ipsius nos memores esse profitemur, quasi eum præ oculis crucifixum pro nobis aspicientes. Ad quem utique aspectum admonemur quum dicitur, ut post egressum nostrum videamus regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua : mater, inquam, sua, hoc est Judæa, de qua ipse natus est secundum carnem.

« Diademate coronavit eum, » hoc est, ad modum victoris eum exaltavit, qui in ipsa morte maxime de diabolo triumphavit. De hac exaltatione in ipsa crucis suspensione, ipsemet Nicodemo ait[1] : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. » Legimus et a Judæis ipsum Dominum corporaliter spinea corona esse coronatum. Quod quum illi ad irrisionem et pœnam intenderent, mysterium ignari gesserunt rei convertendæ in gloriam. De qua et Psalmista dudum prædixerat[2] : « Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum : et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. » Quod quidem testimonium Apostolus prosequens, Hebræis scribit[3] : « Eum autem, qui in modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum per passionem mortis gloria et honore coronatum. » Scriptum quoque est in Joanne[4], quia « exivit Jesus portans spineam coronam : » ut etiam juxta litteram nobis ad eum sit exeundum, sicut prædictum est, in diademate suo videndum.

Sive ergo coronatus, sive crucifigendus exire Christus memoratur, ut reprobatis Judæis, qui in eum ista commiserunt, gratiam suam præsignaret transituram in latitudinem gentium, ubi videlicet crucifixionis salus, et exaltatio ipsius in acquisitione multorum populorum, uno Judæo reprobato, sese dilatavit. Unde et bene hodie ad crucem ejus in campo adorandam procedimus, in hoc mystice demonstrantes, tam gloriam quam salutem de Judæis egressa esse, et in gentibus sese dilatasse. Quod autem postmodum revertimur ad loca nostra, unde fueramus egressi, significat in fine mundi ad Judæos redituram gratiam Dei : quando videlicet per prædicationem Enoch et Eliæ constat eos convertendos esse. Unde et Apostolus[5] : « Nolo, » inquit, « vos ignorare, fratres, quia cæcitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est : « Veniet ex Sion qui eripiat et avertat im-

[1] Joan., cap. III, v. 14. — [2] Psalm. VIII, v. 6. — [3] *Hebr.*, cap. II, v. 9. — [4] Joan., cap. XIX, v. 5. — [5] *Corinth. I*, cap. X, v. 1.

« pietatem a Jacob. » Unde et ipsum Calvariæ locum, quo Dominus crucifixus est, nunc intra civitatem novimus contineri, quum prius extra fuerit. « Coronavit, » inquit, « eum mater sua in die desponsationis illius. » Tunc enim magna jucunditas regibus exhiberi solet, quando, desponsatis uxoribus, solemnia celebrant nuptiarum. Dies autem dominicæ crucifixionis quasi dies ei fuit desponsationis, quia tunc Ecclesiam veraciter sibi quasi sponsam sociavit, quum eodem die animas fidelium ad inferos descendens, hoc in eis inde assumptis complevit, quod latroni promisit dicens[1] : « Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. » Hæc itaque dies desponsationis dies lætitiæ illi fuit, quando illud ad quod venerat, et quod maxime in ejus desiderio erat, in salute credentium complevit.

« Lætitiæ, » inquit, « cordis ejus, » quia tanquam tristis in corpore fuit, in quo molestias doloris toleravit : sed dum caro tristitiam doloris afferret de his quæ inferebantur exterius, cordis, id est animæ, summa exultatio erat inferius, de nostra scilicet salute, quam sic operabatur. Unde et quum ad crucifigendum exiret, bene mulieres super eum lamentantes compescuit, dicens[2] : « Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. » Tanquam si diceret : Non est propter me dolendum in his passionibus, tanquam hinc aliquod incurram damnum ; sed potius vobis imminet super vos ipsas et filios vestros, gravissima vindicta, quæ in me committuntur, plexuros. Sic et nobis, fratres, super nos potius quam super ipsum flendum est, quod ea videlicet commiserimus ex culpa, quæ ille tam graviter portavit in pœna. Sic de ipso gaudeamus cum ipso, ut de nostris doleamus offensis, quod hujus sive servorum reatus commiserit, quod innocens Dominus tantam pœnam sustinuit. Ipse nos docuit flere nos ipsos, qui nunquam se flere legitur; sed non flevit Lazarum suscitaturus, pro cujus suscitatione honor hodiernus est ei a turbis exhibitus. Flevit et hodie quum a turbis exultantibus susciperetur, sicut Lucas meminit, dicens[3]: « Et quum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna, super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes : « Benedictus qui venit in nomine Domini, pax in cœlo, « et gloria in excelsis. » Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens : « Quia si cognovisses et tu, etc. » Flevit Lazarum, quem de refrigerio et sinu Abrahæ revocaturus erat ærumnis præsentis vitæ. Flebat ruinam civitatis, nostra videlicet damna, non propria. Utinam sic nos mala nostra deplorare possemus sicut et ille, sic solliciti de nobis essemus sicut ipse! Qui de ipso lætamur tanquam de Salvatore nostro, cujus morte redempti sumus, super nos defleamus, qui quod ille tam graviter plexus est commisimus. Egredientes itaque

[1] Luc., cap. XXIII, v. 43. — [2] Ibid., v. 28. — [3] Luc., cap. XIX, v. 37 et sq.

semper mente ad eum, ut diximus, et ipsum sic pro nobis coronatum memoriter intuentes, sequamur ipsum, crucem ejus tollentes. Quod si jam in eo tempore non sumus ut pro eo mori cogamur, quotiens tamen nos pro ipso affligimur, crucem ejus tollimus. Crux quippe a cruciando dicta est. Crucem ejus tollimus, quum quaslibet adversitates pro eo sustinemus, vel abstinentiæ virtute carnem nostram macerando, dominio spiritus eam subjicimus. Quod his præcipue diebus nobis est providendum, quibus spiritaliter nos præparari convenit, ad ipsum Dominum in sacrificio propriæ carnis et sanguinis suscipiendum. Certe, si quis potentum vel amicorum hospitio suscipiendus a nobis expectaretur, cum omni diligentia domum nostram præpararemus, ne quid immundum vel indecens oculos intrantis offenderet. Quanta igitur cura, quanto studio providendum est, ne ipsum creator ac redemptor a nobis, ut diximus, suscipiendus, immundum reperiat habitaculum; quum propriam injuriam tanto gravius vindicet, quanto amplius potest ac debet? Et quoniam ejus quoque est gratiæ in nobis sibi mansionem parare, ipse sibi hanc præparet, qui hoc nobis sacrificium ad salutem instituit, non ad judicium. Amen.

DE REBUS GESTIS IN DIEBUS PASSIONIS.

SERMO XI.

Quo magis nostræ redemptionis tempus, et dominicæ resurrectionis appropinquat solemnitas, crebrius ædificandi sacris exhortationibus sumus; ut tantis beneficiis digni reperiamur, et redemptionis participes simus, et resurrectionis consortes. Et quoniam plerumque ipsa rerum gestarum historia devotionem simplicium excitat magis quam mystica; juvat secundum litteram omni dulcedine refertam, omni pietate plenam, ea quæ Dominus his diebus gessit referendo contexere, et ad exhortationem nostram in mentem reducere. Refert itaque Joannes[1], quod resuscitato Lazaro multi Judæorum, qui hoc viderant, crediderunt in Jesum. « Quidam autem ex ipsis abierunt ad pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus. Collegerunt ergo pontifices et pharisæi concilium, et dicebant : « Quid facimus, etc. » Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. Interficerent, inquam, mortuos suscitantem, et pro vita reddita mortem inferrent! O cæci

[1] Joan., cap. xi, v. 45 et sq.

pariter et perversi! Nunquid qui vitam restituit mortuis, a morte sibi non potest providere, et machinamenta vestra, si velit, dissolvere? Et de potestate quidem ejus non ambigitis, quem totiens in his vel in aliis experti estis! Alioquin non tanquam ignarum dolo tenere ad occidendum cogitaretis, sed ipsum vi comprehenderetis. Sed quam stulte hoc vestrum consilium et perversam cogitationem eum latere credatis, evangelista patenter ostendit. Quum enim præmisisset: « Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum, » statim hoc eum nequaquam ignorare patenter insinuat, dicens[1]: « Jesus ergo non jam palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. » Quod itaque persecutionem scienter ad horam declinat, nequaquam hoc per ignorantiam, sed per dispensationem ab eo fieri constat. Nondum quippe tempus advenerat, quo in eum ista compleri deberent. Propterea passionem declinando dispensatione, ut dictum est, magis quam timore, nos exemplo sui revocat a præsumptione: ne forte Deum tentando, certo nos quando non oportet objiciamus periculo. Quod enim ad hoc eum nequaquam metus impulerit, ut videlicet passionem declinans ad prædictum locum secederet, ubique cum discipulis suis moraretur, sequentia declarant quum dicitur[2]: « Proximum autem erat Pascha Judæorum. » Et rursum[3]: « Dederant autem pontifices et pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet ut apprehendant eum. Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam. »

Attendite, fratres, quid illa velit conclusio, qua dicitur: « Jesus ergo, etc., » et unde ista pendeat illatio: et videbitis Domini, ut dictum est, non timorem, sed dispensationem. Præmisso quippe, quia proximum erat Pascha, in quo ipse postmodum se tradendum noverat, dicens[4]: « Scitis quia post biduum Pascha fiet, et filius hominis tradetur, ut crucifigatur. » Et hoc insuper adjuncto, quia « dederant pontifices et pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet ut apprehendant eum, » statim subinfertur: « Jesus ergo ante sex dies Paschæ, etc. » Ac si aperte dicatur: Quia tempus passionis appropinquabat, et ad hoc perficiendum jam omnino Judæi conspiraverunt: ergo ipse Dominus ad hoc se jam præparat intrepidus, et Jerosolymam accedit, ubi se noverat esse passurum; ut de se jam Judæis præbeat facultatem ad perversam eorum complendam voluptatem, ut cum sua damnatione nostram operarentur salutem. Venit quidam a prædicta regione juxta desertum, vel in civitatem gentium, quæ dicitur Ephrem, tanquam per hoc etiam ad litteram compleret illam orationem propheticam[5]: « Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion. » Quid enim petra deserti nisi gentilitas est a Deo derelicta,

[1] Joan., cap. XI, v. 54. — [2] Ibid., v. 55. — [3] Ibid., v. 56. — [4] Matth., cap. XXVI, v. 2. — [5] Isaiæ cap. XVI, v. 1.

cujus per gratiam mundi in amorem sui Dominus emollierat corda? Hunc etiam locum tanquam petram Dominus inhabitabat, in quo sibi tutum ac firmum habitaculum providerat. Inde igitur agnum suum Dominus mittit ad montem Sion filiæ suæ, quando Christus a prædicta gentium civitate juxta desertum sita Bethaniam primo venit. Deinde passurus Jerosolymam pervenit in monte Sion positam. Quam profecto civitatem quasi filiam Deus olei[1] habuit, quum eam cæteris per gratiam extulit, ut specialiter ipsa nuncupetur civitas sancta, tam videlicet Dei templo quam sanctuario adornata, et in capite regni constituta.

Ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, inde in crastino, id est quinto die ante Pascha processurus Jerosolymam; ut tempore quo decebat mystici agni perageret sacramenta, sicut jam superius in alio sermone meminimus. Quum autem Dominus Bethaniam venisset, fecerunt ei cœnam ibi, et Martha ministrabat. Lazarus vero erat unus ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti. Qui vero cœnam istam paraverint, ubi Lazarus convivatur, Martha cibum, Maria ministrat unguentum, evangelista non exprimit; quia per has personas quas nominat satis insinuatum intelligit. Ut enim de Lazaro taceamus, nequaquam congruum erat, ut sanctæ feminæ in domo alterius, vel de alienis ministrarent sumptibus. Convivatur Lazarus cum Domino, ut bina ejus probetur resurrectio. Unde et Hieronymus in II *Contra Jovinianum*, de ipso Domino ait[2]: « Comedit quidem post resurrectionem, ut veritatem sui corporis comprobaret. Nam quotiescunque mortuum suscitavit, jussit ei manducare dari, ne resuscitatio phantasma putaretur. Et Lazarus post resurrectionem ob hanc causam scribitur cum Domino inisse convivium. » Bene autem mulieres, quæ Dominum suscipiunt quem viri persequuntur, et eum insuper reficientes, generale majorum Christum persequentium non verentur edictum. Quæ, ut diximus, Christo ministrantes, fratre ipsarum Lazaro recumbente, tanto felicius in anima insinuantur suscitatæ, quanto majore Christo assistere monstrantur devotione.

Legimus Dominum ministrasse mensis discipulorum, sicut et ipse profitetur, dicens[3]: « Nunquid major est qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. » Solas autem feminas Scriptura commemorat Domino ministrasse. Novimus et ipsum pedes discipulorum abluisse; nullum autem virorum hoc ei obsequium exhibuisse, sed solam peccatricem illam, quæ pœnitentiæ lacrymis pedes ejus lavit, capillis tersit, unguentis recreavit. Nec solum pedes, verum etiam caput ipsius mulier inungens,

[1] *Olim* certe legendum. — [2] *Opp.* t. II, part. II, col. 211. — [3] Luc., cap. xxii, v. 27.

corporaliter eum Christum fecit, et tam regis quam sacerdotis in eo sacramenta peregit. Attendite, viri, humilitatem Domini ita ut diximus ministrantis : perpendite, feminæ, dignitatem vestram, quæ sic ei in omnibus ministrare meruistis. Quod vero sæpius pedes Christi mulier unxisse perhibetur, patenter innuitur eum calciatum incedere, cujus pedes ad ungendum ita invenirentur parati, quum tamen ipse discipulis sandaliorum calciamenta indulserit. Ex quo aperte juxta litteram patet, quia duras habuerit vias, de quibus ipse ad patrem loquitur[1] : « Propter verba labiorum tuorum, etc. »

Quod vero in crastino de Bethania primo Bethphage ad montem Oliveti venit, deinde Jerusalem pervenit, nequaquam a mysterio vacat. Bethphage quippe viculus est sacerdotum, et interpretatur *domus buccæ*, sicut Bethania *domus obedientiæ*. De Bethania itaque Bethphage venitur, quia solus his dignus est prædicare, qui prius didicerit obedire; ut ante discipulus fuerit obsequendo, quam magister fiat præcipiendo. Bene autem hic viculus sacerdotum, hoc est prædicatorum, ad montem Oliveti esse describitur; quia qui tales, ut diximus, fuerint, altiores in Ecclesia tam dignitate ordinis quam meritorum habentur. Unde et Dominus[2] : « Qui autem fecerit et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. » Olivetum quoque, quod oleum ministrat, sanctis prædicatoribus recte congruit. Oleum quippe de igne, quem nutrit, lucem spargit : et prædicatores sancti igne caritatis accensi tanquam lucerna sunt ardens et lucens : ardens videlicet in se, lucens aliis, qui eorum illuminantur prædicatione. Lucas vero refert quod quum appropinquaret jam Dominus ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes[3] : « Benedictus qui venit rex in nomine Domini : pax in cœlo, et gloria in excelsis. » Bene autem descendens de monte Dominus a turbis glorificatur; quia nisi se quis humiliaverit, nequaquam meretur exaltari, sicut et de ipso scriptum est Domino[4] : « Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, etc. » Deinde turbis ei, ut dictum est, laudes acclamantibus, ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam, dicens[5] : « Quia si cognovisses et tu, quia venient dies, etc. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognovisti tempus visitationis tuæ. »

O summa erga impios pietas, et incomparabilis erga crudeles benignitas! Inter laudes quæ ei dantur, et occurrentium gaudia turbarum, quæ tam sollicite ab his

[1] Psalm. XVI, v. 4. — [2] Matth., cap. V, v. 19. — [3] Luc., cap. XIX, v. 37. — [4] *Philip.*, cap. II, v. 8. — [5] Luc., cap. XIX, v. 42.

exhibentur, non exultat laudibus, non congaudet gaudentibus : sed condolens perituris, quos a morte revocare non valet, jam quasi mortuos deflet. Deplorat eorum mortem ut resipiscant, deterret ne pereant. Ventura denuntiat mala, per quod sibi providere possent a pœna. Dolet quod non exauditur, deflet illorum casum, non contemptum suum, qui salvare venerat, non perdere. Unde et Jesus proprio nomine est vocatus. Deplorat supremam et irreparabilem gentis illius exterminationem per romanos principes, Titum videlicet ac Vespasianum, futuram. Hi sunt duo ursi, qui de saltu prodeuntes, quadraginta duos pueros perdiderunt, qui Eliseo de Jericho, ubi sanaverat aquas, ascendenti Bethel illudebant, dicentes[1] : « Ascende, calve, ascende, calve. » Ursi quippe silvestres, principes sunt gentiles a disciplina legis alieni, et a civitate Dei remoti, et more ferarum indomiti. Hos quum gentilitas mittit, quasi de inculto saltu prodeunt, quia de illo prodeunt populo qui nullam divinæ doctrinæ culturam noverat. Qui dum imbellione judaici populi suam injuriam intenderent vindicare, divina hoc actum est dispensatione, ut Christi magis injuriam punirent ignari quam propriam. Sic quippe de Assur Dominus ait[2] : « Assur virga furoris mei, ipse autem non sic arbitrabatur. » Quum enim per populum Assur Dominus in populo suo vindictam exercet, ipse Assur quasi virga est iræ Dei, hoc est flagellum vindictæ ipsius. Quod tamen hoc divina dispensatione geratur ignorat, quia hoc totum quod prævalet non divinæ ordinationi, sed propriis virtutibus adscribit. Tale quid et de istis romanis principibus Psalmista prævidens, exterminationem suæ gentis deplorabat, sic ad eum conquerens[3] : « Quanta malignatus est inimicus in sancto ! » Ac si diceret : O quantas malitias et abominationes ille Romanorum populus exercuit in ipso etiam templo et sanctuario divino ! Et gloriati sunt qui oderunt te verum Deum, tanquam idolatriæ cultores, quia dæmones. Gloriati, inquam, in medio solemnitatis tuæ, hoc est inter dies paschales, quos tu ipse ad honorem tui solemnes institueras. Justum quippe fuit ut Judæi, qui in solemnitate paschali Christum occiderant, locum et gentem per eum amittere metuentes, in eadem solemnitate capti, per istos in perpetuum exterminarentur, vel omnino perderentur; per istos, inquam, Vespasianum scilicet patrem, et Titum, ejus filium, punirentur illi, qui in Deum Patrem et ejus Filium tam graviter deliquerunt. Gloriati sunt de victoria quam obtinuerunt, nescientes quod propter peccata illius populi hæc Deus permiserit fieri. Unde et sequitur[4] : « Posuerunt signa sua, » hoc est vexilla erexerunt, tanquam victoriæ signa. « Sicut in exitu, » hoc est more triumphantium, qui in portis captarum civitatum erigunt sua trophæa super summum, hoc est in altiore loco civitatis, unde magis ab introeuntibus vel

[1] *Reg. IV*, cap. II, v. 23. — [2] Isaiæ cap. X, v. 5. — [3] Psalm. LXXIII, v. 3. — [4] Ibid., v. 4.

exeuntibus conspici possint. Et quum tanta, Deo permittente, agerent, non tamen cognoverunt, quid scilicet agerent, quia suam tantum injuriam ulcisci crediderunt, sed non divinam, et suis viribus hoc magis potuisse, quam promissione divina qua tradidit impios.

Pueri itaque parvuli quos prædicti perdiderunt ursi, quia illuserunt Elisæo, ipsi sunt Judæi tanquam sensu carentes, neque per legem, neque per tot signa Christum cognoscentes, et sic a vera sapientia, quæ ipse est, alieni et in reprobum sensum traditi. Non enim taliter Christo illuderent ante crucifixionem, nec Pilato inclamarent[1] : « Crucifige, crucifige eum ; » quod est quasi dicere Christo : « Ascende, calve, ascende, calve. » Crucifixus quippe Christi ascensio est crucis. Calvum vocant, quem terrenis auxiliis vel opibus destitutum vident. Tale est ergo : « Ascende, calve, » tanquam si dicerent : Tu miser, omnibus bonis destitute, qui te a nobis exaltandum esse prædixeras, veni huc, ascendens crucem exaltare. Hoc enim per ironiam illudentes dicebant, quod in veritate de exultatione crucifixi, et de electione gentium Dominus disponebat. Bene illi pueri quadraginta duo fuisse memorantur, secundum videlicet numerum annorum, quos eis Dominus ad pœnitentiam indulserat. Quadragesimo quippe anno secundo a Passione Domini, hæc eis calamitas accidit. Sed nec a mysterio vacat, quod sanatis aquis Jerico Elisæus Bethel, hoc est ad domum Dei ascendebat : quum et Dominus in Ramis Palmarum Jerosolymam veniens, quum per Jerico transiret, egressus inde duos cæcos sanaverit. Qui profecto antequam per Christum tam corpore quam anima illuminarentur, et ob hoc eum sequerentur, quasi aquæ steriles erant, dum adhuc omni vento doctrinæ fluctuantes quid credere deberent certum non habebant, et ob hoc fructu spiritali carentes.

Ut autem nostræ narrationis textum superioribus, quæ intermissa fuerant, copulemus, quum, ut diximus, Dominus Jerosolymam veniens, futuram civitatis ruinam deplorasset ac prædixisset, civitatem ingressus cum multo exultantium turbarum comitatu, ad templum tanquam propriam domum pervenisse refertur, et in ipso tam justitiam quam misericordiam exercens, quum inde negotiatores potenter expulisset, cæcosque ibidem et claudos sanaret, ipsam Domini domum reconciliavit. Ejecerat jam alia vice tales de templo, quod solus Joannes commemorat[2]. Sed de hac ultima ejectione scribunt alii, quando videlicet facto flagello de funiculis omnes ejecit. Marcus vero refert[3] hanc ejectionem non in Ramis Palmarum, sed sequenti die quum rediret Dominus Jerosolymam, factam fuisse. In Ramis tamen Palmarum ipse quoque Dominum commemorat intrasse templum, sed in eo nihil exegisse, nisi circumspectis omnibus quæ aderant, quum jam

[1] Luc., cap. xxiii, v. 21. — [2] Joan., cap. ii, v. 15. — [3] Marc., cap. xi, v. 15.

vespera esset, in Bethaniam cum duodecimis redisse. Quod igitur alii evangelistæ, Matthæus scilicet ac Lucas[1], hoc prætermisso ejectionem illam commemorent, succincte per anticipationem dixisse videntur, et ad ea quæ præmiserant congrue connexuisse. Matthæus quippe quum præmisisset Dominum dixisse discipulis[2] : « Ite in castellum quod contra vos est, etc., » et Lucas retulisset Dominum ruinam civitatis deflevisse, consequenter exprimere curaverunt, quorum culpa præcipue illa contrarietas vel ista ruina contingerent, hoc est sacerdotum vel cæterorum templi ministrorum. Unde in ipso templo hanc in eos ultionem decrevit exercere, tanquam per hoc patenter insinuans eorum malitiam, et circa Deum negligentiam, horum quæ diximus causam existere.

Primo itaque cum magno comitatu turbarum laudes acclamantium templum ingressus, et omnibus circumspectis hinc egressus, Bethaniam rediit, et in crastinum, ut diximus, hanc potestatem exercere distulit. In quo quidem nos moraliter instruit, et potentiæ suæ magnitudinem ostendit. Prius enim mala quæ corrigamus diligenter inquirere, et prænoscere debemus, quam ea vindicemus, et per patientiam ad horam sustinere, ne præcipitanter sententiam inferamus vindictæ. Unde bene Dominus prius conspicere voluit mala domus suæ, quam in ea severitatem exercere justitiæ. Sicut enim et de ipso *Genesis* refert[2] quod quum superbiam ædificantium turrem ex confusione linguarum vellet reprimere, et sic eos per regiones dispergere, prius Dominus descendit ut videret illam superborum stultitiam, quam in eam daret sententiam. Sic et peccata Sodomæ et Gomorrhæ puniturus[4] : « Descendam, » inquit, « et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, an non est ita, ut sciam. » Sic et hoc loco prius in templo circumspectis male agentibus, ostendit se cognovisse quid deberet vindicare. Exhibuit patientiam differendo vindictam. Noluit vindictam exercere, quasi prædictarum turbarum confisus ope, quo major ejus potestas appareret, quum hoc sine turbis perageret. Solos quippe pueros tunc adesse, et clamantes in templo[5] : « Hosanna filio David! » Matthæus commemorat, ut in laudibus horum recumpensaretur quod commiserat in Elisæo puerorum irrisio. Vespera facta, ut dictum est, de templo Dominus egressus, in Bethaniam cum apostolis rediit, tanquam de domo inobedientiæ ad domum conferens obedientiæ. Nemo enim Deum habitatorem meretur habere, nisi qui præceptis ejus præsto est obedire. De civitate ad modicam procedit villam, quia, ut ipsemet ait, multi vocati sunt, pauci vero electi. Jerusalem et templum tanquam propriam civitatem et domum relinquens, quum ibi non haberet ubi caput reclinaret, illud quod de seipso scriptum est adimplet : « In

[1] Matth., cap. XXI, v. 12. – Luc., cap. XIX, v. 45. — [2] Matth., cap. XXI, v. 2. – Luc., cap. XIX, v. 30. — [3] *Genes.*, cap. XI, v. 5. — [4] *Genes.*, cap. XVIII, v. 21. — [5] Matth., cap. XXI, v. 51.

propria venit, et sui eum non receperunt[1]; » Jerusalem, imo jam non Jerusalem, quæ dicitur visio pacis, sed asylum factam tyrannidis. Jam enim in eum ita manifeste conspiraverant majores civitatis ut in ea hospitium non inveniret. Nec tamen hoc ejus impotentiæ, sed patientiæ tribuendum est. Posset, nisi vellet, securus hospitari, cui certum est a nemine posse vim inferri, cujus potentiæ est corda hominum quo voluerit inclinare. Nam et quum voluit, libere ibidem quidquid decreverat egit. Discipulos illuc dirigens ut asinam et pullum solverent et sibi adducerent nemine contradicente, sicut dixerat implevit, quum tamen in se conspirationem factam non ignoraret : de qua his, quos mittit, discipulis ait : « Ite in castellum quod contra vos est, » hoc est in locum Deo pariter et vobis adversantem, nec jam civitatem dicendum, hoc est conventum hominum ad jure vivendum, sed tyrannicæ munitionis castellum. Ite, inquit, confidenter in locum quamvis talem, atque adeo vobis contrarium, et quod præcipio securi peragite. Unde et subnectit[2] : « Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos. » O mira potentiæ confidentia! tanquam Dominus ex imperio mandat id eis, quos in mortem suam jam omnino conspirasse noverat. Sic mandat, sic præcipit, et sic obedire compellit. Nec dubitant missi quod eis injungitur peragere, confisi de mittentis potestate. Quam et illi qui hanc maxime conspirationem fecerant experti, de templo non semel sunt ejecti, quum uni resistere non valerent multi. Qui etiam post hanc ejectionem, et eorum, ut diximus, conspirationem, quum esset quotidie docens in templo, quam intrepidus esset patenter ostendebat, cui omnia pater in manus dederat. Denique quum voluit secundum legem Pascha celebrare in ipsa qua disposuerat tradi nocte, missis iterum discipulis ubi voluit, domum sibi in qua id faceret, in ipsa civitate paravit. Qui ergo totiens in talibus potenter egit, nunc quoque si vellet, ubicunque vellet parare hospitium posset, nec in Bethaniam coactus rediret. Duo itaque in hoc egit provide, ut videlicet illos quos vitabat habitatione sua indignos ostenderet, et dilectis hospitibus copiam sui in extremis daret, ut hoc ipsum jam quasi mercedem hospitalitatis haberent.

Mane autem facto, ipse cum discipulis de Bethania Jerosolymam revertens esuriit, ut Marcus ait[3] : « Et videns a longe ficum habentem folia, venit quærens si quid forte inveniret in ea, et nihil invenit præter folia. Non enim erat tempus ficorum. Et ait illi : « Nunquam ex te fructus nascatur in perpetuum. » Et audiebant discipuli ejus, et arefacta est continuo ficulnea, et veniunt Jerosolymam. Et quum introissent templum, cœpit ejicere vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit.

[1] Joan., cap. I, v. 11. — [2] Matth., cap. XXI, v. 3. — [3] Marc., cap. XI, v. 13 et sq.

Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum. Et quum vespera facta esset, egrediebatur de civitate. » Et abiit rursum in Bethaniam, sicut refert Matthæus, ibique mansit. Et hæc secunda die a Ramis Palmarum, hoc est die Lunæ, sicut Marcus scribit, gesta fuerunt. Quid est, Domine Jesu, quod esuriens mane, cibum quæris in arbore, quem præ omnibus constat esse solitum jejunare? Neminem discipulorum legimus tunc esurire, sed te solum. Ministrabas aliis quod tibi nunc indulgebas. Jejunus aliis ministrabas, et esuriens discipulos reficiebas, qui ministrare veneras, non ministrari. Pauperes fortassis, etsi spontaneos, habueras hospites. Nimium reputasti, quod larga eorum paupertas discipulos refecit. Pepercisti impensæ solus abstinendo, pro quo impensa omnia constat esse. Cibum requiris in arbore, quem natura sponte præbeat, non quem hominum præparet cura, aut qui largiores augeat expensas. Quæris utique cibum, ubi certus es nequaquam haberi eum. Non ergo id pro refectione corporali, sed magis pro mysterio agis. Quippe quum non ignores, non tunc tempus esse ficorum. Tanquam iratus maledicis arbori, quod fructum non habeat, eo tamen tempore quo secundum naturam nequaquam habere debebat. Maledicta statim aruit, et potentiam maledicentis invisibilis sensit, et quasi damnata est quæ non meruit. Cur ita? Domine. Nequaquam id crudelitate, sed magis pietate novimus gestum esse. Ad terrorem hominum, et correptionem malorum gestum est in arbore, quod gerendum erat in homine. Exhibita est virtus potentiæ in re insensibili, cujus offensa caveri debuit a rationali. Factis terret, verbis docet incredulam plebem; ne in sua malitia pereat, quam etiam crebris miraculorum beneficiis ad pœnitentiam invitat. Ipse angelus consilii quibus potest modis ne pereant, consulit perituris, ut vel pœnitentes salventur, vel inexcusabiles damnari mereantur. Et hæc quidem in secunda gesta sunt feria.

Die autem tertio, sicut Marcus et Matthæus referunt, quum a Bethania rediret Jerosolymam, viderunt discipuli arefactam ficulneam. Et recordatus Petrus dixit ad Jesum[1]: « Rabi, ecce ficus cui maledixisti aruit. » Et quum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, et seniores populi. Quibus ipse plura in parabolis locutus, et multa eis improperans peccata, graviter eos contra se commovit, quod maturius perficerent quod de morte ipsius tractaverant: qui deinceps quum egressus de templo iret in montem scilicet Oliveti, sicut Matthæus et Marcus patenter insinuant, adnectendo videlicet quod ibi sedens discipulos doceret, unus discipulorum ait illi[2]: « Magister, aspice quales lapides et quales structuræ. » Cui respondit Jesus: « Vides has omnes magnas ædifi-« cationes? Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. » Deinde

[1] Marc., cap. XI, v. 21. – Matth., cap. XXI, v. 20. — [2] Matth, cap. XXIV, v. 2. – Marc., cap. XIII, v. 1.

profectus ad montem Oliveti, quum ibi sederet, sicut Matthæus scribit, accesserunt ad eum discipuli ejus, secreto dicentes[1] : « Dic nobis quando hæc erunt,» de destructione scilicet Jerusalem, « et quod signum erit adventus tui, » in fine scilicet mundi, et ipsius consummationis sæculi. De qua quum plura Dominus prædixisset, et prolixum eis sermonem habuisset, subjungit Matthæus[2] : « Et factum est, quum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis : « Scitis quia post biduum Pascha fiet, et filius hominis tradetur ut crucifigatur. » Post biduum, hoc est in fine quintæ feriæ, quando tunc oportebat vetus Pascha celebrari de immolatione agni seu hædi ad vesperum. Hoc enim Pascha hoc loco dicit, quod secundum legem omnibus erat notum. Tertia itaque feria, hoc est die Martis, sermonem illum habuit in monte Oliveti, et eo finito, dixit discipulis, quia post biduum Pascha fiet. Tunc quippe illo anno accidit, ut post illud biduum, in quinta, ut diximus, feria, quartadecima eveniret luna, ut eo die ad vesperum secundum legem veteris Paschæ fieret sacrificium. Quo quidem finito, veteri scilicet Paschæ sacrificio in carnibus hædi vel agni cum azymis et lactucis agrestibus, statim ipse Dominus novum Pascha quum fecerit in sacramento corporis et sanguinis sui, et sic vetus Pascha terminavit.

Completis autem utriusque Paschæ sacramentis, de eadem nocte est traditus ad passionem. De qua consequenter traditione subjungit ut dictum est[3] : « Et filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc congregati sunt, » inquit Matthæus, « principes sacerdotum, et seniores populi consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Dicebant autem : Non in die festo, » subaudis : hoc faciendum esse : « ne forte tumultus fieret in populo ; » hoc est, ne turbæ, quæ illum cum exultatione susceperant, vel sicut prophetam habebant, in eos commoverentur, et ipsum eriperent. O cæci et pessimi ! Dolo eum vultis tenere, tanquam ignarum machinationis vestræ, nec in die festo istud perficere, non quidem pro reverentia diei, sed pro metu quem diximus populi. Diem festum dicit primum diem azymorum post Pascha. Pascha quippe proprie vocatur in quartadecima luna, ubi immolatio fiebat ad vesperum. A quinta vero die decima sequente usque ad septimum diem erant dies azymorum, quod videlicet post diem Paschæ septem diebus azymis vescerentur. In quibus quidem videlicet diebus azymorum, primus dies eorum et septimus celebriores erant cæteris et solemnes, quum ipse dies Paschæ nullam solemnitatis dignitatem ex auctoritate legis obtineat. Hinc in *Exodo* scriptum est de his septem diebus azymorum[4] : « Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.» Illum ergo pri-

[1] Matth., cap. XXIV, v. 3. — [2] Matth., cap. XXVI, v. 1, 2. — [3] Ibid., v. 3. — [4] *Exod.*, cap. XII, v. 16.

mum diem azymorum intelligunt, quum dicunt, « non in die festo. » Tunc enim omnes pariter secundum legem ab operibus vacantes congregati in civitate, facilius tumultum credebantur excitare. Quod vero Matthæus ait : « Tunc congregati sunt, etc. » Illud « tunc, » referendum est ad prædictam feriam tertiam, quando ait Dominus : « Scitis, quia post biduum, etc. »

Quid autem ipse Dominus postea egerit in illa tertia die, vel in quarta sequente, non exprimit Scriptura manifeste. Credimus autem ut hoc definitum consilium Judæorum evitaret, nec eis facultatem peragendæ malitiæ præberet, ante diem traditionis sive passionis ejus congruam. Quod vero adjecit evangelista[1] : « Quum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi, » et, ut Marcus ait, « ibi« dem[2] recumberet, » accessit ad eum mulier habens alabastrum, etc. » Incertum est utrum hoc fieret in prædicta die tertia, an in quarta sequente. Nonnulli tamen istud recumbere in domo Simonis, putant illam fuisse cœnam, de qua Joannes ait[3] : « Quia ante sex dies Paschæ venit Jesus Bethaniam, fecerunt autem ei cœnam ibi, et Martha ministrabat, etc. » Et quidem illi, qui hanc cœnam, quam Matthæus et Marcus commemorant, illam eamdem esse volunt, quam Joannes ante sex dies Paschæ factam asserit, dicunt nunc eam nequaquam secundum ordinem rei gestæ ab evangelistis narrari; sed tanquam inde prius factam ad memoriam reduci, ut videlicet innuerent inde Judam occasionem accepisse vendendi Dominum, quasi hoc pretio illud suum damnum restauraret. At vero si diligenter hanc et illam cœnam sibi conferamus, videbimus quia nequaquam decebat in alterius domo, vel de alienis sumptibus Domino ministrare. Præterea Joannes ibi Mariam non refert nisi pedes Jesu unxisse et capillos extersisse, nec isti evangelistæ referunt hic eam nisi super caput ipsius recumbentis unguentum posuisse. Quod non incommode in aliena domo facere potuit, quum fortasse qui cibum daret unguentum non præberet. Bene autem prius Domini longa via fatigati pedes unxit mulier, ut sic eum a labore viæ recrearet. Nunc autem satis esse arbitrata est caput quiescentis inungi, tanquam hoc unguento remedium conferens contra illius ferventissimæ terræ calores. Denique in illa priore cœna, qua Martha ministravit, Joannes neminem refert de unguento murmurasse nisi Judam proditorem. In hac vero secunda cœna, nequaquam Judas de hoc ab evangelistis notatur, sed indefinite super hoc discipulos indignatos fuisse referunt. Ex quibus omnibus quasi quibusdam conjecturis hanc et illam cœnam nequaquam eamdem fuisse, et devotionem mulieris tanto circa Dominum majorem extitisse, quanto sæpius hoc ei beneficium ministravit. De hac autem et secunda cœna, sicut Matthæus patenter ostendit, Judas abiit ad principes sacerdotum,

[1] Matth., cap. XXVI, v. 6. — [2] Marc., cap. XIV, v. 3. — [3] Joan., cap. XII, v. 1 et sq.

et iniit cum eis pactum, ut pro triginta argenteis Jesum traderet illis. Quum enim retulisset Matthæus, Dominum approbasse effusionem unguenti super caput ejus a muliere factam, statim adjunxit[1] : « Tunc abiit unus ex duodecim qui dicitur Judas, etc. » In quo et Marcus similiter consentit. Quod ergo utrique tunc Judam ad hoc quod diximus abiisse referunt, satis diligenter innuunt, ad hoc eum inde commotum fuisse atque indignatum, quod hac etiam vice confusus pretium unguenti non potuit obtinere.

Quid autem Dominus quinta feria egerit, hoc est die cœnæ, quo tunc, ut diximus, Pascha Judæorum contigit, et ipsis certum est evangeliis, ubi scriptum est: « Prima autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : « Ubi vis « paremus tibi comedere pascha? » Et misit Petrum et Joannem, dicens : « Euntes « parate nobis pascha, ut manducemus. » At illi dixerunt : « Ubi vis paremus? » Et dixit ad eos : « Ecce introeuntibus vobis civitatem, occurret vobis homo amphoram « aquæ portans. Sequimini eum in domum in quam intrat, et dicetis patrifamilias domus : Dicit tibi magister : « Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis « meis manducem? » Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, et ibi « parate. » Euntes autem invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha. Et quum facta esset hora, discubuit, et duodecim apostoli cum eo. » Discubuit quidem ad vetus pascha primo celebrandum. Quod vero tam Matthæus quam Marcus dicunt, hoc esse factum prima die azymorum, quæ videlicet dies proprie pascha dicebatur, ut supra meminimus, sicut septem dies sequentes azymorum vocabantur; sciat lector ipsum diem Paschæ nomine quoque azymorum comprehendi posse, quum in eo etiam azymis cum lactucis agrestibus vescerentur. Paschæ quoque nomine nunnunquam e converso dies azymorum continetur juxta illud Joannis : « Ante diem festum Paschæ. » Sæpe etiam Pascha ipsa hostia Paschæ potius quam dies appellatur, juxta illud : « Ubi vis paremus tibi comedere pascha? » Et alibi : « Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. » Et Apostolus[2] : « Pascha nostrum immolatus est Christus, » hoc est ipse nostra hostia paschalis. Quod vero Joannes ait : « Et cœna facta, quum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas, surgit a cœna, » ut videlicet pedes lavaret discipulorum. Et postmodum ablutione facta, subjungit : « Quum recubuisset, iterum dixit eis : Scitis quid fecerim vobis, etc. » Hoc insinuare videtur, quod intra cœnam veteris Paschæ et cœnam dominicam, pedes Dominus ablueret, per hoc patenter innuens, neminem ad sacrificium Christi dignum accedere, nisi prius ablutis pedibus, hoc est affectionibus animi mundatis, alioquin judicium sibi comedit et bibit.

[1] Matth., cap. XXVI, v. 14. Reliquos evangelistarum locos de Passione Domini a nostro Abælardo compilatos omnes minutatim notare parum utile esse duximus. Eos invenies apud Matthæum, cap. XXVI et sq. – Marcum, cap. XIV et sq.; – Lucam, cap. XXII et sq.; – Joannem, cap. XIII et sq. — [2] *Corinth. I*, cap. V, v. 7.

Quod vero dictum est : « Et quum recubuisset iterum, » innuit eos post sacrificium veteris Paschæ, ad cœnam convivium ciborum accessisse. Non enim tantæ virorum familiæ unius comestio agni vel hædi ad refectionem diei sufficeret. Præterea Lucas quum retulisset Dominum de veteri Pascha dixisse discipulis : « Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, etc., » duos calices postea commemorat Dominum discipulis dedisse, unum quidem statim post vetus Pascha, alterum in celebratione novi Paschæ. Et de illo quidem primo calice Dominus discipulis ait : « Accipite et dividite inter vos. Dico enim vobis, quia non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. » De alio vero calice scriptum est, quia dedit illis, dicens : « Hic est sanguis meus novi testamenti. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, quum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei. » Prior itaque calix post vetus Pascha, et ante novum susceptus, et ille secundus recubitus post ablutionem pedum, non ad sacrificium, sed ad refectionem corporum pertinere videretur. Nihil enim de potu in veteri Pascha lex præcipit, sed tantum de carnibus agni vel hædi cum panibus azymis et lactucis agrestibus. In hac itaque convivii refectione discipulis edentibus, videtur Dominus de panibus illius mensæ, non de azymis Paschæ accepisse, et novum Pascha confecisse. Non enim illo die Paschæ interdictum erat, ne panes etiam fermentati, qui proprie panes vini adjectione dicuntur, in domibus reperirentur; sed sequentibus tantum septem diebus, qui ob hoc die azymorum specialiter dicebantur. Unde et Græci non de azymo pane, sed de fermentato Dominum dicunt novum Pascha confecisse; quasi nihil de veteri Pascha in novo vellet retinere. Qui etiam, ubicunque nos habemus in novo Pascha dictum a Domino, quod « accepit panem et benedixit, » pro pane in græco habetur ἀρτόν, quod *fermentatum* significat.

Quod vero discipulis edentibus Dominus ait, quod unus eorum esset eum traditurus, et eum deinde præsignavit, dicens : « Qui intingit mecum manum in parapside, » sive in catino, « hic me tradet, » ad esum veteris Paschæ referendum est; ut quum illud ederent hoc eis diceret. Signum autem parapsidis, quo proditor designatur, sic accipiendum videtur, quod quum proditor audisset Dominum dixisse, quia unus discipulorum esset eum traditurus, ne hoc de se dici putaretur, quem jam conscientia sua super hoc accusabat, temeritate quadam providit demonstrandum, nequaquam de se suspicandum esse, qui sic de Domino confideret, ut in eodem vase cibum communem habere non trepidaret. Unde tunc in ejus parapsidem manum illam sceleratus intulit, qua eum ipsa nocte traditurus ad mortem fuerat. Sicut quoque intelligi potest signum illud parapsidis, quod Dominus, qui mensis ministrabat discipulorum, in consuetudinem haberet postquam mensæ deservisset cum Juda refici, qui quasi procurator

communis loculos impensæ deferebat. Tertio Dominus proditorem designare curavit, quo eum amplius a sua compesceret iniquitate. Quum enim primo dixisset : « Qui intingit mecum manum in parapside, hic me tradet, » ac postmodum traditor tanquam conscius sui, et quasi jam designatus ex parapside, requireret dicens : « Nunquid ego sum? Rabi. » Respondit ei Jesus : « Tu dixisti. » Ac si diceret : Tu jam pacto cum Judæis inito, et te hoc facturum esse pollicitus, quod nunc dico eis prædixisti. Refert etiam Joannes, quod, quum ipse Dominus dixisset : « Qui manducat panem meum, levabit contra me calcaneum suum, » et ipse Joannes recumbens super pectus Jesu, requireret ab ipso quis ille esset, respondit : « Ille est, cui intinctum panem porrexero. » Et quum intinxisset panem, dedit Judæ, et post buccellam, tunc introivit in illum Sathanas. Dixit ei Jesus : « Quod facis, fac citius » Quum autem accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox. » Ecce hoc tertio proditor manifeste designatus, post buccellam statim exiit ad conceptum scelus peragendum, tanquam jam omnino de Domini gratia desperans, quum ejus mentem ita diabolus omnino possideret, ut redire ad veniam nullatenus posset. Mirum tamen est quomodo acquievit ut intinctam buccellam acciperet, si prius audierit Dominum hoc dixisse in signum fieri futuræ proditionis. Credimus ergo Dominum hoc privatim Joanni recumbenti super pectus ejus respondisse, ita ut proditor id nequaquam intelligeret. Nam et Petrus secreto hoc demonstrari petiit, innuens Joanni potius quam loquens, ut a Domino requireret quis ille esset de quo diceret. De illa autem buccella panis, quam ad proditorem designandum intinctam ei porrexit, plerisque videtur quod de ipso pane sacrato eam acciperet, unde inter cæteros ita eum communicaret. Quam quidem communionem quum indigne sumeret, judicium potius quam salutem ibi acciperet, sicut et Apostolus asserit de indigne communicatis. Unde et post buccellam, Sathanas in Judam introisse, et sic eum plenius possedisse memoratur. Nam et quod huic quoque communioni proditor interfuerit, Lucas patenter insinuare videtur. Qui, dum novum pascha celebraretur a Domino, refert eum dixisse : « Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. » Continuo tamen accepta buccella, proditor non exspectat communionem finiri, vel hymnum post refectionem Domino persolvi; sacrum statim collegium egreditur, quo pravum desiderium amplius maturaret, sicut et Dominus prædixerat dicens : « Quod facis, fac citius. » Ideo autem panem intinctum soli proditori dedit, ut ejus mentem jam conceptione peccati infectam et maculatam significaret. Cæteris autem, qui puram habebant conscientiam, sacramenta corporis et sanguinis sui separatim distribuit; quasi panem per se et vinum per se separatim ministrans. Unde bene statutum est in Ecclesia, ut quando fideles communicantur, hæc separatim accipiant. Sunt vero qui panem illum

intinctum nequaquam de sacrificio Christi fuisse intelligunt, sed buccellam illam de quocunque pane acceptam esse ad proditorem solummodo designandum. Quorum etiam nonnulli volunt Judam in sacramento dominici corporis participasse. Augustinus *super Joannem* : « Et quum intinxisset panem dedit Judæ. » Non autem, ut putant quidam, tunc Judas corpus Christi accepit. Intelligendum est enim, quod jam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis et sanguinis sui, ubi et ipse Judas erat, sicut Lucas evidentissime narrat. Deinde per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem. » Hilarius *super Matthæum*[1] : « Ubi vis paremus tibi pascha manducare? Post quæ Judas proditor judicatur, sine quo pascha accepto calice et fracto pane conficitur. Dignus enim æternorum sacramentorum communione non fuerat. Nam discessisse statim intelligitur, quod cum turbis reversus ostenditur. Neque sane bibere cum Domino poterat, qui non erat bibiturus in regno, quum universos tunc bibentes ex vitis istius fructu bibituros secum postea polliceretur. » Notandum tamen nequaquam in verbis Domini universos haberi, quamvis hoc beatus intelligat Hilarius, sed ita indefinite a Domino dici : « Quum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei. » Multa quippe novimus ad hunc modum apostolis Dominum loqui, quæ monita generaliter sunt accipienda, ut Judæ quoque possint convenire. Quale est illud : « Beati oculi qui vident quæ vos videtis, » et : « Sedebitis vos super sedes duodecim, etc., » et : « Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. » Et rursum : « Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. » Sæpe etiam quum generaliter aliquid dicitur, non est tamen generaliter accipiendum. Unde illud est Hieronymi ad Damasum in parabola Domini de filio frugi et luxurioso[2] : « Et omnia mea tua sunt. » Quomodo autem Dei omnia Judæorum sunt? Nunquid angeli, throni? Omnia ergo intellige prophetias, eloquia divina, secundum illud quod sæpe exposuimus, non semper omnia ad totum esse referenda, sed ad partem maximam, ut[3] : « Omnes declinaverunt, » et[4] : « Omnes qui ante me venerunt, fures fuerunt et latrones, » et[5] : « Omnibus omnia factus sum; » et[6] : « Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. » Denique si ponamus Judam quoque communioni interfuisse, qua completa Dominus illud ait[7] : « Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, quum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei, » non cogimur ideo fateri tunc Judam adfuisse, quum hoc Dominus dixerit, nec eum expectasse finem cœnæ dominicæ, qui continuo, ut supra dictum est, exivit post acceptionem buccellæ,

[1] *Comm. in Matth.*, cap. xxx, *Opp.* Parisii, 1693, in-fol., col. 740. — [2] *Opp.* t. IV, part. I, col. 158. — [3] *Rom.*, cap. III, v. 12. — [4] Joan., cap. x, v. 8. — [5] *I Corinth.*, cap. IX, v. 22. — [6] *Philipp.*, cap. II, v. 21. — [7] Joan., cap. XIV, v. 31.

ut eos convocaret quibus Dominum traderet. Post cujus quidem egressum, Dominus, ut Joannes refert, prolixum sermonem ad discipulos habuit. Cujus primam partem, dum adhuc recumberet, dixit usque ad eum scilicet locum, ubi ait[1] : « Sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem, et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio; surgite, eamus hinc. » Quem quidem locum beatus exponens Augustinus, ait[2] : « Tanquam diceretur : Cur ergo moreris, si non habes peccatum, cui debetur mortis supplicium? continuo subjecit : « Sed ut « cognoscat mundus, etc. » « Eamus, » dixit. Quo, nisi ad illum locum, unde fuerat tradendus ad mortem? Habebat ut moreretur mandatum Patris. »

Postquam autem dixit discipulis suis : « Surgite, eamus hinc, » illis de accubitu mensæ surgentibus, et hymno gratiarum dicto, de quo Matthæus et Marcus scribunt, aliam partem sermonis confirmavit, usquequo de domo illa exierit, secundum consuetudinem suam, in montem Oliveti. Unde et Lucas de Domino meminit, dicens : « Erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocatur Oliveti. » Et iterum : « Egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. » Secuti sunt autem illum et discipuli. De nostra quippe salute Dominus sollicitus, die prædicationi intendebat, nocte in oratione pernoctabat. Ad quam quidem faciendam secretum requirebat locum et a tumultu seculi remotum, quo purius suis discipulis esset orandum. Quo quum ipse pervenisset atque orasset, eos quoque ad orationem invitat, dicens : « Vigilate et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. » Tanquam si diceret : Prolatio vobis facilis est ad me confitendum, et cum Petro dicendum, quia parati estis mecum et in carcerem et in mortem ire; sed adhuc infirmi estis ex carne ad resistendum tentationibus. Quod humanitas Christi imminente passionis articulo, se ad orationem convertit, et discipulos hinc scandalizandos ad orationem hortatur, patenter nos instruit, ne unquam de viribus nostris in aliquo periculo præsumamus constituti, quia non est homini mortem constantia superare, nisi hanc virtutem nobis Domino ministrante. Ter in die Daniel[3] in anxietate positus orasse Dominum legitur, tanquam hunc unum in tribus personis intelligens. Trinam et nunc Dominus orationem assumit, qua veram infirmitatem carnis se habere demonstrans, verum se hominem probaret, et similem nobis in omnibus absque peccato, ut vera ejus passio sicut et carnis susceptio credatur. Orans itaque dicit : « Pater si possibile est, etc. » Et rursum : « Pater, si non potest hic calix transire, etc. » Si possibile est, inquit, hoc est conveniens, ut alio modo redemptionis quam per mortem meam possit humanum genus salvari. Calicem dicit mortem suam transitoriam,

[1] Joan., cap. x, v. 8. — [2] Serm. CLXX, *Opp.* t. V, col. 820. — [3] *Dan.*, cap. VI, v. 10.

cito resurrecturus. Qua videlicet morte, tanquam poculo quodam, desiderium suum de nostra redemptione, quasi sitim suam erat refecturus. Sed nunquid mortem timuit, ad quam nos minime timendam adhortatur, dicens[1] : « Nolite timere eos qui occidunt corpus? » Certe neminem martyrum, quum ad agonem venirent, quod passuri erant, orasse memini ut ab eis passio transiret, sed læto animo et magno desiderio eam suscipere, tanquam illud implentes Apostoli[2] : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo. » Nunquid ipse morti se offerens, plus eam timuit quam cæteri, aut tristis ad eam venit, ad quam alii occurrere dicuntur læti? Sic quippe de ipso Marcus refert, quod cœpit pavere et tædere; et tam ipse Marcus quam Matthæus eum scribunt dixisse : « Tristis est anima mea usque ad mortem, » nec non et eum passionis amaritudinem profiteri non velle, et suam in hoc voluntatem a voluntate Patris dissidere, quum ait : « Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, » vel ita : « Sed non quod ego volo, sed quod tu. » Et in Luca legitur : « Pater, si vis, transfer a me calicem istum. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. » Ubi et subditur : « Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum, et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. » Neminem alium præ timore mortis sanguinem legimus sudasse, quod supra naturam humanam constat esse. An forte plus quam cæteri timuit, quem timor passionis ad hoc coegit? an sponte magis quam anxietate timoris hunc sudorem emisit? Quem denique fortem athletam ita periculo mortis anxiatum, et tanquam ex desperatione legimus esse perturbatum, ut de Domino scriptum esse videtur? « Nunc anima mea, » inquit, « turbata. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. » Et post aliqua : « Quum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu. » Ut autem ponamus in quibusdam videtur in his verbis[3], timoris vel tristitiæ eum membra sua in se transformasse, ut ex persona suorum membrorum hæc dicerentur aut fierent : nunquam certe in eorum persona sudor iste juxta litteram accipiendus est. Beatus autem Ambrosius plus eum quam cæteros passionem mortis horrere non veretur asserere. Sic quippe ait de fide ad Gratianum scribens, in libro II[4] : « Petrus dicit : « Animam meam pono pro te. » Christus dicit : « Anima mea turbatur. » Utrumque verum est, et plenum utrumque rationis, quod inferior non timet, et superior gerit timentis affectum. Ille enim quasi homo vim mortis ignorat, iste quasi Deus in corpore constitutus, fragilitatem carnis exponit, ut eorum qui sacramentum incarnationis abhorrent[5], excluderetur impietas. » Ex quibus patenter verbis ostenditur, re vera ejus animam, quæ per unionem Verbi omnia

[1] Matth., cap. x, v. 28. — [2] *Philipp.*, cap. I, v. 23. — [3] Locus corruptus, ut videtur. — [4] Cap. v, *Opp.* t. II, col. 478. — [5] Aliter *abjurant*.

scientis tam bene summum mortis cruciatum tanquam[1].... esset experta, noverat magis eum horruisse, quam cæteræ possent animæ. Quando autem plus mortem timuit, et in passione constantior perstitit, tanto virtus obedientiæ major in eo claruit, et majorem nobis, pro quibus passus est, dilectionem exhibuit. Ubi et infirmioribus membris consolationem proponere voluit, ne quum ad agonis passionem trepidarent, pro hoc infirmitate sua desperarent a venia. Quam constanter autem Dominus passioni occurreret et in passione persisteret, quisquis diligenter attendit judex secundum magnitudinem timoris, incomparabilem in eo fortitudinem[2].... enim omittam cætera, quis non illud miretur, quod a Pilato interrogatus quum respondere nollet, ab eo audierit: « Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo dimittere te, etc. » Qui etiam ab ipso ad Herodem missus, tanquam ad ejus potestatem pertinens, quum esset Galilæus, ut sic per eum facile liberari posset, nil ei respondere dignatus est, quum multis interrogaretur sermonibus, nedum ei signum aliquod ostendere, quod ille maxime cupiebat.

Quod ergo pavendo tædere, vel perturbari adeo videtur, ut quasi desperans diceret: « Et quid dicam?» signa sunt omnia non ignaviæ vel diffidentiæ, sed timoris maximi ad infirmitatis probationem assumptæ: ut quod mortem prævenit, ipsa jam gravius videatur morte. Angelus apparens in persona Patris eum confortat, sicut et antea factum fuerat, ipso ad eum dicente: « Et clarificavi, et iterum clarificabo. » Hæc quippe consolatio orationis complendæ, qua pro suis orabat, intelligenda est responsio, qua discipuli audita consolarentur. Quis fidelium, Domine, hanc etiam tuæ passionis anxietatem sine compassione possit audire? hanc pro nobis tuam perturbationem queat sustinere? Ait Apostolus[3]: « Si unum patitur membrum, compatiuntur omnia membra, etc., » pro se invicem sollicita. Quid ergo pro capite dolores nostros et peccata portante, nos oportet facere? Quis siccis oculis hoc intelligat? Cujus cor lapideum dolor iste non scindat? Scissum est velum templi in tua, Domine, passione, et ad terræ motum ipsa etiam fissa est duritia petrarum. Sol obscuratus est, tanquam immanitatem sceleris conspicere non ferret. Ipsa quoque insensibilia, tanquam tuam sentirent passionem, compassionis exhibuerunt affectum. Ut autem et hæc compassio nostra penetret ac scindat corda, ad intermissa, non dimissa, caritas suspirans stylum reducat.

Egressus itaque Dominus ad montem Oliveti, sicut Matthæus refert, venit inde cum discipulis in villam quæ dicitur Gethsemani. Quem profecto locum Marcus prædium nominat, Joannes dicit: « Trans Jordanem[4] Cedron, ubi erat hortus, in quem frequenter Jesus conveniebat cum discipulis, » tanquam secretissimum, atque ad docendum discipulos, sive orandum convenientem. Idem itaque intel-

[1] Locus corruptus.—[2] Locus corruptus.—[3] *Corinth. I*, cap. XII, v. 26.—[4] Lege *torrentem*. Joan., cap. XVIII, v. 1.

ligitur, « villam Gethsemani, » quod, « locum illum trans torrentem Cedron, » ad radicem montis Oliveti existentem. Quum dicitur, « torrentem Cedron, » genitivus græcus est « Cedron, » pro « Cedrorum. » Torrentem dicunt, quia in valle Josaphat, aqua illa vicissim currit, non semper, in qua et cedri crescunt. Qui locus Abrahæ hortus erat, qui circa Salem plures hortos et mansiones habebat. Quem locum Jesus cum discipulis suis frequentabat, qui et bene erat inde notus. Igitur hic eum quærit ad tradendum, et ibidem invenit quæsitum, sicut statim ipse Joannes prosequitur, dicens : « Judas ergo quum accepisset cohortem, et a pontificibus et pharisæis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis. » Cohortem quidem gentilium a Pilato præside, ut nec gentiles in ejus traditione deessent, qui hos quoque sua venerat morte redimere; ut videlicet tam a Judæis quam a gentilibus ad mortem traderetur, qui pro salute omnium mortem pateretur. Lucas verum refert ipsos etiam principes sacerdotum, hoc est pontifices et magistratus templi, et seniores venisse. Quod sic accipiendum videtur, ut hoc in ministris suis, non in personis propriis agerent. Cæteris quippe referentibus evangelistis, novimus Dominum a cohorte et ministris comprehensum, ad Annam sive Caipham pontifices fuisse perductum. Venientes afferunt laternas, ut qui sunt in tenebris cæcitatis, ipsam lucem capiant mundi. Fustibus et armis veniunt muniti, ut per hanc resistenti vim facerent, vel eum a se propulsarent. Jesus itaque omnia quæ ventura erant super eum præcessit. Dum homines Deo vim facere parant, sponte Dominus, non intractus, occurrit passioni, sicut ipse dixerat[1] : « Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam. Sciens, » inquit, « omnia : » hoc est, non ignorans eorum machinamenta, et per dirum mortis supplicium se salutem vestram consummaturum, ac deinceps tam resurrectione quam ascensione, vel sancti Spiritus adventu glorificandum. Qui ante a passione declinaverat, quia nondum venerat hora ejus, et discipulis præceperat[2] : « Quum vos persecuti fuerint de civitate in civitatem, fugite in aliam; » sciens jam advenisse tempus congruum passioni, offert se in pascha, tanquam pascha vel agnus ad immolandum. Processit, et dicit : « Quem quæritis? » Vere, inquam, tanquam ignorans eorum nequissimam inquisitionem, quia tuum est ignorare mala quæ improbas, et cognoscere bona quæ approbas. Sic quippe Adam, quem ante peccatum noveras, post peccatum tanquam incognitum requiris dicens[3] : « Adam ubi es? » Qui etiam mulieris factum quod improbas, tanquam incognitum interrogans, ais : « Quare fecisti? » Et fatuis virginibus respondens, dicis[4] : « Amen dico vobis, nescio vos. » Quum e contrario

[1] Joan., cap. XVIII, v. 18.— [2] « Quum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. » (Matth., cap. X, v. 23.) — [3] *Genes.*, cap. III, v. 9, 13. — [4] Matth., cap. XXV, v. 12.

Moysi dicas[1] : « Novi te ex nomine, » et scriptum sit[2] : « Novit Dominus qui sunt ejus. » Responderunt ei : « Jesum Nazarenum. » O cæci et vere in tenebris venientes contra lucem, et in nocte adversum diem, quum ei vos ipsum quærere respondetis, quem perdere venitis! Procedit ad bellum tanquam signifer ante suos. Non eum recognoscitis Dominum, quem occurrere videtis solum. Si enim recognosceretis, nequaquam vestræ machinationis dolum responsione vestra ei panderetis. Contra sapientiam venientes, quia eam non cognoscitis, stulti permanetis, nec præsentem potestis animadvertere, nisi eo se vobis indicante. Jesum respondetis, et ne ipse de semetipso in vestra responsione possit errare, tanquam eum et de seipso docentes, subnexa determinatione additis : « Nazarenum. » Et utinam Jesum, quem profitemini tanquam Jesum, id est Salvatorem, quæreretis, ut quod in ore habetis, corde teneretis; ne, dum Salvatorem perdere quæritis, vos ipsos potius perdatis.

Dicit ei Jesus : « Ego sum. » Non enim cognoscere eum nisi ipso poterant indicante, sicut nec ipsum capere, nisi ipso se tradente. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. Lucas refert, quia antecedebat eos, et Marcus quod quum venisset, statim accedens ad eum ait : « Rabbi, » et osculatus est eum. At illi manus injecerunt in eum, et tenuerunt eum. Unde mihi videtur, quod quando proficisci cœperunt, Judas tanquam dux eos antecedebat. Ubi autem appropinquare cœperunt, ipse conscientia sua confusus et perturbatus, vel hæsitans, ita se retinuit, et gradum suppressit, ut illi præcederent. Unde nunc Joannes dicit illis ad Jesum pervenientibus, Judam stare cum illis potius quam præcedere. Stabat quidem cum ipsis, non ut cæteri cum Domino. Stabat tanquam stupefactus et concepti sceleris immanitate perturbatus, et ex conspectu Domini maxime confusus, aut fortasse, tanta cæcitate percussus, ut nec eum posset cognoscere, nisi eo seipsum indicante. Ut tamen impleret quod dixerat : « Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, » omni pudore postposito, non Deum, sed homines veritus, accessit ad osculum, tanquam eum designans, qui jam semetipsum indicaverat, ut nil in se fieri nisi seipso disponente Dominus declararet. Unde et sequitur : « Ut ergo dixit eis : « Ego sum, » abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. » Quid agitis missi? Ecce præsto est quem quæritis, et seipsum offerens, dicit : « Ego sum, » nec istam ejus vocem ferre sustinetis, cui vim facere confidebatis. Abeuntes retrorsum, non ei valentes appropinquare, quem venitis comprehendere, in terram resupini corruistis. Hic quippe casus proprius est reproborum, sicut cadere in faciem proprium est electorum : unde et illud est beati Gregorii *in Ezechielem* homilia[3] : « Electi in faciem, et reprobi

[1] *Exod.*, cap. XXXIII, v. 12.—[2] « Notum faciet Dominus qui ad se pertineant.» (*Num.*, cap. XVI, v. 5.) —[3] Lib. I, hom. IX, *Opp.* t. I, col. 1251.

retrorsum cadunt, quia qui post se cadit, ibi cadit, ubi non videt. Iniqui vero qui in visibilibus cadunt, post se cadere dicuntur, quia ibi corruunt, ubi quid eos tunc sequatur modo videre non possunt. Justi vero, quia in istis visibilibus semetipsos sponte dejiciunt, ut invisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt, quia timore compuncti, videntes humiliantur. » Iterum ergo eos interrogavit : « Quem quæritis? » Illi autem dixerunt : « Jesum Nazarenum. » Respondit Jesus : « Dixi vobis quia ego sum. » Qui abierunt retrorsum, non solum corpore corruentes, verum etiam in tantam extasim pavoris et perturbationis facti, ut Dominum nec ad indicium suum, nec ad proditoris osculum agnoscere possent. Secundo interrogat eos quem quærant, et se iterum illum esse docet, quem se illi quærere respondent. In quo patenter ostenditur et ipsius perseverantia in passione, et illorum in obstinatione suæ malitiæ.

« Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo, etc.[1]. » Si me, inquit, non alium quæritis, sicut ex duabus jam patet responsionibus vestris, sufficere vobis debet vestram in me complere malitiam. Hoc inquit, discipulos qui aderant intelligens, ut solus ipse torcular passionis intraret, sicut ex persona ejus Isaias prædixerat[2] : « Torcular calcavi solus, etc. » Sermo, inquit evangelista, quem ipse Dominus antea dixerat, ad Patrem loquens[3] : « Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex iis periit nisi filius perditionis. » Augustinus in Joanne super hunc locum[4] : « Cur si tunc morerentur, perderet eos, nisi quia nondum sic in eum credebant quomodo credunt quicunque non perituri? » Item[5] : « Petrus, si negato Christo hinc iret, quid aliud quam periret? « Sinite, » inquit, « hos abire, » sed non adjecit, et capite me : ne videlicet pietatem præcipiens, impietatem quoque quam fieri permittebat, jubere videretur. Accedens autem proditor ad Dominum dixit : « Ave, Rabbi. » Et osculatus est eum. Jesus autem dixit ei : « Amice, ad quid venisti? » Sive uti Lucas ait : « Juda, osculo filium hominis tradis? » Hoc osculum non pacis, sed proditionis signum est illud, de quo Matthæus commemorat : « Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens : « Quemcunque osculatus fuero ipse est, tenete eum, et ducite caute. » Ecce dux cæcorum et miserrime miserorum, quæ est ista cautela, ad quam eos hortatur insania tua? tanquam sapientiæ Dei prævalere hominum cautela possit. Impudentissime proditor, omnium scelerum abominationes tuis justificans sceleribus. Dispensatoris curam inter cæteros a Domino susceperas, loculos habens, et ea quæ poteras furto surripiens, marsupium tuum, non dominicum volens augere, ipsum præsumpsisti Dominum vendere, et in pretio pecuniæ ipsum

[1] Joan., cap. XVIII, v. 8. — [2] Isaiæ cap. LXIII, v. 3. — [3] Joan., cap. XVII, v. 12. — [4] Tract. CXII, *Opp.* t. III, part. II, col. 785. — [5] Ibid., tract. CXIII, col. 786.

mundi pretium ponere. Ad cumulum malitiæ tuæ, ipsos conceptæ proditionis gradus intuere, ut nullam abominationem impudentiæ deesse cognoscas proditioni tuæ. Ipsa nocte qua tractabas eum tradere, ad cœnam præsumens accedere, in ejus parapside, manum sceleratam et tanquam ipsius sanguine cruentatam inserere non timuisti, ut hoc facto quasi teste tuæ conscientiæ bonæ omnem suspicionem a te removeres. Consors in participatione tam veteris quam novi paschæ, ac deinceps in ipsa traditione eum ut magistrum salutans, et ut lupus agnum osculans, fili perditionis, a mansueto patre audis : « Amice, ad quid venisti ? » Amice quidem, non amans, sed amate, non diligens, sed dilecte, quantum ad exhibitionem familiaritatis et amicitiæ. « Ad quid, » inquit, « venisti ? » tanquam si diceret : Attende, miser, quantam sine causa præsumis execrationem, quum prædictis gradibus ad conceptam pervenis proditionem. In quo et Dominus signum proditionis detestans, ait : « Juda, osculo filium hominis tradis ? » Hoc est : Cur, infelix, osculum in signo proditionis elegisti, quod inter inimicos etiam summa fœderatio solet esse pacis? Infelicissime omnium hominum, bonum tibi esset si natus non fuisses, quia more abortivorum in utero moriens, gravissimam non meruisses pœnam!

« Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : « Domine, si percutimus in gladio? » Simon ergo Petrus ardentior cæteris habens gladium, eduxit eum, et percussit servum pontificis, et abscidit ejus auriculam dexteram. Respondens autem Jesus ait : « Sinite usque huc. » Et quum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. » Quærunt alii a Domino, utrum percutiendo debeant eum vindicare. Non sustinet Petrus responsum, ut audiat documentum; nec mensuram habet amor vehemens, nec immensa caritas attendit quid excedat. Noverat dominicæ mansuetudinis patientiam, quem jam olim prædicentem suam passionem quum secreto correpsisset, dicens : « Propitius esto tibi, Domine, ne fiat hoc, » audivit ab ipso : « Vade post me, Satana, non sapis ea quæ Dei sunt[1]. » Noverat et qui generaliter ipse discipulis præceperat, dicens[2] : « Audistis quia dictum est : « Oculum pro oculo, dentem pro dente. » Ego autem dico vobis non resistere malo. Sed si quis te percusserit in dextra maxilla tua, præbe ei et alteram. » His et similibus patientiæ documentis Petrus instructus noverat, Dominum nequaquam hanc ei vindictam concessurum. Ne ergo reus inobedientiæ percutiendo fieret, si hoc responsum expectaret, prævenit ipsum, tanquam aliis in hoc quid agerent, præbens exemplum, utpote princeps vel primus eorum : ut sicut Judas ex adversa parte dux erat ad malitiam, sic iste in acie Domini dux fieret ad vindictam. Dum ergo alii quærunt an percutiant, iste percutere

[1] Matth., cap. XVI, v. 23. — [2] Matth., cap. V, v. 38, 39.

non differens, materialis gladii vindictam usurpat sibi nequaquam commissam. Unde et a Domino sine mora corrigitur. Quod tamen non recte tunc gestum est in opere, in mysterio vacuum est assumptione. Luca quippe referente, novimus duos gladios in cœna Domini fuisse. Sic quippe scriptum est de Domino, et discipulis : « Et dixit eis[1] : « Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calciamentis, « nunquid defuit vobis ? » At illi dixerunt : « Nihil. » Dixit ergo eis : « Sed nunc qui « habet sacculum, tollat similiter et peram, et qui non habet, vendat tunicam suam, « et emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc quod scriptum est oportet « impleri in me : « Et cum iniquis deputatus est. » Etenim ea quæ sunt de me finem « habent. » At illi dixerunt : « Domine, ecce duo gladii hic. » At ille dixit eis : « Satis « est. » Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli. » Sacculus major est quam pera, et ideo necessarius est ad plurimorum viaticum deferendum. Pera vero singulis sufficere videtur. Bene ergo Dominus, dum præsens hic esset, eorum necessitudinibus omnino providebat, ne quid eis in via deferre necessarium esset, ut post ejus recessum a terris, tanto ejus præsentia amplius amaretur ac desideraretur, quanto hi eam sibi magis necessariam experti fuerant. « Sed nunc qui habet, » hoc etiam deinceps tam vobismetipsis quam aliis in pera vel sacculo providete sumendo : « et qui non habet, » subaudi sacculum vel peram unde comparare gladium possit, « vendat tunicam, » quæ magis necessaria videtur, ut hinc eum emat. Quod quidem juxta litteram, ut sequentia innuunt, ob hoc videtur dictum, ut quum armati ad locum traditionis venirent, tanto major patientia Domini probaretur, quanto potentior ipse veniret in sua defensione. Finem habent, id est consummationem, ut ipsa omnia perficiantur in me quæ scripta sunt de me. Duo autem gladii illi sive in cœna Domini fortuitu reperti, sive ab aliquibus discipulorum, imminente passione, ad protectionem illic allati, duos in Ecclesia gladios significant, materialem quo rex utitur in vindicta corporali, et spiritalem quo animam sacerdos percutit per sententiam excommunicationis. Hunc spiritalem gladium Petrus assumens, auriculam ejus dextram abscidit, qui adversus Christum venit, quia qui Christi contrarius est præceptis, sententia feriendus est anathematis : et sic ei auricula dextra amputatur, dum a divini verbi prædicatione removetur, et ei Ecclesiæ aditus interdicitur. Sinistra quippe auris est, qua terrenis intendimus, dum de his instruimur. Dextera vero auris est, quæ his auditum præbet, quæ de cœlestibus, vel quæ ad salutem animæ pertinent, prædicantur. Quod ergo Petrus egit, quamvis in opere sit reprehendendum, in mysterio tamen est officiosum. Officium quippe dicitur actus cuique personæ congruus. Bene autem auris dextra

[1] Luc., cap. xxii, v. 35.

non tamen[1] auris hoc loco dicitur quam auricula, hoc est auris parva. Pauci quippe sunt electi, ad ea quæ de salute animæ dicuntur accommodantes auditum : et quod de cœlestibus prædicatur vix capi potest, et pro subtilitate intelligentiæ, quasi tenui auris foramine ad animi pervenit intellectum. Quod vero de duobus prædictis gladiis Dominus ait: « Satis est, » et post amputationem auriculæ dixit : « Sinite huc usque, » ad mysterium respexit rei significatæ. Duo quippe gladii superius distincti ad exercendam justitiam sufficiunt Ecclesiæ, ut quemadmodum homo ex anima constat et carne, ita in his duobus duo exerceantur gladii, regis quidem in corpore, sacerdotis in anima. « Sinite, » inquit discipulis, « usque huc, » ut videlicet contenti vestra potestate, non plus, ut dictum est, præsumatis vindictæ, quam dextram auriculam amputare. Amputatam a Petro auriculam Dominus restituens, percussum sanat, quia ejus est pœnitentiam inspirare, qua peccator redeat, et verbo salutis reconciliatus intendat. O misericordia Salvatoris! o impietas persequentis! Sanat percussum Dominus, et persequi non cessat sanatus. Beneficium suscipit, et in obstinatione sua ingratus persistit. Vident persecutores miraculum, nec persequendi immutant animum. Corrigitur persecutor, ut cesset persecutio.

« Converte, » inquit Petro, « gladium tuum in vaginam. Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit. » Qui acceperit, inquit, ad occidendum, non cui traditus est a potestate, ipse gladio dignus est interire. « An putas quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? » Ac si aperte dicat : Non egeo vestri duodecim hominum patrocinio, cui, si vellem, in auxilio adesset tanta angelorum multitudo. In illa hora dixit Jesus turbis[2] : « Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam in templo, et non me tenuistis. Quum quotidie vobiscum in templo fuerim, non extendistis in me manus. Sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est, ut implerentur scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. Adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, et tenuerunt eum. At ille, relicta sindone, nudus profugit foras ab eis. » Latrones in viis insidias tendunt, fures in domibus. Quod autem ait, « tanquam ad latronem, » tale est tanquam ad eum, qui viam obsidens, transeuntibus insidiatur, nec tutum aut liberum eis transitum permittit, quum tu, Domine, ipsa sis potius via, qui dixisti[3] : « Ego sum via, veritas, et vita. » Quotidie, hoc est frequenter in templo, ubi omnes conveniunt, sedens quasi securus, non in abscondito, more latronis latens. Unde et a latendo latro est appellatus. Et quum manifeste sic se-

[1] *Tam* certe legendum. — [2] Matth., c. xxvi, v. 56. – Marc., cap. xiv, v. 48. — [3] Joan., cap. xiv, v. 6.

derem et docerem, nec manus in me ausi estis extendere, nec tunc etiam quum eos flagellatos ejicerem de templo. Nondum enim venerat ejus [hora], hoc est tempus passioni congruum, quod in ejus dispositione fuerat præfixum. Ex quo patenter ostendit, nihil eos in eo agere posse, nisi eo permittente ac disponente. « Hora vestra sicut et mea. » Vestra quidem ad perdendum, mea vero ad salvandum. « Potestas tenebrarum, » hoc est vobis cæcis a me ipso in me permissa. Si enim cognovissent, nunquam gloriæ Dominum crucifixissent. « Hoc autem totum, » de captione scilicet Domini, et proditione Judæ. Hæc etiam verba non tam evangelistæ quam Domini esse videntur. Unde et subditur : « Tunc discipuli omnes. » Ac si diceretur : Quum eum audirent asserere de sua passione sancitum in prophetis esse, nec ullatenus eis vindictam permittere, fugerunt, innocente impiis derelicto, et lupis agno. Hoc enim et ipse prædixerat ex testimonio prophetiæ dicentis[1] : « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. » Hunc adolescentem quidam intelligunt Joannem præ cæteris a Domino dilectum, qui cæteris junior æstimatur, nonnulli Jacobum fratrem Domini. Beda *in Marco* super hunc locum[2] : « Quis iste adolescens fuerit, evangelista non dicit. » Item[3] : « Neque aliquid vetat intelligi hunc Joannem. » Jeremias in minori Breviario, psalm. xxxvi : « Judæi vim faciebant vel Petro quum dicerent : « Nam et tu ex « illis es ; » vel Jacobo, qui quum traderetur, sindone relicta, nudus aufugit. » « Super nudo, » sub ipso existente, quum super sindonem nullum haberet indumentum. Fortassis enim ad dominicum dictum tunicam suam, vel aliud indumentum pro gladio emendo dederat, vel pro mutuando posuerat. Quod dicitur : « Tenuerunt eum, » quum, cæteris jam dispersis, eum sequentem invenirent solum, patenter innuitur nequaquam eos fuisse ausos aggredi apostolos, dum simul armati Domino assisterent.

Cohors ergo, et tribunus, et ministri Judæorum, qui apprehenderunt Jesum, ligaverunt eum, et adduxerunt ad Annam primum. Tribunus cohorti gentili præerat. Dicitur autem tribunus sive a tribus, vel a tribubus, id est plebibus et minoribus. Tres quippe hujusmodi prælatos dicitur primum romanus populus sibi præcepisse, ut quemadmodum duces militibus, ita isti præessent plebibus. Ligaverunt eum tanquam ex consilio illius qui dixerat : « Et ducite caute, ne videlicet posset effugere. » O cæci! nunquid is qui aurem tam cito restituit, vincula dissolvere non posset, si vellet? Sed vincula sustinet impiorum, ut in omni patientia probatus, vincula solveret peccatorum. Ligatur a servis Dominus ad horam, qui fortem armatum religaret perenniter satanam. Vinctus ut latro ducitur,

[1] Zachar., cap. xiii, v. 7. — [2] Vid. venerabilis Bedæ *Opp.*, Coloniæ Agrippinæ, 1612, in-fol., t. V, col. 197. — [3] Ibid., ibid.

humano destitutus auxilio, cui angelorum assistebat multitudo. Primum adducitur ad Annam pontificem, socerum Caiphæ, qui videlicet Caiphas erat pontifex anni illius. Vices quippe suas diversi pontifices jam facti agebant per diversos annos. Primum ad Annam illudendus ibi adducitur, deinde ad Caipham, tandem ad Pilatum, ut sæpius illusus erubescentia confunderetur, sæpius afflictus deficere cogeretur. Pontificibus tanquam legisperitis primo præsentatur : ut ab his, qui legem se cognoscere testabantur, secundum legem judicaretur, et ab eis inciperet malitia, per quos potius esset refrenanda. Quamvis Caiphas administraret eo anno pontificatum, non indignatur tamen prius adduci Jesum ad pontificem alium, ut tanto liberius et securius damnaret reum, quanto eum conspiceret jam ab alio damnatum, ut sic in ore duorum testium staret verbum.

« Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille notus erat pontifici. Et introivit cum Jesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum[1]. » Cæteri evangelistæ de solo Petro referunt, quod a longe sequeretur Jesum. Qui enim propinquior ei astiterat in captione, et in vindicta ferventior, aurem servi pontificis amputando, quum jam cæteri in fugam dispersi essent, et, ut Marcus refert, adolescens comprehensus, relicta sindone, nudus profugisset, jam tremefactus Petrus a longe Dominum sequebatur, a quo eum penitus separari non patiebatur vis amoris : quia quantumcunque in adversis trepidet Ecclesia per Petrum significata, etiamsi timore in aliquibus membris cogatur eum ad horam negare, fundamentum tamen caritatis non sinit eam periclitari, nec a Christo prorsus separari. Quod vero Joannes refert alium discipulum Petro sequenti Christum fuisse adjunctum, quamvis non exprimat quis ille fuerit, humiliter tamen se videtur innuere. Qui, ut beatus meminit Augustinus, talibus se verbis solet significare, ut videlicet dicat, « alius discipulus. » Nam et ipse solus, cæteris jam dispersis, una cum Domini matre ei crucifixo astitit, sicut ac ipsemet Joannes scribit. Quod enim Petrus plus Christum diligere et Joannes plus a Christo diligi quum dicitur, et dicitur : majorem eo tempore dilectionem utrumque illi decebat exhibere.

Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis et doctrina ejus. Respondit ei Jesus : « Ego palam locutus sum mundo. Ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt quæ dixerim ego. » Hoc autem quum dixisset, unus assistentium ministrorum dedit alapam Jesu , dicens : « Sic respondes pontifici? » Respondit ei Jesus : « Si

[1] Joan., cap. XVIII, v. 15 et sq.

male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, cur me cædis? » Tanquam superfluam et inconvenientem Dominus arguit pontificis interrogationem. Superflua quidem, quia quod palam dictum fuerat, et omnibus notum, documento non eget. Incongrua vero, quia nemo proprio commendandus est testimonio. Unde bene Dominus eos qui audierunt, potius quam se super his censet interrogandos esse. « Hoc autem quum dixisset, unus assistens ministrorum, etc. » Tanquam contemptor præcepti pontificis, qui de se ad ejus imperium testimonium non dedit, alapa cæditur. « Testimonium perhibe de malo, » quia ante pœnam criminis testes sunt inducendi. « Principes autem sacerdotum et omne consilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent. Et non invenerunt, quum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt : « Hic dixit : « Possum « destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud[1]. » Tanquam occasionem hinc sumentes, quod dixerat Jesus : « Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. » Falsos testes inquirunt de maledictis ejus, qui veros inducere non possunt, nec facta ejus arguere. Duo falsi testes, tanquam in ore duorum falsorum veritas staret, falsos[2] esse convincuntur in his quæ Domino imponunt. Qui enim dixerat : « Solvite templum hoc, » nequaquam se illud facturum esse vel facere posse prædixerat, sed hoc ab illis potius esse faciendum innuerat, non quidem de templo manu facto, sicut illi mentiebantur, sed de templo corporis sui morte per eos dissolvendo. « Et surgens princeps sacerdotum ait illi : « Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur? » Jesus autem tacebat, et princeps sacerdotum ait illi : « Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei vivi. » Surgens pontifex, et impatiens, quum non inveniret locum calumniæ, motu corporis indicat insaniam mentis, et provocat ad respondendum, ut quamlibet occasionem accusandi inveniat. Tacet Dominus ad objectum testimonium, quod tam manifeste falsum nulla ex occasione vel responsione censet dignum. Quod et pontifex intelligens adjurando eum extorquere nititur blasphemiam, qua manifeste convinci videatur, et summæ falsitatis reus, summam profitens veritatem. Adjuratus Dominus per Deum vivum ne tantæ majestatis læsæ reus fieret, veritatem profitetur, pro veritate damnandus, qui et ipsa est veritas. Dicit itaque illis Jesus.... (*Cætera desunt.*)

[1] Matth., cap. XXVI, v. 59 et sq. — [2] Legendum *falsi*.

DE CRUCE.

SERMO XII.

Quanta devotione dominicæ Crucis venerationem prosequi debeamus, beatus Apostolus ad Galatas scribens diligenter declarat[1] : « Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi. » Tanto quippe amplius Crux dominica, in qua sumus redempti, a nobis est glorificanda, quanto verius ex hoc genere redemptionis homo redemptus gloriari valet. Quid est autem gloriari, nisi quemcunque se aliquid magnum et pretiosum æstimare? In nullo autem quælibet res quanti sit ita cognosci potest, sicut in pretio ejus. Sic et homo quanti fuerit apud Deum, quantam semper sollicitudinem divina super eum gesserit clementia, quantæque pietatis visceribus eum sit amplexatus, pretium ipsum pro redemptione hominis datum patenter insinuat. Quod diligenter Apostolus intuens, et de hoc singulariter glorians, sicut supra meminimus, ait : « Mihi autem absit gloriari, etc. » Ac si patenter dicat : Glorientur alii in quocunque voluerint, pretiosos se æstiment quibuscunque divitiis vel honore; mihi autem absit gloriari nisi in hoc redemptionis meæ genere, quod apud infideles ignominiosius judicatur et vilius. Quo enim Dominus indigniora pro homine sustinuit, digniorem apud se et gratiorem eum haberi demonstravit. Nullum autem patibulum execrabilius cruce antiquitus censebatur, nulla mors adeo turpis et detestabilis judicabatur. Unde et hoc genus patibuli non solum ad pœnam Christi, verumetiam ad ignominiam impii eligere decreverunt, sicut ante per Sapientiam de ipsis prophetatum fuerat dicentibus[2] : « Morte turpissima condemnemus eum. » Et Apostolus, quum dixisset[3] : « Factus obediens usque ad mortem, » quasi parum hoc videretur, nisi etiam ipsum genus mortis tanquam abominabile determinaret, statim adjecit : « mortem autem crucis. » Quod est dicere, non solum usque ad mortem, sed usque ad tam ignominiosam mortem, qua specialiter blasphemi, hoc est qui in aliquam blasphemiam Dei præsumebant, puniebantur. Unde et Domino improperantes quod se filium Dei diceret aiebant[4] : « Blasphemavit. Quid adhuc desideramus testes? » Et quasi hoc genus mortis ex blasphemia promeruisset, exclamabant[5] : « Crucifigatur ! » De quo etiam genere mortis, quam detestabile videretur, et divina maledictione

[1] *Galat.*, cap. VI, v. 14. — [2] *Sap.*, cap. II, v. 20. — [3] *Philip.*, cap. II, v. 8. — [4] Matth., cap. XXVI, v. 65. — [5] Ibid., cap. XXVII, v. 23.

plenum, *Deuteronomii* liber his verbis profitetur[1] : « Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus a Deo qui pependit in ligno : et nequaquam contaminabit terram tuam, quam Dominus dederit tibi in possessionem. » Cujus quidem capituli memor Apostolus, quum Galatis scriberet, ait[2] : « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est : « Maledictus omnis qui « pendet in ligno. »

Ex his itaque verbis liquide monstratur, quam ignominiosum crucis patibulum apud Judæos præcipue habebatur, qui solam litteræ superficiem, non mysticos sensus in lege perquirunt. Sed quid est magis absurdum, quam omnes eos divinæ maledictionis damnatione dignos credi, qui hoc genere mortis potius quam alio puniantur? Non enim modus pœnæ, sed lapsus culpæ reum efficit. Unde et scriptum est[3] : « Justus qua morte præocupatus fuerit, in refrigerio erit. » Sin autem velamen Moysi detrahentes revelata facie legem interius speculemur, convenienter hanc maledictionem tam singulis hominibus per culpam quam ipsi Christo per pœnam poterimus applicare. Pro peccato quippe priorum parentum, quod in ligno vetito commissum est, omnes inde damnationem incurrimus, et tanquam in ligno morimur, qui cum originali peccato nascimur, juxta quod et Dominus Adam increpans, et quasi maledictionis sententiam intorquens, ait[4] : « Maledicta terra in opere tuo. » Omnes itaque, sententiam hanc damnationis ab Adam contrahentes, quasi cadaver sine vita nascimur et permanemus, antequam ex aqua et spiritu renati, ab hac animæ morte vivificemur. Cadaver autem suspensione ligni mortuum eadem die sepeliri præcipitur, quia in hac ipsa vita præsenti qua nascimur, consepeliendi Christo per baptismum sumus; ne videlicet terra nostra contaminetur, hoc est, ne in contagio terrenæ generationis remaneamus, si regenerati specialiter non fuerimus. Bene itaque dicitur maledictus a Deo qui pendet in ligno, quia etsi nondum propria incurramus peccata, illud tamen unum quod originale dicitur peccatum in ligno, ut dictum est, scientiæ boni et mali commissum ad damnationem nostram sufficit, cui divino judicio deputati sumus, et ob hoc a Deo quadam maledictione percussi. Quæ quidem maledictio, et in Christum retorquetur per pœnam, quem percussum a Deo et attritum propter scelera nostra Propheta longe ante prædixerat. Et sicut cæteri in ligno, ut dictum est, mortem animæ incurrerunt, sic iste mortem corporis, ut per hanc ab illa nos liberans, maledictionem nostram in

[1] *Deut.*, cap. xx, v. 22 et sq. — [2] *Galat.*, cap. III, v. 13. — [3] « Justus autem si morte præoccupatus fuerit.... » (*Sap.*, cap. IV, v. 7.) — [4] *Genes.*, cap. III, v. 17.

benedictionem converteret. Unde et Apostolus quum præmisisset : « Factus pro nobis maledictum, sicut scriptum est, » statim adjecit, « ut in gentibus benedictio fieret. » Sicut ergo in ligno, id est pro transgressione ligni vetiti, Christus corporaliter est mortuus, ita et corporaliter per pœnam a Deo maledictus, hoc est ex sententia Dei pœnæ huic deputatur. Hinc enim et peccata nostra suscepisse seu portasse dicitur, hoc est peccatorum nostrorum pœnam tolerasse, et sic quodammodo nostræ maledictioni communicasse. Cujus quidem pœnam vel passionem, qua perductus est ad mortem, si per singula revolvamus, reperiemus ea quæ mortem præcesserunt, longe graviora et intolerabiliora morte ipsa fuisse. Imminente quippe passionis articulo, in tantam animam ejus anxietatem legimus[1], ut sudor ejus fieret tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram. Qui enim noverat quantus passionis dolor in illa dissolutione corporis et animæ futurus esset, mirabile non est si, juxta infirmitatem assumptæ humanitatis, hanc supremam passionem amplius horreret. Captus autem postmodum et tentus, et insuper, Joanne referente, vinctus, ad sacerdotes primum adductus est, ubi, sicut Marcus meminit[2], cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et, ut scribit Matthæus[3], in eam conspuere, et tam colaphis quam alapis ipsum cædere, atque illudere dicentes : « Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? » Ubi inter cætera, quum a pontifice interrogaretur de discipulis suis et doctrina ejus, et ipse respondisset[4] : « Ego palam locutus sum, etc., » unus assistens ministrorum dedit alapam ei, dicens[5] : « Sic respondes pontifici? » Hæc autem in nocte captionis suæ constat in eum facta esse. Mane autem facto, de concilio sacerdotum ad Pilatum præsidem ipsum adhuc vel iterum vinctum perduxerunt. Quo adducto, ut Matthæus ait[6], stetit ante præsidem. Stetit, inquam, ut dictum est, ligatus, potius quam sedit, ut videlicet in utroque, tam statione scilicet quam ligatione eum affligerent. Quanta autem constantia illic persisteret, patenter ostenditur, ubi interrogatus a Pilato, responsum ei non reddebat. De qua ejus confidentia, et quasi de suo contemptu Pilatus admirans[7] : « Nescis, » inquit, « quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? » Qui etiam a Pilato ad Herodem missus, quum multis ab ipso quoque interrogaretur sermonibus, nihil ei respondebat. Unde tam ab ipso quam ab exercitu ejus spretus et illusus est, veste alba indutus, et sic ad Pilatum remissus.

A principibus itaque interrogatus, qui ad eum liberandum plurimum poterant, responsione sua dignos eos non censuit; qui tamen, ut supra meminimus, a ministro pontificis percussus, blandam ei responsionem non negavit, dicens[8] :

[1] Hic aliquid deesse videtur.—[2] Marc., cap. XIV, v. 53. — [3] Matt., cap. XXVI, v. 67.— [4] Joan., cap. XVIII, v. 20. —[5] Ibid., v. 22.—[6] Matth., cap. XXVII, v. 11.—[7] Joan., cap. XIX, v. 10. — [8] Joan., cap. XVIII, v. 25.

« Si male locutus sum, perhibe testimonium : si autem bene, cur me cædis? » Quanta denique apud Pilatum sustinuerit, non ignoramus. Qui quum tertio, ut Lucas meminit[1], eum innocentem esse confessus esset, idque ipsum ex ablutione manuum demonstraret, ipsum tandem flagellavit, quasi illud implens quod antea dixerat[2] : « Corripiam eum et dimittam, » ut sic saltem ad misericordiam Judæorum flecteret sævitiam. Quod quum efficere non posset, cæsum eum flagellis tradidit eorum voluntati. Tunc milites, ut Matthæus refert[3], suspicientes eum, congregaverunt ad eum universam cohortem. Quibus quidem congregatis, et hoc ei objicientibus et improperantibus quod se regem faceret, quasi in modum regis illudentes ei, exutum vestimentis suis vili purpura induerunt, et pro diademate spinis coronaverunt, et pro sceptro arundine ipsum insignierunt, et genu flexo, ipsum quasi regem salutantes, ac dicentes[4] : « Ave, rex Judæorum, » simul et in faciem ejus iterum spuebant, et caput ejus arundine percutiebant. Item Pilatus, ut Joannes refert, exiens ad eos, ipsum secum tam crudeliter tractatum adduxit, tentans utrum ex hoc si quomodo eorum duritiam mollescere posset, et ad pietatem inclinare. Ad quos quidem egressus[5] : « Ecce, » inquit, « adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia in eo causam non invenio. » Exiit ergo Jesus portans spineam coronam, et purpureum vestimentum, et dicit eis : « Ecce homo. » Ac si diceret : Ecce quod humanæ infirmitatis est, in me vobis apparet, non quod divinæ fortitudinis. Postquam autem, ut prædictum est, illuserunt ei, exuerunt eum purpura, et induerunt vestimentis suis, quibus iterum nudaverunt eum, quum crucifigendus esset : quæ postea invicem partiti sunt, sicut Joannes commemorat. Susceptus tandem ut ad crucifigendum duceretur, ipsum quoque crucis patibulum gestare compulsus est, ut nec interim ei parceretur, ipso crucis pondere prius afflictus quam in ea crucifixus. Qui quum pro vinculis suis vel pro prædictis afflictis expedite vel celeriter non gestaret, moras mortis ejus impii non ferentes, quemdam alium Simonem nomine crucem coegerunt portare. Crucifixus denique ad summam ejus ignominiam inter latrones constituitur, ut ex similitudine pœnæ simul reus crederetur culpæ. Pœna autem hujus patibuli quanta sit, nemo est qui possit ignorare. Quæ tanto prolixior est, nec statim suspensum interimit; quanto ejus passio gravior diutius affligit. Quid etiam hoc patibulo gravius, ubi totum corpus ita clavis confixum extenditur, ut non minus ex pondere suo, quam ex ipsa fixura clavorum suspensus crucietur? Unde recte hoc unum mortis patibulum, crux a cruciando cognoscitur dictum.

[1] Luc., cap. XXIII, v. 14. — [2] Joan., cap. XIX, v. 1. – Luc., cap. XXIII, v. 22. — [3] Matth., cap. XXVII, v. 27. — [4] Ibid., v. 29. — [5] Joan., cap. XIX, v. 4.

Ecce seriem dominicæ passionis, prout memoriæ occurrit, ex evangelicis collegimus scriptis; quæ super singula, ut dictum est, consideremus, ea quæ mortem præcesserunt ipsa morte profecto graviora, vel intolerabilia, fuerunt. Unde nec ut moreretur, frangi ei crura sicut latronibus vel lancea vulnerari necesse fuit, qui ad celerem mortem ex tot et tantis, quæ ante crucem tulerat, perductus est. Conferant martyres quæ passi sunt, et videant in comparatione dominicæ passionis nulla esse vel parva quæ passi sunt. Unde et bene in ejus persona suspirantis Jeremiæ lamentatio proclamat[1]: « Attendite et videte si est dolor similis sicut dolor meus. » Attendant hoc mulieres, et, ut Ezechiel meminit[2], facta voce supra firmamentum, stent animalia, et submittant alas suas. Quid autem firmamentum aliud, quam beati angeli, cæteris corruentibus confirmati, est intelligendum? Qui quum nobis adhuc mortalibus dignitate quadam sint superiores, longe tamen supra eos Deus homo præminet. Fit autem quandoque nobis vox de firmamento, quum videlicet de illa beatitudine angelorum, quæ nobis promittitur, aliquid prædicatur, vel interiori verbo mente concipitur. Desuper firmamentum alia fit vox, quum ea quæ Deus pro nobis humanitus gesserit, corporis vel mentis auribus concipitur : quod profecto quum fit, quasi in admiratione vel in timore sancta stant animalia, et alas deponunt, dum in consideratione tantæ rei propriæ virtutes illis vilescunt. Quum autem de firmamento, ut dictum est, aliquid audiunt, quasi erectas adhuc alas habent; quia pro magno vel mirabili non ducunt, quod per tot agones ad illam angelorum beatudinem perveniunt, quam illi per Dei gratiam humilitate servata perceperunt. Ecce martyres multa propter Deum passi, et in magnis virtutibus probati, plurimam gloriandi occasionem viderentur adepti, nisi occurreret Dominum vel tanta vel majora pro ipsis fuisse passum. Quod profecto dum occurrit, statim, ut dictum est, summittunt alas, pro nihilo ducentes quæ passi sunt servi in considerationem dominicæ passionis. Quæ tanto gravior ac miserabilior, quanto ignominiosior extitisse probatur. Ut enim omittamus cætera, quis tam turpiter, quis tam diu illusus, ut ipse? De captione quippe primum ad Judæos adductus, post tot colaphos et alapas, quos velata facie suscepit, impiis improperantibus ut prophetaret, ita est consputus et sputis deformatus, ut, juxta Isaiam[3], non esset ei species neque decor, et pro tanta vilitate novissimus omnium videretur virorum. Qui et inde postmodum Pilato præsentatus, hanc quoque injuriam cum cæteris ibidem sustinuit. Quis unquam martyrum ita sputis oblitus et deformatus injuriari legitur? Quis totiens illusus modo apud Judæos, modo apud Pilatum vel Herodem, nunc expoliatus, nunc

[1] *Thren.*, cap. I, v. 12. — [2] Ezech., cap. I, v. 25. — [3] Isaiæ cap. LIII, v. 2.

indutus suis vel alienis vestibus, et per tot loca tam impie distractus, ut ab omnibus magis illuderetur? quis denique sanctorum ipsum, quo necandus esset, patibulum bajulare compulsus est? Quid ad hoc, fratres, recogitare, vel dicere valemus, nisi illud propheticum in nobis semper ingemiscere[1] : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? » et pro viribus nostris ad vicem tantæ caritatis ejus reddendam nos præparare, sicut et subditur[2] : « Calicem salutaris accipiam, etc. » Quod quia virium nostrarum non est, ut calicem salutaris accipiamus, hoc est passioni Jesu patiendo communicemus, et nostram quoque crucem bajulando, eum sequamur; ipse sua gratia nobis conferat, ad honorem cujus ipsam, qua redempti sumus, Crucem die veneramur hodierna. Amen.

IN DIE PASCHÆ.

SERMO XIII.

Quantum ad devotionem vel honorem feminarum paschalis exultatio solemnitatis pertineat, tam Veteris quam Novi Testamenti paginæ testantur. Veteri quippe pascha in Ægypto a populo Dei primum celebrato, et ea nocte per submersionem Ægyptiorum fidelibus liberatis, canticum gratiarum non solum viri, sed etiam feminæ, ut *Exodus* narrat, Domino persolvunt. Scriptum quippe ibidem est[3] : « Tunc cecinit Moyses et filii Israel carmen hoc Domino, et dixerunt : « Cantemus Domino, gloriose enim, etc. » Ubi et de cantu quoque feminarum seorsum adjungitur[4] : « Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu. Egressæque sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis et choris, quibus præcinebat, dicens : « Cantemus Domino, gloriose enim, etc. » Quod quidem feminarum canticum quanto mysterio plenum describatur, diligenter attendite. Hic quippe Maria, quæ choro illi feminarum præcinebat, quæ quum virum habuisse non legatur, virgo intelligitur, ut non solum voce cantici, sed etiam privilegio dignitatis præiret cæteris, non solum cantasse memoratur, sicut Moyses vel populus; sed etiam prophetes esse describitur, et tympanum in manu tenuisse. Quid enim prophetes, nisi videns interpretatur? Quum visionem autem, id est, revelationem cantat, cui verborum quoque mysteria Dominus revelat;

[1] Psalm. cxv, v. 12. — [2] Ibid. — [3] *Exod.*, cap. xv, v. 1. — [4] Ibid., v. 20.

quum in illa videlicet populi liberatione, et hostium submersione non tam corporum salutem attenderet, quam animarum figurari prospiceret, quam quotidie in sacramento baptismatis divina operatur gratia. Tympanum autem quod manu gestabat, mortificationem carnis insinuat, quam habebat in opere, quo ejus canticum Deo magis esset acceptum. Unde et Psalmista in tympano Deum laudare nos adhortans, ait[1] : « Laudate eum in tympano, etc. » Sæpe autem tympanum in ore magis quam in manu habemus, quum sanctorum mortificationem carnis ita prædicamus, ut eam opere non imitemur. Tanto diligentius Mariæ canticum describitur, quanto ipsum devotius et Deo gratius fuisse intelligitur.

Quod si Novi quoque Testamenti revolvamus seriem, et in hac Maria et cæteris cum ea feminis alteram Mariam, et cum ipsa devotas feminas, quibus primum Dominus suæ resurrectionis gaudium exhibuit, competenter intelligamus, reperimus singula his convenienter aptari. Illa quippe prophetes memoratur, hæc apostolorum apostola dicitur. Illa corporale tympanum sumpsit, hæc spiritale habuit. Quo enim hæc viventem Dominum amplius dilexerat, super ejus morte amplius afflicta, et quasi mortificata fuerat. Unde et prima de resurrectione consolationem meruit, quæ de ejus morte amplius anxia et mœsta fuit. Apostolorum autem apostola dicta est, hoc est legatorum legata : quod eam Dominus ad apostolos primum direxerit, ut eis resurrectionis gaudium nuntiaret. Maria illa cæteris in cantico præcinebat, et hæc ante alias, gaudio resurrectionis primo est potita; et hæc prima nuntiando præcinit quod prima viderat. Post ipsam vero, ad cæteras feminas hoc gaudium resurrectionis priusquam ad apostolos vel quoslibet viros pervenit. Quas etiam Dominus ad apostolos dirigens ait[2] : « Ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, etc. » Ubi præposterus quidem ordo beatior et honorabilior pensandus est. In veteri quippe pascha prædicti viri primitus, etiam postmodum feminæ cecinisse memorantur. In nostro autem pascha, hoc est dominicæ resurrectionis die, spiritale canticum exultationis de apparitione resurrectionis prius feminæ quam viri adeptæ sunt. Pascha autem hebraice, *phase* græce, latine *transitus* dicitur. In veteri quippe pascha, Dominus per Ægyptum transiens[3], primogenitis interfectis, et per transitum maris Rubri populum suum liberans, de nomine transitus hanc solemnitatem insignivit. Præsens quoque dominicæ resurrectionis dies non incongrue pascha dicitur. Ipsa quippe immutatio humanæ naturæ de mortalitate ad immortalitatem, de corruptione ad incorruptionem, quidam in Christo transitus et motus fuit. Transit quippe in aliam statim, et quodammodo movetur, quia in aliud quam prius fuerat, commutatur;

[1] Psalm. CL, v. 4.— [2] Matth., cap. XXVIII, v. 10. — [3] *Exod.*, cap. XII.

veluti quum quod mortale erat fit immortale, et quod corruptibile et passibile sive mutabile in contrarium vertitur.

Hunc quidem transitum et Evangelista considerans[1]: « Sciens, » inquit, « Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, etc. » Quid enim nomine Patris, nisi potentia divinæ majestatis exprimitur? In hoc autem mundo, hoc est in præsenti vita ærumnosa et misera, quasi impotens et infirmus secundum fragilitatem assumptæ humanitatis extiterat, et quasi a Patre, hoc est, divinæ potentiæ virtute se humiliando descenderat, ac quodammodo recesserat, minor etiam angelis in hoc effectus. Nunc autem in resurrectione omnem hanc infirmitatem deponens, ad Patrem ascendere vel transire dicitur, quum jam in se nihil infirmitatis vel potentiæ retinet: sed totum quod habet, potentiæ ac virtutis est, ut quasi jam totus in Deum transit, qui jam non, ut cæteri homines, homo proprie, id est animal rationale mortale dicendus est. Quod et beatus Apostolus diligenter attendens, quum electionem suam a cæteris apostolis distingueret, ad Galatas scribens, ita exorsus est[2]: « Paulus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem qui suscitavit eum a mortuis, etc. » Cæteri quippe apostoli, ut beatus meminit Augustinus[3], a Christo tanquam homine, id est adhuc mortali, sunt electi. Hic vero postmodum Christo jam quasi toto Deo facto, id est jam divinitus magis quam humanitus in perpetuum vivente, singularem sortitus est electionem. Quod quidem, ut ita dicam, deificationem, et immortalitatis gloriam statim Apostolus exponens, ait: « Qui suscitavit eum a mortuis. » Et attende quod juxta hanc immutabilitatis et stabilitatis gloriam, quam a die resurrectionis in Christo humanitas est adepta, non incongrue tam dies ipsa resurrectionis quantum ascensionis Domini, quæ jam non de mortali et mutabili, sed de immortali et immutabili celebrantur, feriarum variationem non habent, sed in eadem feria semper observantur. Cæteræ vero Christi solemnitates a die conceptionis ejus usque ad Pascha, sicut et sanctorum quælibet festivitates per ferias variantur, ut modo videlicet in prima feria, modo in secunda vel in alia celebrentur.

Solet nonnullos movere, cur dies dominicæ passionis, quæ maxime nostram operata est salutem, celebritatis non habeat exultationem, sed in mœrore potius quam in lætitia peragatur: præsertim quum singulorum passionibus sanctorum festivam jocunditatem Ecclesia persolvat. Ad quod respondendum arbitror pro dominicæ resurrectionis gloria, quæ tertio die passioni succedit, diligenter ab Ecclesia id esse constitutum, ut quo major præcesserit in nobis de passione Domini compassio, gratior de resurrectionis gloria sequatur exultatio. Unde et

[1] Joan., cap. XIII, v. 1. — [2] *Galat.*, cap. I, v. 1. — [3] *Expos. Epist. ad Galat., Opp.* t. III, part. II, col. 943.

paschalis solemnitatis lætitiæ non solum proximum mœstitiæ biduum præponitur, verumetiam totius quadragesimæ abstinentia præmittitur. In qua quidem quadragesima, voces illæ gaudii : « Alleluia, Gloria in excelsis Deo, » et apud clericos etiam : « Te Deum laudamus, » reticentur, et paschalibus gaudiis reservantur, ut eo tunc gratiores sint quasi novæ, quominus antea fuerant usitatæ. Constat quippe quadragesimam dominicæ abstinentiæ, ad cujus exemplum vel imitationem nostra est instituta, nequaquam eo tempore extitisse, quo nunc nostra peragitur, sed a die Theophaniæ ipsa incœpisse, ipsumque Dominum post baptismum statim ad desertum transiisse, sicut Marcus commemorat[1], ibique quadraginta dierum et noctium abstinentiam habuisse; non in diebus proximis Paschæ, sicut nunc nostra fit quadragesima; ea quam diximus congrua dispensatione, ut videlicet eo gratior dominicæ resurrectionis exultatio fiat, quo major abstinentiæ maceratio, vel pœnitentiæ præcessit afflictio. Quid igitur mirum, si et biduum illud dominicæ passionis ac sepulturæ in luctu compassionis præcipue ducimus, ut post fletum gratior habeatur risus, nec jam dominicæ pressuræ recordemur, resurrectionis gloria superveniente? Unde et Apostolus[2] : « Etsi Christum noverimus secundum carnem, sed jam non novimus. » Ac si aperte dicat : Et si olim corpus Christi carnale, hoc est infirmum ac passibile seu mortale fuisse non dubitemus, jam ipsum quasi spirituale factum novimus; nec jam tam infirmitatem illam quæ præcessit, quam gloria resurrectionis, quæ subsecuta est, attendimus. Quæ quidem gloria si in ipsis quoque membris Christi, sicut in ipso capite jam esset completa, nequaquam eorum passiones vel dormitiones solemnem haberent celebrationem. « Quum enim, » inquit Apostolus[3], « venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. » Perfecta autem glorificatio sanctorum in resurrectione est futura, ubi tunc singulis erunt geminæ stolæ, quibus jam datæ sunt singulæ. Adeo autem propter excellentiam resurrectionis proximæ dies crucifixionis solemnitatem non habet, quod ubi Paschæ solemnitas imminet, festiva jocunditate Crucis venerationem celebramus, quod totum ad dominicæ passionis honorem pertinere dubium non est, propter quam solummodo hæc tota reverentia Cruci exhibetur. Unde et hymni vel cætera quæ de passione sunt, ibidem decantantur.

Illud quoque non prætermittendum æstimo, primitias dormientium Christum ab Apostolo dictum esse[4], quod primus in hanc immortalitatis gloriam surrexerit. Nam etsi plures ante eum, vel ab ipso, vel a prophetis suscitati sunt, iterum mortui esse non dubitantur. Illi quoque, quos in testimonium suæ resur-

[1] Marc., cap. I, v. 13. — [2] *Corinth. II*, cap. V, v. 16. — [3] *Corinth. I*, cap. XIII, v. 10. — [4] Ibid., cap. XV, v. 20.

rectionis suscitatos Evangelium narrat, quum dicitur[1] : « Et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, et exeuntes de monumento post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis; » nequaquam ex his verbis intelligendi sunt ipso die dominicæ crucifixionis resurrexisse, sed tunc tantum in fissura petrarum eorum sepulcra aperta fuisse, et postmodum, ipso die resurrectionis, post ejus resurrectionem suscitatos esse, et statim in civitatem venisse, et fidelibus apparuisse. Quod itaque dicitur, « exeuntes de monumentis, » post resurrectionem ejus manifeste indicat, non ante, eos resurrexisse. Quod igitur evangelista et apertionem sepulcrorum, et resurrectionem eorum, breviter et succincte commemorat, quasi simul facta sint, per anticipationem rei futuræ narrationem suam breviavit. Notandum quoque ad gloriam dominicæ sepulturæ, de qua Isaias præcinit[2]: « Et erit sepulcrum ejus gloriosum, » non minimum profuisse tam horum fidelium quam cæterorum sanctorum sepulturas, qui Jerosolymis fuerant, ita nunc occultas esse, ut ubi fuerint ignoretur, nullasque ibi reliquias sanctorum ibidem tumulatorum apparere : sed omnes inde vel asportatas esse, vel Deum eas occuluisse, ut tota celebratio honoris dominico vacet sepulcro.

Quoniam vero infidelium multi in tantum de resurrectione hominum dubitant, ut nullatenus corpora nostra in pulverem reducta, et dissoluta iterum suscitari æstiment posse, decrevit divina pietas non solum verbis, verum etiam rerum exemplis hanc nobis exhibere, ne quod in minimis sæpius operatur natura, nonnunquam in maximis facere divinæ potentiæ dubitetur gratia. Nemo quippe est qui phœnicis naturam cognoverit, et quam ei gloriam sæpius morienti et suscitatæ divina gratia contulerit, qui de nostra quandoque resurrectione futura diffidere debeat. Cujus quidem avis naturam et resurrectionis modos si ad Christum mystice referamus, convenienter singula ei convenire videbimus. Hæc quippe avis quia unica esse perhibetur, nec masculini, nec feminini sexus esse cognoscitur; et quia pullos non generat, nequaquam nidificat. Quæ quum sibi mortem post annos plurimos imminere præsenserit, struem quamdam et domunculam sepulcri ex ramusculis aromaticis vel ipsis aromatibus sibi præparat, tanquam fœtorem cadaveris sui per fragrantiam exprimere satagat. In hanc itaque aromatum structuram se conferens expirare dicitur, et sole desuper æstuante, et aromata ipsa calefaciente, combustus in cinerem solvitur. Unde post aliquot dies, in modum apis suscitatus, paulatim alas et plumas induens in pristinum redit statum. Quæ singula nulli tam congrue ut Christo videntur convenire.

[1] Matth., cap. XXVII, v. 51, 52. — [2] Isaiæ cap. XI, v. 10. — [3] *Galat.*, cap. III, v. 28. — [4] Matth., cap. XXVII, v. 57.

Quod enim unica est avis, nec parem vel dignitate vel coitu cognoscit, tam excellentiæ quam virginitati Christi pulcherrime aptatur. Quis enim unicus et dignitate singularis ita ut Christus? In quo quoque nec masculum, nec feminam Apostolus esse dicit[1] : quia in Christi corpore, quod est Ecclesia, nullam dignitatem diversitas sexuum operatur; nec sexuum qualitatem, sed meritorum Christus attendit. Nidum hæc avis ut ceteræ non curat, et filius hominis ubi caput reclinet non habet; nec etiam in proprio, sed in alieno natus est. Sepulcrum sibi præparat, quo et aromata congregat. Et Dominus ipse per Joseph sive Nicodemum[2] tam sepulcrum sibi quam aromata præparavit, quibus ipse hanc devotionem inspiravit. Concrematio quoque phœnicis a Christi mysterio non discrepat, in cujus typo carnes paschalis agni non elixæ, sed assæ præcesserunt. Resurgens phœnix formam apis induit, quæ corruptionem carnis nescit; quia in illa resurrectionis gloria « neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo[3]. » Quam quidem gloriam et vos, Christi virgines, jam in terris adeptæ, nec tam humane quam angelice viventes, tanto hujus solemnitatis diem devotius colite, quanto eam, ut ante præfati sumus, ad excellentiam vestri honoris amplius pertinere constat.

EXPOSITIO DOMINICÆ ORATIONIS[4],

IN DIEBUS ROGATIONUM, QUÆ LITANIÆ DICUNTUR.

SERMO XIV.

Præsentes Rogationum, id est orationum, dies ex ipso quoque nomine suo nos nunc præcipue ad orationem invitant. Constat autem inter universas orationes eam tam dignitate quam utilitate præminere, quæ ab ipso Domino discipulis tradita Dominica inde est appellata, et ob hoc a fidelibus potissimum frequentanda, ut de ipsa præcipue Jacobus videatur dixisse[5] : « Multum enim valet oratio justi assidua. » Quantum autem valeat et possit oratio justi illud Hieronymi super Jeremiam manifeste declarat, Domino ad prophetam dicente[6] :

[1] *Galat.*, cap. III, v. 28. — [2] Matth., cap. XXVII, v. 57. — [3] Id., cap. XXII, v. 30. — [4] Ista expositio extat in Codice Victorino 397. Vide infra aliam ejusdem orationis expositionem. — [5] « Multum enim valet deprecatio justi assidua. » (Jacob, cap. V, v. 16.) — [6] Jerem., cap. VII, v. 16.

« Tu autem noli orare pro populo hoc, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te. » Hieronymus[1] : « Quod autem dicit : « Et non resistas mihi, » ostendit quod sanctorum oratio iræ Dei possit resistere. Unde et loquitur ad Moysen[2] : « Dimitte me, ut percutiam populum istum. » Quod si tantumdem oratio sanctorum posse habeat, utpote Moysis vel Jeremiæ; quid de ipsa Domini sperandum est oratione, quam ipsemet dictavit, ipse misericorditer instituit, ut sic ejus iram vertamus in misericordiam? Sed quoniam orationis fructus aut nullus est, aut parvus, quam devotio intelligentiæ non comitatur, quum cordis potius quam oris sit inspector Deus, juvat orationis hujus præcipue sensum aperire; ut eo magis fructuosa sit orantibus, quo devotius intellecta dicatur. Quod quidem Apostolus diligenter attendens, Corinthiis ait[3] : « Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem, anima mea sine fructu est. Quid ergo? orabo spiritu, orabo et mente. Psallam spiritu, psallam et mente. » Lingua tantum sine spiritu orat vel psallit, qui flatu suæ prolationis verba tantum format quæ non intelligit. Mente insuper hoc agit, qui intellectum applicat his quæ dicit. Unde et illud est beati Benedicti[4] : « Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ. » In tantum autem verborum intelligentiam Apostolus commendat, ut nihil in Ecclesia dici permittat, quod non comitetur intelligentia. Alioquin eos pro insanis habendos judicat, qui quod prædicant prophetare, hoc est exponendo interpretari, minime sufficiunt; aut benedictionibus, quas non intelligunt, amen supponunt. Sic quippe consequenter adnectit[5] : « Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nonne dicent quod insanitis? » Idem supra[6] : « Cæterum, si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ? quomodo dicet amen super tuam benedictionem? quoniam quid dicas nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur. » Et post aliqua de universis quæ in Ecclesia dicuntur concludens, ait[7] : « Quid ergo? quum convenitis, omnia ad ædificationem fiant. » Et ad Ephesios[8] : « Implemini, » inquit, « Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritalibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. » Et quisque ei loqui proprie dicitur, a quo ejus verba intelliguntur, quum hoc unum sit verborum officium, ut in auditore generent intellectum. Tunc itaque nobismetipsis loquimur, quum ex his quæ dicimus intellectis devotionem excitamus mentis : et tunc corde pariter et ore psallimus, quum quod exterius profertur, interius per intelligentiam capitur. Quid autem magis ridiculum, quam quum aliquid orando petimus, quod oramus ignore-

[1] *Opp.* t. III, col. 566. — [2] « Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos. » (*Exod.*, cap. XXXII, v. 10.) — [3] *Corinth. I*, cap. XIV, v. 14. — [4] *Reg. S. Ben.*, cap. XIX. — [5] *Corinth. I*, cap. XIV, v. 23. — [6] Ibid., v. 16. — [7] Ibid., v. 26. — [8] *Ephes.*, cap. IV, v. 25.

mus? nec utrum salubria sint vel nociva discutere valemus? Duabus denique causis, verbis quoque Domini constat orandum, ut hoc videlicet ad ejus honorem, et ad nostram fiat utilitatem. Ad ejus quidem honorem, quum quod ab ipso postulamus, ab ipso potius quam a nobis hoc esse fateamur quod petimus; et ejus gratiæ potius quam virtuti nostræ hoc acceptum tribuamus. Ad utilitatem quoque nostram verba quoque commendantur, quum intellecta devotionem excitant, et compunctionem generant, ut eo facilius audiantur a Domino, quo devotius proferuntur a nobis. Solet quippe dolentium hoc esse naturale vel quasi proprium, ut quum hoc unde dolent verbis exprimunt, ipsa in eis verba dolorem accendant, et suis querimoniis mens compuncta, facile prorumpat in lacrymas ex ipsis suis quas refert miseriis. Sic et pœnitentes quum in orationibus suis ea quæ commiserunt referunt, ipsa eorum verba quasi quædam punctiones mentes gementium vulnerant, ut lacrymas inde producant, et medullatum[1] vel pingue sacrificium offerant.

Constat autem orationem dominicam tam a Matthæo quam a Luca conscriptam esse, sed ab illo plenius, qui non solum evangelista, verum et apostolus ipsam ex ore Domini audierit, quando eam Dominus in monte ipsi ceterisque simul apostolis tradidit[2]. Unde nunc eam præcipue nostra prosequitur expositio, quæ plurimum auctoritatis, sicut et perfectionis habet, in septem videlicet petitionibus distincta, quum illa Lucæ quinque sit contenta, quæ non apostolis, sed cuidam discipulo memoratur tradita. Sic quippe in ipso scriptum esse Luca meminimus de Domino[3] : « Factum est, dum ipse esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum : « Domine, doce nos orare, sicut « et Joannes docuit discipulos suos. » Et ait illis. « Quum oratis, dicite . « Pater, « sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo « et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis pec- « cata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas « in tentationem. » Matthæus vero dominicam orationem apostolis tanquam doctoribus et perfectioribus perfectius traditam, eam interserit sermoni ad eos in monte habito, quem et perfectiorem esse constat quam ille fuerit, quem Lucas refert in campestribus ad turbas factum. Sic quippe scriptum est in Matthæo, Domino ad apostolos dicente[4] : « Quum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant, in synagogis et in angulis platearum stantes, orare ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem quum orabis, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio tuo, ora patrem tuum in abscondito[5]. Et

[1] Sic Cod. Victor. – *Ut medullatum* Edit. Amb. — [2] *Tradiderit* Cod. Victor. — [3] Luc., cap. XI, v. 1. — [4] Matth., cap. VI, v. 9. — [5] Sic Cod. Vict. – *Absconso* Edit. Amb.

pater tuus, qui videt in abscondito[1], reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis : scit enim pater vester quid vobis opus sit, antequam petatis ab eo. Sic autem orabitis : « Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen « tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Pa- « nem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, « sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; « sed libera nos a malo. » Diligenter nos Dominus de oratione instruens, non solum verborum pronuntiationem tradit, verum etiam de intentione nos erudit, ut oratio fructuosa nobis esse possit.

« Sicut hypocritæ, » inquit, hoc est, non ea intentione qua illos constat orare. Quorum quidem intentionem aperiens, ait : « ut videantur ab hominibus » potius quam a Deo, dum eis placere appetunt, a quibus sic laudes vel terrena commoda requirunt. Qui ut a pluribus conspici possint, « amant, » inquit, in synagogis et in angulis platearum, » hoc est, in publicis conventibus hominum, hoc agere. Non dicit simpliciter eos ibi orare, quia ibi a pluribus videri possunt. Nec dicit in plateis, sed in angulis platearum, quasi conspectum hominum fugere videantur, se in angulis occultando, quem maxime appetunt. Stantes orant potius quam sedentes vel procubantes : ut eo religiosiores putentur, quo se in oratione magis affligere creduntur. « Perceperunt, » inquit, « mercedem » orationis ab hominibus in præsenti, non eam postmodum a Deo percepturi. Merces sive remuneratio orationis his redditur, quum laudes humanas vel terrena commoda, quæ inde requirunt, adipiscuntur. « Tu autem quicunque es, quum orabis, etc. » Cubiculum nostrum, in quo requiescimus, mens nostra est, a perturbationibus mundanis semota, ut Deo vacantes puriorem habeamus orationem, tota intentione nostra in eum directa. Ingressi cubiculum, ostium ejus claudimus, ne ab aliis, sed a solo Deo videamur, quum modis omnibus providemus, ne sic per orationem nostram hominibus placeamus, ut Deo displicere mereamur. In abscondito magis quam in manifesto Deus videre dicitur, quia probator cordis et renum, non tam quæ fiunt, quam quo animo fiant attendit, nec tam opera quam intentionem remunerat. « Orantes autem nolite, etc. » Hoc est, ne appetatis prolixitatem verborum in oratione, ea qua infideles faciunt intentione. Putant enim, quod quanto prolixior verbis oratio sua fuerit, tanto magis a Deo exaudiri posset, quem non ubique præsentem æstimant, et verbis indigere putant, quibus ei quod volumus insinuemus. Nolite ergo in hac scilicet intentione similes eis fieri.

« Pater noster. » Octo autem partibus hæc secundum Matthæum oratio di-

[1] Sic Cod. Vict. — *Absconso* Edit. Amb.

stinguitur. Quarum prima pars est invocatio qua dicitur : « Pater noster qui es in cœlis. » Deinde septem petitiones sequuntur. Tres vero priores ad Deum pertinent, quatuor vero reliquæ ad nos. Hujus igitur ordinis intendentes expositioni, ipsum prius oremus Dominum, ut orationis suæ nobis conferat intelligentiam, quæ ipsam nobis faciat fructuosam. Quum dicit : « Pater, » potius quam : « Domine, » nos ei per amorem potius quam per timorem admonet deservire. Timere quippe servorum est, amare filiorum. Unde et Apostolus christianam servitutem a judaica distinguens, conversis jam Judæis aiebat [1] : « Non enim subditi estis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus: « Abba, pater. » Notandum vero hoc loco, quum dicitur, « Pater, » non unam tantum Trinitatis personam intelligi, sed indifferenter ad Deum orationem dirigi, cui communiter a fidelibus per amorem deservitur. Non mediocris videtur benivolentiæ captatio, quum eum quem oramus patrem vocamus, quasi ex tam dulci nomine ad paternæ dilectionis affectum moveatur, et non tam quod servis quam quod filiis debeat recordetur. Quum dicit unusquisque « noster » potius quam meus, filium se Dei per adoptionem quod commune multis est, potius quam per substantiam, quod solius Christi est, profitetur. Bene autem hæc oratio [2] non singulariter, sed pluraliter ab unoquoque fit, quum dicitur : noster, vel nostrum, nobis vel nos, potius quam meus vel meum, vel mihi vel me : quia tanto facilius impetramus quod postulamus, quanto per fraternæ dilectionis affectum alios nobis in orationem sociamus. « Qui in cœlis es, » hoc est per gratiam inhabitas in his qui quasi cœlestes sunt, cœlum potius quam terram habitantes, et in superioribus, non in infimis constituti. De qualibus Dominus ait [3] : « Cœlum mihi sedes est, » hoc est anima sublimis virtutibus et desideriis fervens spiritalibus.

« Sanctificetur nomen tuum. » Post invocationem petitiones adjungit, et quia plus gloriam Dei quam utilitatem nostram quærere nos convenit (hic quippe finis esse debet in omnibus quæ agimus, ut glorificetur Deus), tres istæ petitiones, ut diximus, priores glorificationem ejus postulant. Per Ezechielem Dominus de reprobis Judæis conquerens, et eos increpans, ait [4] : « Nomen sanctum meum quod polluistis in gentibus. » Quam et Apostolus sententiam inducens, ait [5] : « Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est, » in hoc ipso, scilicet, ut dictum est per prophetam. Quemadmodum ergo nomen Dei pollui sive blasphemari, hoc est irrideri vel vilificari ab infidelibus videtur, quum perverse agere videret eos qui se populum Dei vocabant : ita e contrario ipsum

[1] *Rom.*, cap. VIII, v. 15. — [2] Sic Cod. Vict. – *Orationem* Edit. Amb. — [3] « Hæc dicit Dominus : « Cœlum sedes « mea. » (Isaiæ cap. LXVI, v. 1.) — [4] Ezech., cap. XXXVI, v. 22. — [5] *Rom.*, cap. II, v. 24.

sanctificatur atque benedicitur, seu laudatur et glorificatur, quum ejus populus sancte ac religiose vixerit, et illud vivendo compleverit, quod ipsemet præcipit, dicens[1] : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. » De qua etiam glorificatione Dei vel sanctificatione divini nominis per eumdem prophetam consequenter Dominus adjungit[2] : « Et sanctificabo nomen meum, quod pollutum est inter gentes, quod polluistis in medio earum. » Quod etiam qualiter fiat, subsequenter exponit, dicens[3] : « Et faciam ut in præceptis meis ambuletis, etc. » Sicut enim quantum in nobis est, inhonoramus Deum, quum ejus præcepta contemnimus ; ita et e contrario nostra eum honorat obedientia. Nomen itaque ejus, quod in se sanctum est, in nobis etiam sanctificatur, quum sic sub nomine ejus vivimus, ut ipse, cujus filii esse dicimur, ex vita nostra glorificetur. Ut autem ita nomen ejus sanctificetur in nobis, orandum nobis est ut, expulso a nobis regno diaboli sive peccati, de quo dicit Apostolus[4] : « Non regnet peccatum in vestro mortali pectore ad obediendum concupiscentiis ejus, » regnum Dei adveniat in nobis. Et hoc est quod secundo petimus dicentes : « Adveniat regnum tuum, » hoc est tuum in nobis ita sit dominium, ut tibi spontaneam in omnibus exhibeamus obedientiam. Quod ut fiat a nobis : « Fiat voluntas tua in nobis, » quæ est tertia petitio. Tua, inquam, quæ errare non potest, vel mala esse. Tunc autem voluntatem Dei facimus, quum quod ipse approbat et nobis consulit, implemus. « Fiat, » inquam, « sicut in cœlo, et in terra : » ut ipsa etiam in cœlum convertatur terra. Hoc est sic a carnalibus et terrena quærentibus illa impleatur, sicut a spiritalibus et cœlestia desiderantibus.

« Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. » Præmissis, ut dictum est, tribus petitionibus ad honorem Dei pertinentibus, ad quatuor reliquas stilum convertit, quibus quatuor postulantur virtutes, in quibus fidelis animæ perfectio consistit, prudentia scilicet, justitia, temperantia, fortitudo. Sicut autem prudentia tam tempore prior est quam natura, ita est ejus petitio prior ponitur, quum dicitur : « Panem nostrum, etc., » quæ est petitio quarta. Sic junge, ut ab omnibus tua voluntas impleatur. Has nobis virtutes impertire, quæ perfectionem confirmant animæ. Cibus animæ est, et spiritalis ejus panis, intelligentia divini verbi, de quo per Moysen dicitur[5] : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. » Hunc panem, id est intelligentiam sacræ scripturæ qui non ruminat, et in eo divisionem ungulæ non habet, immundum animal lex judicat, quia nulla est mentis munditia, ubi eorum quæ

[1] Matth., cap. v, v. 22.— [2] Ezech., cap. xxxvi, v. 23. — [3] Ibid., v. 27. — [4] « Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. » (*Rom.*, cap. vi, v 12.)— [5] Matth., cap. iv, v. 4.

præcipit Deus manet ignorantia. Verbum Dei ruminat, qui ipsum frequenter revolvit, ut diligentius intelligat, sicut scriptum est[1] : « Et in lege ejus meditabitur die ac nocte. » Divisio autem ungulæ qua incedimus, discretio est quam in verbis divinis habemus ; quum videlicet diligenter attendimus, quid juxta litteram sit accipiendum, quid ad sensum mysticum vel moralem sit applicandum. Ex qua quidem intelligentia triplici, dum quasi quibusdam ferculis anima reficitur, vera prudentia illustratur, nec generare potest fastidium ista diversitas ferculorum. Panis autem supersubstantialis hic intelligentia dicitur, quia longe hic cibus animæ excellentior est, quam quodlibet substantiale, id est corporale alimentum, quod cum animalibus nobis est commune. Bene ergo nostrum dicit panem istum, hoc est proprium rationalium animarum. Quod dicit « hodie, » tale est ac si diceret, in hac præsenti vita, hoc nobis viaticum ministra, ne deficiamus in via. Non sine admiratione videtur accipiendum quod apud nos in consuetudinem Ecclesiæ venerit, ut quum orationem dominicam in verbis Matthæi frequentemus, qui eam, ut dictum est, perfectius scripserit, unum ejus verbum, cæteris omnibus retentis, commutemus, pro « supersubstantialem, » scilicet quod ipse posuit, dicentes « quotidianum, » sicut Lucas ait : præsertim quum hujus panis dignitas non minus exprimi videatur, quum supersubstantialis dicitur, quam quum quotidianus appellatur. Denique si arbitremur a Matthæo melius dicendum fuisse « quotidianum, » quam « supersubstantialem, » quis hoc præsumptioni non imputet, ut non solum Apostolum, verumetiam Dominum corrigere velimus, quum ille sic eam scripserit, sicut eam audierat apostolis tradi, et ab eis ipsam credimus frequentari, sicut eis est tradita, et ab apostolo in eadem etiam lingua prius scripta?

Quinta autem petitio quæ dicitur : « Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » æquitatem postulat justitiæ. Æquum quippe est, et hoc justitia exigit, ut quales per misericordiam nos exhibemus proximo, talem nobis inveniamus Deum. Debita dicit, pœnas pro peccatis debitas. Quum dicit : « Sicut et nos dimittimus aliis sua debita, » adeo nos ad misericordiam constringit, ut hæc oratio a nobis potius ad damnationem quam ad salutem dicatur, si misericordes non fuerimus. Debitores nostros hic dicit, sicut sequentia Evangelii patenter insinuant, qui pro his quæ in nos commiserunt quodam debito pœnæ astringuntur, ut pro his scilicet puniri sint digni. Quibus quidem hanc pœnam quantum in nobis est remittimus, quum in eis ad satisfactionem paratis, nullam propter hoc vindictam exerceri volumus. Et hoc est nos pœnas delictorum ad similitudinem Dei ignoscere, quum illis de illatis injuriis pœniten-

[1] Psalm.

tibus et ad satisfactionem paratis, omnem eis vindictam relaxamus, ut jam eos in nullo penitus pro his punire velimus. Alioquin non sunt digni venia quandiu impœnitentes in sua persistunt malitia, nec debere volumus, ut quandiu tales sint, a pœna penitus absolvantur : nec nos velle convenit quod scimus fieri non posse, vel minime convenire. Sed dicis, qua ratione his qui jam vere pœnitent, nec in peccato persistunt, pœnæ pro peccato debeantur, maxime illæ quæ sunt damnationis æternæ? Aut si jam non debentur, quomodo dimitti possunt? Sed profecto quum nullum peccatum credatur impunitum, nequaquam a debito pœnæ ipsi etiam pœnitentes prorsus sunt absoluti : ut si non damnatoriis, saltem purgatoriis in hac vita, sive in futura, subjaceant pœnis. Quarum quidem pœnarum, futuræ scilicet vitæ, quamlibet graviorem esse beatus asserit Augustinus[1], quam quæcunque pœna sit vitæ præsentis. Has ergo pœnas, quæ adhuc pœnitentibus debentur, nobis dimitti postulamus, ne de magnitudine ipsarum per impatientiam ad peccata relabamur, sicut illi faciunt, qui supra id quod possunt tentati, succumbunt victi : a quo quidem patientiæ defectu, dum probamur in adversitatibus, liberari precamur, quum subditur : « Et ne nos inducas in tentationem. » Talem temperantiæ virtutem rogat, ne suggestionibus voluptatum præbeat assensum. Tale est ergo : « Ne inducas nos in tentationem, » ac si dicatur : Ne permittas nos ita tentari, ut in adversitatibus deficiamus, vel pravis concupiscentiis succumbamus victi. « Sed libera nos a malo, » hoc est da fortitudinem et robur animi invictum ad adversa quælibet toleranda, ne motu aliquo vel pusillanimitate declinemus a rectitudine. Notandum vero quod, velut beatus meminit Augustinus in *Enchiridionii* cap. CXIV[2], septem has petitiones, quas Matthæus distinxit, Lucas in quinque, quas posuit, breviter comprehendit. Lucas quippe in duabus primis petitionibus, quas et ipse ponit, hoc est : « Sanctificetur nomen tuum, et adveniat regnum tuum, » tertiam comprehendit quam Matthæus distinguit, scilicet : « Fiat voluntas tua, » tanquam arbitremur illa non fieri, nisi hoc etiam compleatur. Ultimam vero, quam Matthæus supponit, et Lucas tacet : « Sed libera nos a malo, » ita ex præcedenti pendere Lucas autumat, ut illi in unam petitionem sit conjungenda. Quod et ipsa innuit conjunctio, « sed, » interposita. « Amen, » id est fiat.

[1] *Opp.* t. VI, col. 291. — [2] *Opp.* t. VI, col. 239, 240.

IN DIE ASCENSIONIS.

SERMO XV.

Ascensionis dominicæ festiva jucunditas, quædam est ab angelis Christo triumphanti pompa victorialis exhibita. Ipse quippe rex hominum pariter atque angelorum, alteram ab hominibus, alteram ab angelis hujusmodi venerationem, sicut justum fuerat, suscepit. In Ramis quippe Palmarum Jerosolymam veniens, imperiali more, a turbis cum laudibus est susceptus, tanquam rex Israel et hæres davidicæ stirpis ab eis salutatus ac benedictus. Cujus humili, cui insidebat, jumento devotione populi non solum ramos arborum, sed etiam propria vestimenta substernente, aliquid supra consuetudinem terrenorum regum hæc ejus veneratio habuit. Inde ad templum tanquam ad proprium palatium populis laudes acclamantibus deductus, sacrilegium negotiatorum inde potenter expellens, tanquam regia usus potestate ipsum expiavit, et divina virtute cæcos illic illuminans, miraculorum beneficiis domum suam consecravit. Sicut autem ibi tunc ab hominibus more triumphalis pompæ, ut diximus, est honoratus; ita hodierna die ascendens in cœlum, ab angelis ei occurrentibus est susceptus. Quorum duo assistentes in albis solemnibus pia allocutione discipulos consolantur, dicentes[1] : « Viri Galilæi, etc. » Hujus autem ascensus mirabilem gloriam illis mutua laude concinentibus, quum aliis admirantibus sæpius quærerent[2] : « Quis est iste rex gloriæ? » alii respondentes dicebant : « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. » Et rursum[3] : « Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. » Horum duplex responsio, quorum et duplex præcesserat jussio, bis ita dicentium[4] : « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales. » Super quo alii hoc audientes, quasi quadam admiratione commoti, geminatæ jussioni geminatam subnectunt interrogationem, quum videlicet aiunt : « Quis est iste rex gloriæ? » Legimus Dominum ejectis a terrestri paradiso primis hominibus, diligentem atque solertem angelorum custodiam, quæ minime falli possit, ibi constituisse[5]. Unde et bene cherubim, id est plenitudo scientiæ a propheta vocantur. Hi ergo gladio quodam flammeo atque versatili ejectos illos ab aditu paradisi arcentes atque inhibentes, hoc ipso gladio quasi quibusdam portis introitum clauserant atque obstruxerant paradisi. Ad quos quidem principes, id est angelos ibi ad custodiam illam præsidentes in figura cœlestis paradisi, hodie nobis in ascensu

[1] *Act. Apost.*, cap. I, v. 11. — [2] Psalm. XXIII, v. 8. — [3] Ibid., v. 10 — [4] Ibid., v. 9. — [5] *Genes.*, cap III, v. 24.

Christi reserati, nunc dicitur : O vos principes, id est præpositi paradisi custodes, attollite jam vestras portas, id est summovete illam vestram quam diximus obstruentem clausuram, et illum versatilem avertite gladium, qui proinde versatilis, id est mobilis potius quam fixus est dictus, quia quandoque avertendus et summovendus est. Et, o vos, portæ, elevamini æternales, id est sublatæ et summotæ in æternum estote, et introibit rex gloriæ : non quidem terrenus, sed qui ad cœlestis gloriæ celsitudinem suos de potestate diaboli ereptos in hoc hodierno triumpho secum pariter introducat. Super quo tam glorioso et admirabili triumpho, aliis quærentibus, et cum summa admiratione dicentibus : Quis est iste, ut dicitis, tantus rex, quem in humana forma, et a nobis olim despecta, super omnem naturam, id est angelicam conscendere videmus altitudinem; vel unde inferior natura hanc adipisci meruit dignitatem? Alii respondentes concinunt : « Dominus iste est fortis et potens, Dominus potens in prælio. » Fortis scilicet ad omnia adversa toleranda, nec remissus in aliquo; quamvis in forma humanæ infirmitatis appareat. Potens, sicut statim determinans, subjungit, « potens in prælio, » nec ita ut vetus Adam, a tentante superatus diabolo, sed ipso mortis auctore morte sua triumphato, quasi spoliorum trophæa in suis, quos eruit, captivis, nunc refert gloriosa : sicut et de ipso olim Psalmographus præcinerat dicens[1] : « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem. » Captiva quippe captivitas genus humanum bis a diabolo captivatum dicitur; primo videlicet ejus persuasione a paradiso exulatum, et præsentibus ærumnis expositum, postmodum de hac luce ad inferni tenebras dejectum. Suos itaque, ut diximus, bis captivatos, nunc secum ad cœlestia perducens, quasi victor hodie de antiquo hoste superato, triumphat. Dominus ipse virtutum, non solum videlicet hominum quos sic liberat, verumetiam supernarum virtutum, per quas ubicunque vult, operatur magnalia. Conferamus autem cum gloria hujus triumphi illam, quam diximus venerationem in Ramis Palmarum ei primum exhibitam, et qua similitudine jungantur per singula videamus : ita tamen ut hanc illi longe præcellere consideremus.

Ut igitur Joannes refert[2], illa prior generatio pro resuscitatione Lazari ei facta est, cui nec ipse Lazarus cum eo Jerosolymam veniens defuisse credendus est. Sicut ergo suscitatio Lazari illud præconium laudis ab hominibus meruit, ita prædictæ liberatio captivitatis triumphales hodie laudes ab angelis habuit. Et ibi quidem Jerosolymam veniens, ut dictum est, benedictus a turbis. Hic autem cœlos ascendens benedixit discipulis, ut tanto excellentior hæc dies habeatur, quanto felicior ex benedictione divina efficitur. Nec solum qui præibant, verum-

[1] « Ascendisti in altum, cepisti captivitatem. » (Psalm. LXVII, v. 19.) — [2] Joan., cap. XII, v. 1.

etiam qui sequebantur, laudes ibi præcinebant. Sic et hodie tam præcedentium angelorum chori, quam captivi liberatorem suum sequentes, summa et ineffabili jubilatione victori laudes acclamabant, sicut scriptum est[1] : « Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ, » id est cum signo victoriæ. Denique illo ibi ingrediente civitatem, cum tanta turbæ circumstantis exultatione, alii admirantes quærebant[2] : « Qui est hic? » Et alii quærentibus respondebant[3] : « Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ. » Sic et in hodierno triumpho, aliis angelis, ut diximus, interrogantibus : « Quis est iste rex gloriæ? » alii respondebant : « Dominus fortis, etc. » Turbis comitantibus usque ad templum, id est propriæ domus palatium, Dominus perductus est. Et sicut legimus in Daniele[4], in illo angelorum comitatu quasi oblatus paternæ majestati, usque ad Antiquum Dierum filius hominis eductus ab angelis pervenit. Et ibi quidem pigro jumento insidere, hic levi nubi describitur præsidere. Tunc quippe adhuc corruptibile corpus, quod aggravat animam, id est mortale gestabat. Jam vero omni mortalitatis pondere deposito, nubi præsidere voluit, et sic ascendere; ut quantæ levitatis hæc gravia, quæ nunc gestamus, corpora futura sint, in se nobis primum exhiberet. Sicut enim nascendo ex nobis, et patiendo pro nobis summum nobis honorem vel caritatem exhibuit; ita postmodum resurgendo, vel discipulis apparendo, et nunc denique ascendendo futuram corporum gloriam demonstravit; ut tanto libentius corporalium passionum agones sustineant membra, quantum in ipso capite habent experimentum de futura corporum gloria. In resurrectione quippe corporum immortalitatem nobis exhibuit. Janius vero clausis ad discipulos intrans apparituras illis, subtilitatem eorum qua quælibet solida penetrare possint ostendit. Nunc vero super altitudinem cœlorum ascendens, quantam sit habitura levitatem demonstrat, ut videlicet ubicunque voluerit animus, illuc statim sine difficultate transferatur corpus. Ut igitur Apostolus ait[5], ipsum nunc mente sursum quæramus, ubi est in dextera Dei sedens, ut postmodum etiam corpore ad ipsum, nunc mente mereamur pervenire, non tam ascensuri quam ab ipso trahendi, cui honor est et gloria per infinita seculorum secula. Amen.

[1] Psalm. XLVI, v. 6. — [2] Matth., cap. XXI, v. 10. — [3] Ibid., v. 11. — [4] Dan., cap. VII, v. 13. — [5] *Coloss.*, cap. III, v. 1.

IN OCTAVA ASCENSIONIS.

SERMO XVI.

A minimis Dominus inchoans, ut ad majora perveniat, tanquam a minore ad majus argumentum ducens, fidem ex infimis astruit summis; ut quum in istis magna viderimus, in illis talia mirari desistamus. Unde contra infidelium errores de his, quæ in seipso mirabiliter gessit, quædam in creaturis exempla præmisit, quibus quælibet hæreseos schismata scindi ac dissipari possint. Verbi gratia, partum virginis adeo nonnulli abhorruerunt hæretici, ut dicerent : Si virgo peperit, phantasma fuit. Cujus quidem erroris vulneri medicamentum Dominus apponens, nonnunquam equas, ut beatus in *Civitate Dei* asserit Augustinus[1], a spiritu ventorum concipere facit; quo mirari desistamus, si ex Spiritu sancto virgo conceperit. Corvos quoque in osculo concipere et nunquam coire, pluribus non esse ignotum novimus. Apes quoque sine detrimento suæ integritatis fructu non privantur prolis. Quotidie insuper ex insensibilibus et vilissimis rebus, vermes innumeros, et animantium diversa genera procreari videmus. Unde nec vermi comparari Dominus dedignatur, cui dicitur[2] : « Noli timere, vermis Jacob. » Qui etiam de semetipso dicere non erubescit[3] : « Ego sum vermis, et non homo. » Desperationem quoque resurrectionis phœnicis defuncti sæpius in tanta vivificatio tollit. Denique et Domini ascensionem raptus Eliæ præcessit, qui mortale adhuc corpus et corruptibile gestans, curru igneo translatus est in paradisum[4]. Constat ignei elementi naturam cæteris longe subtiliorem esse atque leviorem. Si ergo Eliæ corpus adhuc terrena gravitate ponderosum illa ignis levitas sustinere, nec comburere potuit, quid mirum si Christi vel nostra corpora jam immortalia facta, nec tam animalia quam spiritualia dicenda, illud quoque igneum et supremum cœlum, quod agnis contegi constat, conservare possit illæsa ?

Quoniam autem ad ascensionis dominicæ fidem, Eliæ translationem induximus, juvat denique mysterium hujus ascensionis ab Elia sumere. Quem ergo rectius Elias ex ipsa quoque nominis interpretatione vel affinitate, quam Christum verum animarum solem figurat? De quo, ut beatus meminit Gregorius[5], in cantico Habacuc prophetæ[6] ita continetur : « Elevatus est sol, et luna

[1] Lib. XLI, cap. VI, *Opp.* t. VII, col. 624. — [2] Isaiæ cap. XLI, v. 14. — [3] Psalm. XXI, v. 7. — [4] *Reg. IV,* cap. II, v. 11. — [5] *Homil. in Evang.* lib. II, cap. XXIX, *Opp.* t. I, col. 1573. — [6] Habac., cap. III, v. 11.

stetit in ordine suo. » Post ascensionem quippe Domini missus ab eo Spiritus sanctus, sicut ipse promiserat, dicens[1] : « Nisi ego abiero, etc. » Ecclesiam, quæ per lunam significatur, in tantum ordinare studuit, ut perversos in ea nequaquam toleraret, sed statim a palea grana purgaret : sicut per Petrum de Anania et Saphira egit. Quod et Petrus Ananiam increpans profitetur[2] : « Cur, » inquit, « tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? » Et post aliqua : « Non est mentitus hominibus, sed Deo. » Quum enim Veritas apostolis dicit[3] : « Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis, » quotiens Spiritus aliquid occultum revelat fidelibus, de quo interrogant, ipse potius quam ipsi hoc agere dicitur, quum inspiratione vel suggestione hoc faciunt. Sublato etiam Elia in cœlum, et spiritu ejus in Elisæo geminato, congregatis filiis prophetarum ad Elisæum, tanto magis ordinatam duxerunt vitam, quanto majoris abstinentiæ vel continentiæ virtutem arripuerunt, in solitudine monasticæ vitæ perfectionem inchoantes, quam et apostoli post ascensionem Domini per Spiritus sancti missionem non minus servare studuerunt. Elias sublatus in cœlum, dimisit in terram pallium suum. Christi vero pallium, corpus quod se Verbum induit intelligitur, de quo per Jacob prædictum fuerat[4] : « Lavabit vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum. » Hoc itaque pallium Christus ascendens ad dexteram Patris in sacramento dereliquit, cujus participatione purgati, et sic quodammodo Christum induti, præcedentium peccatorum fœditatem tegimus. Elisæus, pallio Eliæ assumpto, Deique ipsius nomine invocato, aquas Jordanis eo percussas divisit. Et nos virtute divini sacrificii, et invocatione superni auxilii aquas dividimus, ne in ea submersi pereamus, dum carnales concupiscentias quasi quosdam noxios humores in nobis reprimimus vel exsiccamus : ut quasi sicco vestigio ad veram permissionis terram perveniamus, ad quam caput nostrum conscendisse novimus. Quod quia nostrarum virium non esse scimus, ipse nos illuc post se gratia sua trahat, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

[1] Joan., cap. XVI, v. 7. — [2] *Act. Apost.*, cap. V, v. 3. — [3] Matth., cap. X, v. 20. — [4] *Genes.*, cap. XLIX, v. 11.

IN SEXTA FERIA POST OCTAVAS ASCENSIONIS DOMINI[1].

SERMO XVII.

Tres solemnitates in lege sanctas novimus, Paschæ vel Pentecostes, atque Tabernaculorum, de quibus in *Exodo* scriptum est[2] : « Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis : solemnitatem azymorum, tempore mensis novorum, solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo. » Hinc et in *Deuteronomio* scriptum legimus[3] : « Observa mensem novarum frugum, et verni primum temporis, ut facias phase Domino, et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino : solemnitatem quoque Tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area et torculari fruges tuas. » Has tres solemnitates illos dies intelligimus, de quibus in *primo Regum* de Helchana dicitur[4] : « Et ascendebat vir ille de civitate sua, statutis diebus, ut adoraret et sacrificaret Domino in Silo. » Ex his autem tribus solemnitatibus sub nominibus pristinis, quamvis in diversa significatione, apud nos quoque duæ permanent. Judæi quippe Pascha in immolatione agni figurativi agebant, nos in resurrectione veri agni Pascha celebramus. Illi a die Paschæ in Ægypto celebrati, primo die lege suscepta, solemnitatem Pentecostes in veneratione legis susceptæ secundam habuerunt. Nos vero in adventu Spiritus sancti, quo tanquam digito Dei lex scripta est, et tam legis intelligentia quam verborum Christi per eumdem Spiritum apostolis ministrata, Pentecostem recolimus. Festivitatem autem Tabernaculorum, quam his solis, qui de genere Israel sunt præceptam legis, Ecclesia gentium non suscepit. Quam quidem Dominus instituens, et israelitico populo celebrandam commendans, in *Levitico* ait[5] : « Omnis qui de genere Israel est, manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel. » Nulla autem occasio se nobis offert, qua festivitatem Tabernaculorum Ecclesia gentium retineret, præsertim quum tabernacula peregrinantium sint, non in domibus suis commorantium. Quæ est autem domus vel patria nostra nisi cœlestis illa, de qua dicit Apostolus[6] : « Si dissolvatur domus ista terrestris, habemus in cœlis domum non manufactam. » Prior itaque populus ille adventum Domini præcedens, cui nondum

[1] Cod. Amb. *Nativitatis*, male, ut ipsius sermonis lectione patet. — [2] *Exod.*, cap. XXIII, v. 14. — [3] *Deuter.*, cap. XVI, v. 10. — [4] *Reg. I*, cap. I, v. 3. — [5] *Levit.*, cap. XXIII, v. 42. — [6] *Corinth. II*, cap. V, v. 1.

cœli janua patebat, tanquam in peregrinatione, non in patria fuit. Subsecuta vero gentium Ecclesia, quæ post passionem Domini jam a regno non differtur, et ad cœlum quotidie migrat, patriæ magis quam peregrinationis solemnitates celebrat, quum futuræ vitæ gaudia in natalitiis sanctorum frequentat; nec tam quod terris nati sunt, quam quod cœlo nascuntur, nostra jam devotio curat. Domus itaque mansionem magis quam exilii peregrinationem celebrare nos convenit, quibus cœlestis jam patet felicitas in præmium constituta; quum terrena tantum prosperitas in remuneratione legis antiquo populo fuerit a Domino promissa.

Prætermissa itaque Tabernaculorum festivitate, ad suprapositas duas revertentes, Paschæ videlicet atque Pentecostes, diligenter eas inter se conferamus, ut hanc illa tam in Veteri quam in Novo Testamento non inferiorem esse probemus, imo præ cæteris quamdam obtinere prærogativam monstremus. Legimus[1] Dominum Moysi præcepisse, ut populum sanctificaret, eumque vestimentis suis ablutis ab uxoribus abstinentem, sic ad legem præpararet in tertio die suscipiendam. Nullam autem aliam festivitatem ita lex commendat, ut talem ei sanctificationis præparationem instituat, præsertim cum, Apostolo attestante, inter universa Dei dona Judæis antiquitus collata, illud primum sit, hoc est maximum, « quia credita sunt illis eloquia Dei[2], » hoc est Veteris Testamenti doctrina illis, non cæteris nationum populis data. Sed nec ille dies, qui proprie Pascha vocabatur, agnum vel hœdum immolans ad vesperum septem sequentes dies, qui azymorum dicebantur, aliquid festivæ celebrationis ex præcepto Domini habuit, sed in ea tantum immolati agni ad vesperum jussa est fieri. Nostra quoque solemnitas Pentecostes quid utilitatis vel dignitatis præ cæteris adepta sit, multis clarum est indiciis. Lex hodie in monte Sinai uni populo, et in una lingua tradita, obscuritatis caligine fuit involuta, et tam fumo potius quam luce referta, sicut et patenter præfigurabatur quum ipsa traderetur. Spiritus vero super apostolos hodie descendens tam legis quam cæterorum divinorum verborum intelligentiam attulit, et omnia genera linguarum, quibus hæc ubique prædicarentur, discipulis contulit, et notum prius in Judæa Deum universo mundo declaravit, et ipsum ei acquisivit. Die Paschæ, Dominum in corpore resurrexisse novimus. Hac vero die, id actum est per sancti Spiritus adventum, per quod universus mundus felicius in anima resuscitaretur. Die resurrectionis sive ascensionis, fides et spes discipulorum confirmata est. Hac vero die, caritas per Spiritum, qui amor Dei dicitur, infusa discipulos consummavit, juxta illud Apostoli[3] : « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum

[1] *Exod.*, cap. XIX, v. 10, 14. — [2] *Rom*, cap. III, v. 2. — [3] Ibid., cap. V, v. 5.

qui datus est nobis. » Diffusa, inquit, potius quam infusa; hoc est dilatata in plenitudine donorum, non stillata. Legimus et Dominum die resurrectionis Spiritum apostolis insufflando dedisse atque dixisse[1] : « Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, etc. » Et tunc quidem Spiritus apostolis est infusus, non eis diffusus : hoc est, ad unum potestatis donum eis collatus, non ad omnia charismata dilatatus. Quod utique donum in subjectos potius redundaret, quam in ipsis fructificaret. Hac vero die, qua intelligentia sunt illuminati, et igne caritatis accensi, in omni bonorum perfectione sunt consummati. Ad hanc eos consummationem tam resurrectio Domini quam ascensio præparavit : sicut populus Dei legem suscepturus, biduo ad hanc susceptionem est præparatus, Domino per Moysen dicente[2] : « Estote parati in diem tertium, etc. » Hinc de resurrectione pariter et ascensione scriptum est[3] : « Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus. » Et rursum[4] : « Expedit vobis ut ego vadam. Nisi enim abiero, Paraclitus non veniet. » Ut ergo Spiritus sanctus veniret, tam resurrectionis quam ascensionis gloria Christus fuerat exaltandus; ut sic discipuli tam fide quam spe futuræ beatudinis roborati, promissum Spiritum accipere mererentur, ut per eum, qui amor dicitur, consummarentur in caritate. Caritatem quippe, quæ post fidem et spem perfectum efficit, et sola filios Dei a filiis diaboli discernit, hæc dies apostolis contulit, sicut scriptum est: « Caritas Dei diffusa est, etc. »

Hæc ergo festivitas caritatis tanto cæteris excellentior videtur, quanto caritas cæteris virtutibus sive donis Dei præminere noscitur. Et quia minus est ad hominis perfectionem Deum amare, nisi et alios in amorem ejus nostra prædicatio sciat accendere, ut quod facimus alios doceamus, juxta illud Veritatis præconium[5] : « Qui autem fecerit et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum, » caritati discipulorum doctrina est addita, ut in utroque ipsos præsens consummaret dies. Unde et bene in igneis linguis super eos apparentibus sancti Spiritus revelatus est adventus, ut videlicet ignis et linguarum specie manifestum signum amoris et doctrinæ; ut per amorem sibi, per doctrinam proficerent aliis. Lex data in monte Sinai, timorem incutiens in servitute genuit. Spiritus vero in superioribus cœnaculi datus, de quo Apostolus, ait[6] : « Ubi Spiritus Domini, ibi libertas, » servos in filios convertit, sicut idem apostolus ad Romanos scribit[7] : « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus : « Abba, pater. » Et ad Galatas[8] : « Quoniam, » inquit, « estis filii, misit Deus spiritum filii sui in

[1] Joan., cap. xx, v. 23. — [2] *Exod.*, cap. xix, v. 15. — [3] Joan., cap. viii, v. 39. — [4] Joan., cap. xvi, v. 7. — [5] Matth., cap. v, v. 19. — [6] *Corinth. II*, cap. iii, v. 17. — [7] *Rom.*, cap. viii, v. 15. — [8] *Galat.*, cap. iv, v. 6.

corda vestra clamantem : « Abba, pater. » Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius, et hæres per Deum. » Iste est Spiritus, ex quo in baptismo regenerati, et ab episcopo confirmati, nitimur in Christo christiani effecti. Ipse est Spiritus, cujus donis in omni perfectione virtutum consummantur electi. Ejus præsens solemnitas cæterarum omnium consummatio est, et divinarum perfectio promissionum. Unde et Veritas apostolis ait[1] : « Mitto promissum patris mei in vos. Vos autem, sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto. » De hoc spiritali virtutis dono Psalmista præcinit[2] : « Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » Et rursum[3] : « Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. » Vera quippe caritas, quæ omnia suffert, omnia sustinet, et cujus flamma nullis persecutionum fluctibus extingui potest, juxta illud *Cantici Canticorum*[4] : « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Aquæ multæ non poterunt extinguere, nec flumina obruent illam. » Omnis discipulorum virtus facta est, quum eos Spiritus sanctus amore tanto scientiaque repleverit, ut non solum prudentes, verumetiam justos, nec non et fortes seu temperantes effectos in virtutibus quatuor consummaret. Quas quidem virtutes omnes in caritate comprehendi beatus asserit Augustinus, ut ipsa videlicet caritas sit sapientia vera dicenda, ipsa etiam sit justitia, ipsa fortitudo pariter in adversis, ac temperantia in prosperis vocetur, secundum diversa quæ in nobis operatur. Unde bene dictum ostenditur caritas per illum diffusa in illis, quia[5] : « Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. »

Tanto ergo hæc solennitas cæteris præeminet, quanto majoris gratiæ plenitudo donis omnium virtutum discipulos consummavit, quibus eos quasi quibusdam armis induit; ut his præmuniti universum debellare mundum, et acquirere Deo sufficerent. Quod quidem indumentum Christus eis promittens ait[6] : « Donec induamini virtute ex alto. » Tanquam si diceret : Donec inermes armaturam, et imbecilles accipiatis fortitudinem. Unde et quum baptizati a presbyteris confirmantur postmodum ab episcopis, et per impositionem manus traditur eis Spiritus sanctus, hæc ipsa eorum confirmatio quædam est virtutum armatura spiritalis ad resistendum vitiis, vel perseverandum in illa quam in baptismo perceperunt munditia plena ibi remissione peccatorum percepta. Legimus et de caritate, quæ vestis illa nuptialis dicitur, quia operit multitudinem peccatorum, et quia discipulis a Domino dictum est[7] : « Vos autem baptizamini Spiritu sancto non post multos hos dies. » Unde patenter intelligi datur, quia Spiritus adveniens discipulos simul et a peccatis mundavit, et ornamentis virtutum eos tanquam antea nudos induit, tanquam simul baptizarentur et confirmarentur

[1] Luc., cap. xxiv, v. 49. — [2] Psalm. xxxii, v. 6. — [3] Psalm. lxvii, v. 12. — [4] *Cant.*, cap. viii, v. 6. — [5] Psalm. xxxii, v. 6. — [6] Luc., cap. xxiv, v. 49. — [7] *Act. Apost.*, cap. i, v. 5.

omnium plenitudine bonorum tunc percepta, ut jam nulla gratia[1], quæ ad illorum pertineat salutem, aut etiam ad aliorum utilitatem. Ipsi quippe non solum sapientia vel virtute præditi, verumetiam omnium genera linguarum adepti, totum simul quod vel sibi vel aliis necessarium esset. De hoc ornatu tantum in *libro Job* scriptum est de Domino, quia[2] : « Spiritus ejus ornavit cœlos, » hoc est eos qui tanquam terreni, et per merita erant infimi, superiores jam per tot dona factos in spiritales convertit cœlos. His ergo gratiis ornati, et virtutibus armati discipuli, securi quasi bellatores intrepidi per universum diriguntur mundum, etiam multis adversitatibus probari permittuntur, quos antea Dominus supra id quod possent, nequaquam tentari permiserat. Unde et ipse ad passionem captus, neminem eorum secum capi voluit, dicens[3] : « Si me quæritis, « sinite hos abire, » ut impleretur sermo quem dixit : « Quia quos dedisti mihi non « perdidi ex ipsis quemquam. » Ut enim beatus meminit Augustinus[4], nondum sic in eum credebant, quomodo credunt quicunque non perituri. Petrus si negato Christo hinc iret, quid aliud quam periret? Quum igitur apostoli ante adventum Spiritus sancti, tanquam imbecilles et inermes existerent, non eos Dominus ad fortia bella destinavit, ne in adversitatibus deficerent victi, qui statim ad ejus captionem fugam sunt conversi, et ipse princeps eorum tam nomine quam firmior fide, tam leviter eum nec semel negaverit. Die autem Pentecostes, in omnibus, ut dictum est, bonis consummati, in omnibus fuerant postmodum virtutibus probandi, ut Ecclesiam sibi commissam non solum erudirent verbis, verumetiam confirmarent exemplis ne deficerent in adversis.

Quum itaque die Pentecostes, tanta bonorum perfectione sint apostoli consummati, nequam hæc festivitas apud nos, sicut nec apud Judæos septem dies sequentes in celebrationem habent, ut usque ad octavam diem ipsa protendatur. Quid enim perfectioni potest superaddi? Præparare se quisque ad perfectionem potest, sed quum illuc pervenerit, quid requirat non super est. A Pascha usque ad Pentecostem, festiva quædam jucunditas per quinquaginta dies continuatur, ob reverentiam scilicet ac dignitatem sequentis Pentecostes. His quippe diebus austeritas pœnitentiæ relaxatur, nec in orationem genua flectimus, ut in eo amplius ob tempus nos excitet in amorem Dei, et præparet devotiores ad venturam festivitatem Spiritus, qui specialiter amor Dei dicitur, quo minus ipsum pœnale est ob gratiam, ut diximus, festivitatis prædictæ in omnibus spiritalibus gratiis consummare. Bene autem duodecima mansione populus Israel egressus de Ægypto, legem in die quinquagesimo suscepit, ut hoc vidilicet numero mansionum ipse numerus signaretur apostolorum, quibus per Spiritum sanctum quin-

[1] Locus corruptus. — [2] Cap. xxvi, v. 13. — [3] Joan., cap. xviii, v. 8. — [4] *Opp.* t. III, part. II, col. 786.

quagesima die dandum, et legem amoris potius quam timoris imprimendam cordibus eorum promiserat, dicens[1] : « Rogabo patrem meum, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. » Et rursum[2] : « Apud vos, » inquit, « manebit, et in vobis erit. » Illa utique mansio duodecima Judæorum, qua lex datur, Spiritum præsignabat veram apostolis legem crediturum, et in eis non transitum, sed mansionem facturum. Populus ille ad legem illam imperfectam, tertio die suscipiendam, duobus se præparavit diebus. Nos ad supremum Spiritus sancti adventum, qui legis perfectionem apostolis attulit, his saltem duobus præparemus diebus, ut tantæ gratiæ participes mereamur esse. Post ascensionem apostoli a monte Oliveti Jerosolymæ reversi, quum in cœnaculum ascendissent, orationibus et jejuniis promissum Spiritus sancti adventum meruerunt. De quibus profecto jejuniis post ascensionem suam futuris, Dominus ipse prædixerat[3] : « Venient dies, quum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt. » Post itaque dies jejuniorum, istos dies sequentes post octavas Ascensionis, et præcedentes diem Pentecostes, non incongrue accepimus. Quum enim festivitas Ascensionis habeat octavas, totum illud tempus octo dierum Ascensionis est dicendum; quia sponsus in cœlos ascendens, obtutibus apostolorum per præsentiam carnis subtractus dicitur vel ablatus. Unde nunc duo præsentes dies secundum dominicam sententiam jejuniis deputandi videntur. Quæ profecto jejunia non pœnitentiæ sunt, ut a peccatis purgemur, sed ut desideriis accensi ad sequendum sponsum, tanto amplius Spiritus sancti mereamur descensum, quanto ardentius ad illum, sequendo Christum, anhelamus ascensum. Unde et ipsemet ait[4] : « Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet. » Quod est dicere : Nisi a vobis recessero, superius ascendendo, nequaquam illis vos desideriis accendam, quibus advenientis Spiritus promereamini gratiam. Hanc ipse Spiritus gratiam nos ita faciat prævenire, ut ipsum ab eo mereamur percipere. Amen.

[1] Joan., cap. XIV, v. 16. — [2] Ibid., v. 17. — [3] Matth., cap. IX, v. 15. — [4] Joan., cap. XVI, v. 7.

IN DIE PENTECOSTES.

SERMO XVIII.

Duæ sunt solemnitates dominicæ tam auctoritate præclaræ, quam utilitate præcipuæ. Hæ vero sunt Pascha et Pentecoste, quæ tam in Veteri quam in Novo sancitæ sunt Testamento. Etsi enim prior populus Abraham magis umbram rerum quam veritatem haberet, nec Pascha tamen, nec Pentecosten mysticis ejus figuris defuisse certum est. Illi quippe, ut de servitute liberarentur ægyptia, primum Pascha in Ægypto celebraverunt, assas igni carnes cum lactucis agrestibus immolantes. Inde quadragesimo die, in monte Sinai lege suscepta, ritu postmodum perpetuo diem Pentecostes, id est quinquagesimæ singulis annis ex dominico celebraverunt præcepto. A Pascha quippe septem hebdomadas dierum, id est quinquaginta dies jussi sunt computare, et ex tunc solemnitatem Pentecostes celebrare, quando in susceptione legis digito Dei scriptæ, perceperunt a Domino potioris donum gratiæ. Cujus quidem gratiæ prærogativam nulli tunc alii populo concessam Psalmista considerans, et hinc maxime populum illum ad gratiarum actionem exhortans, quum præmisisset[1] : « Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion, » unde id præcipue debeat subjunxit, atque ita consummavit[2] : « Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. » Hanc et Paulus gratiam longe cæteris præferens donis[3] : « Quid, » inquit, « amplius est Judæo, aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei. » Ac si aperte dicat : Hoc amplius et hoc primum, id est maximum donum, judaicus populus præ cæteris a Domino habuit, quod ei credita sunt, id est commissa scripta divina. Unde et idem apostolus, horum scriptorum amplius scientiam adeptus, ad hanc solemnitatem Pentecostes plurimum anhelans, cum summo quoque periculo vitæ eam Jerosolymis festinabat celebrare, sicut in *Actibus Apostolorum* his continetur verbis[4] : « Navigantes sequenti die venimus contra Chium, et alia die, applicuimus Samum, et sequenti die, venimus Miletum. » Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, neque mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis. A Mileto autem mittentes Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ. Qui quum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis[5] : « Vos

[1] Psalm. CXLVII, v. 12. — [2] Ibid., v. 19. — [3] *Rom.*, cap. III, v. 1. — [4] *Act. Apost.*, cap. XX, v. 15. — [5] Ibid., v. 18.

scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omnem tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum : quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, et docerem vos publice, et per domos, testificans Judæis et gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Jerusalem, quæ in ea mihi ventura sunt ignorans, nisi quod Spiritus sanctus super omnes civitates protestatur mihi dicens, quoniam vincula et tribulationes me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium Dei. » Multas tam in antiquo quam in novo populo solemnitates institutas legimus, verum ad nullam earum Jerosolymis celebrandam, vel hunc apostolum, vel cæteros, postquam ad gentes transierunt, nisi ad istam, ut dicimus, redisse novimus. Venit itaque Paulus Jerosolymam cum summo, ut dictum est, vitæ suæ discrimine, præscius eorum quæ ibi pateretur. Venit, inquam, celebraturus Pentecosten, non tam veterem cum Judæis in templo, quam novam cum christianis in cœnaculo. Ibi quippe uberiore Spiritus sancti gratia discipulis infusa, angelicam custodiam de templo migrantem noverat consistere, et antiquam gloriam Synagogæ ad novitatem Ecclesiæ translatam esse. Quod et beatus commemorans Augustinus *Epistolæ Joannis* homelia secunda sic ait : « Ubi inchoat Ecclesia, nisi ubi venit de cœlo Spiritus sanctus, et implevit totum locum, et factus est sonus quasi ferretur flatus vehemens, et linguæ divisæ sunt velut ignis ? »

Liquet itaque quantum huic solemnitati debeat Ecclesia, quando, ut dictum est, uberiore gratia suscepta, quam discipulis Dominus promiserat, dicens[1] : « Vos autem baptizamini Spiritu sancto non post multos hos dies, » vitæ spiritalis sumpsit exordium, donis omnibus cumulata, tanto proinde a carnali synagoga amplius discreta, quanto spiritalior effecta. In hujus quidem cœnaculi typo, carissimæ sorores, et virgines paraclitenses, vestrum oratorium constructum, et ipsius summi Paracliti nomine glorioso insignitum, quanta sit devotione tam vobis quam toti populo Dei venerandum perpendite, quantum vos spiritales oporteat esse semper attendite : quæ Spiritus sancti proprio templo, eique spiritaliter consecrato, ex professione vestra estis dicatæ. Sic ergo vivite in hoc manufacto et corporali templo, ut ipsius spiritale templum effici mereamini. Hujus quanta sit offensa, et quam periculosa in eam transgressio facta, ipsa Veritas testatur, dicens : « Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis,

[1] *Act. Apost.*, cap. I, v. 5. — [2] Matth., cap. XII, v. 32.

remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. » Si autem offensa in Spiritum dicti tantam habet pœnam, quæ vindicta manet facti transgressionem? Non autem sufficit vobis a transgressione cavere, nisi ei toto affectu studeatis placere, a quo speranda sunt omnia dona divinæ gratiæ. Qui quum ea singulis prout vult dividit, prout vult distribuit, adeo ut non solum dator eorum, verumetiam ipsum Dei dicatur donum : quantum satagere debemus, ut hunc talem ac tantum dispensatorem habeamus propitium? Quisquis in cujuslibet potentis familia conversari desiderat, nihil aut parum ei prodest habere gratiam Domini, si careat gratia dispensatoris : præsertim quum ipse idem simul et Dominus domus sit et dispensator, sicut de Spiritu sancto manifeste clamat Apostolus[1] : « Divisiones, » inquit, « gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus. » Qui etiam consequenter enumerans dona divinæ gratiæ, quæ Spiritus ipse distribuit, dicens[2] : « Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, etc., » ita hanc donorum distributionem conclusit[3] : « Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. » Ex quibus quidem patenter insinuat eumdem distributorem ac dispensatorem divinorum donorum, tam Dominum esse quam Deum, et pro arbitrio suo ipsum tanquam Dominum, non sub Domino dispensatorem constitutum, ea quibus voluerit libere impertire. Cujus hodie largitas uberior ampliore gratia præsentem diem tanquam propriam solemnitatem ditavit, in qua divinorum beneficiorum promissiones complevit. Post adventum quippe filii in mundum, post ejus ad Patrem in ascensione reditum, Spiritus sancti hodiernus restabat adventus, per quem complerentur omnia quæ per Filium ad salutem nostram fuerunt inchoata. Unde et ipse Filius[4] : « Mitto, » inquit, « promissum patris mei in vos. Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. » Et rursum[5] : « Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. » Et iterum[6] : « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. »

Ex his itaque testimoniis Veritatis liquet quanta gratia sit prædita solemnitas hodierna, in qua discipuli Christi tam virtute constantiæ, quam perfectione scientiæ sunt consummati. Quid est enim virtute indui ex alto, nisi fortitudine animi contra terrores seculi, et quaslibet adversitates armari? Quid enim apostoli

[1] *Corinth. I,* cap. xii, v. 4. — [2] Ibid., v. 8. — [3] Ibid., v. 11. — [4] Luc., cap. xxiv, v. 49. — [5] Joan., cap. xiv, v. 26. — [6] Joan., cap. xvi, v. 12.

ante sancti Spiritus adventum fuerant, nisi quædam, ut ita dicam, lutea figuli vasa nondum ignis coctione solidata, ut alicui usui fierent apta? Hæc vasa tanquam figulus antea Christus de terra plasmaverat, quum eos a terrena carnalis populi conversatione assumptos fide instruxerat. Quos postmodum Spiritus adveniens zelo divini amoris accensos, quasi quædam lutea et adhuc cruda vasa hoc igne solidavit et coxit, ut cum fiducia verbum Dei deinceps ubique prædicarent. Unde factum est, ut ipse apostolorum princeps, qui prius unius ancillæ voce territus, Christum negaverat, nec semel id, sed ter præsumpserat, ante gladios Neronis, et erectum sibi crucis patibulum in confessione et prædicatione Christi intrepidus staret. De hoc igne dilectionis, et flamma caritatis, ipse olim Filius dixerat[1] : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? » Ac si aperte dicat : Omnia quæ in mundum veniens egi tam nascendo quam prædicando , tam moriendo quam resurgendo, seu etiam ascendendo, ad hunc unum terminum et supremum finem spectabant, ut hoc igne silicet terram concremarem, hoc est Spiritu sancto, qui divini amoris dicitur ignis, terrena ipsius et frigida corda hominum inflammarem. Ascendit Filius, ut descenderet Spiritus sanctus, sicut ipsemet testatur, dicens[2] : « Expedit vobis, ut ego vadam. Nisi ego vadam, Paraclitus non veniet, etc. » O quam gloriosus, quam dignus iste sancti Spiritus est descensus, qui nequaquam potuit fieri, nisi per ascensum Filii, nec ita mitti potuit Spiritus, nisi ad eum mittendum ascenderet Filius. Ipsa itaque Christi ascensio quasi parasceve hodiernæ festivatis est, et quædam præparatio. Passio quoque Christi quantum ad hoc divini amoris donum pertineat, Apostolus diligenter declarat. Quum enim præmisisset[3] : « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, » consequenter adjecit : « Ut quid enim Christus quum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? » Ac si diceret : Propter quid aliud, nisi propter hanc caritatis effusionem in cordibus nostris faciendam, mortuus est ad tempus, id est transitoriam et quasi horariam sustinuit mortem, quum adhuc infirmi essemus, hoc est debiles in fide, vel in toleranda persecutione? Diffusa caritas est, dilata et ampla in cordibus facta, et usque ad inimicos etiam extensa; de qua et per Psalmistam Christo dicitur[4] : « Diffusa est gratia in labiis tuis, » hoc est tota prædicatio tua nihil aliud quam perfectionem resonat caritatis. De qua et Apostolus[5] : « Finis præcepti caritas, de corde puro et conscientia non ficta. »

Sicut ergo præcepta Dei, sic et præcepta Christi ad hunc unicum finem, id est ædificandam in nobis caritatem, tota intendit. Cujus quidem intentionis per-

[1] Luc., cap. XII, v. 49. — [2] Joan., cap. XV, v. 7. — [3] *Rom.*, cap. V, v. 5. — [4] Psalm. XLIV, v. 3. — [5] *Tim. I*, cap. I, v. 5.

fectio per Spiritum sanctum hodie consummata, et omnium bonorum gratia distributa, tanto præsentem solemnitatem fecit gratiorem, quanto potioribus donis hanc esse præstitit ditiorem, quam, ut dictum est, tam fortitudine quam scientia peregit clariorem. Simul quippe Spiritus hodie adveniens, corda discipulorum et corroborat, ut dictum est, et illuminat, ut promissum est, eorum scilicet quæ Filius dixerat intelligentiam suggerendo, et omnem eos veritatem docendo. Cujus quidem adventum diligenter hodie descriptum audivimus, quum illud *Actuum Apostolorum* legeretur[1] : « Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparaverunt illis diversæ linguæ tanquam ignis, etc. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, etc. » Adventus Spiritus sancti in sono declaratur venti, quem ventum hoc loco dicit vehementem spiritum. Flatus quippe venti quum sit invisibilis, tamen est audibilis. Sic et inspiratione spiritus in discipulorum cordibus videri non poterat interius, sed exteriori auditu ex diversitate linguarum spiritalis gratiæ donum perpendebatur. Repentinus sonitus iste fuit, quia super humanam existimationem hujus inspirationis gratia crevit. Vehemens iste venti flatus dicitur, ut virtus verbi, hodie collata, contra quælibet obstacula vel humanæ sapientiæ rationes ostendatur valida. De qua quidem virtute verbi loquens Apostolus Corinthiis[2] : « Arma, » inquit, « militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum. » Et per semetipsam Veritas apostolorum corroborans animos, ne de imperitia sua contra sapientes seculi desperarent aut trepidarent, ait[3] : « Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. » Et alibi[4] : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. »

Recte igitur hæc impræmeditatæ responsionis per spiritum facienda suggestio præfiguratur hodie flatu venti repentino. De cœlo sonus fieri dicitur, quia de commotione aeris, quæ ventus dicitur, audiebatur sonitus, in typo videlicet summi Spiritus locuturi per apostolos linguis omnibus, sicut scriptum est[5] : « Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, etc. » Et attende quod non ait : sonus advenientis Spiritus, sed « tanquam advenientis, » ut quum in veritate corporalis sonus venti fuerit, quadam tamen similitudine sonum validum exprimeret præ-

[1] *Act. Apost.*, cap. II, v. 2. — [2] *Corinth. II*, cap. X, v. 4. — [3] Luc., cap. XXI, v. 14. — [4] Matth., cap. XIII, v. 11. — [5] Psalm. XVIII, v. 4.

dicationis futuræ : vel quamdam in cordibus factam vocem locutionis internæ, Spiritu scilicet suggerente interius, unde loquerentur exterius. Merito vehemens sonus ille dicitur quasi flatus fortissimus, ut videlicet designaret prædicationem apostolicam, non infra terminos unius Judææ, sicut prophetarum, esse concludendam, sed quasi per universum mundum flaturam et dilatandam. Flatus ille vehemens domum replet, non concutiendo vel impellendo subruit, quasi Spiritus sancti est supplere imperfecta, non destruere inchoata bona. Unde Veritas[1] : « Non veni solvere, » inquit, « legem, sed adimplere. » Et de hoc ipso adventu Spiritus, et de perfectione doctrinæ promiserat, dicens[2] : « Ille docebit vos omnem veritatem, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. »

Legimus ventum a Satana immissum, cum ruina domus quam concussit, filios et filiæ Job extinxisse[3], quia illius est perdere, non salvare, et destruere magis quam ædificare. Hic autem flatus venti nequaquam domum labefactat, sed incolumem conservatam intrat, et vehementis motus agitatione ignem concitans in aere, ipsam quam intrat illuminat. Ignis qui et splendet et calet, hoc flatu venti super apostolos generatus in aere, illuminatio mentis est, et flamma caritatis apostolorum cordibus hodie inspiratæ, et in superiore hominis parte, hoc est in animam, per spiritum factæ. Ignis iste in forma linguarum exterius apparuit, quia per verba prædicationis, quid intus scientiæ, quid caritatis habeatur, audientibus innotescit. Linguæ igneæ, hoc est de igni factæ memorantur, quum apostoli ex ipsa caritate qua fervebant, et scientia quam ob hoc acceperant, prædicare compulsi : his quoque duobus corda auditorum illuminaturi erant atque accensuri. Dispertitæ in se sunt linguæ, non solum pro diversitate earum, verumetiam pro discretione prædicantium. Sicut enim pro diversitate gentium diversis utendum est linguis, ita etiam pro qualitate auditorum prædicationem temperari convenit, ut parvulos lacte nutriamus, adultos pane reficiamus. Super sedentes in domo ignis ille apparens sedisse dicitur, quia super humilem et quietum spiritum suum requiescere Dominus testatur; et qui superbi sunt, divini amoris ignem suscipere non merentur. Hinc quoque bene illis insedisse dictus est ignis ille, quia percepta illa gratia cum eis erat perseveratura : sicut et antea Dominus de ipso spiritum promiserat dicens[4] : « Ut maneat vobiscum in æternum. » In una domo congregati spiritum perceperunt, quia quicunque non sunt de Ecclesia, sunt alieni a gratia. Unde et agnus paschalis in una domo comedi præcipitur, quia extra Ecclesiam veri sacrificii locus non habetur : et quicunque in arca non fuerunt, submersi diluvio perierunt. Jam juxta quædam dona Spiritum sanctum acceperant, quibus insufflans Veritas dixerat[5] : « Accipite

[1] Matth., cap. v, v. 17. — [2] Joan., cap. xiv, v. 26. — [3] *Job*, cap. I, v. 19. — [4] Joan., cap. xiv, v. 16. — [5] Joan., cap. xx, v. 23.

Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, etc., » sed repleti Spiritu sancto non erant, sicut hodie factum esse monstratur quum dicitur[1] : « Repleti sunt omnes Spiritu sancto. » Primo itaque quibusdam donis initiati, hodie cumulati sunt et consummati. De qua quidem repletione Spiritus quasi statim eructuantes, cœperunt loqui aliis linguis, sicut in græco habetur, quam antea fecerant. Nam sua propria lingua, id est hebraica, nequaquam tunc loqui incipiebant, sed aliis quas ignoraverant, pro diversitate scilicet hominum ex omni natione, quæ sub cœlo est, ad diem festum Jerosolymis congregatorum. De qua quidem diversitate linguarum, quo mirabilior habeatur, id quidam senserunt, ut quum omnes unius linguæ prolatione uterentur, singulis auditoribus propria cujusque lingua loqui viderentur. Sed hoc profecto nequaquam esset loqui aliis linguis, sed videri aliis loqui; nec veritas esset linguarum, sed opinio deceptorum hominum : nec de linguis quidquam esset apostolis collatum, sed de intelligentia auditoribus inspiratum. Falsum denique et illud esset quod ab auditoribus dicebatur[2] : « Audivimus eos loquentes linguis nostris. » Si enim locutio linguarum non erat, sed videbatur, falsum est eos audisse in illis verbum quod non erat in ipsis.

Non solum igitur de intelligentia interioris verbi, verumetiam de pronuntiatione soni hodie sunt instructi, ne quid desit in ulla gratia. Unde præsens solemnitas quanto multipliore gratia fit prædita, tanto majore devotione est celebranda, et omnium linguarum laudibus honoranda, quando ad prædicandum gentibus universis genera omnia linguarum apostolis sunt collata. Atque utinam vos, sponsæ Christi gloriosæ, quibus, ut supra meminimus, hæc solemnitas specialiter incumbit celebranda, omnium linguarum generibus divinas in ea laudes resonare possetis! Quod quia non sufficitis, vel hoc saltem efficite, ut doctrinæ trium principalium linguarum, quibus duo Testamenta conscripta sunt, et dominicæ crucis titulus insignitus, operam dantes, aliquid amplius quam cæteri fideles his festivis addatis præconiis. Quod et ipse Spiritus ad honorem sui vobis suggerere dignetur, qui, ubi vult spirans, sive sono docet interius, sive calamo scribit in mentibus, nec moras patitur in docendo, nec dilationem habet in scribendo. Ipse infirmitatem vestram in sancto roboret proposito, qui hodie apostolos induit ex alto. Ipse fictilia vasa vestra, et luteam adhuc crudam testam igne divini amoris excoquendo solidet, quo discipulorum corda hodie replevit. Ipsum sponsus vester Dominus Jesus Christus vestris semper mentibus inspiret, et tanquam arrham desponsationis et spiritale pignus dotis vobis custodiat, ut sicut apostolis promisit, maneat vobiscum in æternum. Amen.

[1] *Act. Apost.*, cap. II, v. 4. — [2] Ibid., v. 11.

IN FERIA SECUNDA PENTECOSTES.

SERMO XIX.

Maximam apud vos festivitatem Pentecostes quanto majore studio celebrare nitimini, tanto pluribus exhortationum sermonibus ad hoc cupitis incitari. Octo itaque diebus eam celebrantes, in singulis istis singulos exigitis sermones. Quod ut perficere queam, hoc ab ipso Spiritu mihi vestris precibus impetrate. Et quoniam juxta dominicam assertionem, scriba doctus in regno Dei similis est homini, qui profert de thesauro suo nova et vetera, hanc imperitia mea doctrinam quantum valet, cupiens imitari, de Novo Testamento ad Veteris testimonia stylum convertere curat : ut eo gratior hæc solemnitas habeatur, quo ejus dignitas amplius commendatur. Hanc itaque sancti Spiritus tam gloriosam solemnitatem per eumdem Spiritum Psalmista prævidens, eamque, ut oportet, Ascensioni dominicæ copulans, ad ejus jucunditatem celebrandam nos vehementer admonens, quodam loco ait[1] : « Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino. Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad orientem. Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel : magnificentia ejus et virtus ejus in nubibus. Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel : ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ benedictus Deus. » Divino itaque spiritu illuminatus Psalmista etiam post ascensionem Domini, descensionem ejusdem Spiritus mirabilem, et gratiam in nationes universas effusam, nec jam ut ante in Judæa Deum intelligens, universa regna jam per hanc gratiam Deo acquisita, ad ipsum glorificandum invitat, dicens : « Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino, » hoc est : Universæ gentes, quæ jam a servitute diaboli liberatæ regnare cœpistis, glorificate super hoc Deum voce cantando, ac simul operatione psallendo. Ac ne Deum negaremus, quem juxta humanitatem assumptam, localem vel mobilem audiremus : « Ipsi, » inquit, « psallite qui ascendit, etc. » Superius quidem dixerat : « Iter facite ei qui ascendit super occasum. » Nunc vero dicit : « Qui ascendit super cœlum cœli ad orientem. » Prius itaque de resurrectione, sicut primum facta est, illud dixit; nunc vero de ascensione hoc subjungit. Occasum itaque veri solis corporalem ejus obitum dicit, de quo ipse dixerat[2] : « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, etc. » Super hunc igitur occasum ascendit, quando de morte resurrexit, more videlicet solis, qui post occasum conscendit ad ortum. Ita ei

[1] Psalm. LXVII, v. 33 et seq. — [2] Joan., cap. XII, v.

faciunt discipuli, qui se dignos præparant, eum confidenter expectando, ut, sicut promiserat, ad eos resuscitatus redeat.

Quod autem hic dicitur : « Qui ascendit ad orientem, » potest Psalmista non incongrue dicere secundum loci positionem. Ipse quippe mons Oliveti, de quo Dominus ascendit in cœlum, civitati Jerusalem assistere dicitur versus orientem. Potest quoque intelligi quod, ubicunque mons ille fuerit, Dominus ad orientem ascenderit, si facie sua illuc versa, hoc egerit. Qui enim ad occasum dorsum habet, faciem ad orientem intendit. Ei autem post dorsum, jam omnino erat occasus, quia resurgens a mortuis, ultra non moritur, nec amplius ad illum quem sustinuit occasum est rediturus. Super cœlum cœli conscendit quia celsitudinem ætherei, quæ aerio præminet transcendit. Quid autem post ascensionem suam, misso Spiritu sancto, discipulis sit facturus, consequenter adjungitur : « Ecce dabit voci suæ vocem virtutis. » Vocem suam, hoc est propriam Dei locutionem dicit internam ejus inspirationem, quæ hodie per Spiritum plenior facta est, quum sine sono interius omnem eos veritatem docuerit. Huic autem interiori locutioni quum per eumdem Spiritum exterioris locutionis diversa sint genera addita, quasi divinæ voci, quæ interius fit, vox humana est adjuncta : ut videlicet verbum mente conceptum interius, per audibile verbum proferatur aut manifestetur exterius, et ita voci divinæ vox humana datur; ut quod Deus inspiratione sua intus nobis loquitur, nos prolatione nostra homines doceamus. Bene itaque dicit : Domino ascendente, quia voci suæ per Spiritum, ut dictum est, in apostolis factæ, dabit etiam vocem prolationis humanæ; ut quod recte senserunt, congrue quibuslibet proferre ac disserere possint. Quam insuper vocem virtutis dicit, quæ hodie super apostolos vento præfigurata est vehementi, sicut in hesterno sermone meminimus. Virtutem prædicatio habet, et valida est, quum quis quod dicit disserere sufficit, ut confutari non possit, vel quum animo præstanti prædicat, nec timore aliquo, veritatem; vel quum ea, quæ prædicat, moribus non oppugnat, nec conscientia reprobæ vitæ erubescentiam timet de prædicatione. Quæ omnia in apostolis clarum est præminere, ut eorum prædicatio vox virtutis merito dicenda sit. Ipsis quippe Dominus promiserat[1] : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii. » Os scilicet ad loquendum, sapientiam ad intelligendum, vel quid cui dicatur, quando et quomodo discernendum. Scriptum et de ipsis est, quod cum fiducia verbum Dei prædicarent. Qui etiam quam religiosæ vitæ essent, vel quanta sollicitudine providerent, ne turpitudine suæ vitæ adulterarent, aut infamarent verbum Dei, unus eorum testatur, dicens[2] : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte quum aliis prædicaverim, ipse

[1] Luc., cap. XXI, v. 15. — [2] *Corinth. I*, cap. IX, v. 27.

reprobus efficiar. » Et attende quod quum dicit in his, quos Spiritus sanctus replet, interiori verbo exterius conjungi, patenter eos a dæmoniacis secernit. Quos enim dæmonia replent, et torquendo in insaniam vertunt, verba eis tantum, non sensum ministrant, et caliginem fumi potius quam splendorem ignis mentibus eorum immittunt. Spiritus autem sanctus quum in electis loquitur, primum intus illuminat ipsos, quam exterioribus eorum verbis alios. Unde bene hoc loco voci divinæ, ut dictum est, vox humana dicitur addita, ut quod per inspirationem aliis nuntietur. Nec tamen ideo credendum est, ut quotiens per prophetas Spiritus sanctus locutus est, quidquid in verbis illis intellexerit, hoc totum eis per quos loquebatur inspiraverit : sed modo unum tantummodo, fortassis plures quos ibi providebat sensus haberi, eis revelabat. Unde quum aliquam prophetiam varie a doctoribus exponi videmus, nequaquam necesse est ut omnes illos sensus ibi prophetam habuisse credamus : sed quidquid ibi convenienter intelligi potuit, Spiritus præscivit. Sicut ergo dives aliquis per œconomum suum diversis artificibus proprium tradit aurum, ut diversa ei faciant ornamenta : ita et Spiritus per prophetas sua nobis tradit eloquia diversis sententiis referta, quæ quum diversis exponimus modis, quot inde sententias producimus, quasi tot opera de una materia fabricamus.

« Date gloriam Deo. » Regna terræ, quæ superius ad cantandum et psallendum Deo invitaverat, rursum ad glorificandum ipsum adhortatur ea, ut de tanta his diebus collata gratia uberiorem laudum dent gloriam Deo. Tanto enim hæc gratia ubique terrarum est amplius prædicanda, quanto ipsa ubique melius est operanda, et per eam universa Deo sunt acquisita regna, et de regno diaboli in regnum Christi translata. Quod quidem per quos factum sit, consequenter adjungit, dicens : « Magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus. » Ac si diceret : Inde date gloriam Deo, quia ipse nubibus suis; id est apostolis, magnificentiam et virtutem dedit, per quem vos in regnum suum converteret. Nubes de imo surgunt in altum, et de alto imbrem emittunt, quo irrigata terra fructificat, et sedentes apostoli Spiritum perceperunt; quia humilibus Deus dat gratiam, et superbis resistit semper. Per hanc gratiam hodie in virtutibus sublimati, et uberioribus donis magnificati, tanquam de alto terram compluunt, dum divini eloquii verbis corda terrenorum hominum omnium linguarum generibus loquentes erudiunt. Quos itaque Deus sic magnificavit, et in tantas virtutes tot donis ipse promovit, recte magnificentiam et virtutem eis contulisse dicitur, quos et miraculis coruscare, et tam verbi quam animi virtute fecit præminere. De quibus adhuc subditur[1] : « Mirabilis Deus in sanctis suis, » per quos videli-

[1] Psalm. LXVII, v. 36.

cet majora quam per semetipsum operari dignatus est, tam miraculorum exhibitione quam prædicationis operatione, tanquam spiritu Eliæ Elisæo geminato. Unde et eis promiserat, dicens[1] : « Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet. » Scimus et primogenitum fratrem, id est Christum, quasi sine liberis defunctum, et fratres ejus, id est apostolos, sponsam ejus, id est Ecclesiam suscepisse, et in ea prolem filiorum innumeram generasse, et ab his deinceps diebus universum mundum collegisse.

Unde quantum hujus solemnitatis gratiæ mundus debeat, semper attendat, ad quem undique colligendum collata sint modo universa genera linguarum. Intueamini universas Christi solemnitates ab ipsa ejus Nativitate usque ad Ascensionem, et quid tunc mundus perceperit huic gratiæ comparate, et longe cæteris hanc festivitatem videbitis præminere. In hac quippe centum viginti discipulis in cœnaculo congregatis Spiritus sanctus infusus, per ipsos eadem die circiter tria millia hominum lucratus est. Quod quidem ut fieret, dispersos olim sub Antiochi persecutione Judæos de universis nationibus Jerosolymis in præsenti festivitate congregaverat; quod nunquam in alia festivitate legimus factum esse. Ex quo etiam liquet, quantum ad præsentem gratiarum festivitatem populi undique convenire debeant, qui spiritalis gratiæ dona desiderant. Hæc una festivitas ubique terrarum Ecclesiam dilatavit, et cum ipsa pariter divinas solemnitates per universum mundum plantavit celebrandas, et omnium linguarum generibus laudes Dei dispersit; ut hinc appareat quantum huic festivitati cæteræ omnes sint obnoxiæ, per hanc videlicet ubique terrarum disseminatæ. Unde et ad hujus diei præconia quum promissum sit, « mirabilis Deus in sanctis suis, » et ut dictum est, quodammodo in eis mirabilior quam in semetipso, statim annexuit, unde nunc maxime mirabilis apparuit : « Ipse, » inquit, « dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ. » Plebem quippe suam discipulos dicit, illitteratos, rusticanos, de humili plebe assumptos, per quos mirabile est tanta eum operari. De quibus unus eorum Corinthiis scribens, et reprobatis sapientibus et potentibus sæculi, tales idiotas et impotentes eligi considerans, ait[2] : « Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare. Non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens, ubi scriba, ubi inquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam Judæi signa

[1] Joan., cap. XIV, v. 12. — [2] *Corinth. I*, cap. I, v. 17.

petunt, et Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus ut confundat sapientes, et ignobilia et contemptibilia mundi elegit Deus et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. » Non enim mirabile esset si super potentes vel sapientes sæculi magna operaretur, quod humanæ virtuti potius quam divinæ ascriberetur. Unde bene, sicut hic dicitur, ipse Deus Israel, qui videlicet antiquum populum elegit; ipse, inquam, non alter aut recens Deus. His plebeiis et pauperibus viris de populo eodem assumptis, et nunc virtute ex alto indutis, dabit virtutem verborum contra sæculi sapientes, et fortitudinem animorum contra potentium impugnationes. « Benedictus Deus, » subaudis : sit, hoc est ab omnibus glorificatus et laudatus, qui per tales talia operatus est his diebus. Amen.

IN FERIA TERTIA PENTECOSTES.

SERMO XX.

Hesternum sermonem ex testimoniis sexagesimi septimi psalmi collegimus. Nunc autem ad septuagesimum psalmum convertentes stylum, juvat hinc quoque hujus solemnitatis præconium subinferre. Scriptum ibi est[1] : « Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph. Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi. Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, etc. » Ad Deum Psalmista loquitur, prævidens in Spiritu, quæ per eumdem Spiritum his diebus apostoli mirabilia sunt operati : « Notam fecisti, » inquit, « in populis multis virtutem tuam, » illam videlicet quam apostolis promiserat, dicens[2] : « Vos autem sedete in civitate donec induamini virtute ex alto. » Atque ita in bracchio tuo, hoc est, in illa virtute vel fortitudine redemisti populum tuum a servitute

[1] Psalm. LXXVI, v. 15. — [2] Luc., cap. XXIV, v. 49.

scilicet peccati, liberasti per spiritum videlicet datum : de quo dicit Apostolus[1] : « Ubi spiritus Domini, ibi libertas. » Quisquis enim ex caritate, quæ per Spiritum sanctum infunditur, potius quam ex timore Deo servit, amicus potius quam servus dicendus est, et liberum, non coactum impendit obsequium. « Filios Jacob et Joseph. » Quum superius dixisset populos secundum multitudinem hominum, vel diversitatem terrarum, aut regionum; et nunc adjecisset populum secundum unitatem fidei, vel dilectionis vinculum, quomodo et diversas Ecclesias et unam diximus, ne videretur populi nomine aut judaicum tantum, aut gentilem accipere, addit : « Filios Jacob et Joseph, » id est posteros tam judaici quam gentilis populi, ut videlicet in Ecclesia duo parietes, ad unum angularem lapidem, id est Christum jungerentur. Jacob quippe supplantator Esau, qui eum hæreditate sua privavit, judaicus est populus, qui expulso gentili terram promissionis obtinuit. Joseph vero, qui *augmentum* interpretatur, gentilis est populus, qui sicut multitudine hominum transcendit judaicum, ita et numero conversorum fidelium magnum Ecclesiæ dedit augmentum. Paucos quippe vel nullos ex Judæis comparatione gentilium Ecclesia continet. Quod quidem augmentum Ecclesiæ de conversis gentibus statim prosequitur, dicens : « Viderunt te aquæ, Deus, » hoc est, credendo te intellexerunt populi nationum, qui prius quasi aqua omni vento doctrinæ circumferebantur, nec quidquam certitudinis quid sequi deberent ex lege didicerant. De quibus in *Apocalypsi* scriptum est : « Aquæ populi multi. » De quibus adhuc subditur, quia viso Deo timuerunt, non tam videlicet servili timore, quam pro communicatione pœnarum, quam casto vel filiali ejus quem diligunt offensam præcaventes. « Et turbatæ sunt abyssi, » hoc est profunditates sæcularis philosophiæ, quæ prius quasi limpidissimæ aquæ videbantur, et gratissimum habebant haustum, quasi turbatæ ac cœnulentæ viluerunt, comparatione simplicitatis evangelicæ.

« Multitudo sonitus aquarum, » subaudi vocem : dedit. Et quare? quia « vocem dederunt nubes. » Multus quippe sonus divinæ laudis resonat in conversis populis, voce nubium, id est prædicatione apostolorum edoctis. « Etenim sagittæ tuæ[2], » o Deus, per has nubes de Judæa transferuntur ad gentes. Sagittæ quippe sunt verba evangelicæ prædicationis, quæ quasi quibusdam divini amoris jaculis corda vulnerant auditorum, sicut in *Cantico* sponsa dicit[3] : « Vulnerata caritate ego sum. » Et hæ quidem sagittæ prius in Judæa tanquam in pharetra tenebantur conclusæ, donec, Judæis Evangelium repellentibus, transierunt ad gentes apostoli, sicut unus eorum ad ipsos ait[4] : « Vobis oportebat primum prædicare

[1] *Corinth. II*, cap. III, v. 17. — [2] Psalm. LXXVI, v. 18. — [3] In *Cantico Canticorum* hæc tantum leguntur, a nostro Abælardo non ita bene, ut videtur, detorta : « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum. » (Cap. IV, v. 9.) — [4] « Vobis oportebat primum loqui Verbum Dei, sed quoniam repellitis illud et

verbum Dei; sed quia vos repulistis illud, ecce convertimur ad gentes. » « Vox tonitrui, » hoc est, de supernis per Spiritum in apostolis facta per totum orbem est dilatata. Et quia de his scriptum est, quod[1] « profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante sequentibus signis; » tonitruo illi verborum coruscationes sunt additæ miraculorum. De quibus nunc dicitur[2] : « Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ. » Et quoniam infideles magnitudine signorum magis quam auctoritate Scripturarum moventur ad fidem, visis coruscationibus commota est terra; quia miraculorum admiratione terrena hominum corda de pristina infidelitate sunt mutata. Atque ita Deus petit habere in mari vias, et in aquis semitas : quum videlicet a Judæa tanquam a propria terra recedens, et gratiam suam gentibus impertiens, uno reprobato populo, multos acquisivit. Mare majus est aquis et amaritudine plenum : et vita conjugatorum quæ multos capit, et curis sæculi est implicita, quot molestias sustinet, tot amaritudines habet. Via latior est quam semita, et vita conjugatorum laxior est quam continentium. Venire autem ad nos, sive propinquare Deus dicitur, ut nos ad se trahat, quum bonorum operum nobis affectum inspirat. Per vias igitur incedit in mari, quia laxiora opera habet in non conjugatis, sicut strictiora in continentibus quæ semitis operantur. Et hæc quidem vestigia Domini in gentibus non cognoscentur, ut videlicet de peculiari populo suo judaico gratiam suam ad gentes transferat, et sic eo derelicto, ad gentes transeat, quia nullus eo tempore id potuit prænoscere. Unde et ipse apostolorum princeps quum adhuc de vocatione gentium per prædicationem suam facienda certus non esset, vase quodam omni genere reptilium pleno per visum sibi ostenso, de hoc ipso admonetur atque docetur[3]. Cur autem hæc vestigia Dei in gentibus ignorarentur, ut cæcitate facta in Israel gentes illuminarentur, fine psalmi concluditur. Ac si videlicet diceret : Ideo ab homine prænosci non potuit, ut reprobatis Judæis, gentes illuminarentur, quia illum priorem populum quasi gregem proprium semper habueras, cui Moysen et Aaron tantos pastores deputaveras, et tantam manum in gentibus delendis propter illum exercueras, et hoc est quod ait : « Deduxisti, etc., » de Ægypto videlicet eum adducens, et in terram repromissionis inducens, sub regimine et ducatu Moysi ducis et Aaron sacerdotis.

indignos vos judicatis æternæ vitæ, convertimur ad gentes. » (*Act. Apost.*, cap. XIII, v. 46.) — [1] Marc., cap. XVI, v. 20. — [2] Psalm. XCVI, v. 4. — [3] *Act. Apost.*, cap. XI, v. 5, 6.

IN FERIA QUARTA PENTECOSTES.

SERMO XXI.

Quid etiam Amos propheta, imo ipse Spiritus per eum in hujus solemnitatis suæ præconio dixerit audiamus [1] : « Dominus, » inquit, « Deus exercituum, qui tangit terram, et tabescet; et lugebunt omnes habitantes in ea. Et ascendet sicut rivus amnis, et defluet sicut fluvius Ægypti. Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundabit. Qui vocat aquas maris, et effundet eas super faciem terræ. Dominus nomen ejus. » Exercitus Dei, quibus ipse præsidet, tanquam principes, et aerias debellat potestates, castra illa sunt angelorum vel fidelium hominum, quæ plerumque Scriptura commemorat. Refert *Genesis* [2] quod de Mesopotamia Jacob in terra Chanaan ad patrem revertenti, fuerunt obviam angeli Dei, tanquam in protectionem ipsius milites missi. Quos quum vidisset, ait : « Castra Dei sunt hæc. » Et appellavit nomen loci illius *Manahim*, id est castra. Ecclesiam quoque in castrorum aciem ordinatam, tanquam in præcinctu belli procedentem, *Canticum Canticorum* describit [3] : « Militia est vita hominis super terram. » Tanquam in castris semper militant, qui minime pacem hic habentes contra diabolicas tentationes vel impetus carnis, aut impugnationes iniquorum hominum, jugem pugnæ sustinent conflictum : in agone illo vel pugna constituti, de quo Apostolus ait [4] : « Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. » Et rursum [5] : « Sic pugno, non quasi aerem verberans. » Et iterum in alia ejus epistola [6] : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. » Sed ut horum Deus exercituum proprio exemplo nos pugnare doceret, et vincere daret, sicut ipse promittens ait [7] : « Confidite, ego vici mundum. » Terram tetigit, sicut prophetica lectio nunc ait, dum terrenæ substantiæ nostræ naturam in unam sibi univit personam primo de Spiritu sancto in Virgine conceptus, et postmodum ex ea natus. Unde et ad Spiritus sancti gratiam commendandam, per quem ille quoque factus est conceptus in nostræ redemptionis exordium, bene hic videmus prophetam exorsum, et narrationem suam in beneficiis divinis deinceps perducere, usque ad missionem ejusdem Spiritus factam in præsenti tempore. Ab illo

[1] Amos, cap. IX, v. 5. — [2] *Genes.*, cap. XXXII, v. 1. — [3] *Job*, cap. VII, v. 1. — [4] *Corinth. I*, cap. IX, v. 25. — [5] Ibid., v. 26. — [6] *Ephes.*, cap. VI, v. 12. — [7] Joan., cap. XVI, v. 33.

quippe dominicæ conceptionis exordio, quo, ut expositum est, terram tetigit, ita diligenter quid id hac terra egerit, comprehendere curavit, ut nec mortem ipsius, nec resurrectionem, nec ascensionem prætermittens, ad excellentiam festivitatis hodiernæ commendandam perveniret. Congruo quidem ordine tanquam a capite ad membra per mirabilem sancti Spiritus operationem deducens, quum ipse scilicet, cujus operatione conceptus est, Dominus apostolici virtutem consummavit exercitus.

Tria itaque a Domino tacta quodammodo tabescunt, dum ab ipso humanitas assumpta usque ad dissolutionem perducta est mortis. Unde et ipsemet de hac dissolutione mortis ad Patrem ait[1]: « In pulverem mortis deduxisti me. » Et quia de morte ipsius maxime contristati apostoli fuerunt, hanc maximam eorum justitiam luctum appellat propheta, quum subjungit : « Et lugebunt omnes habitantes in ea. » De quo etiam luctu quasi vespertino, ante matutinam resurrectionis ejus lætitiam, Psalmista prædixerat[2]: « Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. » In terra quasi tabescente fideles habitant, dum in assumptæ humanitatis morte spem suæ redemptionis collocant. Quam videlicet spem nequaquam retinerent, nisi dé mortis casu conscenderet resuscitatus. Unde et subditur : « Et ascendet sicut rivus amnis, et defluet sicut fluvius Ægypti. » Rivus quandiu in alveo suo conclusus cohibetur, nec se erigens alveum excedit, nequaquam terras circumjacentes irrigare valet. Quasi ergo de alveo vivus amnis ascendit, quum incarnata Dei sapientia de ipso mortis loco, quo depositus fuerat, hoc est de sepulcro resurgit. Tunc circumjacentem terram irrigat ut fructificare possit, dum desperata prius discipulorum corda fide corroboravit; ut spe futuræ beatudinis, quam eis resurgens exhibuit, bonorum operum fructus proferant. Quod autem rivum amnis prius appellavit, consequenter fluvium Ægypti nuncupans, diligenter describit congrua parabola illi fluvio Ægypti, qui Nilus appellatur, Dominum comparans. De hoc quippe fluvio, et singulari quadam ejus natura Beda in libro *de Natura Rerum* ita meminit[3]: « Nilo flumine pro pluviis utitur Ægyptus, propter solis calorem imbres et nubila respuens. Mense enim maio, dum ostia ejus quibus in mare influit, zephyro flante, undis ejectis, arenarum cumulis præstruuntur, paulatim intumescens, ac retro propulsus, plana irrigat Ægypti. Vento autem cessante, ruptisque arenarum cumulis, suo redditur alveo. » Nilus itaque de paradiso manans ipsa Dei sapientia est de supernis descendens, ut nos de fonte vero potaret, et hujus mundi Ægyptum, id est tenebras ipsa carnis assumptæ præsentia illustraret, de qua scriptum est[4] : « Erat lux vera, quæ illuminat, etc. » Hic fluvius per septem ostia in mare dicitur defluere. Quæ scilicet ostia dum, vento flante, arenis

[1] Psalm. xxi, v. 16. — [2] Psalm. xxix, v. 6. — [3] Cap. xliii, *Opp.* t. II, p. 36. — [4] Joan., cap. i, v. 9.

obstruuntur, refluxum habent in terram, habent non liberum exitum in mare. Sic post resurrectionem Domini, antequam septiformis gratia Spiritus effunderetur in magnum mare nationum, quibusdam quasi arenis, vento flante, obstruebatur fluvius iste; dum metu Judæorum apostoli compressi, de Judæa, in qua erat facta cæcitas, tanquam de Ægypto egredi non permittebantur, ut de hoc fluvio per prædicationem suam gentes reficerent. Quid enim ventus, nisi diabolica suggestio? Quid arenæ, nisi qui influxu sæculi per concupiscentiam terrenorum huc illucque defluunt? Vento itaque flante, arena cumulata fluvium obstruit, dum cupiditas Judæorum locum vel gentem amittere metuens, apostolicam compescit prædicationem. Sed hoc postmodum metu de cordibus eorum per Spiritum sanctum expulso, ruptis arenis, libere fluvius in mare defluit, dum ad gentes de Judæa prædicatio apostolica, omni timoris obstaculo repulso, constanter exivit, sicut unus eorum intrepidus ait : « Vobis oportebat primum prædicare verbum Dei : sed quia vos indignos æternæ vitæ judicastis, ecce convertimur ad gentes. » Quia tamen dum in Judæa tenebantur conclusi, nequaquam a fructu prorsus erant vacui, quum ibi quoque nonnullam hominum multitudinem Deo lucrarentur, prædictus fluvius, id est Christus, quodam ibi suo refluxu fructificavit, antequam in immensum mare gentium defluens ecclesiam undique colligeret.

Ascensum itaque fluvii Ægypti refluxum expositum in Judæam dicit, ac deinde ordine congruo defluxum ejus in universum mundum ad corda gentium irroranda supponit. Quod quum nonnisi post ascensionem Domini, et Spiritus sancti adventum constet esse factum, recte de utrisque subditur : « Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundabit. » Non ait solummodo « qui ascendit in cœlum, » sed « qui ædificat in cœlo ascensum suum; » ut non transitoria hæc ejus ascensio intelligatur, tanquam ad conversationem terrenam ipse iterum revertatur, sed absque hujusmodi reversione firmam ibi deinceps habeat mansionem. Fasciculum suum jam in cœlo consistens super terram fundavit, quum ipso Spiritu sancto corda discipulorum adhuc dissoluta, et timore mortis titubantia, nec ulla fortitudine animi solidata, per Spiritum sanctum in modum fasciculi tam sibi quam invicem summæ caritatis vinculo astrinxit, et sic etiam super terram eos fundavit, hoc est in omnibus confirmavit bonis, ut ipsi etiam in Ecclesia quædam aliorum fierent fundamenta, juxta illud quod de ipsa prædixerat Psalmista[2] : « Fundamenta ejus in montibus sanctis. » Aquas autem maris salsas esse constat. Et amplius bene ait[3] : « Vos estis sal terræ, » quo videlicet terrena corda condienda sunt, et vestra

[1] *Act. Apost.*, cap. XIII, v. 46. — [2] Psalm. LXXXVI, v. 1. — [3] Matth., cap. V, v. 13.

prædicatione quasi quodam sale sapientiæ in bonis moribus componenda. Aquæ itaque hujus salis verba sunt apostolicæ prædicationis. Istæ aquæ a Deo vocantur, et super terræ faciem effunduntur, dum apostoli Christi ad officium prædicationis ab ipso vocati admittuntur, non more pseudoapostolorum per se veniunt, quales quidem Veritas arguens dicit[1] : « Omnes quotquot venerunt, fures fuerunt et latrones. » Tanquam si diceret : Venerunt per se, non missi a me. Vocat itaque Dominus aquas maris, dum apostolicæ prædicationis verba in omni genere linguarum, et per universum mundum dirigit. Et hæc non solum super terram, verumetiam super faciem terræ fudit, dum non solum exterius sonant, verumetiam intellecta mentem intus illuminant. Per faciem quippe, qua unusquisque cognoscitur, non incongrue notitia designatur. Super terram itaque verba fiunt, sed usque ad faciem non pervenerunt, quum ænigmata legis vel prophetiarum velamen habent in littera, non appertionem in intelligentia evangelica vel apostolica doctrina, quia non ita mysticis referta est verbis : super terræ faciem effunditur, dum quæ proferuntur, intellecta cognoscuntur. Quis vero iste sit, qui hæc tanta peragit, competenter subdit : « Dominus nomen illi. » Quem quum simpliciter Dominum vocat, nec quorum sit determinat, generale ipsius dominium, et universale innuit imperium, quo cuncta regit atque optime disponit in sæcula sæculorum. Amen.

IN FERIA QUINTA PENTECOSTES.

SERMO XXII.

Tam ipsum diem Paschæ quam Pentecostes dono Spiritus sancti legimus insigniri, ut non solum hanc, verumetiam illam solemnitatem, quæ præcipuæ habentur, ad honorem quoque Spiritus sancti referendas esse sciamus. Ut enim Joannes commemorat[2], « quum esset sero die illo, et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio eorum, et dixit eis : « Pax vobis. » Et quum hæc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dicit ergo eis iterum Jesus : « Pax vobis, sicut misit me Pater, et ego mitto vos. » Hæc quum dixisset, insufflavit et dixit illis : « Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, re-

[1] Joan., cap. x, v. 8. — [2] Ibid., cap. xx, v. 19 et seq.

mittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt. » Et quidem actum esse constat in extremæ ejus apparitione illarum quinque quas illo die legitur habuisse, videlicet quinta vice apparens, tunc Spiritum daret in terra, quem postmodum de cœlo missurus erat, quinta de eadem completa. Quam quidem missionem, et supremum Spiritus sancti adventum, quem nunc colimus, ipse antea promiserat. « Ego, » inquit Veritas[1], « veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. » Quæ est ista, obsecro, necessitas, ad Spiritus sancti adventum, ut prius abire oporteat Christum? Nunquid in terra consistens, eum dare non poterat, cujus plenitudinem ipse semper habebat? Quid causæ extitit, ut in cœlum ascenderet, tanquam missurus Spiritum de longinquo, quem dare poterat de proximo? Non enim localis est Spiritus non solum divinus, sed nec humanus, nec more corporum spiritalis natura moveri habet de loco ad locum. « Cœlum, inquit Deus, et terram ego impleo[2]. » Et sicut Veritas ait[3] : « Spiritus est Deus, » qui « ubi vult spirat, dividens singulis prout vult. » Cujus immensitatem et divinitatis potentiam locis omnibus præsidentem Psalmista conspiciens, ad Dominum ait[4] : « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades. » Ac si aperte dicat : Si summa tua bonitas, de quo illud est[5] : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, » meis te peccatis iratum reddiderit, quo mihi patebit a præsentia tua locus fugiendi? vel[6].... tua abditus abscondendi? Quem statim per hanc incircumscripti spiritus sui majestatem ubique conspiciens præsentem, adjecit : « Si ascendero in cœlum, etc. » Tanquam si diceret : Nullus mihi tutus locus refugii, tam in supernis quam in infimis, quum me persequi decreveris, quum ad quælibet agenda tibi sint cuncta loca præsentia. Denique et in ipso die resurrectionis, ut jam supra meminimus, Spiritum sanctum ab eo apostolis datum esse novimus.

Qui ergo jam dederat in terra spiritum, quid ad eum iterum dandum necesse fuit eum ascendere in cœlum, tanquam eum ibi reperiret, quem in terra non haberet, aut inde illum mitteret, quem in terra jam sicut prius de se insufflando dare non posset; adeo, inquam, necesse fuit ut diceret : « Nisi ego abiero, etc. ? » Aut fortassis hæc missio Spiritus superior fuit ac major, ut de cœlo danda esset, quam illud prædictum donum in remissione peccatorum per insufflationem apostolis in terra collatum. Revera longe superior et eminentior dignitate, si diligenter et illud donum discernere valeamus. Ibi quippe potestas illa collata

[1] Joan., cap. XVI, v. 7.—[2] Jerem., cap. XXIII, v. 24. – [3] Joan., cap. III, v. 8.—[4] Psalm. CXXXVI, v. 7.—[5] Psalm. XLIV v. 8. – [6] Locus corruptus.

est apostolis, quæ omnibus eorum vicariis, hoc est episcopis, creditur esse communis, in remittendis scilicet vel retinendis aliorum peccatis. Hæc vero Spiritus sancti gratia, quæ die Pentecostes apostolis est infusa, quanto magis est rara, tanto amplius pretiosa. Quid enim illæ igneæ linguæ super apostolos apparentes, nisi summam hominis exprimunt perfectionem in tribus consistentem? tribus his, inquam, quæ in omnibus bonis hominem consummant. Hæc vero ita sunt: Illuminatio mentis, ne simplicitas eorum ullis deinceps oberraret infidelitatis tenebris, sicut et ipse Dominus eis promittens, ait[1]: « Quum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. » Sed quia, ut beatus meminit Petrus[2], melius est non nosse viam veritatis, quam post agnitam retrorsum abire, post fidei lucem necesse est infundi charitatis ardorem, ut quæ jam agenda esse per Deum novimus, per ejus amorem implere studeamus, qui Spiritus sanctus intelligitur. Unde et Apostolus[3]: « Charitas, » inquit, « Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » Ignis itaque, in quo dispertitæ apparuerunt linguæ, quia ex propria natura tam lucem habet quam calorem, duas prædictas gratias tam de illuminatione fidei, vel saluberrimis documentis, quam de inflammatione charitatis diligenter exprimit. Forma vero linguarum, quæ dispertitæ memorantur, prædicatio est futura, non uno genere linguæ, non in una parte per apostolos proferenda, ut non solum sibi, sed omnibus vivant. Duæ quippe priores gratiæ hominem in se moribus consummant, et beatitudine dignum efficiunt. Sed quia adhuc prædicare non sufficit, quasi sibi tantum ad hoc proficiens non aliis vivit. Etsi enim præcepta Dei jam tenet in vita, quia tamen aliis prædicare non sufficit illa, nondum magnus est in regno cœlorum, juxta illam Domini sententiam[4]: « Qui autem fecerit et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. » Nullus quippe in Ecclesia major est, quam qui præcepta Dei vivendo custodit, et ad imitationem sui alios prædicando trahit. Quid ergo de apostolis æstimandum est, quorum prædicatione non pars una terrarum, sed universus mundus conversus est ad Deum? Quæ divinæ dona largitatis huic, quam diximus, eorum trinæ gratiæ poterit comparari? Quam quidem ut apostoli mererentur accipere, in cœlum primitus Dominum oportebat ascendere, et sic eis ibi locum quodammodo conversationis, sicut ipse promiserat, parare. Unde et Paulus[5]: « Nostra, » inquit, « conversatio in cœlis est. » Illuc ergo Christus conscendit opere, ut eum apostoli sequerentur mente, et tanto ardentius appeterent esse, quod Dominum suum noverant præcessisse. Unde et prædictus apostolus nos adhortans ait[6]:

[1] Joan., cap. XVI, v. 7. — [2] *Epist. II*, cap. II, v. 21. — [3] *Rom.*, cap. V, v. 5. — [4] Matth., cap. V, v. 19. — [5] Phil., cap. III, v. 20. — [6] *Coloss.*, cap. III, v. 1.

« Quæ sursum sunt, quærite; ubi Christus est in dexteram Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. » Ut enim beatus meminit Hieronymus, nihil majus potest parari servo, quam esse cum Domino. Et profecto quisquis præsentiam alicujus plurimum diligit, majoribus in absentem desideriis inardescit. Abire ergo in cœlum eum oportuit, ut Spiritum mitteret, quia recedendo ab eis, quanto amplius ad sequendum se desideria ipsorum accendebat, tanto perceptione majoris gratiæ dignos eos efficiebat. Bene prius spiritum quo peccata dimitterentur dedit eis in terra, quia ubi committitur, ibidem remissio est facienda, et quisquis indulgentiam non meretur in hac vita, frustra eam expectat in futura. Hanc ergo, Domine, per spiritum tuum, qui pro sanctis postulat, nobis hic impetra; illic te comprehendere mereamur, quo ut te sequi tua membra valerent, spiritum nunc illis misisti de supernis; illum, inquam, spiritum, de quo Propheta confidens, ait[1] : « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. » Quæ enim terra recta, nisi illa viventium ab iniquitate penitus aliena? Per hunc nobis spiritum in hac terra non recta remissionem tribue peccatorum, ut ad eam quæ recta, per ejus veniamus ducatum, Salvator mundi, qui cum Patre et eodem Spiritu unus es Deus in æternum, et ultra. Amen.

DE SANCTO PETRO.

SERMO XXIII.

Beati Petri apostolorum principis solemnitas tanto celebrius ab Ecclesia veneranda est, quanto ipsi a Domino amplior principatus in Ecclesia concessus est. Ipsum quippe quasi fundamentum Ecclesiæ Dominus collocavit, quum in confessione fidei suæ, qua dictum est[2] : « Tu es Christus Filius Dei vivi, » tanquam in petra quadam firmissima Ecclesiam suam ædificandam esse prædixit : et ei specialiter ligandi atque solvendi potestatem commisit. Cujus quidem petræ fundamentum beatus considerans Cyprianus in epistola quadam *ad Juvaianum* ita meminit[3] : « Manifestum est autem et per quos remissa peccatorum dari possit. Nam Petro

[1] Psalm. CXLII, v. 10. — [2] Matth., cap. XVI, v. 16. — [3] S. Cypriani *Opp.* Parisiis, 1726, in-fol., p. 131. Locus sic restituendus : « Manifestum est autem ubi et per quos remissa peccatorum dari possit; quæ in baptismo scilicet datur; nam Petro primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, dedit ut id solveretur in cœlis quod ille solvisset in terris. »

primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, dedit ut id solveret in terris quod ille solvisset. » Idem de eodem *ad Quintum*[1] : « Petrum quem primum Dominus elegit, et super quem ædificavit Ecclesiam suam. » Ambrosius quoque ipsum Petrum, super quem, etc., intelligens, quodam loco ait : « Hoc, ipsa petra Ecclesiæ canente, culpam diluit. » Et Hieronymus ad Marcellam de fide nostra et Montani hæretici dogmate scribens, de hoc ipso ait[2] : « Si igitur apostolus Petrus, super quem Dominus fundavit Ecclesiam, etc. » Quanta autem firmitas et constantia Petri esset in fide, ut hinc ipse merito petra vocaretur, Dominus ipse alibi protestatur, dicens[3] : « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. » Ac si diceret : Quantumcunque alii titubent, quantumcunque de morte mea desperent, tua fides inconcussa manebit. Ex qua quidem fidei firmitate, et ipse Petrus fratres confirmare admonetur, quum statim ei a Domino dicitur : « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » Neque enim credendum est tunc fidem Petri defecisse, quum divina dispensatione Dominum permissus est negare, ex infirmitate scilicet carnis et timore mortis. Hic est Petrus, ut dictum est, tanquam unicum cæterorum firmamentum et confirmatio, cui post trinam amoris sui confessionem, Dominus oves suas et agnos committens, ipsum totius Ecclesiæ summum constituit pastorem. Unde et merito sedes ejus, quam passionis suæ martyrio decoravit, inter universas Ecclesias primatum accepit; ut sicut ille omnibus apostolis, ita episcopatus ejus prælatus sit cæteris. Scimus antiquitus tres tantum patriarchatus, hoc est tres principales episcopatuum sedes Ecclesiam habuisse, romanam scilicet, alexandrinam, antiochenam. Quarum quidem dignitas ad honorem beati Petri maxime respicit; quum videlicet tam antiochena quam romana sedes ejus propriæ fuerint, et tertia, id est alexandrina, Marco ejus discipulo cesserit.

Hic est Petrus post Christum, quasi alter Elisæus post Eliam. Legimus post raptum Eliæ, ad Elisæum filios prophetarum congregatos esse[4], eosque juxta fluenta Jordanis in casulis habitantes, quasi monasticam et cœnobialem vitam cum ipso duxisse. De quorum conversatione beatus Hieronymus quodam loco meminit, dicens[5] : « Filii prophetarum, quos monachos legimus in Veteri Testamento, etc. » Sicut autem tunc ad Elisæum illi, ut diximus, sunt congregati, monastice et communiter cum ipso viventes; ita et post ascensionem Domini, fideles ad Petrum adunati hanc vitæ perfectionem vel etiam majorem arripuerunt. Quod quidem in *Actibus Apostolorum* Lucas diligenter describens[6] : « Multitudinis, » inquit, « credentium erat cor unum et anima

[1] *Opp.* p. 127. — [2] Epist. xxvii, *Opp.* t. IV, part. II, col. 64. — [3] Luc., cap. xxii, v. 32. — [4] *Reg. IV,* cap. ii, v. 3. — [5] Epist. xcv, *Opp.* t. IV, part. II, p. 772. — [6] *Act. Apost.,* cap. iv, v. 32.

una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. » Constat etiam Elisæum, quia vidit Eliam, quando a se tollebatur, duplicatum spiritum Eliæ, id est ampliorem gratiam in miraculis accepisse. Qui non solum vivus sicut Elias mortuos suscitavit, verum etiam mortuus cum tactu ossium suorum defunctum vitæ reddidit[1]. Quid est Eliam intueri, quando sustollitur, in cœlum scilicet aereum, nisi Christum ad Patrem ascendentem cernere, hoc est eum Patre non esse inferiorem credere, sed per divinitatis naturam ipsum ei tanquam æqualem occurrere? Unde et Psalmista[2] : « A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus. » Summum quippe cœlum Dei Patris excellentiam dicit, qui per hoc quod ab alio non est, summus per existentiam dicitur potius quam per dignitatem. Ex hoc utique cœlo Filius nascendo procedit, quia Platoni mens ex summo Deo nata dicitur, hoc est sapientia de ipsa Patris substantia existens tanquam genita. De hoc quidem egressu generationis Filii de Patre illud est propheticum[3] : « Et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. » Et ipse Filius[4] : « Exivi, » inquit, « a Patre. » Qui ne inferior vel indignior Patre videretur, occursus ejus usque ad summum ejus adnectitur, quia per plenitudinem divinitatis Patri coæqualis assurgit. Cujus quidem æqualitatis dubitationem ipse increpans in Maria dicit[5] : « Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. » Ac si diceret : Non es me digna manibus tuis contingere in terris, quæ nondum fide me tanquam Patri æqualem contingis in supernis, quod est, me nondum tibi ad Patrem ascendisse; hoc est, te nondum credere me illi per plenitudinem divinitatis æqualem occurrere. Quod quia Petrus cæteris firmior in fide amplius credidit, quasi alter Elisæus Eliam sustolli vidit. Unde et spiritum Eliæ quasi geminatum vel multiplicatum accipere meruit, qui ab ipso Christo majorem miraculorum gratiam accepit, quam ipse Christus per semetipsum exhibuit, sicut et ipse antea promiserat, dicens[6] : « Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, quia ad Patrem vado; » hoc est in corde ipsius per fidem ad æqualitatem Patris conscendo. Quo itaque Petrus in hac fide firmior extitit, majorem quam cæteri gratiam miraculorum meruit. Qui non solum infirmos et umbra corporis curavit, verum etiam eadem umbræ suæ virtute dicitur suscitasse. Unde Augustinus *in Psalmo CXXX :* « In Christo, » inquit, « majora fecisse videntur apostoli, quam ipse Dominus Jesus. Ad vocem Domini surrexerunt mortui. Ad umbram transeuntis Petri surrexit mortuus. » Isidorus *de Vita et Obitu sanctorum Patrum :* « Simon Petrus præteriens, umbra mortuos suscitavit. » Quod ergo Dominus ait : « Qui credit

[1] *Reg. IV,* cap. XIII, v. 21. — [2] Psalm. XVIII, v. 7. — [3] Mich., cap. V, v. 2. — [4] Joan., cap. XVI, v. 28. — [5] Ibid., cap. XX, v. 17. — [6] Ibid., cap. XIV, v. 12.

in me, majora horum faciet, » ut dixit generaliter quicunque, sic specialiter ad singularem constantiam fidei Petri visus est retulisse. Mirabilius autem fuit miraculum umbræ Petri, quam fimbriæ Christi. Fimbria quippe aliquid veritatis habet, umbra vero similitudinem tenet, et illa permanet, hæc præterit.

Quod si post hanc miraculorum gratiam, dignitatem quoque honoris, quam Petrus a Domino est adeptus, consideremus, videbimus sedem Petri ipsi quoque propriæ sedi Dei, quam ab initio Jerosolymis habuit, præminere, ut ex hoc etiam quodammodo in terris Christus videatur præferre. Quis enim nesciat ipsam quoque jerosolymitanam Ecclesiam, sicut et cæteras, romanæ subjacere? Quam tamen Ecclesiam ipsum fratrem Domini Jacobum primum habuisse constat episcopum; nec tamen illa ejus prima cathedra vel cæterorum apostolorum festivitatem in Ecclesia meruerunt, ut hoc soli Petro privilegium reservaretur. Qui etiam successoribus suis in Sylvestro papa id propriis acquisivit meritis, ut deinceps romanus pontifex vicarius quoque Constantini in urbe imperiali ab ipso constitutus, a quo et insignia, quæ hanc exornant dignitatem concessa sunt; quasi juxta ordinem Melchisedech perfectus tam sacerdotali quam regia præmineret dignitate, ut in Ecclesia Petrus, in urbe Cæsar habeatur. Geminam quippe gratiam tam in constantia fidei quam in fervore dilectionis adeptus, tam ecclesiasticam quam regiam meruit sibi monarchiam vindicare. Cæteris quippe discipulorum opinionem hominum magis, quam assertionem suam de Christo proferentibus, et quum ipse Dominus ab eis requisisset[1] : « Vos autem quem me esse dicitis? » quasi adhuc hæsitando reticentibus, Petrus ut fluctuantes confirmaret respondere non distulit[2] : « Tu es Christus Filius Dei vivi. » Unde statim specialiter ac solus beatus a Domino prædicatur, ac singulariter privilegium ecclesiasticæ potestatis suscipere meretur, quum ei a Domino totum cœlorum regnum, non pars, ei commendandum a Christo promittitur[3] : « Tibi dabo, » inquit, « claves regni cœlorum. » Quamvis enim generabiliter dictum sic omnibus apostolis[4] : « Quæcunque ligaveris super terram, etc., » soli tamen Petro insuper claves regni cœlorum datæ sunt. Sicut enim multæ civitates sunt in uno regno, ita multæ partes in populo christiano. Regnum itaque Christi universalis est Ecclesia, ita in potestatem Petri tradita, ut nihil in ea fieri nisi ordinatione vel permissione liceat romani pontificis; nullus alius generalem super omnes habet excommunicationem vel absolutionem. Qui etiam nonnullis discipulorum recedentibus, et omnibus plurimum dubitantibus, quum eis Dominus requireret[5] : « Nunquid et vos vultis abire? » tanquam scilicet in quodam anxietatis articulo constitutus, nequaquam reticere Petrus sustinens respondit[6] : « Domine, ad

[1] Matth., cap. XVI, v. 15. — [2] Ibid., v. 16. — [3] Ibid., v. 19. — [4] Ibid. — [5] Joan., cap. VI, v. 68. — [6] Ibid., v. 69.

quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. » Ex hac denique intrepidus constantia, quam tunc in animo gerebat, et maxima semper dilectione flagrabat, profiteri non timuit[1] : « Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. » Et rursum : « Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. » Et iterum[2] : « Domine, tecum paratus sum, et in carcerem et in mortem ire. » Non enim minori charitate succensus, quam fuerat fide firmus. Quæ namque illa erat in eo amoris flamma, quum Dominum nec pro redemptione sua pati toleraret, quum ei passionem suam prædicenti responderet[3] : « Propitius esto tibi, Domine, ne fiat hoc. » Quem denique zelum amoris in ipsa captione Domini cæteris omnibus fugientibus ita exhibuit, ut in tanto trepidationis articulo, servo principis aurem amputaret. A qua quidem ultione nec cæteris Dominum comprehendentibus parceret, nisi ab ipso Domino cito correptus fuisset.

Memor itaque illius dominici sermonis[4] : « Majorem hanc dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, » morti se opponebat a qua Dominum liberare volebat. Qui contra vitia ipsamque radicem omnium malorum cupiditatem quanto armaretur zelo, vindicta illa in Ananiam et uxorem ejus patenter ostendit[5]; quos non gladio sicut dictum servum percussit, sed mirabilius servi sui virtute peremit. Toleravit diu Dominus avaritiam Judæ, iste nec ad momentum sustinuit sacrilegium cupiditatis commissæ. Quo enim amplioris zeli virtute fervebat, omne virtuti contrarium minus tolerabat, et quo se amplius a Domino sublimari noverat, magis se pro Domino semper humiliare studebat. Unde et ad passionem crucis tandem veniens, quo videlicet genere mortis Dominum maxime secutus est, sicut ei antea prædixerat, non tam de passione sua trepidus, quam de honore Domini sollicitus, nequaquam crucifigi se permisit ut Dominum, sed capite deorsum verso pedibusque sursum erectis, ex ipsa quoque corporis sui positione augmentum elegit pœnæ. Ex qua etiam sua humiliatione quantum a Domino meruit exaltari, dubium non potest esse, a cujus etiam honore nec id reor alienum esse, quod quantocius mundi caput præminebat romana sedes, ejus facta est, ut hoc etiam jure in toto mundo principatum obtineret. Per eam videlicet omnium regnorum principem, quam ipse proprio sanguine Domino consecravit, et hoc tanquam indissolubili bitumine quasi aliarum fundamentum fundavit. Ad cujus insuper civitatis gloriam id a Domino collatum est, ut quum cæteræ sedes apostolorum reliquiis eorum sint privatæ, hoc de romana Dominus non tulerit, ne ad comparationem ejus cæteræ possint gloriari; imo et de corpore coapostoli Pauli eam voluit insigniri, ut hæc

[1] Matth., cap. XXVII, v. 33. — [2] Luc., cap. XXII, v. 33. — [3] « Absit a te, Domine; non erit tibi hoc. » (Matth., cap. XVI, v. 22.) — [4] Joan., cap. XV, v. 13. — [5] *Act. Apost.*, cap. V, v. 9.

quoque civitas ex his duobus gratiæ donis quasi geminatum acciperet spiritum, sicut et de hoc Elisæo nostro præfati sumus. Unde factum est, ut hæc civitas a duobus fratribus Remo videlicet et Romulo prius ædificata, multo felicius a majoribus fratribus Petro et Paulo sit postmodum in Christo fundata. His duobus tota distributa est gratia quæ ad totius mundi confessionem sufficeret, quum Petrus in miraculis, Paulus emineret in verbis. Quæ videlicet duo ipse Paulus distinguens, ait[1] : « Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt. » Ne quem forte moveat, quod ex privilegio divini amoris, Joannes Petro præferri videbatur in meritis, quum iste plus a Domino diligeretur, sicut ille amplius Dominum diligere creditur, agnoscat, secundum beatum Augustinum, hoc nequaquam de personis ipsis esse accipiendum, sed de duabus vitibus per eos significatis intelligendum. Nec enim dubitat eum, qui plus diligit Christum, esse meliorem, nec eum qui plus a Christo diligitur, beatiorem. Quod si cui forte displiceat nos ad mysterium hic declinare, nec in ipsis personis veritatem historiæ dissentire, si in eo, ut opinamur, Joannes magis a Christo diligi dicatur, quod Christus majorem ei charitatem vel familiaritatem exhibebat in opere, tum pro munditia carnis, qua ille tanquam virgo præminebat, tum etiam quia pro juvenili ætate majorem circa eum providentiæ curam habebat. Plus igitur ipsum Christus amare dicitur per effectum operis, non per affectum dilectionis. Habeat itaque Joannes hunc dilectionis effectum[2] a Domino tanquam virgo, ita tamen ut martyri, et per affectum amoris meliori non invideat Petro. Utrique autem suis nos magnis meritis ita juvent apud Dominum, ut ad eorum pertingere valeamus consortium.

IN CONVERSIONE SANCTI PAULI.

SERMO XXIV.

Præcipui gentium doctoris conversio tanto devotius a conversis per eum gentibus est celebranda, quanto ipsas ipsi amplius esse constat obnoxias. Sola ejus conversio, per quam universus conversus est mundus, vel diligentius de fide instructus, ac perfectius edoctus, solemnitatem in Ecclesia meruit obtinere. Solus inter apostolos ipse est, qui propheticis præconiis olim mundo promissus est,

[1] *Corinth. I*, cap. 1, v. 22. — [2] *Effectio* Amb.

atque propriis vaticiniis designatus, et a cæteris discretus itaque segregatus. Hic est rhinoceros seu monoceros ille divinis hodie loris adstrictus, qui pristinam feritatem deposuit, et Domini jugo deditus, divinumque aratrum trahens, glebas vallium frangere cœpit. De cujus mirabili conversione et ipse Dominus ad beatum Job loquens, et virtutem suam, qua id potuit, magnificans, ait[1] : « Nunquid rhinoceros volet servire tibi? » ac si diceret : sicuti mihi, « aut morabitur ad præsepe tuum? Nunquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te? Nunquid habebis fiduciam in magna fortitudine ejus, et derelinques ei labores tuos? Nunquid credes ei, quod reddat sementem tibi, et aream tuam congreget? » Quod beatus Gregorius, libro *Moralium* XXXI, de beato denique Paulo diligenter exponit[2] : « Rhinocerotus, » inquit, « indomitæ omnino naturæ est, ita ut si quando captus fuerit, teneri nullatenus possit. Impatiens quippe, ut fertur, illico moritur. Ejus vero nomen latina lingua interpretatum sonat : in nare cornu. » — « Rhinocerus, qui etiam monoceros græcis exemplariis nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, ut nulla venantium virtute capiatur. Sed sicut hi asserunt, qui describendis staturis animalium laboriosa investigatione sudaverunt, virgo ei puella proponitur. Quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate deposita caput deponit. Sicque ab eis, a quibus capi quæritur, repente velut enervus invenitur. Buxei quoque coloris esse describitur. Qui etiam cum elephantis quando certamen ingreditur, eo cornu quod in nare singulariter gestat, ventrem adversantium ferire perhibetur; ut quum ea quæ molliora sunt vulnerat, impugnantes se facile sternat. Potest ergo per hunc rhinocerotem, vel certe monocerotem, unicornem, ille populus intelligi, qui dum de accepta lege non opera, sed solam inter cunctos homines elationem sumpsit, quasi inter cæteras bestias cornu singulari certavit. Inde passionem suam Dominus, propheta canente, prænuntians ait[3] : « Libera me de « ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam. » Tot quippe in illa gente unicornes vel rhinocerotes extiterunt, quot contra prædicationem veritatis de legis operibus gloriati, et fatua elatione confisi sunt. Beato igitur Job Ecclesiæ typum tenenti dicitur : « Nunquid volet rhinoceros servire « tibi? » Ac si dicatur : nunquid illum populum, quem superbire in nece fidelium stulta sua elatione considerans, sub jure tuæ prædicationis inclinas? subaudis : ut ego, qui et contra me illum singulari cornu extolli conspicio; et tamen mihi, quum voluero, protinus subdo. Sed hoc melius ostendimus, si de genere ad speciem transeamus. Ille ergo ex hoc populo et primus in superbia, et postmodum præcipuus testis in humilitate nobis ad medium [Paulus] dedu-

[1] *Job*, cap. xxxix, v. 9. — [2] Cap. ii, *Opp.* t. I, col. 995. — [3] Psalm. xxi, v. 22.

catur, qui, dum contra Deum se quasi de custodia legis nesciens extulit, cornu in nare gestavit. Unde et hoc ipsum naris cornu per humilitatem postmodum inclinans dicit[1] : « Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus, sed « misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. » In nare cornu gestabat, qui placiturum se Deo de crudelitate confidebat, sicut ipse postmodum semetipsum redarguens dicit[2] : « Et proficiebam in judaismo supra multos coætaneos « meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum tra« ditionum. » Hujus autem rhinocerotis fortitudinem omnis venator extimuit, quia Sauli sævitiam unusquisque prædicator expavit. Scriptum namque est[3] : « Saulus autem adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, etc. » Quum flatus nare reddendus trahitur, spiratio vocatur, et illud sæpe per odorem nare deprehendimus, quod oculis non videmus. Rhinocerus ergo iste nare gestabat cornu quo percuteret; quia minarum et cædis spirans, postquam præsentes interfecerat, absentes quærebat. Sed ecce omnis ante illum venator absconditur, omnis homo, id est rationale sapiens, opinione mortis ejus effugatur. Ut ergo hunc rhinocerotem capiat, sinum suum virgo, id est secretum suum, ipsa per se involuta carne Dei sapientia expandit. Scriptum quippe est quod quum Damascum pergeret, subito circumfulsit eum die media lux de cœlo, et vox facta est, dicens[4] : « Saule, Saule, quid me persequeris? » Qui prostratus in terra respondit : « Quis es, Domine? » Cui illico dicitur : « Ego sum « Jesus Nazarenus quem tu persequeris. » Virgo nimirum rhinoceroti sinum suum aperuit, quum Saulo incorrupta Dei sapientia incarnationis suæ mysterium de cœlo loquendo patefecit. Et fortitudinem suam rhinocerotus perdidit, quia prostratus humi, omne quod superbum tumebat amisit. Qui dum sublato cœlorum lumine, manu ad Ananiam ducitur, patet jam rhinocerus iste quibus Dei loris astringitur, quia videlicet uno in tempore cæcitatis prædicationis baptismate ligatur. Qui etiam ad Dei præsepe ligatus moratus est, quia ruminare verba Evangelii dedignatus non est. Ait enim[5] : « Ascendi Jerosolymam cum Barnaba assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum illis Evangelium. » Et qui prius jejunus audierat[6] : « Durum est tibi contra sti« mulum calcitrare? » mira postmodum virtute præsidentis pressus ex verbi pabulo vires obtinuit, et calcem superbiæ amisit. Loris quoque Dei non tantum a feritate restringitur, sed quod magis sit mirabile, ad arandum ligatur : ut non solum homines crudelitatis cornu non impetat, sed eorum etiam refectioni serviens, aratrum prædicationis trahat. Ipse quippe de evangelizantibus quasi de

[1] *Tim. I*, cap. I, v. 13. — [2] *Galat.*, cap. I, v. 14. — [3] *Act. Apost.*, cap. IX, v. 1. — [4] Ibid., v. 4. — [5] *Galat.*, cap. II, v. 1. — [6] *Act. Apost.*, cap. IX, v. 5.

arantibus dicit [1] : « Debet enim in spe qui arat, arare, et qui triturat, in spe fru- « ctus percipiendi. » Qui ergo tormenta prius fidelibus irrogaverat, et pro fide postmodum flagella libenter portat : qui scriptis etiam epistolis humilis ac despectus prædicat : qui dudum terribilis impugnabat, profecto bene ligatus sub aratro desudat ad segetem, qui vivebat in campo male a timore liber. De quo recte dicitur : « Aut confringet, etc. » Jam scilicet Dominus quorumdam mentes intraverat, qui illum veraciter humani generis redemptorem credebant. Qui tamen quum nequaquam a pristina observatione recederent, quum dura litteræ prædicamenta custodirent, eis prædicator egregius dicit [2] : « Si circumcidamini, « Christus vobis nihil proderit. »

« Qui ergo in humili mente fidelium legis duritiam redarguendo contrivit, quid aliud quam in valle post Dominum glebas fregit, ne videlicet grana seminum quæ excussus aratro fidei sulcus cordis exciperet, per custodiam litteræ pressa deperirent. De quo adhuc bene subditur : « Nunquid fiduciam habe- « bit, etc. ? » In rhinocerotis hujus fortitudine fiduciam Deus habuit, quia quanto illum crudelius dura sibi inferentem pertulit, tanto pro se constantius tolerantem adversa præscivit. Cui labores etiam, quos ipse in carne pertulerat, dereliquit; quia conversum illum usque ad imitationem propriæ passionis traxit. Unde et per eumdem rhinocerotem dicitur [3] : « Suppleo ea que desunt passionum Christi « in carne mea. » De quo adhuc subditur : « Nunquid credes ei quod reddat « seminantibus, et aream tuam congreget? » Consideremus paulum quis fuerit, quum ab ipsa adolescentia lapidantium adjutor existeret, quum alia Ecclesiæ loca vastaret, et acceptis epistolis, vastanda alia peteret, quum mors ei fidelium nulla sufficeret, sed semper ad aliorum interitum aliis extinctis anhelaret; et profecto cognoscemus, quia tunc nullus fidelium crederet, quod ad jugum Deus suæ fortitudinis feritatem elationis inclinaret. Unde et Ananias voce dominica hunc et postquam conversum audivit, extimuit dicens [4] : « Domine, audivi a « multis de viro hoc, quanta mala sanctis tuis fecerit in Jerusalem. » Qui tamen repente commutatus, ab hoste prædicator efficitur, et in cunctis mundi partibus redemptoris sui nomen insinuat, supplicia pro veritate tolerat, pati se quæ irrogaverat exultat. Alios blandimentis vocat, alios ad fidem terroribus revocat. Istis regnum pollicetur cœlestis patriæ, illis minatur ignes gehennæ. Hos per auctorem corrigit, illos ad viam rectitudinis per humilitatem trahit, atque in omni latere ad manum se sui rectoris inclinat. Et tanta arte Dei aream congregat, quanta illam prius elatione ventilabat. »

[1] *Corinth. I*, cap. IX, v. 10. — [2] *Galat.*, cap. V, v. 2. — [3] « Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi.... » (*Coloss.*, cap. , v. 24.) — [4] *Act. Apost.*, cap. IX, v. 13.

« Sed neque hoc abhorret a Paulo, quod rhinoceros buxei coloris dicitur, et elephantorum ventres cornu ferire perhibetur. Quia enim vivere sub rigore legis assuevit, arctius in illo cæteris custodia unius cujusque virtutis mollivit. Quid enim per colorem buxeum, nisi abstinentiæ pallor exprimitur? Cui ipse se tenaciter adhærere testatur dicens [1] : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, « ne forte quum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar. » Qui divinæ legis eruditione præditus, dum aliorum ingluviem redarguit, cornu elephantos in ventrem ferit. In ventremque elephantos percusserat, quum dicebat [2] : « Multi ambulant, « quos sæpe dicebam vobis. Nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi. « Quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipso- « rum. » Et rursum [3] : « Hujusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo « ventri. » Cornu suo igitur rhinocerotus iste non jam homines, sed bestias percutit : quando illas Paulus doctrinæ suæ fortitudine nequaquam perimendos humiles impetit, sed superbos ventris cultores occidit [4]. »

Quod si de prædicta Job gentilis regis prophetia transire ad patriarcharum vel prophetarum vaticinia juvat, primum illud nobis occurrit, quod in benedictione novissimi et dilectissimi filii sui Benjamin, Jacob patriarcha prædixit, in typo videlicet hujus apostoli, qui de tribu Benjamin, sicut ipsemet asserit, fuit. « Benjamin, » inquit[5], « lupus rapax : mane comedet prædam, et vespere dividet spolia, » vel secundum aliam translationem, « dividet escas. » Libet autem ea quæ de Benjamin fuerunt altius repetere, ut quod congrue singula Paulo aptari possint, evidenter appareat. Benjamin ergo inter fratres novissimus, et patri carissimus, matrem suam Rachel nascendo peremit. Quæ quidem moriens eum Benjamin, id est filium doloris mei, nuncupavit. Pater vero postea commutans, ipsum Benjamin, id est filium dextræ, vocavit. Benjamin itaque, fratres, fratrum novissimus, et patri dilectissimus Paulus ipse est, qui novissime post apostolos a Deo vocatus, tanto extitit Deo carior, quanto in meritis fuit excellentior. De quo Hieronymus *ad Paulinum* [6] : « Paulus, inquit, novissimus in ordine, primus in meritis est; quia plus omnibus laboravit. » Constat insuper eum non solum martyrem, sed et virginem extitisse ; ut quæ in Petro et Joanne apostolo divisæ videntur meritorum palmæ, in ipso reperiantur conjunctæ. De prærogativa autem virginalis palmæ ipsius illud est Ambrosii in prima *ad Corinthios* [7] : Dico autem non nuptis, etc. : « Non diceret : « Bonum est in- « nuptis ut sint sicut et ego, » nisi esset integer corpore; nec diceret : « Omnes

[1] *Corinth. I*, cap. IX, v. 27. — [2] *Philip.*, cap. III, v. 18. — [3] *Rom.*, cap. XVI, v. 18. — [4] S. Greg. *Mor.*, lib. XXXI, cap. XV et sq. *Opp.* t. I, col. 101 et sq. — [5] *Genes.*, cap. XLIX, v. 27.— [6] *Ad Paulinum* epist. XLIX, *Opp.* t. IV, part. II, p. 563. — [7] *Opp.* t. II, in Appendice, col. 133. Commentaria ista in epistolas beati Pauli sancto Ambrosio olim tributa, quotquot nunc viri eruditi audiunt, eidem abjudicata volunt.

« homines volebam esse sicut meipsum. » Si enim habuit uxorem, et hoc dixit, virgines esse noluit [1]. Sed absit. Sic enim a pueritia spiritu ferbuit, ut hujus rei studium non haberet; quippe quum juvenculus anticipatus sit a gratia Dei. In eo adjuvatur quis quod videtur aviditate mentis appetere. Item in epistola II *ad Corinthios* [2] : « Omnes apostoli, excepto Joanne et Paulo, uxores habuerunt. » Hinc Hieronymus docet, ad Eustochium virginem inter cætera sic scribens [3] : « De virgi-« nibus, » inquit Apostolus [4], « præceptum Domini non habeo, » quod ipse ut esset virgo non fuit imperii, sed propriæ voluntatis. » Nec enim audiendi sunt, » inquit, « qui eum uxorem habuisse confingunt, » quum suadens perpetuam castitatem intulerit [5] : « Volo autem omnes esse sicut meipsum. » Qui etiam in libro *Hebraicorum Nominum*, et ipsa interpretatione nominis Pauli excellentiam ejus commendans, ait [6] : « Paulus mirabilis sive electus. » Interpretatur quem Dominus ipse vas electionis vocavit, et tam vita quam doctrina inter apostolos mirabilem fecit. Benjamin, ut dictum est, nascens matrem parientem peremit, quæ præ dolore partus moriens, Benonim eum, id est filium doloris, appellavit. Pater vero nomine commutato, eum Benjamin, id est filium dextræ, nominavit. Paulus quippe in Christo jam renascens, matrem suam Judæam, quæ eum in doctrina legis genuerat et educaverat, quasi peremisse dicitur; quum præcipue carnalium observationum præcepta, in quibus vivebant, evacuaverit, et totam eorum gloriam ad nihilum redegerit, quasi de utero matris exiens, et a schola synagogæ per conversionem recedens, juxta quod ipsemet ait [7] : « Qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam. » Unde et bene mater eum Benonim, id est filium doloris sui, vocavit : quia quo plus errorem ejus Paulus infestavit, amplius eam dolere fecit, et quo præ sapientiæ suæ excellentia gratior extiterat habitus, amplius eam contristavit amissus. Bene autem pater nomen commutare voluit, ut potius eum filium dexteræ, id est prosperitatis seu fortitudinis appellaret quam doloris : quia, ut hic diximus, interitus synagogæ, qui per Paulum factus est, in prosperitatem potius fidelium et communem Ecclesiæ exultationem, quam in dolorem reputandus est. Qui etiam qua fortitudine animi viguerit, innumeræ in eum persecutiones indicant. Quod vero dicitur mane rapere prædam, et vespere escas dividere, significat eum primitus persecutorem Ecclesiæ fuisse, et postea ei verbi refectionem doctrina suæ prædicationis administrasse. Quod autem juxta aliam translationem dicitur distribuere spolia, significat eum posteaquam conversus est multas animas diabolo eripuisse, et quasi spolia, fugato hoste, hos retinuisse : quod postea per ecclesiastica officia,

[1] Male legit Amboesius *voluit*. — [2] *Opp.* t. II, in Appendice, col. 198. — [3] Epist. XVIII, *Opp.* t. IV, part. II, col. 36. — [4] *Corinth. I*, cap. VII, v. 25. — [5] Ibid., v. 7. — [6] *Opp.* t. II, col. 77. — [7] *Galat.*, cap. I, v. 15.

vel quæcunque fidelium ministeria ordinavit. Hieronymus vero in libro *Hebraicarum Quæstionum*[1] asserit secundum Hebræos, quod altare in quo immolabantur hostiæ et victimarum sanguis ad basim illius fundebatur, in parte tribus Benjamin erat. Quod quidem convenienter iste christiani sanguinis effusor intelligit, de quo scriptum est[2] : « Spirans minarum et cædis in discipulos Domini, ubi Christi membra tanquam lupus oves laniaret in terris. »

Ut autem de patriarchis ad prophetas transeamus, quid de hoc Benjamin nostro maximus ille regum et prophetarum David prædixerit, audiamus[3] : « Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum. In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. » In initio quippe nascentis Ecclesiæ apostoli principes ejus in electione præcesserunt, quia prius a Christo sunt electi, per quos converterentur cæteri. Qui si non tantæ perfectionis fuerunt ut verbo prædicationis alios generare possent, psallentes tamen, id est psalmum in bona operatione habentes dicuntur. Psalmus quippe, id est melodia instrumenti, quod psalterium dicitur, impulsione manuum in cordis affectum bonæ operationis actiones significat. Manibus quippe ad operandum magis quam cæteris utimur membris. Ideoque per manus opera significantur. Principes itaque in Ecclesia conjuncti sunt psallentibus, quia qui verbo prædicationis insistunt, subjectis plebibus, quæ ad hoc non sufficiunt, sed tamen bona operantur quæ possunt, in una fide sociantur. Prælatis autem et subjectis plebibus, adolescentulas tympanistrias conjungit, id est vitam continentium, qui magnæ tympanum mortificationis gestant, et tanto ad novitatem Christi amplius accedunt, quanto a vetustate primi hominis longius recedunt. Quasi ergo in medio istarum duo præmissi ordines consistunt, quia vita continentium quo majoris est meriti, amplius rectorum et subjectorum plebium ordines quasi ambiendo suis virtutibus munit, et orationibus protegit. Sed quia tam continentes quam subditæ plebes de doctrina prædictorum principum, quasi de haustu quorumdam fontium imbuuntur, hortatur ut de his fontibus Deum maxime glorificemus, qui tales Ecclesiæ suæ præesse disposuit. Quorum ille Benjamin noster, quo perfectioris doctrinæ aqua imbuit corda fidelium, tanto rectius a Domino vas electionis, et crater præclare nuncupatur. De cujus excellentia statim adnectitur : « Ibi, » hoc est inter illos fontes, quasi unus ex ipsis est Benjamin per electionem, ut dictum est, novissimus, sed per dignitatem primus. De cujus excellentia et gratia singulari ei collata statim subditur : « In mentis excessu, » hoc est in extasi mentis factus, et tanta contemplatione usque ad tertium cœlum assumptus, et supra

[1] *Opp.* t. II, col. 548. — [2] *Act. Apost.*, cap. IX, v. 1. — [3] Psalm. LXVII, v. 26.

hominem raptus, ut ipsemet ignoret utrum in illa sublimitate revelationis anima ejus in corpore fuerit, an extra. Quum enim Dominus Moysi quærenti eum videre respondit [1] : « Non videbit me homo et vivet, » profecto supra hominem fuisse tunc videtur, qui tanta visione in cœlestibus fruebatur, ubi tanta se audisse commemorat, quæ homini loqui non liceat.

Quanto autem ibi perfectius instructus fuit, tanto nobis perfectiorem doctrinam reliquit. Quæ quidem doctrina quantum cæteris præferatur, non solum a christianis, verum et a philosophis non ignoratur. Ipse quippe coapostolus ejus atque apostolorum princeps Pauli *Epistolas*, in quibus tamen se reprehendi noverat, plurimum commendans [2] : « Et sicut carissimus, » inquit, « frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis. » Sicut in omnibus epistolis loquens de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum damnationem. Hinc et Hieronymus Pammachio scribit [3] : « Paulum apostolum quotienscunque lego, videor non mihi verba audire, sed tonitrua. Quantus autem et apud philosophos habitus sit qui ejus vel prædicationem audierant, vel scripta viderant, insignis ille tam eloquentia quam moribus Seneca in epistolis quas ad eum dirigit his verbis protestatur [4] : « Libello tuo lecto, de plurimis ad quosdam litteris, quas ad aliquam civitatem seu populum caput provinciæ direxisti mira exhortatione vitam mortalem contemnentes, usquequaque refecti sumus. Quos sensus non puto ex te dictos, sed per te : certe aliquando et ex te, et per te. Tanta etenim majestas earum rerum est, tantaque generositate clarent, ut vix suffecturas putem hominum ætates, quibus institui perficique possint. » Meminit et Hieronymus hujus laudis Senecæ erga Paulum in libro *de illustribus Viris*, cap. XII, ita scribens [5] : « Lucius Annæus Seneca Cordubensis Fotini stoici discipulus et patruus Lucani poetæ, continentissimæ vitæ fuit, quem non ponerem in catalogo sanctorum, nisi me epistolæ illæ provocarent quæ leguntur a plurimis Pauli ad Senecam, vel Senecæ ad Paulum. In quibus, quum esset Neronis magister, et illius temporis potentissimus, optare se dicit esse ejus loci apud suos, cujus sit Paulus apud Christianos. » Tempus me, fratres, deficeret, si per singula laudem Pauli prosequens virium mearum facultatem excedere præsumam. Sed quia scriptum est [6] : « Si quid residuum fuerit, igni comburatur, » Deo cætera relinquamus, et ad missarum solemnia super his hostiam laudis immolaturi nos præparemus.

[1] *Exod.*, cap. XXXIII, v. 20.—[2] Petr. *Epist. II*, cap. III, v. 15. — [3] Epist. XXX, *Opp.* t. IV, part. II, col. 236.— [4] Iste locus sic restituendus est : « Libello tuo lecto, id est quum legissemus de plurimis aliquas epistolas, quas ad aliquam civitatem, seu caput provinciæ direxisti.... » Senecæ et Pauli epist. I.—[5] *Opp.* t. IV, part. II, col. 106. — [6] *Exod.*, cap. XII, v. 10.

DE SANCTO JOANNE EVANGELISTA.

SERMO XXV.

Qui sermones in sanctorum festivitatibus componunt, a prærogativa, hoc est a dignitate[1] ipsorum non incongrue sumunt exordium; ut eorum festa tanto devotius a fidelibus celebrentur, quanto amplius ipsorum commendatio est[2] audita et eos Deo[3] gratiores intelligimus, et de meritis ipsorum magis confidimus. Constat autem inter universos apostolos, sicut et beatus meminit Augustinus[4], epistolam Pauli *ad Galatas* exponens, tres honorabiliores extitisse, Petrum videlicet, et Jacobum, et Joannem : qui, ut memoratus ait Apostolus[5], videbantur columnæ esse, quasi fulcimentum scilicet ac robur aliorum. Hos quippe tres familiarissimos Christi fuisse ex multis locis Evangeliorum colligimus, et his seorsum Dominum sua secreta sæpius commisisse, et tanquam inseparabiles comites eos habuisse. His enim seorsum assumptis transfigurationis suæ gloriam in monte revelavit, et ad passionem veniens eisdem secreto assumptis ait[6] : « Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic, et vigilate mecum. » Ad quos etiam post orationem regressus[7] : « Vigilate, » inquit, « et orate, ne intretis in tentationem. » Unde patenter innuitur, quam inseparabiliter isti tres ei semper adhæserint, quos et in gloria transfigurationis, et in agonia passionis, et tam in vigiliis quam in oratione tanquam comites indivisos habuerit, nec a se unquam sicut cæteros separari permiserit.

Quum itaque isti, ut dictum est, inter apostolos non dubitentur honorabiliores, quanto præmineat honore Joannes quis dubitet, qui inter hos quoque qui honorabiliores extiterunt, privilegio dominicæ dilectionis ampliorem quemdam honorem est adeptus, et ab ipso Domino matri ejus virgini tanquam alius filius pro ipso est virgo substitutus? Sic enim utrisque cruci ejus astantibus de ipsa cruce loquitur, dicens[8] : « Mulier, ecce filius tuus. » Ad discipulum autem : « Ecce mater tua. » Ubi et ipsemet Joannes annexuit : « Ecce filius tuus, » dicens : « Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. » In sua, inquit[9], subaudis stipendia, et quasi virginitatis suæ præmia[10], non in sua quasi uxorem. Felix hæc incomparabilis remuneratio discipuli, cui virgine

[1] MS. Eins. – *A* deest Ed. Amb. – [2] MS. Eins. – *Commendatione* Ed. Amb. — [3] MS. Eins. – *Deo* deest Ed. Amb. — [4] Cap. XIII, *Opp.* t. III, part. II, col. 948. — [5] *Galat.*, cap. II, v. 9. — [6] Marc, cap. XIV, v. 34. — [7] Ibid., v. 38. — [8] Joan., cap. XIX, v. 26. — [9] MS. Eins. – *Inquam* Ed. Amb.— [10] Sic Cod. Eins. – *Primi*.... Edit. Amb.

matre Salvatoris commendata, quasi lateri Christi quasi alter Christus filius [1] ei a Domino deputatus est, ut ejus gaudiis, ejus colloquiis assidue frueretur, ei sedulius usque ad exitum ministraret ejus corpusculum immaculatum virgineis et quasi angelicis manibus sepulturæ præpararet, et præparatum in sepulcro componeret; beatos illos oculos clauderet, angelicam illam faciem aptaret, et tam manibus quam cæteris membris devote compositis officii sui devotionem sacerdos magnus consummaret. Cujus sanctissimæ postmodum vitæ atque immarcessibili carni nec rosam martyrii, sicut nec lilium virginitatis certum est defuisse, sequenti, ut scriptum est, agnum, quocunque ierit. Hic quippe et in ferventis olei dolium missus, et in exilio diutino relegatus, illud constantia mentis implevit, quod de calice dominicæ passionis bibendo Dominus antea tam ipsi quam fratri ejus prædicens [2] : « Calicem, » inquit, « meum bibetis. » Cujus quoque constantia et insuperabilis caritas maxime circa crucem probata est, quum ipse solus apostolis dispersis per fugam cruci assisteret intrepidus, et cum matre Domini crucifixo Domino compateretur. Ex qua denique perseverantia constantiæ stipendium illud quod diximus singulare de commendatione matris a Domino meruit suscipere. O beatum commercium! o commutatio incomparabilis! Abstractus a nuptiis virgo est, et ab uxore divisus, et a lecto concupiscentiæ sequestratus, ut immaculatus immaculatam susciperet Domini matrem, filius efficeretur virginis, et spiritalis frater Christi, potius quam maritus uxoris. Cui profecto tam in hoc quam in cæteris Christus quantam semper [3] exhibuerit dilectionem, multis manifestum est indiciis. Soli quippe ipsi concessum est supra pectus Domini in cœna recumbere, et tanquam impavidum et fide constantem quiescere in illo imminentis passionis articulo, ubi jam omnium corda fluctuabant, ut hinc quoque constantia ejus probaretur, sicut et Jonæ prophetæ [4], qui de imminente periculo, cæteris desperatis, securus in sentinam ut dormiret descendit. Quod quidem apostolus nequaquam præsumeret, nisi de mira [5] ejus familiaritate confideret, ut in ejus gremio tanquam in stratu aliquo, et in ejus pectore quasi in pulvinari quodam sese reclinaret. De quo quidem pectore, ubi, sicut Paulus meminit [6], omnes sapientiæ et scientiæ thesauri erant absconditi, fluenta Evangelii cæteris altius exhaurire meruit : ut plus ex hac quasi dormitione sua perciperet recumbendo, quam cæteri prolixum illum cœnæ sermonem audiendo. Unde et ab ipso tantum sermo ille postmodum est descriptus, cujus spiritalibus auribus per revelationem amplius fuerat impressus. Cujus etiam vitæ longitudo usque ad senium porrecta patenter indicat quam necessarium Dominus ad instructionem Ecclesiæ suæ

[1] Sic Cod. Eins. – *Quasi lateri Christi.... filius* desunt in edit. Amb. — [2] Matth., cap. xx, v. 23. — [3] MS. Eins. – *Semper* deest Ed. Amb. — [4] Jonæ cap. ii. — [5] MS. Eins. – *Nimia* Ed. Amb. — [6] *Coloss.*, cap. ii, v. 3.

tandiu eum reservaret in mundo. Quem nec ita ut cæteros apostolos passionibus exposuit, nec affligi permisit, quum et eum in ferventi oleo custodierit illæsum, et ut ejus citius terminaret exilium, in persecutorem ejus vindictam maturavit Domitianum. Cujus omnibus decretis a senatu quassatis occulta Dei dispensatione ab exilio ipse reductus fidelibus populis cum summa exultatione est restitutus. In quo etiam exilio quanta a Domino sit ei collata [1] consolatio, revelatio ibidem ei facta, quæ *Apocalypsis* dicitur, manifeste testatur. Qui etiam quam mirabilem et jucundum vitæ habuerit terminum, in morte quoque circa eum summa dilectio Domini claruerit, multorum relatione [2] didicimus. Solum quippe ipsum ab ipso Domino legimus invitatum, ut ad supernum fratrum suorum conscenderet convivium, ut eo veniente sic omnium compleretur gaudium. Qui et ut voluit, et quando voluit, animam suam in manus Domini commendans, tam alienus extitit a dolore mortis, quam ignarus fuerat a corruptione carnis. Cujus denique corpus nec corruptione vel putredine corruptum in specie mannæ perhibetur conversum, ut ex ejus speciei candore munditia carnis probaretur immaculatæ. Quod nonnulli quoque sanctorum jam gloria resurrectionis donatum astruere non dubitaverunt. Unde illud est augustiniani [3] sermonis *in Natale Martyrum* : « Ut taceam quia omnia possibilia sunt Deo, et quod clausis tumulis possit corpus spirituale educere, Joannis tantum apostoli habemus exemplum, quem tumulus susceptum claudere potuit, custodire non potuit. Nam depositum corpus perdidit, non assumpsit. Hic enim clausis tumuli foribus, gratia resurrectionis ablatum est, ut constaret sepultura, nec inveniretur sepultus. Denique quum sacerdotes honorandi causa corpus inquirerent, reserato aditu, tumulus non potuit reddere quem suscepit. » Cujus etiam locum, quo castissimum corpus ejus tenebatur quum Evangelium scriberet, vel orationi instaret, quanta gratia Deus insignierit, Gregorius Turonensis, libro *Miraculorum* I, commemorat, dicens [4] : « In Epheso habetur locus, in quo hic apostolus Evangelium scripsit. Sunt autem in summitate montis illius proximi quatuor parietes sine tecto, ubi orationi insistens, Dominum exorabat, obtinuitque ne in loco illo imber ullus [5] descenderet, donec ille Evangelium adimpleret. Sed usque hodie ita præstatur a Domino, ut nulla ibi descendat pluvia. »

Ex his itaque specialis iste dilectus Domini quam honorabilis [6] inter cæteros, quam acceptus extiterit Deo, quantis præmineat meritis, quantis sit extollendus præconiis, et vos, Deo dilectæ virgines, attendite, tantoque devotius ejus solemnitatem celebrate, quanto amplius ejus excellentiam sanctam imitamini puritate.

[1] MS. Eins. — *Ei a Domino quæ sit collata* Ed. Amb. — [2] *Revelatione* MS. Eins. — [3] *Ambrosiani* MS. Eins. — [4] *Opp.* Parisiis, 1699, col. 752. — [5] Locus corruptus in Amb. edit. — [6] *Honorandus* MS. Eins.

Cujus nos intercessio ita in sancto confirmet proposito, ut ad illud supernum[1], quo ipse invitatus est, convivium perveniatis : ut illic mentem felicius quam hic carnem reficiatis, sponso vestro cœlesti perenniter conjunctæ, cujus præsentis[2] visio ipsa est summa beatitudo.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ.

SERMO XXVI.

Sicut ex dictis ecclesiasticorum doctorum collegimus, Domino ascendente in cœlos quidam angelorum dubitantes, vel potius admirantes, de tanta glorificati hominis magnificentia, cæteros assistentes non semel interrogabant[3] : « Quis est iste rex gloriæ ? » Sic et in hodierna dominicæ matris assumptione de tanta infirmi sexus exaltatione non incongrue per angelicam admirationem dictum esse credimus[4] : « Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? » Aurora quippe consurgens primam claritatem diei affert. Surgere autem electorum est, hoc est ad culmen virtutum, et ad comprehendendum Deum sese attollere : sicut e contrario reproborum cadere, atque in profundum vitiorum se immergere. Unde ad torpentes somno negligentiæ, et in sua jacentes ignavia, vox illa est exhortationis[5] : « Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. » Surgunt quidam et per pœnitentiam a morte animæ quasi suscitati resurgunt, sed ad tanta virtutum merita non excreverunt, ut in exemplum perfectionis assumi queant, nec quasi aurora claritatem doctrinæ, his qui ad perfectionem vitæ se student attollere, valent exhibere. Beata vero Dei genitrix quanto in virtutibus excrevit perfectius, tanto perfectionis suæ claritatem, more surgentis auroræ, amplius dilatavit, et candoris virginei proposito prima resurgens, hujus perfectionis viam, qua solæ virgines agnum sequuntur quocunque ierit, proprio declaravit exemplo : sicut et aurora, ut dictum est, prima diei claritatem affert. Etsi enim nonnulli virgines eam præcessisse credantur, sicut de Elia, vel Jeremia, vel Daniele, vel quibusdam aliis æstimant; non hanc eos virtutem tam ex devotione sacri propositi quam ex necessitate quadam, atque oppressione persecutionis credimus habuisse : præsertim quum eo tempore maledictioni sub-

[1] *Fraternum* MS. Eins. — [2] MS. Eins. - *Præsentiæ* Ed. Amb. — [3] Psalm. XXIII, v. 8. — [4] *Cant.*, cap. VI, v. 9. — [5] *Ephes.*, cap. V, v. 14.

jacerent ex lege, qui semen in Israel non relinquerent, et quædam legis coactiones ad nuptias compellerent. Usque adeo namque lex ista matrimonii vigebat, ut ipsa quoque mater Domini tam a parentibus quam a lege coacta desponsari sustineret. Divina tamen revelatione confidens virginem quoque illum, cui et virgo nubebat, ad virginitatis servandæ consensum se trahere non desperabat. Pro quo maxime impetrando in ipso desponsationis tempore secretum orationis cubiculum tenere credenda est quo ingressus fuisse angelus memoratur ad eam missus. Non enim eam exterius cum secularibus feminis morantem reperit, sed abditam pudicitiæ et cubiculi ostio clauso devote Dominum orantem, et sinceræ orationis puritate propositi sui concordiam Domino commendantem. Unde et in mediis precibus suis angelicam visionem meruit, qua sic ad integrum confortaretur, ut et votum virginitatis ei Dominus custodiret, et a maledictione legis de ipsa nascendo ei pariter provideret, et per eam in mulieribus benedictam, sicut et ipse mox angelus commemorat, universo mundo benedictionem infunderet, illud ei scilicet semen largiendo, de quo Abrahæ promiserat, dicens[1] : « In semine tuo benedicentur omnes gentes. »

Hæc itaque tanquam aurora consurgens, prima claritate mundum illustravit, quia prima castimoniæ nitorem, et sanctæ virginitatis propositum in exemplum proposuit. Sed quia non satis est ad laudem ipsius unum virginitatis bonum, si cæterorum gratia desit, lunæ quoque comparatur ejus pulchritudo, quia totius Ecclesiæ dona in ea sunt collata, et quod per partes diversi fideles perceperunt, in eam transfusum est totum, et quæ in cæteris divisa sunt dona, in ipsa reperiuntur conjuncta. Et quoniam parum est quantamcunque gratiam donorum habere, si desit in eis virtus perseverantiæ, de qua scriptum est[2] : « Qui perseveraverit, hic salvus erit, » adjunctum est : « Electa ut sol. » Non enim sicut lunæ claritas solis defectui subdita est, sed in suo vigore perseverat. Tria itaque in laude hujus virginis præmissa sunt. Primo quippe comparata est auroræ pro exemplo pudicitiæ, quæ per eam mundo innotuit : post modum lunæ, pro plenitudine omnium gratiarum : deinde soli, pro perseverantia in eis accepta. Quibus quidem donis adornata, et quasi quibusdam spiritalibus armis munita, tandem terribilis memoratur ut castrorum acies ordinata. Talis quippe acies et suis est amabilis, et adversariis terribilis : si videlicet ita ut convenit ordinata fuerit. Tunc vero bene est ordinata, quum adversus singulos[3].... irruentes hostes provisi sunt, qui eis resistere valeant, ne quis locus pateat, quo irrumpere ad feriendum hostis queat. Scimus scriptum esse quia[4] « militia est vita hominis super terram ; » et qui in agone illo contendit, de quo dicitur[5] : « Non coronabitur nisi

[1] *Genes.*, cap. XXII, v. 18.— [2] Matth., cap. X, v. 22. — [3] Locus corruptus.— [4] *Job*, cap. VII, v. 1. — [5] *Tim. II*, cap. II, v. 5.

qui legitime certaverit, » ab omnibus se abstinet, ne coronam scilicet victoriæ perdat. Hostes fidelis animæ, et inimici satellites, qui eam suis tentationibus persequuntur, dæmoniaci spiritus sunt, sicut est spiritus fornicationis, et qui cæteris præsunt vitiis. Adversum quos principes et potestates, ut ait Apostolus, colluctatio nobis est, qui omnibus fulti virtutibus non apparemus. Nec tam de victoria metuendi sumus illis, quam illi nobis. Dei vero genitrix omnium munimen[1] est virtutum adornata, et contra impetus quarumcunque tentationum vel vitiorum, singulariter habitu virtutum roborata, magis illis terribilis, quam ei ipsi apparent.

Legimus ascendenti Domino angelos astitisse, qui discipulos ejus consolantes dixerunt[2] : « Viri Galilæi, etc. » A quibus etiam cæteris præ admiratione quærentibus angelis[3] : « Quis est iste rex gloriæ? » responsum fuisse credimus : « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. » Et rursum : « Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. » Utrorumque vero angelorum quasi quadam triumphali pompa deductus ad Patrem, a dextris ejus consedisse noscitur. At vero si diligenter illum tunc occursum angelorum, et triumphalem pompam Christo exhibitam, hodiernæ festivitatis comparemus jucunditati, videbimus plus aliquid in assumptione matris ei deferri, quam in ascensione Filii ipsi exhiberi, et hujus pompæ occursum illo non mediocriter digniorem. Soli quippe angeli ascendenti Christo occurrere potuerunt : ipse vero pariter cum tota superna curia, tam angelorum quam fidelium animarum ejus animam suscepit, in qua ipse tam animam quam carnem antea susceperat. Nec animam solum, verum etiam corpus ad cœlos hodie sustulisse creditur, ut animæ pariter et carnis glorificatione eam remuneraret, in qua, ut dictum est, simul animam et carnem decrevit assumere. Cui quidem rei plurimum attestatur sepulcrum vacuum penitus repertum, sicut et antea fuerat dominicum : ut ipsa quoque resurrectionis gloriam et geminam stolam adepta credatur, sicut manifeste festiva hujus diei oratio continet, his verbis : « In qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, etc. » Quum enim præmissum sit, « mortem temporalem, » patenter ostenditur, id quod subjunctum est de vinculis mortis, ad mortem illam carnis referendum esse, non ad mortem animæ, cujus vinculis non detineri commune est omnibus electis. Quod diligenter beatus quoque Gregorius Turonensis attendens quum de transitu ejus scriberet, maturæ quoque resurrectionis ejus gloriam asserere non dubitavit. Unde *Miraculorum* lib. I, cap. IV, ita meminit : « Post dominicæ ascensionis gloriam, apostoli Domini cum beata Maria matre ejus in unam congregati domum, omnia ponebant in

[1] *Munimine.* — [2] *Act. Apost.*, cap. I, v. 11. — [3] Psalm. XXIII, v. 8.

medio, nec quisquam suum aliquid esse dicebat, sed unusquisque cuncta possidebat in caritate, sicut sacer apostolicæ actionis narrat stylus. Post hæc dispersi sunt per regiones diversas ad prædicandum verbum Dei. Denique impleto beata Maria hujus vitæ cursu, quum jam vocaretur a seculo, congregati omnes sunt apostoli de singulis regionibus ad domum ejus. Quumque audissent quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul. Et ecce Dominus Jesus advenit cum angelis suis, et accipiens animam ejus, tradidit Michaeli Archangelo, et recessit. Diluculo autem levaverunt apostoli cum lectulo corpus ejus, posueruntque illud in monumento, et custodiebant ipsum adventum Domini præstolantes. Et ecce iterum astitit eis Dominus, et susceptum corpus sanctum in nube deferri jussit in paradisum, ubi nunc resumpta anima cum electis ejus exultans æternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur. » Ex qua quidem tanti viri assertione, quam gloriosus iste summæ virginis transitus sit liquet. Ad quem videlicet consecrandum seu celebrandum tam ipse Dominus cum angelis de supernis occurrit, quam apostoli de universis regionibus sunt congregati, ut exequias ejus isti præpararent, quam illi susciperent.

Scimus apostolos in morte Domini metu fuisse dispersos, et in fugam conversos. Nunc autem divina dispensatione factum est, ut quod in filio minus est auctum, in obsequio matris recompensetur; et quod ibi deliquerant dispersi, hic emendarent congregati. Ex quo etiam apparet, quanto amplius de honore matris ipse Dominus, quam de proprio fuisse videatur sollicitus, si quis tam vitam matris quam exitum penset. Ipse quippe, non solum in passione, verum etiam antea tanta sustinuit probra, ut homo vorax, et potator vini, et dæmonium habens diceretur, nulla prorsus infamiæ macula matris excellentiam respergi pertulit. Unde et de ipsa nasciturus sponsum ei providit, per quem non solum ejus corporalibus necessitudinibus provideret, verum etiam tam maledicti quam infamiæ crimen ab ea propulsaret. Triduo dominicum corpus in sepulcro jacuit, et a die resurrectionis quadraginta diebus ascensionem suam distulit. Quam quidem dilationem nequaquam, ut dictum est, in matre pertulit. Denique et sacrum corpus clam prius in paradisum sustulit quam resuscitavit, quo mirabilior exanimis corporis assumptio fieret ac resurrectio, nullatenus jam ipsum suscitatum terreno contactu judicans dignum. Creatum extra paradisum legimus Adam, in paradiso Evam : resuscitatum in terris Dominum, in cœlestibus vero corpus maternum. Perpendant feminæ quanta inferiorem earum sexum gloria Dominus sublimav[er]it, et quam eis esse naturalis videatur tam cœlestis quam terrestris paradisus. In hoc quippe femineus sexus tam corpore quam anima primum creatus, in istum hodie anima pariter cum corpore sublimatur. De veteri Adam creata est Eva : novus autem Adam et veteris redemptor generatur ex Maria. Illa

de paradiso illum suum tam virum quam parentem expulit : hanc hodie suus tam sponsus quam filius ad feliciorem paradisum assumpsit. Qui quemadmodum cœlos ascendens, a dextris Dei sedisse describitur, ita hodie matrem assumptam a dextris suis collocasse non dubitant, cui olim per Prophetam dictum fuerat[1] : « Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, » hoc est in corpore semper immaculato, etiam immortali et incorruptibili facto. Aurum quippe cæteris metallis splendidius et solidius, nec igne consumi, nec rubigine potest corrumpi.

Sicut ergo Dominus in seipso viris, jam in matre feminis gloriam resurrectionis exhibuit : quo videlicet utriusque sexus desideria spe futuræ beatitudinis amplius in se concitaret. Ad hanc specialiter illa vox Sponsi dirigitur, qua tam dulciter invitatur[2] : « Surge, propera, amica mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. » Amicam simul et formosam eam appellat, quæ tanta est caritate Dei vulnerata, ut nulli inimici telo in ea locus pateat. In cujus singulari laude, et ab ipso ei dicitur[3] : « Immaculata mea, et macula non est in te. » Etsi enim multi amici Dei dicantur, juxta quod ipse Sponsus apostolis ait[4] : « Vos autem dixi amicos, » comparatione tamen dominicæ matris, cui ab angelo dicitur[4] : « Ave, gratia plena, » nulla est fidelium anima immunis a macula. « Surge, propera, » hoc est : Matura resurrectionem, ad me filium mater es perducenda. Per hiemem et imbrem, hoc est gelu et pluviam, totam hiemalis temporis comprehendit gravitatem. Tanto autem quisque amplius in hac vita gravatur, et invitus tenetur, quanto securior de futura, majori desiderio ad eam festinat. Quis autem fidelium sic ad Dominum, sicut mater pervenire cupiebat ad filium? Tanto ergo hanc vitam magis pro hieme habebat, et gravius sustinebat, quanto ad æstatem supernæ serenitatis amplius anhelabat. Unde recte nunc dicitur ei jam hiems transiisse, et imber abiisse, quæ finitis omnibus molestiis, non ad illum Abrahæ sinum et refrigerium fidelium, quo pauper Lazarus perductus est[5], sed ad ætherei throni culmen est assumenda. Non ignoramus beatum Hieronymum[6], quum hujus Assumptionis sermonem scriberet, in tantum dubitasse de resurrectione hac, quam diximus in matre Domini completam, ut diceret nihil pro certo hinc haberi, « nisi quod hodierna die migravit de corpore. » Sed quum in Daniele scriptum sit[7] : « Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia ; » et beatus Benedictus in *Regula*[8] dicat, quia revelat Deus sæpe juniori quod non revelat majori : potuit contingere, ut quod tempore Hieronymi latuit incertum, postmodum revelante Spiritu fieret manifestum. Quod si

[1] Psalm. XLIV, v. 10. — [2] *Cant.*, cap. II, v. 10. — [3] *Cant.*, cap. V, v. 2. — [4] Joan., cap. XV, v. 15. — [5] Luc., cap. XVI, v. 23. — [6] *Opp.* t. V, col. 83. Sermonem istum vel potius *ad Eustochium* epistolam, dom. Joh. Martianay Hieronymo abjudicat. — [7] Dan., cap. XII, v. 4. — [8] Cap. III.

etiam a minori ad majus argumentum ducamus; quis in hoc mendacii arguere præsumat prædictum Gregorium, quod Domini matrem jam resuscitatam asserit, quum hoc etiam de Joanne apostolo ipsius dominicæ matris paranympho beatus Ambrosius astruere non vereatur, sicut in sermone natalis ejus commemoravimus?

Ascensurus Dominus discipulis promisit, se ire parare illis locum. Et vos ergo, virgines, vel quæcunque feminæ Christo devotæ, hujus summæ virginis tanquam discipulæ, a qua sancti propositi documentum suscepistis, et per continentiæ votum eam secutæ, templum dominicum estis factæ, sicut scriptum est[1]: « Adducentur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitia et exultatione, adducentur in templum Regis. » Ita et vos in ejus discipulatu perseverate, ut per eam vobis æternas parari mansiones mereamini; et quæ vos proprio exemplo incitavit ad cursum, auxilio suo perducat ad bravium. Quanta hodie in terris, quanta exultatio est habenda in cœlis? quanta angelis pariter atque hominibus lætitia confertur, quum hæc eorum collegio sursum est aggregata, et per quam hominibus patuit via, et ex hominibus angelorum restaurata sunt damna? Hæc nostra est mediatrix ad filium, sicut et ipse filius ad patrem. Rogantem pro nobis matrem filius non exaudire non potuit, nec ulla eam repulsa offendere, qui honorem parentum maxime commendat. Iræ Domini sanctorum preces in tantum resistere legimus, ut nequaquam debitam possit exercere vindictam. Quod diligenter beatus attendens Hieronymus quum illum Jeremiæ locum exponeret[2]: « Tu autem noli orare pro populo hoc, ne roges ut misericordiam consequatur, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te, » ait: « Quod autem dicit, « et non resistas mihi, » ostendit quia sanctorum oratio iræ Dei possit resistere. Unde et loquitur ad Moysen[3]: « Dimitte me ne percutiam populum « istum. » Si ergo sanctorum oratio tantum valet ad placandam superni Judicis iram, quid de oratione matris sperandum est, de qua tanto amplius peccatoribus est confidendum, et quodam debito in hoc ipsam teneri, quanto magis apud omnes constat, hujus gloriæ singularem honorem ut mater Dei esset, nonnisi pro peccatoribus adeptam fuisse? Ad quod quidem debitum persolvendum, quam prompta, quam spontanea sit ipsa, et omnibus qui eam invocant in necessitatibus subvenire parata, multorum jam comperimus experientia sanctorum, quorum nonnulla deducentes in medium, sic a minimis inchoamus ut perveniamus ad maxima; ut quum eam de parvis meminerimus curare, de majoribus ipsam non dubitemus sollicitam esse. »

Vinum in nuptiis defecisse legimus, ad quas filius ejus cum ipsa et discipulis

[1] Psalm. XLIV, v. 15. — [2] Jerem., cap. VII, v. 16. — [3] « Dimitte me ut conteram eum. » (*Deut.*, cap. IX, v. 14.

venerat invitatus. Vino itaque ibi deficiente, dicit mater Jesu ad eum[1] : « Vinum non habent. » Et dicit ei Jesus : « Quid mihi et tibi mulier? nondum venit hora mea. » Dicit mater ejus ministris : « Quodcunque dixerit vobis facite. » Et post aliqua[2] : « Dicit eis Jesus : « Implete hydrias aqua, etc. » Ecce mater Christi de corporali beneficio sollicita, intercedendo invitat filium ad præstandum beneficium, et quasi ab ipso objurgata graviter, non destitit, donec quod intendebat obtinuit. Et quidem si diligenter attendimus, non tam beneficium eam videbimus rogasse, quam defectum vini nuntiasse. Quum enim dixerit quia defecisset vinum, nequaquam rogasse legitur ut hoc ipse præberet; sed hoc solum sufficere arbitrata est ad impetrandum quod volebat, si nuntiaret quod deerat; nec jam apud filium precem suam esse necessariam, quum videretur suam insinuasse voluntatem. Nec rogata quidem a convivis fuerat, ut hoc eis beneficium impetraret. Quid ergo per precem factura est, quum a fidelibus exorata, pro ipsis apud filium intercesserit, et pro salute quorum se ab ipso electam, et eis debito obligatam esse recognoscit? Quæ quanto sanctior et justior est, tanto in persolvendo debito sollicitam magis esse constat. Quod non solum ratione, verum etiam exemplorum manifestum est luce. Ad Colossenses Apostolus scribens, quodam loco de Deo patre et Domino Jesu Christo, sic ait[3] : « Et vos quum mortui essetis in delictis, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat cyrographum decreti, quod erat contrarium vobis; et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, exspolians principatus et potestates. » Ad hunc itaque modum et Domini mater miserrimo atque desperato Theophilo execrandum ac detestandum restituens cyrographum, ad consolationem multorum in uno tunc egit homine, quod filius ejus in humano genere cognoscitur egisse. Denique quantum velox et prompta sit his qui eam invocant, ferre opem non solum contra dæmones, verum etiam contra terrenorum principum tyrannidem, ille Juliani imperatoris interitus protestatur, quem in Vita beati Basilii legimus. Quanto ergo securius de protectione et suffragio confidimus, tanto nos devotius ejus interesse festivitati convenit, et unumquemque nostrum ad eam suspirantem incessanter clamare[4] : « Trahe me; post te curremus in odorem unguentorum tuorum. » Tracta quippe est ut trahat, assumpta est ut assumat, quæ creata est ut salvet, et formata ut reformet. Quo enim mirabilior in reparatione nostra fieret operatio divina, per eadem quibus corruimus erecti surreximus, si naturas potius quam res ipsas pensemus. Diabolus quippe in serpente de ligno vetito primos parentes tentavit, virum et feminam captivavit, et per hæc quatuor damnati sumus, scilicet lignum prohibitum, serpentem suadentem, Evam seductam,

[1] Joan., cap. II, v. 3. — [2] Ibid., v. 7. — [3] *Coloss.*, cap. II, v. 13. — [4] *Cant.*, cap. I, v. 3.

Adam deceptum. Per totidem etiam reparati sumus. Dum angelo ad se misso Maria credidit, sicut diabolo Eva consensit; Adam novus in ligno crucis redemit, et de ligno ligni damna reparavit, et noxii pomi lethiferum gustum quasi medicamine quodam curavit; fructibus illis de arbore crucis assumptis, de quibus ipsemet ait[1] : « Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus. » Quid enim per palmam, qua victoria designatur, nisi crux dominica significatur, qua ipse diabolum triumphavit, et in ea nostram redemptionem operans, ea quæ ad salutem nostram pertinent consummavit? Unde et expirans ait[2] : « Consummatum est, » hoc est, completum humanæ salutis medicamentum. Quo quidem medicamine ipsæ animæ nostræ morbos curare dignetur, qui se verum medicum quodam loco profitens, ait[3] : « Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. » Quod quia nostris obtinere meritis nequaquam sufficimus, ipsa ejus genitrix hoc nobis impetret, quæ eum ad hoc genuit, ut hoc ipse nobis medicamentum afferret. Unde et Salvator solus proprie nuncupatur; hoc, ut ait Apostolus[4], nomen quod est super omne nomen patre ipsi donante, cum quo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

EXPOSITIO

IN EVANGELICA LECTIONE IPSIUS DIEI.

« Intravit Jesus in quoddam castellum[5]. » Castellum munitio est et refugium defensionis ab incursu hostium. Hoc intrat Jesus, dum Verbum Dei naturam nostram in Virgine assumpsit, in qua nostram operatus est redemptionem; et diabolum triumphans, quamdam in eam nobis constituit munitionem. Hanc ingrediens in domo Marthæ suscipitur, quia in terram Judææ exterioribus operibus intendentis est incarnatus, et a quibusdam illius populi primo est per fidem susceptus, sicut a Simeone, Anna, vel a populis inde collectis. Soror Marthæ Maria gentilitas est conversa, id est Ecclesia gentium unum patrem Deum habens cum Martha, hoc est cum fideli synagoga quæ jam Christum susceperat, paucis Judæorum primo ad Christum conversis. Martha suscepto per fidem Christo

[1] *Cant.*, cap. VII, v. 8. — [2] Joan., cap. XIX, v. 30. — [3] Matth., cap. IX, v. 12. — [4] *Ephes.*, cap. I, v. 21. — [5] Luc., cap. X, v. 38.

refectionem parat, dum Judæa de observatione corporalium operum obsequium Deo ministrat, et quum Esau exterius egressa de venatione sylvestri patrem reficere laborat. Sollicitatur Martha circa diversa, dum legem simul et Evangelium, umbram et veritatem conservare nititur. Unde conversis gentibus indignata graviter perturbatur et scandalizatur, quod eis quoque jugum legis non potest imponere; ob hoc quasi murmurans a Domino requirit, ut sibi in omnibus Mariam societ; dum videlicet primitiva illa Judæorum Ecclesia postulat a vicariis Christi apostolis, ut gentes quoque judaizare compellant. Sed dum Martha constat in opere laborando, et foras ad exteriora progreditur, Maria secus pedes Domini sedens, et jam lege sepulta soli Christo adhærens quasi Jacob de domesticis animalibus interiorem atque meliorem parat refectionem, juxta illud Psalmistæ[1] : « In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam; laudationes tibi. » Quæ quam sollicite Christo intendat, monstratur et dicitur, quia audiebat verbum illius, et sedens juxta pedes, non a longe. Sicut enim in una Christi persona divinitas, quæ superior est natura, capiti comparatur; ita per pedes humanitas ejus intelligitur. His pedibus quasi sedendo adhærens, audit verbum Christi potius quam Moysi, sequendo scilicet Evangelium magis quam legem : quæ tam firma fide humanitatem ejus amplectitur, ut hanc ejus unam hostiam ad salutem sufficere non dubitet, nullumque jam legis sacrificium necessarium fore putet. Unde et subditur[2] : « Porro unum est necessarium, » quia quum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est; hoc est, quum accesserit veritas, recedet umbra, et superveniente evangelica perfectione cessabit inchoatio legis. Optima pars Mariæ, veritas, quam elegit, reprobata umbra, intelligitur. Quæ non auferetur ab ea, quia finem non accipient evangelica præcepta, sicut ea quæ de lege sunt Marthæ sunt ablata; quia conversis Judæis legalia sunt interdicta, quum per Paulum dicitur[3] : « Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. »

[1] Psalm. LV, v. 12. — [2] Luc., cap. x, v. 42. — [3] *Galat.*, cap. v, v. 2.

IN DIE SANCTI MARCELLINI PAPÆ ET MARTYRIS,

AD MONACHOS ROTHOMAGENSES RELIQUIAS HABENTES.

SERMO XXVII.

Superna pietas, fratres, membris suis omnibus ex omnipotentia providens, sicut fortibus a præsumptione, sic infirmis providet a desperatione. Unde et in utroque seipsum primo constituens in exemplum, nunc persecutionem declinans se abscondit, nunc passionis imminente articulo, in tantum pavere ac tædere scribitur, ut in agonia factus, quasi sanguineas guttas pro sudore contra humanam naturam emitteret, et sæpius ad Patrem orans, calicem passionis a se transire, si possibile esset, postularet. Qui etiam infirma membra in tantum transferre in seipsum dignatus est, ut diceret[1] : « Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater salvivifica me ex hac hora. » Ac si diceret : Da mihi constantiam in passione, ne timor prævaleat infirmitati humanæ. Quare, o fratres, Christus dixerit securus per omnia se nullo timore passionis, nullo cruciatu doloris posse superari? nostram utique, fratres, infirmitatem his verbis intendebat consolari, non aliquam imbecillitatem quam haberet exponere. Nobis in his omnibus consulebat, non sibi providebat, ne forte si aliquid fideles tempore passionis trepidarent, aut ab ea declinarent, desperatione percussi et de venia diffidentes dicerent se ad Christum minime pertinere. Contra quam etiam desperationis plagam non solum Thomæ dubitationem, verum etiam trinam Petri negationem infirmis opposuit, et saluberrimum inde cataplasma confecit. Denique et Marcellinum nostrum, beati Petri vicarium, cujus tempore crebræ passiones multos terrebant, nonnullos etiam abnegare cogebant, titubare ad horam Dominus pertulit, et ad tempus cadere, sed non confringi, sicut scriptum est[2] : « Quum ceciderit justus non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. »

Tertio negavit Petrus, nec simpliciter negavit, sed sicut scriptum est[3] : « Cœpit detestari et jurare quia non novisset hominem. » Quod vero Matthæus ait « detestari, » Marcus discipulus ipsius Petri, et per ipsum describendo Evangelio instructus, dixit « anathematizare[4], » hoc est excommunicationi se subdere, a quo alii absolutionem expectabant. Nec in una tantum negatione Petri Matthæus

[1] Joan., cap. xii, v. 27. — [2] Psalm. xxxvi, v. 24. — [3] Matth., cap. xxvi, v. 74. — [4] Marc., cap. xiv, v. 71.

juramentum commemorat, sed quasi levioribus culpis graviores annectens primo dixit Petrum negasse, postea cum juramento, tandem cum detestatione simul et juramento. Marcellini vero juramentum vel detestationem sive anathematizationem non novimus, nec etiam verba negationis ipsius legimus; sed quasi timore mortis extra se factum, nec deliberare aliquid permissum. Audivimus ipsum in sacrificio idoli incensum solummodo posuisse, nec istam transgressionem eum tolerasse, sed statim convocatis episcopis in seipsum sententiam depositionis dedisse; quum nequaquam Petrus de trina sua negatione tantam egerit satisfactionem, nec etiam ad confessionem venisse legatur, aut satisfactionem aliquam inde suscepisse.

Quod si post Petrum, Paulum quoque summum coapostolum ejus Marcellino conferamus, levissimam Marcellini culpam in hac transgressione censebimus. Legimus quippe Paulum secundum ritum legis, cujus corporales observantias maxime impugnabat, compulsum a Judæis, ut more Nazareorum Deo se consecraret, necnon et Timotheum discipulum suum ad circumcidendum eis traderet: quando tamen circumcisionem in tantum superfluam vel periculosam judicabat, ut diceret[1] : « Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit; » et generaliter de observantiis legis[2] : « Qui in lege, » inquit, « justificamini, a gratia excidistis. »

Negaturo Petro Dominus prædixerat quod negaret, et ille constantiam sui promittens e contrario majora promittebat, et se omnibus præponens dicebat[3] : « Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego. » Et rursum[4] : « Tecum paratus sum et in mortem et in carcerem ire. » Quanto præsumptio promissionis major extiterat, tanto reprehensibilior Petri ruina, et lapsus est gravior, quanto contra hunc professio fuerat major. Nemo Marcellinum de transgressione, quæ facta est, præmunierat : nullius exhortatione ne id præsumeret præventus erat. Mendax in promissione Petrus, sicut et in negatione repertus est. Nec in una tantum, ut dictum est, negatione, sed trina, nec simplici, sed cum anathematizationis detestatione. Qui, quamvis pœnituerit, multo tamen tempore passionem suam distulit. Quam denique fugiens, sicut scriptum est, a Domino illi obviante quasi nolens redire compulsus est, juxta quod ei Dominus prædixerat[5] : « Quum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. » Scriptum denique esse vestra novit fraternitas[6] : « Septies cadit justus, et resurgit, » ac si aperte dicat : Quanquam fidelis crebris tentationibus pulsatus septem principalibus vitiis succumbat victus, divino tamen non destitutus auxilio, a profundo

[1] *Galat.*, cap. v, v. 2. — [2] Ibid., v. 4. — [3] Matth., cap. xxvi, v. 33. — [4] Luc., cap. xxii, v. 33. — [5] Joan., cap. xxi, v. 18. — [6] *Prov.*, cap. xxiv, v. 16.

tanto vitiorum emergit, illam a Domino postulationem adeptus[1] : « Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. » Tertio negavit Petrus, septies cadit justus. Semel Marcellinus titubavit magis quam cecidit, qui tam cito surrexit, et titubationem suam confestim non tam pœnitentiæ lacrymis ut Petrus, quam virtute passionis expiavit intrepidus. De qua quidem perfectione virtutis Dominus ait[2] : « Majorem hac dilectionem nemo habet, etc. »

Scimus, fratres, divina disponente gratia, summos in virtutibus viros magnos quandoque peccatorum pertulisse casus, tamen propter humilitatis concordiam ac providentiæ curam[3]... contra desperationis insaniam Domino per Psalmistam nos ita consolante[4] : « Nunquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat? » Quis enim dormiens non piger ad operandum, et per negligentiam torpens atque ad horam deficiens? Quales quidem adhortans Apostolus ait[5] : « Surge, quæ dormis, et exsurge a mortuis, etc. » Ecce Petrus, qui prius Simon dictus, postmodum a Christo petra Petrus est appellatus, hoc est a firmitate firmus, cui et Dominus dixit[6] : « Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » Tertio lapsus ore solummodo, non mente Christum abnegat. Ecce Marcellinus Petri successor, et tam infirmitatis trepidatione quam postmodum cum fortitudine vicarius ejus, semel labitur titubans, nec deficiens, confestim convalescens; his quibus præerant in exemplo sunt positi, ne propter quemlibet lapsum desperent. Dictum est Petro a Domino quamvis negaturo, ut confirmaret fratres. Novimus et Marcellinum confirmatam a se thebæam legionem in fide ad cœlos præmisisse. Cujus et discipulus Marcellus papa et martyr ei succedens sanctum magistri exitum confirmavit, sicut et ante actam ejus vitam thebæana legio comprobavit; ut tam priora ejus quam posteriora commendatione digna totam medii dubitationem tollant vel desperationem. Sicut autem istos Dominus in clero, ita David Salomonem præmisit in populo, qui gravi suo lapsu peccata[7].... solarentur, ne post quantacunque crimina de indulgentia desperarent. Maximus ille regum ac prophetarum David, adulter simul, proditor, et homicida, quanto in virtutibus amplius creverat, tanto majus præcipitium de culmine pertulit virtutum. Quo enim altior gradus, tanto gravior casus. Salomon ille Idida, hoc est dilectus Domini, de quo et Dominus prædixerat[8] : « Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium, » in tantum abominationibus lapsus est puteum, ut concupiscentia carnis devictus divinum cultum omnino desereret, et tanto tempore idolis deserviret, a quo nec idolorum excelsa sunt ablata. Nec id

[1] Psalm. LXVIII, v. 16. — [2] Joan., cap. XV, v. 13. — [3] Locus corruptus. — [4] Psalm. XL, v. 9. — [5] *Ephes.*, cap. V, v. 14. — [6] Luc., cap. XXII, v. 34. — [7] Locus corruptus. — [8] *Reg. II*, cap. VII, v. 14

timore mortis, sed concupiscentia egit mulieris. De cujus tamen indulgentia, ne desperemus, ipse quoque nos Dominus consolatur. Quum enim præmisisset quod dictum est : « Ego ero illi in patrem, et ille erit mihi in filium, » statim annexuit, dicens[1] : « Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. Verumtamen misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. » Quid enim facies Dei, nisi notitia ipsius, quum unusquisque homo ex facie sua cognoscatur? Quid est itaque Deum sic alicui misericordiam impendere, ut non amoveat eum a facie sua, nisi hanc ei gratiam reservare, ut quum ille peccando quasi oblitus creatoris sui per negligentiam fuerit, postmodum, per pœnitentiam rediens eum recognoscat, et tam timore districti judicis, quam amore Domini eum expectantis peccata corrigat?

Bene ergo binos tam in clericis quam in laicis de rectoribus ipsorum, ibi, videlicet Petrum et Marcellinum, hic David et Salomonem, contra summam illam desperationis ruinam præmisit; ne quis tam in clero quam in populo, post quantacunque flagitia diffidat a venia, dummodo prævideat de pœnitentia. Bene, inquam, binos tam hic quam ibi quasi testes sperandæ reconciliationis et indulgentiæ impetrandæ. Ut enim scriptum est, quantumcunque splendida fuerit persona, unius testimonium non sufficit, sed juxta divinam legem[2] : « In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. » Si autem in ore, quanto magis in opere? Ut autem, fratres, finem nostri sermonis ad divinam misericordiam circa nos habitam deducamus, perpendite, quæso, quantum de salute nostra Dominus providerit, quantum Salvator noster sollicitus sit nostri, ex cujus etiam nomine insignitus est locus iste. In multis, fratres, delinquimus, in multos incidimus lapsus, sed ne desperemus, ne correptionem differamus, magnus Domini martyr et patronus noster nobis a Domino missus est, in exemplo propositus, quem apud Deum habemus advocatum, et de quo præcipue si volumus nobis est confidendum. Princeps iste est ordinatus a Domino, ut dictum est, tentari, et graviter labi, ut de potestate tanta quam accepit, amplius possit, et de lapsu quem pertulit ad indulgentiam lapsorum et veniam postulandam pronior fiat, qui sicut de Patre dicitur, in seipso didicit qualiter aliorum infirmitati compati debeat, atque misereri. Festum igitur ejus tanta devotione celebremus, ut quod nostris precibus non valemus, ejus meritis assequamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est, etc.

[1] *Reg. II*, cap. VII, v. 14. — [2] *Deut.*, cap. XIX, v. 15.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

SERMO XXVIII.

Dedicationis solemnitas quantum cæteras antecedat, non tam Scripturarum auctoritas, quam ratio manifesta declarat. Ab hac quippe cæterarum omnium exordium manat, quum in hac locus consecretur, quo cæteræ celebrentur, et dominica sacramenta conficiantur. Hic est ille locus, quem sibi Dominus specialiter eligens, et propriæ domus vocabulo insigniens per Moysen ait [1] : « Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, sed ubi fuerit memoria nominis mei. » Et rursum [2] : « Domus mea domus orationis vocabitur. » Et cæterarum quidem celebratio festivitatum, quas antiquo populo tanquam præcipuas Dominus instituit, nequaquam septenarium dierum excesserunt. Templi vero dedicationem septenario geminato Salomon et universus Israel in holocaustis innumeris, et multiplici musicorum instrumentorum modulatione quatuordecim diebus exsolvit. Ex quo liquidum est quanta dignitate pariter atque auctoritate celebritas ista sit prædita, et quanta devotione sit ab omnibus peragenda. Cujus quidem institutio non a lege, non a propheta, sed a patriarcha Jacob initium habuit. Qui et futuri postmodum templi locum designasse dicitur, et sacramenta dedicationis primus exhibuisse, sicut in historia *Genesis* continetur [3]. Hic nempe relictis parentibus, persecutionem primogeniti fratris declinans, quum veniret ad quemdam locum vespere, et in eo requiescere vellet, tulit unum de lapidibus qui jacebant in terra, et capiti suo supponens obdormivit. Viditque in somnis scalam stantem super terram, cujus cacumen cœlum tangebat. Angelos quoque per eam ascendentes et descendentes, et Dominum innixum scalæ dicentem sibi : « Terram in qua dormis tibi dabo, et semini tuo. » Quumque evigilasset Jacob ait : « Quam terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli. » Surgens ergo mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti, et erexit in titulum, fundens oleum desuper. Votum etiam vovit dicens : « Si fuerit Deus mecum, et custodierit me, cunctorum quæ dederis mihi decimas offeram tibi. »

Ecce, fratres, historiam succincte percurrimus. Nunc ad ædificationem nostram intelligentiam præcipue moralem in ea perquiramus, et melioris dedica-

[1] *Deut.*, cap. XII, v. 13. — [2] Matth., cap. XXI, v. 13. — [3] *Genes.*, cap. XXVIII, v. 11 et seq

tionis typum in his quæ gesta sunt aperiamus. Quid enim dedicatio Ecclesiæ, nisi illa est fidelis animæ sponsio, quæ a sæculo recedens se penitus Deo dedicat, et quasi propriam sponsam Christo se copulat, ut ei deinceps tota vacet, et sic ei voto suæ professionis obligans tanquam proprium templum Deo se consecrat? Sicut enim in una villa multæ hominum domus, et una Dei dicitur, quam ecclesiam vocamus, ita et in populo Dei inter illos qui conjugati sunt, quælibet anima conveniente voto Deo consecrata proprium ejus habitaculum facta est. Qualem quidem animam Apostolus describens, et ejus prærogativam a cæteris distinguens, ait [1] : « Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu. » Jacob itaque persecutionem, ut dictum est, primogeniti fratris fugiens, relicta domo parentum peregrinatus, fidelis anima est de seculo ad Dominum conversa, quæ carnalium affectionum ruptis vinculis more Abrahæ, de terra sua et de cognatione progreditur, et de domo parentum procedit ad claustrum, illud Psalmistæ non solum audiens, verum exaudiens [2] : « Audi, filia, et vide, et inclina, etc. » Nec non et illud Domini documentum amplectens [3] : « Qui non odit patrem suum et matrem, non est me dignus. » Primogenitus talis animæ frater caro est in unam personam animæ conjuncta, et prius in utero formata quam ei anima sit infusa. Cujus quidem carnis tentationes, de quibus scriptum est [4] : « Caro concupiscit adversus spiritum, dum fugimus a sæculo recedentes, quasi primogeniti fratris impugnationem vitamus. Et quia hæc virtus continentiæ et remuneratio sæculi ab adventu Christi, quæ ultima ætas est mundi, maxime cœpit. Unde Jacobus post solis occubitum, id est in vespere, ad locum pervenit, ubi dormiens requiescat. Hic autem locus claustralis vita est continentum, qui a tumultuosa sæculi vita ad quietem monasticam transeunt, et Marthæ sollicitæ et circa plurima turbatæ tranquillitatem præferunt Mariæ [5]. Quæ quidem tranquillitas a Domino nomine lecti, a Sponsa in *Cantico* nomine lectuli designatur quum dicitur [6] : « Erunt nocte illa duo in lecto. In lectulo meo per noctes, etc. »

In hoc itaque lectulo dormiturus Jacob, de lapidibus quos intuetur eligit unum, quo supposito capiti suo dormiat, quum anima quælibet locum sanctæ congregationis ingressa, multos circumspicit fideles tanquam lapides vivos et fortes ad omnia toleranda, in summo lapide Christo fundatos; ut eorum scilicet exemplis ad perfectionem instituatur. Sed quia unum Christum omnibus præfert, cui

[1] *Corinth. I,* cap. VII, v. 32, 33. — [2] Psalm. XLIV, v. 11. — [3] « Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. » (Matth., cap. X, v. 37.) — [4] *Galat.,* cap. V, v. 17. — [5] Luc., cap. X, v. 41, 42. — [6] *Cant.,* cap. III, v. 1.

se fidelis anima quasi sponsam copulat, et dedicat, et velut in amplexibus ejus lectulo contemplationis dormit corpore, sed vigilat mente, juxta illud Sponsæ[1] : « Ego dormio et cor meum vigilat, » unus ex universis eligitur lapidibus. Juxta quod et ipsemet de dilecto ait[2] : « Electus ex millibus. » Hunc capiti suo supponit ut dormiat, quum totam suæ mentis intentionem in eo defigit, ut a curis sæculi penitus quiescat, et tota ei per desiderium inhæreat. Caput quippe principalis pars corporis mentem designat in nobis. Hunc profecto somnum continentium dilectus ille Domini et virgo Joannes specialiter expressit, qui in Dei gremio recumbens, quasi hoc lapide supposito capiti obdormivit. Scalam dormiens Jacob intuetur, quia tanto amplius scripturam sacram quisque intelligit, quanto ab occupatione sæcularium curarum magis quiescit. Scala hæc dormienti apposita usque ad cœlum porrigitur, quia per doctrinam ipsius de terrenis ad desideranda cœlestia sublevamur, et illuc mente conscendimus, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Huic scalæ Dominus innititur, et inde nobis loquitur, quia per ejus doctrinam nostris imprimitur mentibus, et de ejus verbis nostras in se mentes erudiens accendit. Hujus scalæ, hoc est sacræ scripturæ, quasi duo latera duo sunt Testamenta, quæ quidem ad invicem quasi quibusdam gradibus insertis connectuntur, dum per expositiones doctorum rota rotæ applicatur, et quod in Veteri fuerat prædictum, in Novo monstratur exhibitum. Angeli per hanc scalam ascendentes et descendentes, sancti sunt prædicatores, quorum unus de se et aliis ait[3] : « Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? » De qualibus et per Malachiam dicitur[4] : « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem inquirent ex ore illius quia angelus Domini exercituum est. » Ascendunt vero per scalam istam vel descendunt dummodo in sua prædicatione de natura divinitatis vel secretis cœlestibus nos instruunt, modo de assumpta humanitate, vel componendis moribus nostris erudiunt; vel quum modo ad altam continentiæ virtutem nos hortantur, modo infirmitati nostræ per indulgentiam nuptiarum consulunt. Terram in qua dormit Jacob ei et semini ejus Dominus promittit, quia terram viventium, cujus desiderio anima contemplativa a terrenis curis quiescit, in remuneratione pollicetur tam ei quam sequacibus ejus, et in hoc proposito ipsam imitantibus. Evigilans de somno contemplationis anima illa, et de illa cœlesti habitatione ad sancta studia totius contemplationis oculos reflectens, et quasi homines pariter admonens, ut spe promissæ sibi terræ in proposito perseverent[5]: « Vere Dominus est, » inquit, « in loco isto, et ego nesciebam. » Ac si diceret : Qui ubique est per divinitatis præsentiam, hic specialiter inhabitat per gratiam.

[1] *Cant.*, cap. v, v. 2. — [2] Ibid., v. 10.— [3] *Rom.*, cap. x, v. 15. — [4] Malac., cap. ii, v. 7.— [5] *Genes.*, cap. xxviii, v. 16.

Pavens quoque[1] : « Quam terribilis, » inquit, « est locus iste ! » Terribilem, hoc est summa reverentia dignum esse recognoscit : in quo, ut dictum est, tanquam in spiritali templo, ac sibi penitus dicato, per abundantioris gratiæ dona Deus inhabitat. Sed quia multi hanc reverentiam loco deberi recognoscunt, nec tamen illi hanc exhibent, nec illam apostoli comminationem expavent[2] : « Si quis violaverit templum Dei, disperdet illum Deus, » bene præmissum est, « pavens, » ut quod pavendum esse non dubitat, offendere in eo non præsumat. Et attende, quod quum præmiserit : « Domus Dei, » statim annexuit, « et porta cœli. » Hic est talis aditus, regni cœlestis, ex quo sine dilatione de hujus vitæ observatione illuc introeatur, nulla videlicet purgatione interposita.

Surgit mane Jacob, et lapidem, quem supposuerat capiti suo erigit in titulum, ipsumque oleo desuper infuso, more pontificis votum explet dedicationis : quasi in hoc primogenitorum dignitatem quam emerat exercens. Primogenita quippe tunc fuisse dicuntur vestis seu dignitas sacerdotalis, quam primogeniti fratres per benedictionem paternam accipiebant, ut soli inter fratres sacerdotali fungerentur officio. Et a matre vestibus Esau valde bonis indutus fuisse Jacob memoratur. Et nota, sicut Melchisedech sacramenta Ecclesiæ antiquiora videntur quam synagogæ : ita in patriarcha Jacob noster dedicationis ritus videtur præcessisse, quia tam altare quam ecclesiam ipsam oleo consecramus. Quod nequaquam in tabernaculo vel templo factum esse legimus. Mane surgit Jacob de loco, in quo quiescens viderat visionem, et ejus loci sanctitatem cognoverat, quum anima quælibet prædicta, peracto jam suæ probationis tempore, ad professionem conscendit regulæ, experta jam hujus propositi simul ac loci religione : et tunc se penitus Deo dedicans, et proprio voto illi se obligans, spiritalis templi dedicationem in seipsa celebrat. Tunc lapidem, in quo dormierat, erigit in titulum, hoc est, oculis suis affigit in signum, quasi nihil aliud ulterius debeat intueri, quia jam facta professione respicere retro non licet, ne cum uxore Loth pereat. Primum ei tamen in imo lapis jacebat, quia non tanto debito ei antea cohærebat. Erectum lapidem oleo superfuso sibi consecrat, dum toto dilectionis affectu ipsum comprehendens, tot unguentis delinit eum, quot desideriis amplectitur ipsum. Quid autem unguenta, nisi quædam est recreatio dolorum, et fomenta dolentium? Dolet autem Christus de nobis quum nostra ei conversatio sæcularis displicet, et sic eum exasperando, malis operibus contra nos commovemus. Placatur autem penitus, et quasi quibusdam unguentis hic ejus dolor mitigatur, quum a sæculo recedentes totis ei visceribus inhæremus, et perfectione virtutis nos jam ei penitus copulamus, juxta illud Apostoli : « Qui autem adhæret Deo,

[1] *Genes.*, cap. XXVIII, v. 17. — [2] *Corinth. I*, cap. III, v. 17.

unus spiritus est[1]. » Caute autem ac provide votum faciens Jacob de persolvendis decimis, non de suis viribus, sed de misericordia Dei præsumens, quasi apposita conditione ait[2] : « Si fuerit mecum Deus, et custodierit me, » quia ejus gratiæ est quidquid boni agimus. Unde et Paulus[3] : « Gratia Dei sum id quod sum. » Et rursum quum dixisset : « Plus omnibus laboravi, » statim adjecit : « Non ego autem, sed gratia Dei mecum. » Decimas omnium Deo persolvit, qui decalogum legens in nullo excedit, nec a mandatis Dei, quæ per decalogum illum intelliguntur in aliquo recedit. Quod in semet nobis sic complere concedat, ut quod visibilibus sacramentis exterius actum est, in corporali templo ipse invisibiliter in nobis operando templum nos verius efficere dignetur summus pontifex et rex Jesus Christus, cujus tam sacerdotium quam regnum perseverat in sæcula sæculorum. Amen.

DE SANCTA SUSANNA,

AD HORTATIONEM VIRGINUM.

SERMO XXIX.

Audistis, carissimæ, atque utinam exaudissetis beatam illam sponsæ sollicitudinem in *Cantico Canticorum* ad exhortationem vestram diligenter descriptam. Quæ quum diu quæsitum in lectulo dilectum invenire non posset[4] : « Surgam, » inquit, « et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea. » In lectulo dilectum quærit, et non invenit, quum anima perfecta fatuis virginibus adjuncta opera ipsarum considerans, exemplis earum instrui cupit, quas de continentia carnis in magna virtutum perfectione esse credit. Quum enim etiam ista carnis continentia, et hujus tam ardui propositi observantia paucorum sit, talium vita a tumultu sæculi remota lectulo potius quam lecto comparatur, quia magna quies est a molestiis nuptiarum vacare, et voluptatibus carnis operam non dare. Sed quia non magnum quid hanc continentiam, quæ paucorum est, imperiti æstimant, et ideo facile ex caritate sua in elationem simplices trahit, non potest in talibus Christus reperiri, qui superbis resistit semper, et humilibus dat gratiam. Hoc itaque sponsa conspiciens quasi de lectulo surgit, et

[1] *Corinth. I*, cap. VI, v. 17. — [2] *Genes.*, cap. XXVIII, v. 20. — [3] *Corinth. I*, cap. XV, v. 10. — [4] *Cant.*, cap. III, v. 2.

egressa circuivit civitatem, quærens ibi sponsum per vicos et plateas, quem in lectulo reperire non potuit : dum mente foras exiens bonam vitam fidelium intuetur, qui in hoc sæculo tanquam in civitate, quæ multos capit, conversantur, et quas imitetur exempla virtutum inde assumit, in quibus per gratiam Domini habitare non desperat. Et quoniam in omni gradu fidelium alii perfectiores sunt aliis, quosdam ibi in plateis, quosdam in vicis reperit, quia quorumdam vita quo altior est in meritis in paucioribus consistit, qui quasi in vicis morantur, qui strictiores sunt quam plateæ, quales Job et Susannam legimus, et plerosque alios, qui de magna virtutum perfectione tam viris quam feminis in exemplo sunt positi. Quorum tanto laudabilior vita extitit, quanto in sæculari conversatione religiosior fuit, et quasi purissimum aurum in fornace non arsit.

Et quoniam de virtutibus Job, quas diligenter commemorat Scriptura, supervacuum me nunc vobis scribere arbitror, ad Susannam conjugatam, quæ vestri[1]..... minoris propositi et majoris virtutis fuit, stilum converto; ut in ejus comparatione , si quæ sacri propositi feminæ minus quam noverint habeant, de suo defectu erubescant. Prima vero laus ejus describitur, quum eam pulchram nimis, et timentem Dominum Scriptura commemorat[2]. A pulchritudine corporis ad decorem mentis ascendit, juxta illud Gregorii : « A minimis quisque inchoat, ut ad majora perveniat. » Pulchra corpore, sed pulchrior mente, tanto laudabilius hæc duo simul, quanto difficilius custodiebat. In altero habebat pugnandi materiam, ex altero cœpit victoriæ coronam. Ex illo in concupiscentiam ejus exarserunt sacerdotes, ut hoc per constantiam virtutis probaretur, quum morti addicta vitæ periculum elegit, ne contagium incurreret corporis, atque ipsum corpus quod appetebatur ad culpam, hostiam offerret immaculatam. Proh dolor! proh pudor! Tot videmus in sacro proposito constitutas adeo deformes, ut, sicut scriptum est larva non indigeant, quas divinæ reverentiæ, ac voti sui prorsus oblitas ita libidinis furor exagitat, ut quum ad turpitudinem peragendam gratis aliquos habere nequeant, emere incestuosos cogantur, et quæ de forma confidunt, venales sese prostituunt; aut si de mercede diffidunt, ipsas luxuriæ sordes quas excipiunt pro mercede sibi constituunt. Adulteras tam leges sæculi quam divinæ morte puniendas censuerunt. Quanta autem vindicta in sponsas Christi corruptas exercenda sit, datur intelligi, quibus vix locum etiam pœnitentiæ canones reliquerunt. Sunt et nonnullæ inter eas vetulæ meretrices, quæ quum jam se omnino contemni præsenserint aliena corpora vendendo, quum propria non possunt, detestanda exercent lenocinia. De qualibus quodam loco me scripsisse recolo : Vetus meretrix se propagat in adolescentulis.

[1] Locus corruptus. — [2] Dan., cap. XIII, v. 2.

Quam severam quoque sententiam de lænis sancti patres instituerint, ex eorum manifestum est scriptis, quas in fine quoque a communione privarunt. Unde et illud est Eliberitani concilii, cap. XI : « Mater vel parens, vel quælibet fidelis si lenocinium exercuerit, eo quod alienum corpus vendiderit vel suum, placuit nec in fine communicandam. » Quod si in feminis sæculi adeo lenocinium sunt detestati, quantum in sponsis Christi istud est abhorrendum, ubi proprium Dei templum violatur, et hæc ei vindicta specialiter reservatur? « Si quis, » inquit Apostolus[1], « templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. » Beata laica, et sæculi, non claustri, femina prædicta, hominis potius conjux quam Christi sponsa dicenda, surget in judicio, et condemnabit generationem hanc pessimam; quæ ut hominis servaret fidem, elegit interire munda, ne viveret immunda. Unde autem tanto castimoniæ zelo succensa, tanto constantiæ muro esset munita, subinfertur quum dicitur[2] : « Parentes autem ejus quum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. » De justis parentibus justissima filia nata memoratur, et in communi eorum laude sanctissima studia prædicantur. Quod et beatus Hieronymus diligenter attendens, quum in explanatione Danielis ad hunc locum veniret, ait[3] : « Hoc utendum est testimonio ad exhortationem parentum, ut doceant juxta legem Domini, sermonemque divinum, non solum filios, sed filias suas. » Hoc adhuc sacrarum litterarum zelo judaicus populus in ipsis etiam tenebris cæcitatis suæ plurimum fervens, non mediocriter nostram, id est christianorum negligentiam accusat. Tanto quippe ardore legem amplectuntur, ut quislibet eorum quantumcunque pauper, quotquot habeat filios, neminem divinas litteras ignorare permittat. Quorum tanto zelo Apostolus maxime compatiens, ait[4] : « Fratres, voluntas quidem cordis mei et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam, » hoc est magnum fervorem in Deum, ac desiderium in mandatis ejus, quæ in lege acceperant, cognoscendis atque implendis, licet in magno persistentes errore, quum hæc ad salutem sufficere credant. Æmulatio quippe seu zelus quislibet animi fervor vehemens ad desiderium cujuslibet nuncupatur. Unde et tam bonus quam malus zelus dicitur vehemens scilicet commotio animi ac sollicitudo ad aliquid agendum. Nulli vero, vel pauci christianorum sunt, qui evangelicæ doctrinæ perfectionem tanto studio vel causa amplectuntur, ut ejus desiderio filios suos sacris imbuere litteris curent, sed temporalis tantummodo commodi causa, ut hujus vitæ necessaria sibi ipsis vel illis inde provideant aut de officiis clericorum, aut de habitu monachorum. Unde recte ab intentione talium patrum

[1] *Corinth. I*, cap. III, v. 17. — [2] Dan., cap. XIII, v. 3. — [3] *Opp.* t. III, col. 1134. — [4] *Rom.*, cap. X, v. 1.

Susannæ parentes distinguuntur quum tam in eorum laudibus quam in ipsius Susannæ dicitur, quia[1] « parentes ejus quum essent justi, erudierunt filiam suam, etc. » Quum essent enim justi, dictum est, non, quum essent avari; quia quod isti nunc per avaritiam agunt, illi per religionem egerunt; et amore Dei, non ambitione sæculi, tanquam illud quod scriptum est attendentes[2] : « Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. » Quos in hac spe sua nequaquam frustratos fuisse præsentis historiæ sequentia clamant, tantam filiæ suæ describendo perfectionem, quam de divinæ legis eruditione provenisse, præcedentia insinuant, ob hoc videlicet commemorata.

Quali autem agone matrona mirabilis mirabiliter triumphaverit, perpendite, virgines, ut ex ea discatis qualiter et ipsæ dimicare debeatis, et sponsionis votum servare Christo, sicut illa fidem custodivit marito. Comprehendentes igitur eam senes, et ad consensum adulterii cogere nitentes[3] : « Ecce, » inquiunt, « ostia pomarii clausa sunt, et nemo nos videt. Quamobrem assentire nobis, et commiscere nobiscum. Quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum juvenis, et ob hanc causam emiseris puellas a te. » O cæci cæcorum duces, et expertes justitiæ judices, nunquid si ostia pomarii sunt clausa, janua cœli nonne est aperta? Frustra hominum conspectum fugitis, qui conspectum Dei fugere non potestis. Hoc illa præcipue attendebat, quum diceret[4] : « Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. » Nemo, dicitis, nos videt. Quid si Deus? Pudet ab homine deprehendi, et non a Deo conspici; mortem corporis temporalem ab hominibus deprehendi timetis; mortem animæ perpetuam non formidatis, cujus comparatione nec illam dici mortem illa profitetur? Sic quippe ait[5] : « Si enim hoc egero mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras. » Mortem utique potius animæ quam corporis appellandam censuit; et quia illam plus timuit, utramque pariter evitare meruit. Vos autem e converso, hanc magis quam illam metuentes, a neutra fuistis immunes. Illa judicem Deum plus quam hominem verita, tam divino quam humano judicio liberata, quorum neutrum vos ipsi judices effugere non potuistis.

Attendite, sponsæ Christi, quid dixerit ac fecerit conjux hominis, et si quis profanus, et Dei prorsus oblitus, consimilem a vobis exegerit turpitudinem, et in tantum etiam fortasse perstiterit, ut vim facere præsumat : respicite vestrum maritum non hominem, sed Deum, non Joachim, sed Christum, et intrepida Susanna vestrum unaquæque dicat : « Si hoc egero, mors mihi est. » Latere Joachim fornicatio poterat uxoris, sponsum autem vestrum quis latere potest?

[1] Dan., cap. XIII, v. 3. — [2] Psalm. XCIII, v. 12. — [3] Dan., cap. XIII, v. 30. — [4] Ibid., v. 23. — [5] Ibid., v. 22.

Injuriam suam tam ipse, quam gloriosa mater ejus, ac tota pariter cœli curia desuper intuebitur. Quæ adeo impudens, adeo insana, ut hunc maxime non erubescat, et expavescat aspectum? Quum quis te falsi nominis christianus super hoc convenire, imo circumvenire tentaverit, sufficit tibi uno te statim responso absolvere : Assentiam tibi in isto, si peragi potest inscio sponso meo, aut si fortiores eo fuerimus, quo ejus offensam minus timeamus. Denique instantibus impudicis senibus, quum vi non posset eos Susanna repellere, ore usa pro manibus, quod unum restabat, impetum eorum compescuit, dicens[1].... Perpendite, virgines, virtutem conjugatæ, et de majoribus minora cogitate. Non timetis mortis periculum, si a vobis incestuosos repuleritis, sicut illa, ut dictum est, faciebat. Non est tanta vis eorum, ut ab ipsis clamore liberari sitis compulsæ. Aut si clamare necesse sit, facilius vos sponsus quam Susannam exaudiet maritus, et quo potest amplius, liberabit citius.

Egressæ itaque de lectulo mente, Susannam in vico requirite; ut quas non invenitis in claustro virtutes, reperiatis in sæculo. Videte quid in secreto comprehensa, quid in publico gesserit accusata. Et quia partem agonis ejus jam diximus, quæ restant breviter perstringamus. Deducitur illa, ut dictum est, ad judicium cum parentibus et filiis, et universis cognatis suis. « Flebant igitur sui, et omnes qui noverant eam[2]. Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput ejus. Quæ flens, suspexit ad cœlum. Erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino, et dixerunt presbyteri : « Quum de-« ambularemus in pomario soli, etc. » Et vos itaque, piæ virgines, innocentem matronam, et tantam sustinentem injuriam pio prosequimini fletu, ut quo major vestra fuerit compassio, jocundior existat innocentis liberatio. Flebant non solum sui, sed omnes qui noverant eam; non quidem omnes, qui ejus laudem audierant, quæ nullos aut paucos latere poterat, sed qui rei veritatem multis indiciis experti fuerant. In medium matrona sanctissima trahitur, et innocens pro rea statuitur. Anxius maritus, anxii tam parentes quam filii, et omnes qui noverant eam, quanto pudore confusi, quantis lacrymis perfusi ejus innocentiam deplorarent, quis commemorare vel cogitare non plorando queat? Solitam naturæ quam humanitatis immemores senes in ejus judicium, imo suum potius consurgere ausi, et immundas manus sanctæ vertici ejus imponentes tanquam testimonium accusationis in eam dicturi : « Quum deambularemus, » inquiunt, « in pomario soli, etc. » Bene, inquam, dicitis, « deambularemus, » et « soli, » qui concupiscentiæ stimulis agitati, a Deo pariter et lege jam eratis alieni.

Bene autem quum dictum sit : « Consurgentes in medio populi, manus suas super caput ejus, » statim adjunctum est, « quæ flens suspexit ad cœlum; erat

[1] Hic videtur deesse : « Si hoc egero, mors mihi est. » — [2] Dan., cap. XIII, v. 33. — [3] Ibid., v. 25.

enim cor ejus fiduciam habens in Domino. » Quid est quod hucusque quum sui eam deflerent, non est memorata flere, sed tunc tantum quum castissimum ejus caput contingerent manus impudicæ? Nunquid tunc primo vel præcipue de periculo timebat vitæ? Quod quidem ne suspicemur, mox annectitur[1] : « Erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino. » Quamvis enim superius dixisset : « Si autem non egero, non effugiam manus vestras, » et postmodum dicat : « Et ecce morior, quum nihil horum fecerim; » confisa tamen et secura de salute animæ, et gloria palmæ, nequaquam tristis erat de transitoria morte, per quam se transituram sciebat ad gaudia perennis vitæ. Unde et bene suspicere ad cœlum memoratur quo ejus intentio toto desiderio ferebatur. Cur igitur flebat tunc tantum quum ejus capiti manus imponerent illi, ac non potius quum ad mortem duceretur; nisi quod ea quæ mortem non timebat, ab obscœnis manibus caput suum contingi dolebat, quibus nec inferiores corporis partes tangi consenserat? Audite hæc, et intelligite, virgines sacræ, quæ corpora quoque vestra tanquam propria Deo templa consecrastis, ut nullo lasciviæ tactu hæc pollui permittatis, nullo immunditiæ sacrilegio violari. « Si peccaverit vir in virum, » Samuel ait[2], « placari ei Deus potest. Si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo? » In virum suum peccare Susanna timuerat, si aliquo lasciviæ tactu corpus suum ei dicatum contingi permitteret. Quid igitur sponsæ Christi faciendum est, quum quis incestus ad eam accesserit, summam injuriam Deo facturus, si hoc ejus proprium templum aliquod lasciviæ contagium præsumpserit? Cui judici nisi summo hæc summa injuria; cui nisi cujus est propria vindicanda servatur? Ei utique qui ad timorem sui maxime nos adhortans, ait[3] : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animæ vero non habent quid faciant; sed potius eum timete, qui habet potestatem corpus et animam perdere in gehennam. » Ac si aperte dicat : Non est eorum guerra plurimum metuenda, quæ in una tantum nostri ac minori parte est, hoc est in corpore, et cito præterit; sed ea præcipue, quæ in utraque parte perenniter sævit. Quam et Apostolus considerans, ingemiscit, dicens[4] : « Horrendum est incidere in manus Dei viventis. » Si enim illas, quæ torum maritalem maculaverunt, lex divina senserit morte puniendas, quid eas manet, quæ ipsum Dei templum prostituerint? Nunquid præjudicium illis fecit, quæ minus deliquerunt, si majora crimina, et proprii tori maculas expiaverit minore vindicta? Certum est, ut supra memoratus Apostolus ait, in manufactis templis nequaquam Deum habitare, sed magis in illis, qui vera ejus templa spiritalia sunt dicendi. De qualibus ipse quibusdam ait[5] : « Nescitis quia Dei tem-

[1] Dan., cap. XIII, v. 43. — [2] *Reg. I*, cap. II, v. 25. — [3] Matth., cap. X, v. 28. — [4] *Hebr.*, cap. X, v. 31 — [5] *Corinth. I*, cap. III, v. 16.

plum estis, et spiritus Dei habitat in vobis. » Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Qui autem intra parietes corporalis templi sordes aliquas corporales intuens, non eas statim asportare festinet? Quis sibi fornicari non abhorreat, ac magis illud, quam verius animæ templum polluere trepidet?

Flebat, ut dictum est, Susanna, et fletus ejus causa jam ex parte est exposita, pro contactu scilicet obscœnarum manuum, quæ nec ad horam sustinere potuit. Flebat utique de præsente, et si diligentius attendimus, non solum corporis contactum, sed et famæ futurum flebat detrimentum, quum illi scilicet ad testificandum prorumperent, quorum testimonio plurimum credi providebat, sicut et postmodum Scriptura commemorat, dicens : « Credidit eis multitudo quasi senibus populi, et judicibus, et condemnaverunt eam ad mortem. » Flebat opprobrium domus suæ, nec tam suam calamitatem quam suorum deplorabat anxietatem. Quid enim? quid inquam? Circumstantes suos, virum, parentes, filios, cognatos, ut dictum est, et omnes qui noverant eam, in summa anxietate positos, et tam innocentiam ejus quam suam infamiam deplorare cernebat. De quorum compassione magis quam de propria passione dolebat; nec tam corporis mortem quam infamiæ labem plangebat. Quo enim quæque castior est, verecundior esse cognoscitur, et castimoniæ summum istud est argumentum. Unde bene sicut re, ita et nomine pudor, et pudicitia ita sunt adjuncta, ut frequenter nomine pudoris ipsa castitas designetur, quod ut dictum est, signum est ejus præcipuum argumentum. Quod et Apostolus diligenter attendens quum muliebris honestatis habitum describeret, id in commendatione ipsarum primum assumpsit, per quod eas maxime commendari censuit[1] : « Mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate, etc. » Hinc e contrario scriptum est[2] : « Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. » Heu! quid jam novimus, vel audivimus inter eas, quæ per habitum sanctum Deo mentiuntur, non solum turpitudinem carnis incurrere, sed nec infamiæ notam abhorrere. Quibus hoc ipsum pro gloria videtur, quod Christo dedecorato amasiæ hominum, imo detestanda scorta dæmonum prædicantur. A quibus si nonnulla munuscula quandoque suscipiunt, tam Christi quam sui oblitæ miserandam mortem suam, cum summo dedecore sui quibus audent ostentant, quasi non parvi se æstimantes, quæ se aliquibus vendere possint; plura tamen fortassis largituræ quam accepturæ. Paucos quippe emptores reperiunt et magis damnum quam lucrum conspiciunt; et quæ minus appetuntur merces, facilius omnibus exponuntur, et publicatæ citius obtinentur.

[1] *Tim. I*, cap. II, v. 9. — [2] Jerem., cap. III, v. 3.

Ut autem a proposito[1] revertamur, et de summa ignominia Christi ad laudem feminæ sæcularis redeamus; quum falso testimonio senum populus credidisset, et eam ad mortem condemnassent, exclamavit voce magna, et dixit[2] : « Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam contra me falsum tulerint testimonium, et ecce morior quum nihil horum fecerim. » In judicio prius constituta, quum illi in accusationem ejus testificarentur, non loqui, sed flere, et in cœlum suspicere narratur, ut ejus patientia primum probaretur, quam et in Christo propheta prædixerat his verbis[3] : « Tanquam ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. » Expectabat ibi tacita, damnationis suæ sententiam, et tacens hominibus, soli Deo fletu loquebatur. Nunc vero damnationis accepta sententia, ad excusationem sui, non liberationem, suam innocentiam protestata, famæ potius quam vitæ decrevit consulere, et suos saltem de morte sua minus sollicitos reddere, quam minime dubitarent ad feliciorem vitam transire. Certissimum quippe vel innocentiæ, vel culpæ testimonium est, extrema confessio damnatorum, maxime quum quidquid jam dicatur apud homines, sibi profuturum desperent, et tanto amplius de servanda veritate sunt solliciti, quanto se magis ad divinum judicium propinquare trepidant. Bene autem dicitur exclamasse voce magna, non quæ solum aures hominum tetigit, sed quæ ad piissimas aures Dei perfectius venit, nec tam terram quam cœlum replevit. Quod statim subsecutus indicat effectus, quum dicitur[4] : « Et exaudivit Dominus vocem ejus. » Quam, obsecro, vocem ejus audivit, imo, ut audistis, exaudivit? Quid enim oravit, unde meruit exaudiri[5]? « Tu, Domine, » inquit, « omnia nosti antequam fiant; tu scis quam falsum contra me tulerint testimonium. » Nunquid orando adjecit ut liberaretur a pœna, quam non meruerat ex culpa? nequaquam id rogare decreverat, quæ sic se ad vitam transire magis quam mori attendebat, nec tam de morte quam de infamia propulsanda curabat, ut suis potius quam sibi consuleret. Dominus autem, cui conscientia magis quam lingua loquitur, non solum ab infamia, verum etiam a morte ipsam liberare non differens, in eo vocem ejus exaudivit, quod confessionis suæ veritatem certis indiciis comprobavit. Unde et subditur[6] : « Quumque duceretur ad mortem, suscitavit Deus spiritum sanctum pueri junioris, cui nomen Daniel. » Spiritum, inquit, potius quam corpus suscitavit, quum ætatem pueri junioris mirabiliter exaltavit, ut spiritus sanctus, qui in eo jam erat per gratiam, per prophetiæ cognosceretur efficaciam; et per virginem puerum pudicitiæ defensorem impudici senes judicati damnarentur. Ex qua qui-

[1] Leg. *ad propositum*. — [2] Dan., cap. XIII, v. 42. — [3] Isai., cap. LIII, v. 7. — [4] Dan., cap. XIII, v. 44. — [5] Ibid. — [6] Dan., cap. XIII, v. 45.

dem spiritus suscitatione ad pudicæ, ut dictum est, defensionem matronæ, et condemnationem impudicorum senum, id non immerito puerum hunc meruisse credimus, ut perpetuæ virginitatis florem obtineret. Hinc quoque non incongrue credimus in tantam puerum famam ex hoc tam mirabili judicio suo crevisse, ut ipse quoque Nabuchodonosor, qui eum captivaverat, cum cæteris eum præcipue toti terræ suæ quasi judicem præficeret.

« Exclamavit autem voce magna, et dixit[1] : « Mundus ego sum a sanguine « hujus. » Et conversus omnis populus ad eum, dixit : « Quis est iste sermo quem « locutus es? » Qui quum staret in medio eorum ait : « Sic fatui viri Israel, non « judicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel? « Revertimini ad judicium, quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam. » Reversus est ergo populus cum festinatione. Quod vero tam mirabile, vel tam divinæ virtutis manifestum signum, ut tam cito ad unius pueri subitam increpationem totus subsisteret populus, et eo diligenter audito, ad judicium festinanter rediret? Quid in eo cernebat, quem ætas parvulum monstrabat et despicabilem, nec omnino ad tantum negotium sufficientem ostendebat? Profecto non est ambigendum eum quo repletus est, spiritum aliquo manifesto signo in eo esse visum, et quiddam divinum in vultu ejus vel habitu apparuisse, sicut de Domino creditur, quum ipse solus omnes pariter tam ementes quam vendentes de templo ejiceret. Reverso autem ad judicium populo, quam constanter, quam sapienter judex senum puer, imo in puero Spiritus sanctus loquatur audiamus[2] : « Separate eos ab invicem procul, et dijudicabo eos. » Et primo quidem graviter increpando atque arguendo eos dixerat : « Sic fatui filii Israel, non judicantes, neque quod verum est cognoscentes, etc. » Quæ est ista, obsecro, confidentia ejus, qui non solum puer, sed et junior memoratur, ut unus duos tam acriter arguat, tam publice puer increpet seniores, et tam cito judicium ipse consummet? Audistis pueri constantiam, sed miramini prudentiam, de qua in examinandis testibus universa per orbem Ecclesia sumpsit auctoritatem. Puer erat, et captivus, etiam Ecclesiæ legem non scripto, sed facto promulgabat. Quid est, puer, quod audes præsumere, et supra ætatem pueri, et non trepidas dicere : « Dijudicabo eos? » Dic saltem : Dijudicabit eos Dominus. Sed quia, ut ait Apostolus[3] : « Qui adhæret Deo unus spiritus est, » secure profiteris quod per divinum agatur, per tuum fieri spiritum ; præsertim quum et Veritas dicat[4] : « Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. »

Quid interim agis, o Susanna? quanta subsistis admiratione suspensa? quod

[1] Dan., cap. XIII, v. 46. — [2] Ibid., v. 41. — [3] *Corinth. I*, cap. VI, v. 17. — [4] Matth., cap. X, v. 20.

a puero speras auxilium, quæ per commune damnaris judicium? Sed quia scriptum legisti de tuo et omnium Salvatore[1] : « Puer natus est nobis, etc., » ne diffidas eum te per hunc puerum salvare, quem ut omnes salvet puerum fieri credideras ex lege. Non attendas pueri ætatem, sed præsidentem puero deitatem, de cujus potentia scriptum meministi[2] : « Dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt. » Confidens Domino, atque omni auxilio destituta præter divino, illud apostoli jam in te completum experiris[3] : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » Filia Juda, ut ipse Daniel profitetur, et de regio sanguine clara, atque dominicæ stirpi per cognationem conjuncta, quem fueras habitura cognatum, jam in agone tuo præsentis propitium; ut quod speras de salute animæ, jam experiaris in corporis liberatione, ut ex beneficio minori certior reddaris de majori, et de perceptione amplioris gratiæ ei semper studeas deservire. Audistis, virgines et sponsæ Christi, virtutem laicæ conjugatæ, quam a vobis de lectulo, ut diximus, foris egressis voluimus conspici; ut eam scilicet imitantes, sponsum vestrum reperiatis in vico, quem fortassis non habetis in claustro. Audistis, et vos, tam presbyteri quam clerici, judicium vestrum, qui circa sponsas Dei aliqua de causa conversantes, vel eis familiaritate qualibet adhærentes, tanto a Deo longius receditis, quanto eis turpiter amplius propinquatis. Maculare hominis torum præsumentes presbyteri, dignam, ut dictum est, mortis sententiam exceperunt. Quid eos maneat perpendite, qui proprium Dei lectum non verentur polluere. Quum apud ipsas missarum solemnia celebratis, vel ad infirmas venire cogimini, sæpe, ut audio, earum ori hostias porrigitis manibus illis, quibus ipsarum nates vel obscœnas partes contrectare soletis. Si corruptis monialibus vix a sanctis patribus remedium indulgetur, quid de ipsis sentiendum est corruptoribus? Quorum sexus quo naturaliter est fortior, tanto et eorum lapsus damnabilior. Ac ne prolixitate tam abhorrendæ maculæ finem nostri fœdemus sermonis, sufficit utrisque suum nos proposuisse judicium, et de propositæ historiæ judiciis a minori ad majus traxisse argumentum. Dominus ipse, sorores carissimæ, qui sicut audistis, cubile hominis servavit immaculatum, proprium quem ei consecrastis lectum custodiat incontaminatum, et longe a vobis releget fornicationis spiritum; et qui sancti propositi vobis inspiravit voluntatem, ipse perseverandi tribuat facultatem. Amen.

[1] « Parvulus enim natus est nobis. » (Isaiæ cap. IX, v. 6.) — [2] Psalm. XXXII, v. 9. — [3] *Rom.*, cap. VIII, v. 31.

DE ELEEMOSYNA,

PRO SANCTIMONIALIBUS DE PARACLITO.

SERMO XXX.

Inter universas Domini parabolas, fratres, illa præcipue de villico iniquitatis ad eleemosynæ fructum nos invitat. Qui quum villicationis suæ rationem reddere Domino non sufficeret, hoc novissimum habuit consilium, ut de pecunia Domini sui, et de reditibus ipsius villæ cui præerat, quos ipse antea in seipso prodigus consumpserat, amicos sibi præpararet, qui quum expulsus a Domino suo fuisset, eum susciperent beneficiorum ejus memores. Factum est itaque, ut quum ipsius villæ reditus colligeret, de rebus Domini sui in tantum aliis largus existeret, ut ei qui centum cados olei debebat, quinquaginta condonaret, id est dimidietatem, et ei qui centum coros tritici, viginti remitteret, octoginta scilicet accipiens. Et sic in eo completum est illud vulgare proverbium : « De alterius corio largæ corrigiæ. » Quo audito, Dominus ejus, qui eum a villicatione, hoc est a præpositura illa villæ removere decreverat, laudavit ipsum villicum iniquitatis, qui videlicet inique eum pecunia sua defraudaverat, quod prudenter fecisset, de alieno videlicet ære sibi amicos comparando. Quam quidem parabolam suam Dominus Jesus tali fine concludens ait[1] : « Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. »

Ecce ipsum villicum Dominus dicit iniquum, qui inique scilicet Dominum suum pecunia sua defraudaverat, et ipsam mammonam, id est pecuniam iniquitatis appellat, tanquam Domino fraude subreptam. Et tamen hanc ipsius villici sive mammonæ iniquitatem excusat providentia villici, quæ laudatur in amicis scilicet sibi comparatis; ut hinc maxime colligatur, quanta sit eleemosynæ virtus, quæ de male etiam acquisitis, et inique Domino subreptis, æterna cœlestis mansionis habitacula nobis promeretur. Quicunque enim in hac vita possidet aliquid, quasi villicus summi regis est, nec sua sunt quæ habet, sed a Domino sibi commissa tanquam procuratori et ministro. Quas quidem res Domini sui ita debet administrare, ut inde necessaria vitæ habeat, et quæ superfuerint Domino reddat. Inique vero agit et fraudulenter, si ultra necessaria sua quidquam retinet, et non de residuis ipsum Dominum in pauperibus pascit et vestit, sicut ipsemet

[1] Luc., cap. xvi, v. 9.

ait[1] : « Amen dico vobis, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. » Divina autem inspirante gratia, tunc apud Dominum suum se defamari villicus intelligit, quod non videlicet Domini sui fidelis extiterit dispensator aut procurator, quando peccatis obstinatiæ suæ, et avaritiæ, et clamore pauperum, quibus subvenire, et sua illis reddere noluit, se apud Deum graviter accusari recogitat, et eos sibi inimicos fecisse, quos amicos debuit comparasse. Attendit etiam se a villicatione removendum esse, quum ejus rationem Domino non sufficiat reddere, quia hoc ipsum est villicationem amittere, fructum de administratione rerum terrenarum apud Deum non obtinere. Quem tanto amplius quisque debet timere, et de reddenda ratione sollicitior esse, quanto sibi ab eo plura recognoscit commissa esse. Quum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Quod quidem attendens villicus providus et prudens, quem Dominus suus multis præfecerat, præparat sibi amicos, qui se a Domino exclusum recipiant. A Domino se excludendum judicat, quum in se non recognoscit unde Deo placeat, attendens quam terribile quid de divite Dominus alibi dicat[2] : « Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum cœlorum. » Ut ergo illic per alios introeat, amicos sibi illos comparat, quorum ipsum est regnum, ipsa veritate sic attestante[3] : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » His ergo communicat sua terrena, ut illi sua ei communicent cœlestia. Audi Salomonem, et exaudi plus quam Salomonem, quia[4] « redemptio animæ viri, propriæ divitiæ. » Et Dominus ipse Jesus Christus[5] : « Date, » inquit, « et dabitur vobis. Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis, » quia[6] « sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. »

Valde contraria sunt, fratres, ignis et aqua, quibus Dominus eleemosynam comparat et peccatum. Ille inter elementa calidissimus est, hæc frigidissima est. Et scitis, fratres, quia caritas, quæ nos, juxta Apostolum, spiritu ferventes facit, igni merito comparatur. De quo quidem igne Veritas ait[7] : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat? » Ac si aperte dicat : Quid aliud veni quærere in mundum, nisi ipsum flamma dilectionis accendere? Peccatum autem quod per invidiam ejus intravit in orbem terrarum, qui frigidas hominum inhabitat mentes, sicut scriptum est : « Ponam sedem meam in aquilone, » id est præparabo mihi regnum in cordibus hominum igne caritatis carentibus, recte per aquam frigidissimum elementum designatur. Quum autem caritas in Deum ferveat semper, maxime illa fervere cognoscitur, quæ per compassionem fraternam in eleemoysinis exhibetur. Unde et per excellentiam quamdam ipsa elee-

[1] Matth., cap. xxv, v. 40. — [2] Ibid., cap. xix, v. 24. — [3] Ibid., cap. v, v. 3. — [4] *Prov.*, cap. xiii, v. 8. — [5] Luc., cap. ii, v. 41. — [6] « Ignem ardentem extinguit aqua et eleemosyna resistit peccatis. » (*Eccles.*, cap. iii, v. 33.) — [7] Luc., cap. xii, v. 49.

mosynæ largitas quasi proprio jam vel speciali nomine caritas vocari consuevit. Sic e contrario obduratio mentis in pauperes maxime frigidam mentem esse convincit, et ab omni caritatis igne privatam, sicut scriptum est[1] : « Qui enim non diligit proximum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? » Bene itaque hanc obstinationem animi frigidissimo comparavit elemento, sicut illam benignitatem calidissimo. Hujus itaque benignitatis effectum pauperibus exhibentes, a regno diaboli recedimus, et in regnum Christi transferimur. Sicut ab aquilone pandetur malum, ita Deus ab austro veniet. Inde enim venire quisque habet, ubi inhabitat. Et diabolus, qui malorum actor est, in frigidis habitat mentibus, quæ per aquilonem, frigidissimum ventum, intelliguntur; et Deus in his, quæ caritatis igne sunt succensæ, quas bene auster, qui calidissimus est, designat.

Ad has sibi mentes parandas ipse in *Canticis* sponsus dicit[2] : « Surge, aquilo, et veni, auster, et perfla hortum meum, et fluant aromata illius. » Hortus Domini sancta est Ecclesia, quam excolit et irrigat doctrinis et exhortationibus sanctis. Hic hortus habet duo aromata, id est pretiosa sancti Spiritus unguenta, quorum altero Deum, altero proximum quasi ungere dicitur : Dei videlicet, ac proximi dilectionem, quia per illam proprie Deum in seipso tangit, et ad ipsum toto se desiderio suspendit, et per istam ad procurandas proximi necessitudines se inclinat atque demittit. Ab hoc horto surgit recedendo aquilo et venit auster, quando frigida prius hominum corda caritatis accenduntur flamma. Perflando auster sentitur, et caritas per eleemosynam exhibetur. Est auster, sed nondum flat; caritas mente concepta, nondum in opere exhibita. Tunc autem flatu suo educitur atque sentitur, dum in opere necessitatibus proximorum exhibetur. Tunc aromata, quæ prius in mente quasi recondita latebant, fluunt, quum tam Dei quam proximi dilectio visibili effectu operum exhibetur. Tum aromata fluentia pariter fragrantiam suam dilatant, quando impensæ caritatis bonus odor ad multorum veniens notitiam, multos aliorum exemplo ad bonæ operationis imitationem trahit.

Ecce, fratres hic congregati, hortus Dei esse debemus. Oremus ipsum dominum horti, ut ad ejus imperium surgat aquilo, sicut exposuimus, et veniat in eum auster perflans ipsum, ut fluant aromata; ut vestra videlicet caritas pauperibus impensa, non solum vos Dominus lucretur, sed exemplo vestro alios ei acquirat. Facite, juxta ipsius exhortationem, de mammona iniquitatis amicos, ut, quum defeceritis, recipiant vos. Est enim mammona iniquitatis, est et pecunia æquitatis, id est justitiæ. Iniquitatis est, quæ inique Domino fraudata, quum paupe-

[1] Joan., cap. IV, v. 20. — [2] *Cantic.*, cap. IV, v. 16.

ribus debuerit erogari, tot pauperes ut homicida peremit[1], quos sustentare potuit. Unde Hieronymus *in Epistolam Pauli ad Romanos* : « Nam si viderit illum fame periclitari, nonne ipse illum occidit, si illi quum affuit non dedit victum? Quicunque enim in necessitate succurrere morituris potest, si non fecerit, occidit. » Augustinus *contra Faustum* : « Itaque si occurras in eum famelicum qui mori possit, nisi cibum porrigendo subvenias, jam tu homicida teneberis lege Dei, si non dederis. » Leo papa in *Sermone secundo dominicæ Quadragesimæ*[2] : « Quisquis enim pascendo hominem servare poteris, si non paveris, occidisti. » Nobilis quoque gentilis Seneca, et naturali præditus lege, hoc quoque diu ante in proverbiis suis sanxerat, dicens : « Qui succurrere perituro potest, quum non succurrit, occidit. » Quantum hic, fratres, nobis periculum indicitur, si sic pauperes membra Christi avaritia nostra interficit, imo ipsum iterum in membris suis Christum occidit? Ipse quippe de his omnibus, quæ his pauperibus fiunt, per semetipsum loquitur[3] : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. » Etiam in cœlo consistens persecutori suo clamat, dicens[4] : « Saule, Saule, quid me persequeris? » Ipse propter pauperes suos semel occisus est, nos eum adhuc quotidie in ipsis pauperibus interficimus. Prior ejus illa occisio, per quam redempti sumus, fructuosa nobis fuit, hæc autem solummodo damnosa. Suscepit Judas mammonam iniquitatis, ut Christum traderet. Nos mammonam retinentes iniquitatis, ipsum interficere non cessamus. Accusamus Judam, quod eum propter pecuniam semel tradidit. Non accusamus nos, quod per pecuniæ cupiditatem eum quotidie quasi iterum crucifigentes interficimus. Transferamus, fratres, istam mammonam iniquitatis in mammonam æquitatis atque justitiæ, de qua scriptum est[5] : « Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi. » Illa est mammona æquitatis, id est pecunia justitiæ, quam virtus justitiæ fideliter dispensat, sicut illa est iniquitatis, quam avaritiæ defraudat iniquitas.

Ne putetis, fratres, quum hæc pauperibus impenditis, vos eis vestra dare, sed sua reddere. Quidquid enim supra necessaria vitæ retinetis, ipsorum sunt, et per rapinam sua violenter occupastis, quibus ablatis eos interficitis. Unde Gregorius in *Pastorali*[6] : « Ea, » inquit, « de qua sumpti sunt, cunctis hominibus terra communis est, et idcirco alimenta quoque communiter omnibus profert. » Incassum se ergo innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatim vindicant, qui quum accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur. Nam quum quælibet necessaria indignantibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur. Justitiæ potius debitum solvimus, quam misericordiæ opera

[1] *Peregit*, Ed. Amb. — [2] S. Leonis magni *Opera*, stud. P. Th. Cacciari, Romæ, 1753, in-fol., p. I, p. 338. — [3] Matth., cap. xxv, v. 40. — [4] *Act. Apost.*, cap. ix, v. 4. — [5] Psalm. iii, v. 9. — [6] Part. III, cap. xxi, *Opp.* t. II, col. 66.

implemus. Unde et Veritas quum de misericordia caute exhibenda loqueretur, dixit[1] : « Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. » Et Psalmista[2] : « Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. » Est enim justitia, quæ unicuique reddit quod suum est. Quum autem pauperibus sua restituimus, maxima est adhibenda discretio, ne scilicet quod alterius est alteri demus, aut cui magis debemus, minus demus. Est enim discretio mater omnium virtutum. Etsi recte offeras, sed non recte dividas, peccasti. Et omnia lex immunda censet animalia, quæ non ruminant, et non findunt ungulam. Non enim infidelibus deneganda est misericordia, sed maxime fidelibus impendenda. Juxta quod scriptum est[3] : « Maxime autem ad domesticos fidei, » si tanta sit largitas stipis porrigendæ. Sed Apostolus docet faciendam quidem ad omnes eleemosynam, sed maxime ad domesticos fidei. De quibus et Salvator loquebatur[4] : « Quos recipiant in æterna tabernacula. » Sed inter etiam ipsos fideles pauperes multa est differentia, quum alii pauperes mundi sint necessitate, alii pauperes Dei propria voluntate; de quibus dicitur[5] : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Quod et prædictus doctor diligenter attendens, consequenter adjecit : « Nunquid et isti pauperes, inter quorum pannos et ingluviem corporis flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec præsentia possident nec futura? Non enim simplices pauperes, sed pauperes spiritu beati appellantur, id est ut ei tribuat qui erubescit accipere, et quum acceperit dolet metens carnalia, et seminans spiritualia. » Sed inter ipsos iterum, qui Dei potius quam mundi pauperes sunt, nonnulla est differentia, quum alii plus egeant, alii minus. Hi quidem, qui sæculo penitus abrenuntiantes apostolicam imitantur vitam, veriores sunt pauperes et Deo propinquiores. Sed sunt hujus professionis non solummodo viri, sed etiam feminæ, quæ quum sint fragilioris sexus, et infirmioris naturæ, tanto est earum virtus Deo acceptabilior atque perfectior, quanto est natura infirmior, juxta illud Apostoli[6] : « Nam virtus in infirmitate perficitur. »

Istæ quum, terrenis conjugiis vel carnalium voluptatum illecebris spretis, sponso immortali se copulant, sponsæ summi regis effectæ, omnium ejus servorum efficiuntur dominæ. Quod diligenter attendens beatus Hieronymus quum ad unam harum sponsarum Eustochium scriberet, ait[7] : « Hæc idcirco, domina mea Eustochium, dominam quippe debeo vocare sponsam domini mei. » Quod si tantus Ecclesiæ doctor veraciter profiteri non erubuit, et vos eas dominas vestras rebus ipsis magis quam verbis recognoscentes, ne differatis earum inopiæ subvenire,

[1] Matth., cap. VI, v. 1. — [2] Psalm. III, v. 9. — [3] *Galat.* cap. VI, v. 10. — [4] Luc., cap. XVI, v. 9. — [5] Matth., cap. V, v. 3. — [6] *Corinth. II*, cap. XII, v. 9. — [7] Epist. XVIII, *Opp.* IV, part. II, p. 27.

et vos longe amplius domini vestri sponsis debere, quam servis, et eas apud sponsum proprium plus posse quam servos agnoscatis. Inter ipsas quoque sanctimoniales hæc in eleemosynis adhibenda est discretio, ut quæ majori paupertate sunt oppressæ, majori subsidio sustententur. Sunt enim monasteria feminarum sicut et monachorum antiquitus a potentibus sæculi fundata, vel copiosis possessionibus ditata. Hoc vero monasterium noviter constructum, nec a divite quodam fundatum est, nec possessionibus ditatum. Quod tamen in divinis officiis, et disciplina regulari non minori studio perseverare quam cætera Dei gratia novimus. Sed novella ejus adhuc et tenera plantatio vestris, ut crescat, colenda est eleemosynis. Eligendi vobis sunt pauperes, et eleemosyna qua regnum cœlorum emere vultis, non temere cuilibet porrigenda; sed sudet, sicut scriptum est, eleemosyna in manu tua, donec invenias qui dignus sit, donec tibi occurrat ubi eam possis bene collocare, quam in pretio tantæ rei vis ponere. Considerandi sunt pauperes, qui te possint meritis suis et orationibus illuc introducere; quia stultum est ab illis æterna tabernacula sperare, qui ut ea obtineant minime seu parum laborant, qui coactione magis quam voluntate sunt pauperes, rebus potius quam spiritu, inviti potius quam spontanei. « In carcere eram[1], » Dominus inquit, « et venistis ad me. » Nonnulla misericordia est eis etiam subvenire, qui in carceribus hominum inviti tenentur; sed maxima est his subvenire, quæ se sponte Domini carceribus in perpetuo mancipaverunt, donec sponso occurrentes cum ipso intrent ad nuptias, sicut ipsemet sponsus asserit dicens[2] : « Et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, » ut illuc videlicet quasi uxores assidua cohabitatione fiant, quæ hic extiterunt tanquam sponsæ. Ad quam quidem cœlestium societatem nuptiarum et æterna tabernacula, ipsæ vos meritis et intercessionibus suis sponsæ secum introducant, ut illic per eas percipiatis æterna, quæ hic a vobis suscipiunt temporalia, præstante ipso earum sponso Domino Jesu Christo, cui est honor et gloria, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

[1] Matth., cap. xxv, v. 36. — [2] Ibid., v. 10.

IN NATALI SANCTI STEPHANI,

VEL CÆTERORUM DIACONORUM, QUI AB APOSTOLIS DERIVATI SUNT OBSEQUIO SANCTARUM VIDUARUM.

SERMO XXXI.

« In lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos[1]. » Quam gloriosus et quam pretiosus, fratres, iste sit lectulus Salomonis, cui tam diligens custodia tot et tantorum virorum sic præparatorum, sic armatorum deputatur, mirari magis quam eloqui possumus. Quid in noctibus rex tantus metuebat, qui ex ipso quoque nomine suo, quantam sit adeptus pacem, insinuat? Quid, inquam, in noctibus potius quam in diebus verebatur, ut tanta custodiæ providentia lectulum suum ambiente muniret? Cur hæc denique quies ejus lectulo magis quam lecto comparatur? Lectum quidem in Evangelio legimus duos in se continentem, quorum alterum assumi, et alterum relinqui Veritas testatur. De lectulo autem, qui in hoc *Cantico Canticorum* sæpius memoratur, nihil tale dicitur; nec quisquam in eo quiescens relinqui perhibetur. Lectus itaque qui major est, et multos capit, quorumlibet continentium vitam designat. Hi namque quo amplius ab inquietudine sæcularium curarum sunt remoti, nec conjugalibus molestiis impliciti, ampliori quiete fruuntur. Sed quia et inter virgines nonnullæ fatuæ inveniuntur quæ a sponso clausa janua repelluntur, et multi post sacrum propositum apostatantur et ob hoc assumi a sponso non merentur, derelinqui dicuntur. Lectulus vero, qui arctior est et paucos capit, sanctæ continentiæ quietem exprimit, cujus vitæ perfectio Deo se arctius astringit, et quasi cum eo unus spiritus fit. Talium vita Deo penitus vacans, atque illi soli dedita, sponsæ nomine recte censetur, sed tunc rectius et specialiter, quum tanta virtus in feminis præminet, quæ, virili copula spreta, et contemptis voluptatibus, Christum sibi pro marito proposuerunt, non solum virgines, ut Maria, sed etiam viduæ, sicut Anna, et quæ abrenuntiantes sæculo, apostolico adhærebant collegio. Quas denique apostoli tanto pietatis amore sunt amplexi, ut cum crescente numero fidelium ipsi jam ut antea mensis earum non sufficerent ministrare, septem huic officio diaconos, id est ministros deputaverint, quibus earum necessitudini diligenter providentibus, ipsæ spiritali lectuli

[1] *Cantic.*, cap. III, v. 7.

quiete fruerentur ampliore. De quorum quoque numero, sicut et de cœtu apostolico diabolica tentatione uno cribrato et ventilato, sex tantum diaconi hujus viri Salomonis lectuli custodes, et tanquam excubiæ nocturnæ remanserunt. De quibus nunc dicitur : « En lectulum Salomonis, etc. » Ac si patenter diceretur : Jam in hac incarnati Verbi manifesta fœderatione veri Salomonis lectulum sexaginta viri fortes diligenter ambiendo et circumspiciendo protegunt; ne quo diabolicæ tentationis adulterio violetur, ne quo carnalium voluptatum contagio maculetur, aut curæ mundialis tumultibus inquietetur.

Sexagenarius numerus constat ex senario atque denario, quia sexies decem sexaginta fiunt. Sex autem illi diaconi tam senarium in numero suo habuerunt, quam in perfectione et custodia mandatorum Dei, quæ per decalogum legis designantur, denarium tenuerunt. Sic igitur in eis senario atque denario pariter conjunctis, recte sexaginta fuisse perhibentur. Fortes præcipue, nec in carnalibus remissos voluptatibus esse oportuit, qui sanctarum castimoniæ feminarum custodes præpositi. De quorum collegio ille solus expelli meruit, qui zelo pulchræ conjugis suæ nimium accensus, nec ab hac concupiscentiæ carnalis infirmitate vel correptus destitit; sed vehementis doloris vesania commotus, tam illam suam, de qua corripiebatur, quam cæteras feminas publicari censuit. Quem adeo detestandum apostoli decreverunt, ut in locum ejus neminem judicarent substituendum, sicut in Matthia Judam restauraverunt[1]. In omni quippe religionis conventu tolerabilior avaritia videtur, et minoris infamiæ, quam turpitudo luxuriæ, et maxime in devotis feminis. Hæc labes est detestanda, et ab eis penitus semovenda. Expulso denique illo misero et tam infirmi animi Nicolao a prædicto illo diaconorum forti consortio, mysticus ille quem diximus sexagenarius numerus recte est conservatus. Ex fortissimis Israel hi sunt diaconi electi, quia ex discipulis Christi mira continentiæ et abstinentiæ virtute præditis sunt assumpti. Unde gladiis armati et ad bella doctissimi describuntur, quia doctrinis instructi divini verbi, qui gladius spiritus nuncupatur, quælibet antiqui hostis tentamenta cum hoc gladio resecabant, et tam continentiæ quam abstinentiæ clypeis muniti ignea tela illius nequissimi quasi quodam umbone valido repellebant. Qui etiam in qua sui parte gladios præcipue gestarent provide est determinatum quum subditur : « Uniuscujusque ensis super femur suum. » Qui enim sanctimoniæ præerant feminarum, et prædictum miserum de concupiscentia carnis damnatum a consortio suo moverant ejectum, ab hoc sibi vitio maxime providebant, et incentiva libidinis continentiæ gladio a se maxime resecabant. Unde et bene super illam corporis partem enses habere describuntur, ubi sedem luxuriæ con-

[1] *Act. Apost.*, cap. I, v. 26.

stat esse tanquam propriis partibus libidinis. Quod diligenter maximus ille christianorum philosophus Origenes attendens, corporali quoque gladio in semetipso usus, manus sibi inferre sustinuit, quo sine suspicione infamiæ ad mulieres quoque instruendas liberum accessum posset habere. Ex primo quoque *Dialogorum* beati Gregorii libro[1] didicimus venerabilem Equitium abbatem, ut feminarum quoque monasteriis præesse deberet, ab angelo per visum ita spiritaliter eunuchisatum esse, ut incentiva carnis quibus primo graviter incestabatur, sic in eo penitus extinguerentur ac si omnino deinceps viveret sine sexu.

Sunt qui super femur alienum potius quam super suum gladium habent, quum aliqui non tam bene viventes quam prædicantes, aliorum incestuosam vitam magis corrigunt quam propriam. Timores nocturni sunt sollicitudines sanctorum de quibuslibet diaboli vitandis insidiis. Tanquam enim in tenebris omnis insidians latet, et perfecti quilibet, qui jam manifesta vicerunt tentamenta, de his superest ut cogitent quæ magis sunt occulta, et difficilius deprehendi possunt. Unde et secundum veterem Ezechielis translationem, ut beatus meminit Gregorius, sancta illa quatuor animalia oculos in dorso habere dicuntur. Quod ipse diligenter exponens, ait[2] : « Et hæc quidem vitia quæ virtutibus finitima sunt, majori sollicitudine consideranda sunt, ne per speciem fallant. » Et post aliqua : « Ea enim quæ in facie sunt, sæpe etiam peccatores custodire solent. Justi autem quia se et in eis custodiunt, quæ in promptu et in facie non videntur, in dorsis oculos habent; quia et ea quæ in oculis sunt discutiunt, et ab his se custodiunt quæ latent. » Pensate itaque, dilectissimæ sorores, quam obsequii vicem his tam egregiis ministris referre debeatis, et tanto majori devotione natalitia ipsorum celebrate, quanto fidelibus his viris dispensatoribus amplius estis obnoxiæ. Perpendite et quanto vos honore divina gratia sublimaverit, qui vos primum suas et postmodum apostolorum habuit diaconas, quum tam illis quam istis sanctis viduis de suis facultatibus constet ministrasse. Unde et ipsas tam diaconas quam diaconissas antiquitus appellare doctores sancti consuevere. De quarum etiam mensis ordo diaconatus in prædictis viris incœptus, ad dominicam altaris mensam postmodum est translatus; ut qui diaconarum fuerant diaconi, nunc levitæ efficiantur Christi. Quibus pariter et feminas in hoc diaconatus ordine ab apostolo conjunctas esse, doctores sancti multis profitentur in locis. Qui ad Romanos epistolam scribens[3] : « Commendo, » inquit, « vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio ecclesiæ, quæ est Chencris. » Quem quidem locum Cassiodorus in hujus epistolæ commentariis suis exponens : « Significat, » inquit, « diaconissam fuisse matris ecclesiæ, quod in par-

[1] Cap. IV, *Opp.* t. II, col. 164. — [2] Homil. VII, *in Ezechielem*, *Opp.* t. I, col. 1225. — [3] *Rom.*, cap. XVI, v. 1.

tibus Græcorum hodie usque peragitur, quibus et baptizandi usus in Ecclesia non negatur. » Hinc et Claudius ita meminit[1]: « Hic locus apostolica auctoritate docet etiam feminas in ministerio Ecclesiæ institui, in quo officio positam Phœben apud ecclesiam, quæ est Chencris, apostolus magna cum laude et commendatione prosequitur. » Hieronymus quoque illum apostoli locum ad Timothæum scribentis exponens, dicit[2]: « Adolescentiores autem viduas devita in ministerio diaconatus præponere, nec malum pro malo detur exemplum. »

Idem quoque apostolus, quum supra in eadem epistola post episcopos etiam diaconorum vitam ordinaret, institutionem quoque diaconarum illis conjunxit, dicens[3]: « Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non tempore lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, et sic ministrent nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diacones sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint, et suis domibus, etc. » Ubi et illud notandum est, quod quemadmodum hoc loco diaconos quoque, sicut episcopos, unius uxoris viros approbat, ita et postmodum diaconissarum ordinem instituens, eas etiam unius viri uxores maxime commendat[4]: « Vidua, » inquit, « eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, » ut videlicet tanto sit ad sui ordinis administrationem idoneior, quanto jam calore corporis refrigescente, ardorem libidinis minus sentit : et tanto solertius ecclesiasticis ministeriis valeat præesse, quanto magis in rei familiaris cura bene cognoscitur exercitata. Quæ de intemperantia libidinis ne plurimum possit notari, si videlicet per plures decurrerit viros, unius viri uxor eligenda censetur. Vos tandem alloquor, virgines, ut ministrorum quoque differentiam de vestra cogitetis prærogativa. Ecce enim sanctorum obsequio viduarum ab apostolis, locum quorum obtinent episcopi, minoris ordinis viros, id est diaconos, videtis deputatos : ab ipso vestro Christo in matre ejus virgine didicistis, quid vobis debeant episcopi. Non enim illi diaconum, sed apostolum dedit ministrum, per hoc patenter insinuans tanto vos digniores promereri ministros, quanto ad excellentiam dominicæ matris amplius propinquatis. Quæ quidem non diaconum, sed apostolum in obsequio sui ministrum adepta, quid vobis episcopi debeant insinuat, qui apostolorum gradum in Ecclesia possident. Unde et devotis communiter feminis tam virginibus quam cæteris, quanto studio tam apostolorum quam prædictorum diaconorum ab eis electorum festivitates sint celebrandæ, nolo vos ignorare. Quorum vos intercessionibus plurimum ad-

[1] Vide supra, p. 135, note 1. — [2] *In Epist. ad Timoth., Opp.* t. V, col. 1092. — [3] *Tim. I,* cap. III, v. 8. — [4] Ibid., cap. V, v. 9.

jutas ille vos in sacro proposito custodiat, qui tales vobis deputavit ministros, et eosdem apud se vestros habeat advocatos sponsus vester Dominus Jesus Christus, qui cum Patre, etc.

DE LAUDE SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.

ANCILLIS CHRISTI SERVUS CHRISTI, TANTO DOMINO DIGNE CONFAMULARI.

SERMO XXXII.

Protomartyris et cœlestis signiferi piissimas exequias, imo triumphalem celebrantes agonem, tanto id majore perficite devotione, quanto vos amplius huic tam Christi quam vestro diacono constat obnoxias esse. Quid enim diaconus nisi minister interpretatur? Quis autem *Actus Apostolorum* perlegens, non noverit beatum Stephanum cum sex aliis Spiritu sancto plenis, juxta ipsius Spiritus septiformis gratiæ numerum, ab apostolis in ministerium sanctarum feminarum diaconos electos, et per impositionem manus, ad hujus administrationis curam diligenter astrictos, et quasi adjuratos? Qui quum omnes pariter[1] pleni Spiritu sancto ab apostolis eligendi dicantur, solus tamen Stephanus hanc gratiam spiritaliter adeptus in sequentibus memoratur, quum dicitur[2] : « Et elegerunt Stephanum virum plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum, etc. » Et rursum[3] : « Stephanus plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo. » Gaudete itaque, et spiritaliter[4] congaudete tanti agonistæ victoriæ, quem et meruistis habere ministrum, et in hujus administrationis mercede priorem martyrii palmam adeptum de obsequio vestro misistis ad cœlum. Reddite mutuum super hoc divinæ laudis obsequium; et quo ille fidelis pro Deo vestris ministravit mensis, eo vos devotius in obsequio Dei et veneratione martyris persistatis. In quo simul et honorem vestrum pensate, et fiduciam de meritis ejus non mediocrem sumite. Honorem quidem, quod, ut præfati sumus, talem meruistis habere ministrum, quem militiæ cœlestis signiferum omnes animæ sequuntur justæ : fiduciam vero, qua ipsum præcipue ibi speretis

[1] MS. Eins. - *Pariter* deest Ed. Amb. — [2] *Act. Apost.*, cap. VI, v. 5. — [3] Ibid., v. 8. — [4] *Specialiter* MS. Eins.

adjutorem [1], quem hic fidelissimum habuistis procuratorem; ut [2] qui in minimo fidelem se præbuit ministrum, in majore ultroneum se præparet advocatum. Quod tanto facilius suis apud Dominum meritis obtinebit, quanto ejus gratiam majorem adeptus, summo sacerdoti primus diaconus meruit adjungi. Cujus quoque passio tantam privilegii nacta est auctoritatem, ut sola ipsa canonicis inserta scripturis, eumdem habuerit scriptorem, quem et dominica. Tanquam apocryphæ passiones apostolorum repudiantur, et exitus dominicæ matris certum ex scriptore titulum non habet. Sola est protomartyris passio evangelici scriptoris [3] stylo insignita, et tam diligenter descripta, ut tam in sua quam in vestra laude abundet. Statim quippe post electionem ejus et cæterorum ad obsequii vestri diaconatum, subjunctum legimus : « Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo. » Quid hoc, obsecro, vobis dignitatis acquirit, quod non ante susceptum diaconatus officium his prodigiis et signis Stephanum magnificari Lucas commemorat, sed statim post hujus [4] curæ susceptionem : nisi ut innuat hoc a vobis meritum processisse, ut quo se amplius sub infirmiori sexu famulando humiliaret, amplius hinc eum Dominus exaltaret, et in his, quæ sequuntur, cæteris excellentior sanctis appareret? De quo et subditur, quod quum propter prodigiorum et signorum magnitudinem ferre adversarii eum non possent, de diversis in eum synagogis et locis convenientes, tam verbis quam factis mirabilem invenerunt [5]. Quum enim præmisisset evangelista : « Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo; » adjecit, atque ait [6] : « Surrexerunt autem quidam de synagoga quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum, qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano : et non poterant resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur. » Unde illico tam verbis ipsius quam miraculis amplius confutati, et vehementius in eum commoti falsis contra eum testibus introductis, commoverunt [7] plebem, et seniores, et scribas, ut concurrentes raperent eum, et traherent in concilium, ut de blasphemia saltem in Deum et Moysem a falsis testibus ei objecta reus adjudicaretur. Quod quidem non tam per eorum malitiam, quam per dispensationem divinam, ut in omnibus militem suum Deus glorificaret, patenter historia docet. Unde et quum scriptum sit, quia « concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium, » non tam vi adductum [8] quam propria voluntate [9] eum intelligimus. Cupiens enim dissolvi, et esse cum Christo, qui ad Patrem ait [10] : « Volo, pater, ut ubi sum ego, illic sit et

[1] *Omnes animæ*. – *Speretis adjutorem* desunt in Cod. Eins.— [2] MS. Eins.– *Ut* deest in edit. Amb.— [3] MS. Eins. – *Scripti*. Amb. — [4] MS. Eins. – *Hujus* deest in ed. Amb. — [5] MS. Eins. – *Invenirent* Ed. Amb. — [6] *Act.*, cap. VI, v. 9. — [7] Joan., cap. XII, v. 26 MS. Eins. – Illico *commoverant* ed. Amb. — [8] MS. Eins. – *Auctum* Amb. — [9] Inscritur *ad ductum* in ed. Amb. — [10] Joan., cap. XII, v. 26.

minister meus, » eo tunc desiderio primus ipse diaconus post summum sacerdotem Christum ferebatur, quo postmodum Laurentius Sixto adhærebat dicens : « Quo progrederis sine filio, pater? Quo, sacerdos sancte, sine ministro properas? » Recordabatur et illud Sapientis proverbium, quo se obligatum attendebat, et exsolvere cupiebat : « Ad mensam magnam sedisti : scito quoniam et talia te oportet præparare. » Sicut enim mensa est corporalis cibi, quæ parva dicitur : sic et mensa magna ea recte vocatur, unde cibus animæ in sacramento dominico sumitur. Hanc mensam Dominus erexit, quum seipsum in cruce pro nobis immolavit. Ad hanc mensam accedimus, quum de altari corporis et sanguinis ejus sacramenta sumimus. Quod quidem sumentes, illud attendere debemus, quod ista sumentes Christus admonet[1] : « Hoc facite, » inquit, « in meam commemorationem. » Ac si aperte dicat : Hoc in memoriam meæ passionis ita celebrate sacramentum[2], ut ad compatiendum pro me, ipsa vos promptos præparet memoria. Ut enim Apostolus meminit[3] : « Si compatimur, et conregnabimus. » Quum vero compatiendo Christo, vicem ei reddimus : quasi de mensa potentis sumpta fercula recompensamus, ut et nos eum reficiamus de nostro, sicut et ille nos satiavit de suo; et nobiscum ipse cœnet, cum quo nos prius cœnavimus. Quis autem minister in mensa Christi, nisi diaconus intelligitur, qui et ipsam altaris mensam, et in ea consecrandæ hostiæ sacramenta componit? Unde bene memorem hujus hostiæ ipsum esse convenit, cujus præcipue ministerio tractatur, ut inde merito primus hic diaconus illi summo sacerdoti in hac recompensanda vice succederet. Cujus quidem laudem quum in concilium advocatus esset, ut diximus, ad accusandum, evangelista prosequens ait[4] : « Et intuentes in eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus, tanquam faciem angeli. » Jam enim in eo futuræ vitæ gloria resplendebat, quam fidelibus suis promittens, ait[5] : « Ibi enim neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut angeli Dei in cœlo. » Et *Apocalypsis*[6] : « Mensura, » inquit, « hominis, quæ et angeli. » Legimus Dominum in transfiguratione sua tanquam solem facie resplenduisse : hujus autem faciem tanquam angeli audivimus factam esse, quod nec apostolorum, nec sanctorum cuiquam sacræ historiæ. Statutus autem et interrogatus in concilio, quanta fortitudine animi atque constantia plenus esset, propriis responsis exhibuit : quæ quidem tali fine concludens, ait[7] : « Dura cervice, et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis : sicut patres vestri, ita et vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis, qui accepistis

[1] Luc., cap. XXII, v. 19. — [2] MS. Eins. - *Hæc sacramenta* ed. Amb. — [3] « Si sustinebimus et conregnabimus. » (*Tim. II*, cap. II, v. 12.) — [4] *Act. Apost.*, cap. VI, v. 15. — [5] « In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur. » (Matth., cap. XXII, v. 30.) — [6] *Apoc.*, cap. XXI, v. 17. — [7] *Act. Apost.*, cap. VII, v. 51.

legem, et non custodistis. » Ubi et subditur : « Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. » Jam enim de primitiis percipiendæ coronæ securus, et de consummatione agonum suorum roboratus, quanto amplius properabat ad bravium, tanto adversarios minus verebatur, et magis in se commoveri gaudebat. Quam profecto constantiam non tam verbis ipsius, quam ipsa sua præsentia ei Dominus exhibebat, sicut statim adjunctum est[1] : « Quum autem esset Stephanus plenus Spiritu, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei. » Legimus Dominum Jesum, quum cœlos ascenderit, ad dexteram Patris consedisse : nunc vero propter Stephanum, quasi inde surrexerit, stantem potius quam sedentem eum vidit apparuisse. Quis hic honor, quæso, aut quæ spes Martyris, ut in occursum ejus assurgere, vel in auxilium ejus stare, quasi et pariter pugnet[2], Christus appareat? Bene autem præmissum est, faciem ejus tanquam faciem angeli factam fuisse, quum subjunctum sit eum gloriam Dei[3] vidisse, ut jam ejus vita sive cognitio angelica magis quam humana dicenda sit. Scriptum quippe est, Domino ad Moysen dicente[4] : « Non videbit me homo, et vivet. » Et Psalmista de ipsa visione divinitatis jam securus, ad Deum loquitur[5] : « Satiabor quum apparuerit gloria tua. » Hic vero Stephanus non solum humanitatem Christi stantem ad dexteram Patris, verum et gloriam Dei videre se asserit, quasi jam omnino angelicam faciem adeptum. De qua videlicet angelica visione per semetipsam Veritas ait[6] : « Amen dico vobis, quia angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est. » Raptus est Paulus usque ad tertium cœlum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui[7] : non tamen gloriam Dei, vel dexteram Patris, in qua Christus consisteret, legitur conspexisse. Unde jam Stephanum quasi jam in exitu vitæ constitutum non tam humane quam angelice vivere perpendimus : cui nec virginitatis prærogativam defuisse credimus, quæ præcipue virtus angelos imitatur : ut videlicet in carne sine corruptione carnis vivatur, quod nequaquam Moysi concessum et humanæ infirmitatis copulæ obligato[8]. Unde et in laudem tanti martyris[9] sermo quidam conscriptus tali fine conclusus est : « In hoc quod præpositus est feminis, testimonium meruit sincerissimæ castitatis. Beatus ergo erit, qui hunc imitatus fuerit. Et pudicitiæ enim palmam, et martyrii consequetur coronam. » Ac si aperte diceretur : Qui exemplo ejus Agnum sequens quocunque ierit, et bisso pariter indutus et purpura, rosis simul et liliis intextum percipiet diadema. Unde et per excellentiam tanti meriti[10] divino quodam præsagio factum est ut Stephanus vocaretur : quod, ut Beda meminit[11], hebraice

[1] *Act. Apost.*, cap. VII, v. 54. — [2] *Pugnare* MS. Eins. — [3] *Eum Deum vidisse* MS. Eins. — [4] *Exod.*, cap. XXXIII, v. 20. — [5] Psalm. XVI, v. 15. — [6] Matth., cap. XVIII, v. 10. — [7] *Corinth. II*, cap. XII, v. 4. — [8] *Alligato* MS. Eins. — [9] *Mysterii* MS. Eins. — [10] *Et in excellentiatant militis* MS. Eins. — [11] *In Act. Apost., Opp.* t. V, col. 638.

norma vestra, græce[1] corona dicitur; cujus nominis utraque interpretatio quantum hujus militis excellentiam exprimat facile est assignare. Quod enim dicitur norma vestra, o fideles, tantis eum virtutibus adornatum innuit, ut ad perfectionem vitæ ipse sit omnibus regula disciplinæ. Quippe quum dilectio sit legis plenitudo, quis æque ut Stephanus hanc tam Deo quam proximo visus est exhibere? Deo quidem pro ipso, et post ipsum prior moriendo, atque illud adimplens, quod ipse de ipso dixerat[2]: « Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Proximo autem, quum pro se lapidantibus voce magna orans, supplicavit dicens[3]: « Domine, ne statuas illis hoc peccatum : quia nesciunt quid faciunt. » Ubi et mox de ipso de tanta perfectione assumpta subditur[4]: « Et quum hoc dixisset, obdormivit in Domino.» Et quidem ipsum pro se orasse Scriptura non reticet, dicens[5]: « Et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : « Domine Jesu, suscipe spiritum meum. » Sed, profecto, dum pro se orat, nec genua flexisse, nec clamasse voce magna legitur : ut tanto majorem inimicis exhiberet devotionem, quanto eos amplius orationis suæ præsidio egere sentiret, de quorum meritis nihil confidebat. In hac ergo perfectione caritatis erga inimicos consummatus, expleta pro eis oratione, statim in Domino meruit obdormire; ut de perfecto virtutis cumulo, primus tam dignitate quam tempore martyr, primum perciperet bravium. Decebat quippe ut talis in acie Domini primus eligeretur athleta, et cæteris anteponeretur, qui, quo virtute perfectior, eo amplius ad bellum propriis animaret atque instrueret exemplis : quasi per ipsum Dominus manus omnium doceret ad prælium et digitos ad bellum. Et ut constantius ad agonem posteros hortaretur, intuens in cœlum vidit gloriam Dei, et sibi jam astantem Jesum, statimque, quasi ad sequaces suos in agone corroborandos, exclamat dicens[6]: « Ecce video cœlos apertos, et filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. » Ac si diceret : Pugnate et vos fortiter, dimicate viriliter : quia post agonem pugnæ, nulla est jam dilatio palmæ. State in acie intrepidi, pugnate securi : quia Christus in agone astat nobis, ut vincamus pugnat pro nobis. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quid etiam illud est insigne præsagii, quod Stephanus non tam coronatus, quam corona ipsa interpretatur? Quasi enim de ipso sunt omnes coronandi, qui ab ipso inchoantes, sunt per ipsum instructi : ut ipse simul et regula sit virtutum, et quodammodo corona victorum, et ducatus ad præmium. Qui etiam tantis, ut dictum est, extitit virtutibus adornatus, ut corona cæterorum, quasi supremum diceretur ornamentum, et in ipso corpore Christi non tam cæteris sanctis in

[1] *Græce latine* MS. Eins. — [2] Joan., cap. xv, v. 13. — [3] *Act. Apost.*, cap. vii, v. 59. — [4] Ibid., ibid. — [5] Ibid., v. 58. — [6] Ibid., v. 55.

vestimento dominico sit connumerandus[1], quam in superiori parte, quasi corona, collocandus. Unde et immaculatæ suæ carnis hostia cæteris martyribus præponi, et in catalogo septem diaconorum tanquam eorum archidiaconus, tam rei quam ordinis nomine meruit anteponi. Decebat quippe ut cæteri cum ipso vobis[2], ut diximus, deputati, ejus præcipue regerentur arbitrio, qui castimoniæ præminebat virtute. Bene itaque divina dispensatione actum est, ut in exemplo martyribus ille primus exhiberetur, qui virtutum gratia præcedens, eos amplius roboraret[3], et ad coronam provocaret. Et sursum intuitus Jesum, tam in occursum, quam in auxilium sui pariter stantem, hanc revelationem sibi fieri non distulit profiteri : qua videlicet sequaces suos ad compatiendum amplius roboraret, et adversarios in se ipsum vehementius commoveret[4]. Meminerat, ni fallor, Isaiam a Judæis occisum, eo quod se Dei majestatem[5] vidisse scripserat. Unde et ipse amplius istos commovendos ex his verbis suis Stephanus æstimabat, sicut et statim annexum est quum dicitur[6] : « Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant. » Hanc eamdem portam æstimo, qua et Christus ad crucifigendum egressus est : ut et regi et militi idem passionis locus esset communis. Completum est in eo juxta ipsam quoque historiam, quod ad Hæbræos scribens Apostolus, ait[7] : « Quorum animalium infertur sanguis in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret, per suum sanguinem, populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. » Si ergo his, qui futuram inquirunt, tanto desiderio properandum est, quanto magis Stephano, qui jam eam in cœlis præsentem cernebat, qui sibi assurgentem, seu in occursum ejus stantem ac paratum videbat Christum?

Quanta autem promotione in eum debaccharentur, ipsa persequentium impatientia testatur, quum dicitur : « Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant. » Non[8] enim dicit jam ejectum lapidari, sed quum adhuc ejiceretur inchoari. Ejecto autem illo, quanta festinatione ad ejus interitum convocarent, depositio vestium eorum innuit qua auferri videbatur aliquid impedimenti. Quanta vero sit ejus caritas quæ : « Omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet[9], » exitus manifestat. « Positis quippe genibus exclamavit voce magna dicens : « Domine, ne statuas « illis hoc peccatum; » et quum hoc dixisset obdormivit in Domino.[10] » Monstrant

[1] *Conversandus* MS. Eins. — [2] MS. Eins. - *Nobis* ed. Amb. — [3] *Præcederet et eos amplius coroboret* MS. Eins. — [4] *Accenderet* MS. Eins. — [5] MS. Eins.- *Deum* ed. Amb. — [6] *Act. Apost.*, cap. VII, v. 56. — [7] *Hebr.*, cap. XIII, v. 11. — [8] Ea quæ sequuntur in Codice Einsidl. reperta nunc primum in lucem edimus. — [9] *Corinth. 1*, cap. XIII, v. 7. — [10] *Act. Apost.*, cap. VII, v. 59.

præcedentia Stephanum etiam pro se ipso orasse quum dicitur[1] : « Et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : « Domine Jesu, suscipe spiritum meum. » Ubi diligenter attendendum video quanta caritate inter ipsos lapidum ictus inimicos amplecteret, pro quibus non solum orat, sed etiam flexis genibus supplicat, quod nequaquam legitur pro seipso fecisse, verum etiam pro his quos primo graviter arguere et tam sua quam patrum suorum scelera non timuit improperare. Ex quanto autem caritatis fonte id perveniret exhibuit in fine, in quo tum præcipue Dominum Jesum imitari videtur, qui ad passionem deductus pro crucifigentibus deprecatus est dicens[2] : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt. » Perpendite, obsecro, carissimæ sorores et filiæ Christi, quanta providentia divinæ pietatis circa vos fuerit qui hanc famulatui vestro caritatem deputavit, quæ nec inimicis, quum occideretur, irasci potuit, ut hinc præcipue colligatis quid de ipso vobis sit sperandum qui sic se inimicis præbuit propitium. Legimus et alios sequaces ejus fortiter dimicasse, nullos autem vel paucos hanc exemplo Domini sui interemptoribus gratiam exhibuisse. Unde et merito primus in agone Domino succedere meruit, cui ex tanta virtutis imitatione propinquior extitit, ut quo profectior esset virtute, prior assumeretur in exemplo[3] pugnæ.

At ne tantæ caritatis affectum in oratione sua non obtinuisse[4] putemus effectum, attendite quid oratione illa proveniat et sequatur. Dictum quippe fuerat testes illos falsos quibus lapidantibus traditus est, custodienda vestimenta sua secus pedes adolescentis Sauli deposuisse, postea vero quum, expleta oratione, pro inimicis martyr statim in Domino obdormivisse dicitur, mox de eodem adolescente Saulo subinfertur : « Saulus autem erat consentiens neci ejus, etc. » Quibus verbis quidem in hoc maxime adolescente ejus oratio fructuosa invenitur, ut ille postea per meritum Stephani conversus fuisse credatur, per quem universus fere mundus ad Deum converteretur, ut hoc ipsum quod credimus Stephani meritis omnes pariter gentes tribuamus.

Sed nec Stephano lapidato[5] persequentium ira sedata est, sed tanto amplius propter eum accensa, quanto constat eum Deo magis acceptabilem et inimicis Dei fuisse odibilem. Unde et sequitur[6] : « Facta est persecutio magna in Ecclesia in illa die quæ erat in Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judeæ et Samariæ, præter apostolos. » Cujus quidem persecutionis dispersionem in quantam salutem Ecclesiæ Dominus converterit, ut de morte scilicet Stephani desolata materiam acciperet consolationum, sequentia indicant, quum hæc scilicet fidelium dispersio multos in fidem Christi congregaret populos, sicut in sequentibus con-

[1] *Act. Apost.*, cap. VII, v. 58. — [2] Luc., cap. XXIII, v. 34. — [3] Legitur in Cod. *In emplo pugnæ*, quod sensu caret. — [4] Cod. *Optinuisse.* — [5] Legitur in Cod. *lapidatio.* — [6] *Act. Apost.*, cap. VIII, v. 1.

tinetur, quum dicitur[1] : « Igitur qui dispersi erant pertransibant evangelizantes verbum Dei, Philippus autem descendens in civitatem Samariæ prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur unanimiter audientes et videntes signa quæ faciebat. Multi enim illorum qui habebant spiritus immundos clamantes voce magna exiebant, multi paralytici et claudi curati sunt. Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate. » Quod etiam gaudium quantum apostolis fuerit non tacetur quum dicitur : « Quum audissent autem apostoli qui erant Jerosolymis quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum et Johannem, etc. » Hunc autem Philippum eum esse constat, qui etiam inter ipsos septem diaconos vestro famulatui deputatos evangelista superius secundum post Stephanum computavit, dicens[2] : « Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum, etc. Ex quo etiam liquet per hunc quoque diaconem vestrum quasi de domo vestra primam agentes prædicationem Christi dilatam fuisse et primitias gentium in horreas Christi pervenisse. Cujus etiam filiabus quantam gratiam prærogativa virginitas contulerit longe inferius Evangelista non reticet dicens[3] : « Altera autem die profecti venimus Cæsaream et intrantes domum Philippi evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant filiæ quatuor virgines prophetantes. »

Ut ergo nunc ad superiora redeamus, libet etiam nunc intueri quantam curam sepeliendi sanctissimum martyris sui corpus habuerit Dominus, quum de cæteris ad ipsum ingemiscens Psalmista conqueratur dicens : [4] « Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem sanctorum in circuitu Jerusalem et non erat qui sepeliret. » In illa quippe tanta persecutione et dispersione fidelium quæ tunc Jerosolymis facta est, non defuerunt fideles qui cum planctu magno in tanta sui anxietate martyrem, sepelierunt sicut scriptum est[5] : « Sepelierunt Stephanum viri timorati et fecerunt planctum magnum super eum. » Hic est ille ploratus et ululatus multus Rachelis vestræ, hæ sunt illæ compatientis Ecclesiæ piæ lacrymæ, quæ per Jeremiam præfigurata sunt dicentem[6] : « Vox in excelso audita est lamentationis et luctus, Rachelis plorantis filios suos, etc. » Et vos ergo, sorores in Christo carissimæ, talem ac tantum in vestro famulatu defunctum pia lamentatione plangite; pia compassionis devotione venerandas exequias celebrate, et quasi hunc præcipue vestrum ad sepulcrum prosequentes ejus sepulturæ lacrymis unguenta perficite, et fideli ejus circa vos obsequio quasi aromata præparate.

Legimus in illis sceleratis turbis quæ ad crucifigendum ducebant Dominum,

[1] *Act. Apost.*, cap. VIII, v. 4 et sq. — [2] Ibid., cap. VI, v. 5. — [3] Ibid., cap. XXI, v. 8 et sq. — [4] Psalm. LXXVIII, v. 2 et 3. — [5] *Act. Apost.*, cap. VIII, v. 2. — [6] Jerem., cap. XXXI, v. 15.

non defuisse illi lugentium pietatem feminarum. Sicut idem meminit evangelista dicens[1] : « Sequebatur autem eum multitudo populi et mulierum quæ plangebant et lamentabantur eum. » Conversus autem ad illas Jesus dixit : « Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, etc.» Si ergo infideles feminas, et ipsorum et persequentium uxores naturalis affectus pietatis qui maxime vestro sexui inest ad compassionis lacrymas commovit, quid vestro debeatis Stephano non ignoratis.

Quem etiam post mortem quot et quantis miraculis Dominus extulerit præcipue doctores Ecclesiæ ad posterorum memoriam studiose scribendo transmiserunt. Unde inter cætera meritis ejus perpetrata magnalia, maximus Ecclesiæ doctor Augustinus libro *de Civitate Dei*[2] ultimo sex mortuos in Africa commemorat suscitatos, quod nec ipsum sibi Dominum nec Petrum id miraculis præcipuo, nec cuiquam sanctorum legimus concessisse. Prius quidem quemdam presbyterum, deinde puerum, postea quamdam sanctimonialem, dehinc quamdam puellam, postea juvenem, deinde quemdam infantem. Eucharius enim presbyter vetere morbo calcibus laborabat et per memoriam ejus in terris salvus factus est. Ipse vero postea morbo alio prævalescente, mortuus est, sed tunica ejusdem presbyteri postquam ad memoriam sancti martyris delata est, et reportata est, et super jacentis mortui corpus posita, meritis beati martyris suscitatus est. De puero vero legimus quia, quum in area luderet, exorbitantem boves qui vehiculum trahebant rotis eum attriverant, et confestim palpitavit expirans. Hunc mater arreptum ad eamdem memoriam posuit, et non solum revixit sed etiam illæsus apparuit. Sanctimonialis vero quum ægritudine laboraret, ad eamdem memoriam tunica illius allata est, sed antequam tunica reportaretur illa defuncta est. Hac denique tunica operuerunt cadaver ejus et recepto spiritu salvata est.

Quadam autem die, quum Basus quidam Syrus ad memoriam ejusdem martyris pro filia ægrotante rogaret et vestem puellæ eo detulisset, ecce duo pueri de domo occurrerunt qui eam mortuam nuntiaverunt. Sed amici qui erant in domo prohibuerunt illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui quum domum rediisset nimio dolore commotus, mortuæ filiæ vestem quam detulerat superjecit et vitæ reddita est. Filius item cujusdam extinctus erat. Cujus corpus amici martyris oleo perunxerunt et statim revixit. Sextus vero qui superest hoc modo suscitatus est. Eleustus, vir tribunitius, habens infantulum in infirmitate mortuum super memoriam martyris posuit, et post multam orationem cum lacrymis fusam, juvenem levavit. Hæc omnia, ut diximus, in Africa gesta, quæ videlicet ibi habitando noverat, beatus commemorat Augustinus, ex his scilicet innuens quæ in

[1] Luc., cap. XXIII, v. 27.— [2] Cap. VIII, *Opp.*, t. VII, col. 668.

una provincia facta ad ejus notitiam pervenerunt, quot et quanta talia videlicet majora in cæteris mundi partibus ad gloriam sui militis Dominus operari credendus sit.

Unde et id prærogativæ consecutus est, ut in ejus memoriam maxime cathedrarum episcopalium basilicas videamus consecratas. Qui primus martyr Christi, tanquam alter Abel, proprii sanguinis effusione[1], quidam, ut ita dixerim, fundator extitit Ecclesiæ, seipsum tanquam lapidem vivum et multorum lapidum ictibus obtusum et quadratum in ejus fundamentum substernens, super quem cæteri omnes tanquam in ipso quodam modo fundati ac firmati innitantur, qui et viris exhibuit formam constantiæ et feminis pariter continentiæ.

Sed quoniam cuncta hæc ad vestram gloriam, carissimæ sorores, specialiter pertinent quæ de primo vestro prædicantur ministro, tanto amplius a vobis triumphus ejus memorandus est, quanto ejus memoria vobis ampliorem honorem vel majorem securitatem præstat. Unde pia vobis exhortatione consulimus ut semper in matutinis et vespertinis laudibus in antiphona propria et collecta ejus memoriam devote celebretis, ut quem apud homines fidelem habuistis ministrum, salubriorem apud Deum sentiatis advocatum, ipso id vobis Domino præstante, cui est honor et gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

DE SANCTO JOANNE BAPTISTA.

SERMO XXXIII.

Dominus ad beatum Job in parabolis loquens, quum per ibices et parturientes cervas rectorum ordinem descripsisset, consequenter, dilectissimi fratres et commonachi, ad institutionem vestri propositi stylum convertit, et ejus libertatem cæteris præferens ait[2] : « Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit? Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula ejus in terra salsuginis? Contemnit multitudinem civitatis, et clamorem exactoris non audit. Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit. » Magnum, fratres, in multis virtutibus Job fuisse, tam ipsius historia quam Dei testimonia monstraverant. Quem ne tantarum magnitudo virtutum in elationem forte traheret,

[1] Legitur in Cod. *Effusionem*. — [2] *Job*, cap. XXXIX, v. 5.

vitæ ipsius conjugali tam rectorum quam continentium dignitas præ oculis ponitur, ut eorum scilicet comparatione se compescat ab elatione. Et quia tam continentiæ quam abstinentiæ virtus præminet in monachis, sub onagri specie hujus prærogativa describitur vitæ. Onager quippe non domesticus, sed silvestris asinus dicitur. Hic tanto liberius in solitudine conversatur, quanto a commiseratione hominum magis remotus nec onere gravatur, nec vinculis coercetur, sicut e contra domesticus sustinet asinus. Unde merito huic vita conjugatorum, sicut illi continentium comparatur. Quod enim vinculum majus quam copulæ conjugalis? Quæ gravior servitus, quam ut homo proprii corporis potestatem non habeat? Quæ denique vita onerosior, quam molestiis quotidianæ sollicitudinis tam pro uxore quam pro filiis cruciari? Aut quæ vita pigrior ad obsequium Dei, quam ejus qui tot affectionum vinculis mundo ligatus astringitur? Unde nec ab hujus vitæ comparatione pigri jumenti tarditas dissidet. Monachi vero tanto expeditiores vel promptiores ad divinum fiunt obsequium, quanto amplius sæcularium affectionum vinculis absoluti, omnibusque renuntiantes ab illa, quam diximus, servitute longius absistunt, et liberiores fiunt.

De qua nunc libertate Dominus ad Job loquitur : « Quis dimisit onagrum liberum? » Ac si diceret : Quis, nisi ego, hanc libertatem quieti monasticæ dedit, quæ longe præminet illi tuæ conjugali servituti? Magnum utique hoc tantæ gratiæ donum , ut inspiratione et virtute divina homines in carnalibus concupiscentiis nati, et in sæcularibus illecebris educati, contra vel supra humanæ naturæ infirmitatem ita in carne vivant, ut vitia carnis nesciant, et humanitatis obliti virtute fiant angelici. « Et vincula ejus quis solvit? » Hoc est affectiones carnis, quibus naturaliter quasi quibusdam vinculis mundo ligatus erat, quis dirupit? Quam congrue autem vitam continentium, quæ, ut dictum est, in monachis præminet, onager designet, illa ejus natura indicat, quam Isidorus, et qui de naturis animalium scripserunt, referunt. Qui enim mares sunt in onagris, filios suos castrare dicuntur. Quod quidem ne fiat, matres, quantum possunt, eos occultare nituntur. Mares autem in onagris, fortes in proposito suo sunt monachi, qui eos quibus quasi filiis præsunt, vel quos in suam congregationem suscipiunt, spiritaliter castrando in sua continentia servant. Quales quidem eunuchos, qui se videlicet propter regnum cœlorum castraverunt, tam Isaias quam ipsa Veritas plurimum commendat[1]. Quod autem de monachis, id est solitariis, hæc de onagro dicta sint intelligenda, patenter insinuat, dicens : « Cui dedi in solitudine domum, » hoc est a tumultu sæculi ad secretum heremi traxi, ut ibi scilicet quanto quietius habitaret, tanto perfectius mihi vacaret. « Et tabernacula ejus in terra

[1] Isaiæ cap. LVI, v. 4. – Matth., cap. XIX, v. 12.

salsuginis. » Tabernacula mobiles domus sunt, nullaque stabilitate fixæ, qualia sunt pastorum vel peregrinantium obumbracula. His corpora nostra comparantur morte adhuc dissolubilia, nec stabilitatem immortalitatis adepta. De qualibus dicit Apostolus[1] : « Si dissolvatur domus nostra terrestris, habemus in cœlum domum non manufactam a Deo paratam. » Dum ergo in his luteis et mortalibus corporibus sumus, in tabernaculis magis quam in domibus habitamus. Qui ergo hic adhuc peregrinantes quasi tabernaculum habemus, quum ad cœlestis Jerusalem patriam venerimus, domum potius habituri sumus. In cujus rei typo populus Dei primum habuit tabernaculum in deserto, et postea templum in Jerosolymis, terram adeptus promissionis, et maxima pacis jucunditate fruens sub Salomone, qui ex nomine quoque suo, sicut et Jerusalem, ubi templum ædificavit, pacem prætendit, quæ nusquam nisi in illa Jerusalem superna potest esse vera. Scribens etiam ad Hebraicos Apostolus, mortale cujuslibet corpus tabernaculo comparat dicens[2] : « Habemus altare, de quo non habent edere qui tabernaculo deserviunt, » hoc est concupiscentiis carnis magis quam spiritui obediunt, et ventri magis quam Deo famulantur. Terra salsuginosa loca sunt arida, et sicca, quam perambulans diabolus requiem non invenit, qui in locis humentibus dormit, sicut ad eumdem Job Dominus dicit. Onagri ergo tabernacula in terra sunt arida, quia virtus abstinentiæ in eis viget, quorum corpora fluxu carnalium concupiscentiarum nequaquam sunt humida.

« Contemnit multitudinem civitatis. » Ad duo quæ novissime dixerat duo subjungit, quasi singula singulis reddens. Ad illud quidem : « Cui dedi in solitudine domum, » istud refert quod nunc dicitur : « Contemnit multitudinem civitatis, » id est frequentiam sæcularium hominum quæ multos capit atque oblectat. Multi quippe sunt vocati, sed pauci electi, et spatiosam et latam viam mortis multi perambulant. Sunt qui timore vel necessitate aliqua commoti ad occulta solitudinis se conferunt, et hoc ex coactione magis quam ex voluntate faciunt; sicut in Elia primo antiqui populi anachoreta, vel in Paulo postmodum primo heremita factum esse legimus. At vero egregius est a sæculo recessus et Deo acceptus, quum quis propter Deum relinquit mundum, nec tam eum mundus expellit, quam ipse mundum rejicit. « Et clamorem exactoris non audit, » ac si diceret : Ex hoc apparet eum in terra salsuginis habere tabernacula, quia quotidianæ abstinentiæ moderatis jejuniis carnem domat, ut et concupiscentias reprimat, et defectum naturæ non incurrat. Importunus et quotidianus exactor in nobis venter est, qui cibum a nobis exigendo quasi quotidie murmurat, et clamat : Affer, affer! Hic quidem vocem moderatam habet in necessariis, sed clamorem intempe-

[1] *Corinth. II*, cap. v, v. 1. — [2] *Heb.*, cap. xiii, v. 10.

ratum in superfluis. Onager ergo iste, quia necessaria ventri alimenta non subtrahit, sed superflua tollit, clamorem exactoris, ut dictum est, non audit, quia ei non obtemperat in superfluis. De quo adhuc subditur : « Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit. » Montes pascuæ volumina sunt sublimioris doctrinæ, id est sacræ scripturæ. Quo ergo iste spiritalis onager amplius cibis corporalibus abstinet, tanto consolatione melioris cibi, id est pabulo divini verbi magis indiget; et quo illam minus curat, hac refectione animam magis satiat. Bene autem circumspicere dicitur montes pascuæ suæ, hoc est diligenter inquirere ac providere, in quibus montibus, id est sacris voluminibus aptiorem sibi refectionem ex intelligentia ipsorum possit reperire. Non enim omnibus omnium librorum lectio competit, nec omnes ab omnibus intelligi possunt, nec in omnibus ferculis omnes pariter oblectantur. Et quoniam in divinis libris quædam reprehenduntur, quædam commendantur, nec solum vita bonorum quam sequamur, verumetiam malorum quam fugiamus describitur; montes isti non solum viridem, sed etiam siccam continent herbam. Quæ enim ad secularem pertinent vitam fœno comparanda sunt, quod abscisum de terra suæ viriditatis vigorem amisit. Et vita reproborum a terra viventium aliena, his caducis inhians rebus, quæ in defectu consistunt, fœno comparatur; sicut e contrario vita electorum, quæ quotidianum habens profectum, ad immarcessibilem patriæ cœlestis quasi semper virentis tendit amœnitatem, virentium pratorum speciem gerit. His igitur onager noster in illis montibus reficiendus. Non sicca pabula, sed virentia quærit, quia hæc assequi nititur, per quæ ad æternam pertingitur vitam, et his tantum animam suam hic reficere curat, quibus ad supernam illam refectionem perveniat.

Hæc quidem de onagro in generali, ut ita dicam, persona monachorum expositio nostra prosecuta est. Quem nunc de genere ad speciem transferentes, in summo illo monachorum principe, cujus hodie solemnitas agitur, juvat hæc omnia diligentius considerare, ubi ea perfectius possimus invenire; qui sine professione regulæ vivens, omnem regulæ transcendit perfectionem. Hic quippe, ut dictum est, in spiritu et virtute veniens Eliæ, hujus propositi vitam, quam ille inchoavit, ipse consummavit. Ab his duobus tanquam ducibus nostri propositi, seu principibus hujus philosophiæ christianæ tam in veteri quam in novo populo studia sunt exorta. Hieronymus *ad Paulinum* in epist. II[1] : « Habet unumquodque propositum principes suos, et ut ad nostra veniamus, episcopi et presbyteri habeant ad exemplum apostolos et apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur et meritum. Nos autem habeamus propositi nostri

[1] Epist. XLIX, *Opp.* t. IV, part. II, col. 565.

principes, Paulum, Antonium, Hilarionem, Macharium. Et ut ad Scripturarum auctoritatem redeam, noster princeps Elias, Elisæus, nostri duces prophetarum filii, qui habitabant in agris et solitudine, et faciebant sibi tabernacula prope fluenta Jordanis. De his sunt et illi filii Rechab, qui vinum et siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei per Jeremiam voce laudantur, quod non deficiat de stirpe eorum vir stans coram Domino. » Idem *ad Eustochium virginem,* de diversis generibus monachorum[1] : « Ad tertium genus veniam, quos anachoretas vocant, et qui de cœnobiis exeuntes, excepto pane et sale, amplius ad deserta nihil perferunt. Hujus vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, et ut ad superiora conscendam, princeps Joannes Baptista fuit. Talem virum quoque Jeremias describit, dicens[2] : « Bonum est viro quum portaverit jugum ab ado- « lescentia sua, sedebit solitarius et tacebit, quoniam sustulit per se jugum, etc. » Chrysostomus, homilia XXIII, quæ sic incipit[3] : « De Joanne dicitur : « Fuit « homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. » Gratia in nomine comprehenditur. Joannes enim interpretatur Domini gratia, quia majorem accepit gratiam. Propterea in heremo philosophatur, et reservat se in adventum Christi, quia nuntiaturus erat Christum. Statim in heremo nutritur, statim ibi crescit. Non vult cum hominibus conversari, in heremo cum angelis philosophatur. »

Considerate, monachi; dignitatem vestram, Joannes princeps vestri est dogmatis. Ipse monachus statim ut natus est in heremo vivit, in heremo nutritur, Christum expectat in solitudine. Eo tempore quo Joannes natus est, et erat in heremo, hoc templum quod videmus esse destructum, quantas habebat divitias, quid auri, quid argenti, Josephus describit; quantum gemmarum, quantum serici : quanti erant sacerdotes, scribæ et universa genera officiorum. Videte quomodo semper Christus humilitatem diligit. Christus Dei filius in templo nescitur, et in heremo prædicatur. Humilis enim humiles diligit. Hoc totum quare dico? Ut doceam dogmatis nostri principem esse Joannem Baptistam. Hic alter, ut dictum est, Elias in spiritu, imo quodam privilegio vitæ major habitus, tanto majorem a Domino gratiam percepit, quanto hujus excellentiam gratiæ, ex præcepto angeli nativitatem ejus nuntiantis, talique nomine, quod hanc exprimeret gratiam, meruit insigniri. Ipse revera onager liber fuit, qui ab infantia ruptis carnalium affectionum vinculis, spretaque domo parentum, ad horridum heremi desertum se contulit : non quidem ut Elias metu persecutionis coactus, sed abstinentiæ virtute spontaneus. Qui in illa solitudine, quam salsugineos et aridæ terræ tabernaculum efficeret corpus suum, Evangelia docent. Ubi naturalibus cibis, et quæ

[1] Epist. XVIII, *Opp.* t. IV, part. II, p. 46. — [2] *Thren.*, cap. III, v. 27. — [3] Hæc homelia spuria habetur, nec legitur in editionibus græco-latinis D. Chrysostomi; verum eam invenies in editione latina quæ prodiit Parisiis, 1687, in-fol., t. III, col. 165.

ultro terra dabat, contentus, nec pane, nec olere, nec aliquo cocto vesci legitur, sed tantum melle sylvestri, et locustis, et aqua sustentatur. Elias non solum cibi monastici, verumetiam carnium alimentum corvis ministrantibus habuit. A quibus non semel in die, sed tam mane quam vespere ad eum hæ pariter cum pane deferebantur. Qui et de torrente Charit poculum habens, in tribus istis, pane videlicet, carnibus, et aqua, non magnæ[1] abstinentiæ gravamen sentiebat. Filii quoque Rechab nullam jejuniorum laudem adepti, de abstinentia tantum vini, non carnium, vel quarumcunque deliciarum, commendantur a Domino[2]. Joannes vero ejusque discipuli in abstinentia corporali quotidiana, non solum priores patres, verumetiam ipsum Christum, vel ejus discipulos transcendisse legitur, sicut Matthæo referente didicimus[3] : « Accesserunt, » inquit, « ad Jesum discipuli Joannis dicentes : « Quare nos et pharisæi jejunamus frequenter, disci- « puli autem tui non jejunant? » Et ait illis Jesus : « Nunquid possunt filii lugere, « quandiu cum illis est sponsus? » Qui etiam quanta vestium asperitate, ne in istis aliquam sentiret mollitiem, nec eadem Evangelia, nec ipse Dominus reticet in laude ejus. Scriptum quippe est[4] : « Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos. » Pro cucullis quidem laneis hispida de pilis camelorum habebat indumenta. Pro femoralibus lineis, zona pellicea circa lumbos utebatur, ut videlicet frigiditate et duritia pellis calorem et mollitiem reprimeret libidinis. Filius ipse pontificis qui tunc hæreditario jure patri succedebat, populo contempsit præesse in civitate, ut perfectius Deo vacaret in solitudine. Hujus onagri fuerunt montes pascuales viri prædicti altitudine vitæ in antiquo populo præminentes, ad quos intentionis suæ oculos levans, juxta illud[5] : « Levavi oculos meos in montes, » quot inde virtutum sumpsit exempla, quasi tot virentis herbæ habuerit pabula. Non enim in singulis omnia divinæ gratiæ dona reperiebat, sed ex diversis diversa colligens, quasi ex multis unum hominem perfectum componere studebat. Hujus itaque vitam tam de continentia quam de abstinentia Dominus præferens universis, nec tam humanam quam angelicam censens eam, quum præmisisset in ejus laude[6] : « Sed quid existis videre? prophetam? Dico vobis plus quam prophetam, » statim adjecit : « Hic est, de quo scriptum est : « Ecce mitto angelum meum, etc. »

Quid autem, fratres, tanti principis nostri vitam commendare prodest, si eam imitari contemnimus? Sicut ait Apostolus[7] : « Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. » Quantum nobis imminet periculum, si ea non impleamus

[1] Aliter *magnum*. — [2] Jerem., cap. xxxv, v. 1 et sq. — [3] Matth., cap. ix, v. 14. — [4] Ibid., cap. iii, v. 4. — [5] Psalm. cxx, v. 1. — [6] Matth., cap. xi, v. 9. — [7] *Rom.*, cap. xv, v. 4.

documenta, quæ specialiter ad ædificationem nostram sunt scripta, si eis instruimur exemplis, quæ nostri propositi mores describunt perfectius? Quo enim diligentius hæc nobis exposita videmus, majus judicium de contemptu incurrimus eorum. Unde et Veritas[1] : « Servus, » inquit, « sciens et non faciens voluntatem Domini sui, plagis vapulabit multis. » Ecce in onagri supraposita descriptione quid nos sequi deceat patenter expressum est, sed quam contraria incedamus via non minus liquidum est. Jam quippe refrigescente, imo extincto religionis fervore, postmodum de labore proprio vivere deberemus, quod unum vere monachos efficere beatus Benedictus meminit[2], inimicam animæ sectantes otiositatem, de alieno labore victum quærimus : et hujus noxiæ quietis perversa libertate utentes, et tam luxui rerum quam multiloquio vacantes, veram prædicti onagri libertatem amisimus. Unde sæcularibus nos implicantes negotiis, dum cupiditate terrenorum nobis dominante, ditiores fieri studemus in monasterio quam fueramus in sæculo, terrenis nos dominis potius quam Deo subjecimus. Villas et homines et servos pariter et ancillas a potentibus sæculi tanquam in eleemosyna sumentes, eorum nos gravi jugo subjugamus, et nonnunquam pro paucis quæ accipimus multa persolvimus. Quæ quum de suo potius quam de nostro sibi provenire censeant, nullas his habent grates, quæ sibi non tam dari quam reddi autumant. Sæpe et pro tutela horum ad forinseca judicia trahimur compulsi, et ante sæculares judices publicam agentes causam, adeo non[3] impudenter contendimus, ut homines nostros non solum ad juramenta, verumetiam ad duella pro nobis agenda cum summo vitæ suæ periculo compellamus. Quod quidem in sæcularibus quoque christianis Apostolus arguens ait[4] : « Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? » Quis etiamnum ignoret in ipsos subjectos nostros exactiones graviores nos exercere, et majori debacchari tyrannide, quam sæculares faciunt potestates? Denique et in tantam, si valemus, insaniam prorumpimus, ut de tributis et vectigalibus, et teloneis victum nobis acquiramus : quum inter magna Domini miracula deputetur, quod a teloneo vocatione sua potuit abducere Matthæum[5].

Ut autem de sæcularibus ad ecclesiasticas transeamus potestates, non minora hinc gravamina nostra ambitio sustinere videtur. Quum enim ea quæ sunt clericorum nobis usurpamus, et ab episcopis quocunque modo parochiarum redditus tam in decimis quam in oblationibus obtinemus, sæpe quæ non rapuimus

[1] Luc., cap. XXII, v. 47. — [2] Cap. XLVIII. — [3] *Non* delendum esse videtur. — [4] *Corinth. I*, cap. VI, v. 7. — [5] Matth., cap. IX, v. 9.

exsolvere cogimur. Hinc ad synodos et ad concilia frequenter tracti, et ad publicas causas quotidie profecti, non modico pretio judices, vel qui nostras injurias pallient conducimus oratores. Certe et in ipsis conciliis quanta sit avaritiæ nostræ rapacitas, frequens querimonia monstrat. Raro ibi episcopos, raros clericos invicem contendere videmus. Omnes fere controversiæ aut monachorum sunt, aut de monachis ortæ. Denique ut omittam harum sollicitudinum servitutem et vincula, quibus se mundo vehementer obligant; quid de affectionibus carnalium propinquitatum vel affinitatum dicam, pro quibus innumera de rebus monasterii committunt sacrilegia? Verbi gratia, quum filios, aut nepotes, vel quacunque sibi cognatione vel affinitate conjunctos habent in sæculo, furtim, si manifeste non possunt, quæ fratribus surripiunt, illis impendunt. Quos si forte ad monachatum traxerint, vel ministros in domibus suis habuerint, hos in prælationibus sublimant, et pro arbitrio ipsorum cuncta dispensantur. Contra quos si quis dixerit, statim læsam majestatem sentit. Isti monasterii sunt domestici hostes, isti quotidiani fures, tanto magis noxii, quanto plus assidui. Quorum patrocinio ad quævis turpia, ad quælibet illicita ipsi monachi tanto facilius prorumpunt, quanto de ipsorum propinquitate vel affinitate amplius confidunt. Tabernacula prædicti onagri in solitudine a Domino præparari dictum est. Isti autem e contrario, suggerente diabolo, solitudinis quietem fugientes, et sæculi tumultibus se impudenter ingerentes, in civitatibus et castellis habitare lætantur, non tam monachi, hoc est solitarii, quam cives appellandi. Quorum impudentiam maximus ille monachorum et ecclesiasticorum doctorum Hieronymus arguens, et nostram ac clericorum vitam diligenter distinguens, ait [1] : « Si episcopatus te vel opus vel onus forte delectat, vive in urbibus et castellis, et aliorum salutem, fac lucrum animæ tuæ. Si cupis esse quod diceris monachus, id est solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? » Idem alibi [2] : « Interpretare vocabulum monachi, hoc est nomen tuum. Quid facis in turba, qui solus es? » Tanto autem periculosius in sæcularibus turbis, et in frequentia hominum habitamus, quanto eorum nostro major est numerus, et plures cernimus sæculares quam religiosos homines. Quod quidem periculum tunc maxime incurrimus, quum bini, vel terni, et nonnunquam singuli inter hos conversamur. Etiam hæc loca nostra, quæ abbatias dicere non possumus, obedientiarum nomine commendamus; tanto in hoc mentientes apertius, quanto ab obedientia regulæ, et ab ordine professionis nostræ amplius removemur. Ubi enim juxta institutionem regulæ ordo non tenetur, quis inordinatam domum dicere vereatur? Denique duo tantum genera monachorum com-

[1] Epist. XLIX, *Opp.* t. IV, part. II, p. 565. — [2] Epist. V, *Opp.* t. IV, part. II, p. 9.

mendat auctoritas, cœnobitarum scilicet atque anachoretarum. Qui autem in sæculo bini vel terni aut singuli conversantur, nec tantum fratrum numerum habent, ut observantiam regulæ impleant, profecto nec cœnobitæ sunt, nec anachoretæ: cœnobitæ quidem quum sub regula non degant, sed nec anachoretæ quum in solitudine non vivant.

Quod si nec monita, nec exempla sanctorum patrum nos a sæculo tentationibus pleno revocant et plus lucra corporalia cupimus quam animarum damna timemus : ipsa saltem rerum nostrarum incommoda, quæ de communi hominum conversatione frequenter sustinemus, nos ab hac præsumptione compescant. Incursu quippe hostium civitates ipsas vel quæ civium sunt depopulante, res nostræ pariter cum rebus eorum junctæ, a communi clade non possunt esse disjunctæ. Cessantibus quoque hostibus, frequenter in civitatibus contingunt improvisa domorum incendia : per quæ tam oratoria, quam officinæ monachorum penitus consumuntur. Ipsa saltem damna, quæ fugiendo incurrimus, refugere ad solitudinem doceant ut quasi mercibus nostris tempestate amissis, de procellis sæculi vel nudi properemus ad quietis et solitudinis portum. Sunt qui in solitudine tabernacula sua collocant, sed minime perseverant. Quod quidem multis de causis accidit. Alii quippe paupertatis suæ modum excedentes, et majora suis viribus aggredientes, quod non habent de proprio, supplere coguntur ex alieno, et pro necessitudinibus suis se rursum sæculo ingerere, quod proposuerant fugere. Sunt et qui longa heremi conversatione et abstinentia tantum religionis nomen adepti sunt, ut a potentibus sæculi vel sæcularibus viris sub aliqua pietatis occasione sæpius invitentur, et sic diabolico cribro more paleæ ventilati, de heremo renoventur in sæculo. Qui multis adulationum favoribus dona divitum venantes, tam suam quam illorum jugulant animas, sicut scriptum est [1] : « Væ vobis qui consuitis pulvillos sub omni cubito manus, et cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. » Et rursum [2] : « Popule meus, qui te beatificant, ipsi te decipiunt, et vias gressuum tuorum dissipant. » Quid est autem pulvillos cubitis, vel cervicalia capitibus supponere, nisi sæcularium hominum vitam blandis sermonibus demulcere, quam nos magis asperis increpationibus oportebat corrigere, et de horrore divini judicii, et pœnis gehennæ ad pœnitentiam trahere? Quorum dona quum sustulerimus, eos utique de suffragio nostrarum orationum confidentes, in suis iniquitatibus relinquimus securiores. Qui nec ea se male acquisisse vel possidere credunt, unde religiosos viros eleemosynam petere cernunt. Quam quum suscipimus, mammonæ iniquitatis frequenter communicamus. De qua quidem mammona iniquitatis a Domino

[1] Ezech., cap. XIII, v. 18. — [2] « Popule meus, qui te beatum dicunt, etc. » (Isaiæ cap. III, v. 12.)

vocata, beatus Hieronymus ad Edibiam de diversis scribens quæstionibus [1] : « Fac tibi amicos de mammona iniquitatis [2]. » Pulchre dixit de iniquo. Omnes enim divitiæ de iniquitate descendunt, et nisi alter perdiderit, alter non potest invenire. Unde illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima : « Dives autem iniquus, aut iniqui hæres. » Seneca in *Proverbiis* : « Lucrum sine damno alterius fieri non potest. » Item prædictus doctor in Isaia [3] : « Principes tui socii furum [4]. » Principes scribas vocat et pharisæos, qui a Domino recedentes, socii fuerunt proditoris furisque Judæ. Quod quidem et nos cavere debemus, ne accipientes ab hominibus munera, qui per rapinas miserorumque lacrymas divitias congregant, socii furum appellemur, dicaturque nobis [5] : « Videbas furem, et currebas cum eo, etc. » « Omnes diligunt munera. » Non dixit qui accipiunt, hoc enim sæpe necessitate fit, sed sunt qui non putant amicos, nisi a quibus dona perceperint ; nec os considerant amicorum, sed manus ; et eos sanctos judicant, quorum exhauriunt marsupium. De quibus et Ecclesiastes loquitur [6] : « Qui loquitur pecuniam, non implebitur. Sequuntur retributiones, ut laudent eos a quibus aliquid acceperint, vel certe nulli quippiam tribuant, nisi a quo se recepturos putaverint. »

Si quis autem diligenter consideret quod ait Dominus : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, » hoc est a vobis vel aliis male acquisita, et de alieno damno in lucrum nostrum suscepta, et consilium Domini voluerit propositæ de villico parabolæ competentius aptare, viderit hoc ita intelligi debere, ut eis quibus abstulimus sua, restituamus eorum damna, et sic eos nobis in amicitiam conciliemus, quos in odium vestri concitaveramus. Non enim veros Christi pauperes donis nostris amicos efficimus nostros, qui suos quoque diligunt inimicos, sed potius eos quos diximus, et eo modo quo diximus. Quod quidem parabola, quam de villico Dominus præmiserat, diligenter exprimit, quum his quos ille generaverat damna sua restituit, non quæ ab ipsis acceperat aliis distribuit. A quibus etiam in æterna tabernacula recipiendus dicitur, quum id eis fecerit, unde recipi mereatur non tam in sua quam in Dei superna tabernacula. Quis denique nesciat quantum nostra religio his quoque vilescat, a quibus vocati venire non recusamus, et non solum eorum dona suscipimus, verumetiam inordinatis eorum mensis et familiis admiscemur. Quod si non pro reverentia Dei, saltem pro vitando nostræ famæ detrimento fugere deberemus. Scriptum quippe est in *Ecclesiastico* [7] : « Advocatus a potentiore discede, ex hoc enim te magis advocabit. » Et Hieronymus *ad Nepotianum* [8] : « Facile contemnitur clericus, qui

[1] *Opp.* t. IV, part. I, col. 170. — [2] Luc., cap. XVI, v. 9. — [3] *Opp.* t. III, col. 18. — [4] Isaiæ cap. I, v. 23. — [5] Psalm. XLIX, v. 18. - Isaiæ ibid. — [6] « Avarus non implebitur pecunia. » (*Eccles.*, cap. V, v. 9.) — [7] *Eccli.*, cap. XIII, v. 12. — [8] Epist. XXXIV, *Opp.* t. IV, part. II, p. 265.

sæpe vocatus ad prandium ire non recusat. Nunquam petentes raro accipiamus rogati. Nescio enim quomodo etiam ipse, qui deprecatur ut tribuat, quum acceperis viliorem judicat te. » Quod si hoc est in clericis arguendum, quanto magis in monachis est detestandum?

Ut autem nunc documenta sanctorum omittam, gentilium saltem philosophorum exempla nostræ cupiditatis impudentiam reprimant. Hi quippe sine ulla regulæ professione adeo mundum contempserunt, ut non solum potentum respuerent dona, verum etiam possessiones amplissimas abdicarent. Quorum nonnulli tanta frugalitate referuntur contenti, ut vel unum retinere scyphum censerent superfluum, quum ad hauriendum aquæ poculum proprias manus viderent sufficere. Ex quibus illum Diogenem famosissimum, et de contemptu mundi notissimum, doctor prædictus *Contra Jovinianum* in secundo libro inducens [1], inter cæteras ejus laudes id quoque adjecit : « Quodam vero tempore habens ad potandum caucum ligneum, vidit puerum manu concava bibere, et elisisse illud fertur ad terram, dicens : « Nesciebam quod et natura haberet poculum. » Ad quem etiam potentissimus Alexander multa ei donalia offerens, quum dolio ejus tanquam dator importunus assisteret, hoc unum ab ipso suscepisse dicitur responsum : « Ne obstes mihi, juvenis, a sole. » Socrates quoque Archelai regis dona respuens, hoc unum in excusatione prætendit, nolle se suscipere tanta, quibus referre non posset æqualia. Unde Seneca *de Beneficiis* libro V [2] » : Alexander Macedonum gloriari solebat a nullo se beneficiis victum. » Item [3] : Archelaus rex Socratem rogavit ut ad se veniret. Dixisse Socrates traditur, nolle se ad eum venire, a quo acciperet beneficia, quum reddere illi paria non posset. Primum, in illius potestate erat non accipere. Deinde ipse dare beneficium par incipiebat. Veniebat enim rogatus, et id dabat, quod utique ille non erat Socrati redditurus. Etiam nec Archelaus daturus erat aurum et argentum, recepturus contemptum auri et argenti. Non poterat referre Archelao Socrates gratiam? Et quid si regem in luce media errantem ad rerum naturam admisisset, si illum negare vetuisset? Quare ergo hoc Socrates dixit, vir facetus, et cujus per figuras sermo procedere solitus erat, derisor omnium maxime potentum. Maluit ei nasute negare quam contumaciter aut superbe. Timuit fortasse ne cogeretur accipere quæ nollet. Timuit ne quid indignum Socrati acciperet. Dicet aliquis : Negasset si nollet, sed instigasset in se regem insolentem, et omnia sua magno æstimari volentem. Vis scire quid vere voluerit? Noluit ire ad voluntariam servitutem, is, cujus libertatem libera civitas ferre non potuit. »

Quod si de philosophis ad apostolos, imo ad ipsam sophiam Christum, quasi

[1] *Opp.* t. IV, part. II, p. 207. — [2] Senec. *Benef.* V, 6, 1. — [3] Ibid., 2.

a minimis ad maxima conscendere velimus, ut eorum videlicet exemplis et auctoritate amplius instructi, dona libentius respuamus, Paulum doctorem Ecclesiæ maximum ponamus in medium, qui non solum data, sed etiam sibi debita recipere non acquievit; ne, ut ipse ait, vel gloriam suam minueret, vel occasionem turpis questus exemplo suo aliis relinqueret. Qui enim secundum legis auctoritatem, et dominicam institutionem de labore prædicationis suæ victum accipere merebatur, sicut cæteri faciebant apostoli, hac tamen potestate, sicut ait ipse, uti verebatur, prædictis videlicet causis, et summopere cavebat, ne quod offendiculum daret Evangelio Christi. Providebat quippe vir discretissimus, et animo liberali præditus, si seminando spiritalia meteret carnalia, non tam manducare ut evangelizaret, quam evangelizare ut manducaret, ne quid[1] tam ex charitate quam ex ambitione id facere, nec tam quæ Christi sunt quam quæ sua quærere. Si ergo ipse ne turpem incurreret suspicionem, debita quoque suscipere de tanto lucro animarum erubuit, quanta est impudentia nostra, qui non deprecatione vel conversione hominum victum suscipimus, si de adulatione potentum ipsum qualibet arte possumus extorquemus. Qui etiam nonnunquam in tantam prorumpimus ignominiam, ut phylacteria nostra dilatantes, et interdum cassas cum reliquiis sanctorum circumferentes, venali prædicatione mundo discurramus : et nonnunquam pseudo-prædicatoribus conductis, quæ veritate non possumus, mendaciis lucramur. Quod si quandoque sub obtentu eleemosynæ aliqua largimur, ad hoc utique intendimus, ut majora recipiamus : et quasi modicam escam in hamo ponimus, ut sic magnum piscem extrahamus, nec tam aliis quam nobis beneficia impendimus, nec tam aliis quam nobis charitatem exhibemus, si forte in talibus vel beneficium, vel charitas dici queat. Seneca quippe maximus morum ædificator beneficium, et beatus Gregorius charitatem nonnisi erga alteros haberi asserunt. Ille quidem in supra memorato *de Beneficiis* libro sic meminit[2] : « Nemo sibi beneficium dat, sed naturæ suæ paret a qua ad charitatem sui compositus est, nec liberalis est qui sibi donat. Beneficium est, quod quidem non sua causa dat, sed ejus cui dat. Is autem qui sibi beneficium dat, sua causa dat : non est ergo beneficium. » Hieronymus : « Binos, » inquit, « in prædicatione discipulos mittit. Quia enim duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor et proximi, et minus quam inter duos haberi non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur, sed in alterum dilectione se extendit, ut esse charitas possit. Binos ad prædicandum Dominus discipulos mittit, quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet. »

[1] Aliter *neque*. — [2] Senec. *Benef.* V, 9.

Quum ergo id non pro lucro animarum, sed nummorum geritur juxta quod per Jeremiam Dominus conqueritur, dicens[1] : « Sacerdotes mei non dixerunt : Ubi est Dominus? » Ac si diceret, sed ubi est nummus? non tam id beneficium quam lucrum, non tam charitas quam cupiditas est appellandum. A quo quidem turpi quæstu memoratus apostolus tam proprio quam dominico exemplo nos vehementer dehortans, et impudentiam nostram reprimens, Luca in *Actibus Apostolorum* referente, ait[2] : « Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi, ipsi scitis, quoniam ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit : « Beatius est magis dare quam accipere. » In quantum autem ad dandum magis quam ad accipiendum Christus manum extensam haberet, ipse patenter insinuat, quum diviti de perfectione justitiæ consulenti respondit[3] : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, et sequere me. » Non utique ait : Veni, et affer quæ habes ad nos, sed aliis prius eroga tua, et sic post modum, suscipe nostra. Nos vero e contrario quemlibet ad conversionem venientem, non tam lucrum animæ quam pecuniæ quærentes, ut quæ habet afferat exhortamur, nec tam ei nostra largimur quam vendimus. In quo ei profecto non mediocrem tentationis occasionem damus. Facile quippe de his quæ attulit intumescens, quum quid ei defuerit indignatur et murmurat; et se miserum ac proditum clamat, quum se his coæquari viderit, qui minus, aut omnino nihil attulerint. Has igitur omnes occasiones Christus amputans, nudum magis quam suffarcinatum decrevit assumere. Qui enim discipulis præceperat[4] : « Gratis accepistis, gratis date, » hoc in seipso primum voluit exhibere non tam verbo suo quam exemplo nos ad hoc cupiens incitare. Qui enim propter Deum relinquit propria, impudenter exigit aliena. Ac longe melius vel honestius esset ei sua retinuisse, ut haberet de proprio fructum eleemosynæ, quam ad aliena mendicantem famæ suæ detrimentum incurrere, et non mediocriter religionis propositæ dignitatem lædere. Qui dum marsupia hauriunt aliena, ea procul dubio congregant, quæ religioni maxime sint contraria, et juxta dominicam parabolam, spinas plantant messem Domini suffocaturas. Quid enim tam congruum religioni, quam frugalitas, quam [5]voluntaria paupertas? Quid tam noxium quam abundantia rerum? Unde et philosophi gentium nequaquam virtutes cum divitiis retineri censuerunt. Quorum unus, ut cæteros omittam, ille fuit, quem de contemptu mundi nobis exemplum prædicto *Contra Jovinianum* libro Hieronymus proponens, ait[6] :

[1] Jerem., cap. II, v. 8. — [2] *Act. Apost.*, cap. XX, v. 33. — [3] Matth., cap. XIX, v. 21. — [4] Matth., cap. X, v. 8.— [5] *Jam* Amb. — [6] Lib. II, *Opp.* t. IV, part. II, col. 203.

« Crates ille Thebanus projecto in mare non parvo auri pondere : « Abite, inquit, « pessum, malæ cupiditates. Ego vos mergam ne ipse mergar a vobis. » Item ad Paulinum presbyterum[1] : « Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, quum ad philosophiam Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit; nec putavit se posse et virtutes simul et divitias possidere. Nos suffarcinati auro Christum sequimur pauperem, et sub prætextu eleemosynæ pristinis opibus incubantes, quomodo possumus aliena fideliter distribuere, qui nostra timidi reservamus? » Idem ad Pammachium de morte Paulinæ[2] : « Non est profecto et consummato viro opes contemnere, pecuniam dissipare, et projicere quod in momento et perdi et inveniri potest. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosissimos legimus. Plus debet Christi discipulus præstare, quam mundi philosophus. Christus sanctificatio est. Christus redemptio, idem redemptor et pretium. Christus omnia, ut qui omnia propter Christum dimiserit, unum inveniat pro omnibus, ut possit libere proclamare : « Pars mea « Dominus. » Sunt et qui de monasteriis ad sæculum prodeuntes, in tantum sibi religionis nomen vindicant, et mirabiles videri appetunt, ut miraculorum quoque gratiam se habere simulent, atque id de se prædicari glorientur. Quales nonnullos temporibus nostris vidimus, qui frequentiam hominum quam maxime fugere debuerant, hac potissimum arte convocabant. Denique et in tantum hac simulatione gratiam potentum vel favorem ecclesiasticarum potestatum venantur, ut relicto proposito monachi, sæcularibus clericis præficiantur episcopi. Quod quidem quum ad religionem non adducant, in sæcularitatem eorum facile declinant, et ex eorum misera conversatione, et religiosorum fratrum separatione notum illud Psalmistæ proverbium vel non attendunt, vel contemnunt[3] : « Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris. » De qua quidem eorum sublimatione, ad quam non tam ab aliis tracti, quam a se ipsis sunt intrusi, illud non incongrue accipitur, quod ad Deum dicitur[4] : « Dejecisti eos dum allevarentur. » Certum quippe est spiritales viros de monasterii quiete ad pontificalem administrationem compulsos, ab illa quam habuerant virtutum gratia per tot occupationem curarum esse diminutos, sicut de semetipso scilicet profitetur Martinus, et beatus Gregorius deplorat.

Si ergo viri tanti hoc sine detrimento pristinarum virtutum ad Martham transire de Maria non potuerunt; quid de his quos diximus restat æstimandum? Steriles, inquiunt, sunt monachi, et spiritalium filiorum beatior fecunditas. Sed nunquid nuptiæ præferendæ sunt continentiæ, aut habentes filios conjugatæ sunt

[1] Epist. XLIX, *Opp.* t. IV, part. II, p. 563. *Socrates* male legitur in edit. Amb. — [2] Epist. LIV, *Opp.* t. IV, part. II, p. 585. — [3] *Reg. II,* cap. XXII, v. 27. — [4] Psalm. LXXII, v. 18.

virginibus anteferendæ? Nunquid lippæ fecunditas Liæ pulchritudine Rachel infecundæ gratior extitit patriarchæ? Denique ista fecunditati sororis invidens, quum in hac quoque re summum desiderium suum implesset ipso suo partu extincta est, et quæ infecunda vixerat incolumis, de fecunditate sua mortem incurrit. Tales profecto isti sunt, qui ad episcopatum anhelantes, quum de monasteriis revocantur ad sæculum, et quasi de sterilibus fecundi, ut dictum est, fieri gloriantur, ex hac ipsa gloria dignitatis periculum incurrunt religionis. Quod diligenter sponsa in *Canticis* attendens, sponso ad ejus ostium pulsanti, ut sibi aperiatur postulanti, ne ipsum hoc consentiat, talibus se responsis excusat[1] : « Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? » Quid enim sponsa in lectulo quiescens intelligitur, nisi fidelis anima, quæ, relicta sæculi tumultuosa vita, tranquillitatem solitariæ tanto amplius diligit, quanto in ea liberius Deo deservit? Quam quum fidelis populus ad regimen sui requirit, ut videlicet ipsa ecclesiasticis implicetur negotiis, quasi ad ostium cellæ ipsius Christus pulsat in membris suis, et ut sibi aperiatur postulat; hoc est, ut fideles ad se admittat potius quam excludat, eisque præesse sustineat, et multorum salutem suæ perfectioni præponat. At illa sæculi tentationes præcavens, vel meritorum suorum diminutionem non ferens, devotioni pulsantium tale in excusationem sui affert responsum[2] : « Exui me tunica mea, » hoc est exteriorem sæculi curam ex voto reliqui. Tunica quippe, quæ camisiæ vel pelliciæ superponitur, exterior est administratio sæcularium rerum. Lavi pedes meos, hoc est affectus ab inquinamentis sæcularium tentationum mundavi, et ab illecebris mundanarum curarum purgavi. Pedibus quippe ducimur, et affectu nostro ad effectum operis trahimur, ideoque per pedes affectus exprimuntur. De lectulo ad terram pedes deponere timet ne inquinentur, quia nunquam veram munditiam reputat extra secretum suæ quietis. Unde et apostolorum quoque pedes Dominus abluens, patenter innuit nequaquam sine aliquo contagio pulveris perfectos etiam viros mundum perambulare posse. Hoc est, nequaquam diu inter tentationes atque illecebras sæculi conversari, ut non inde aliqua macula nostræ infirmitatis effectus respergantur, etsi non usque ad opera tentatio pertrahat.

Prolixa, fratres, imo superflua digressione sermonem nostrum fortasse videor protendisse, et ab exordio nostri propositi longius recessisse. Laudare Joannem incœperam, sicut hodiernæ solemnitatis dignitas exigebat, et nunc inde ad vituperationem nostram stylum converti, quasi eorum vitium incurrens, qui Tulliana reprehensione digni, laudare aliquos nesciunt, nisi alios redarguant; nec ullos extollere, nisi alios deprimant. Sed quia sermo noster hodiernus non tam

[1] *Cant.*, cap. v, v. 3. — [2] Ibid.

ad Joannis laudem quam ad nostram intenditur ædificationem (non enim quæ scribuntur ad utilitatem præcedentium hominum, sed subsequentium ædificationem fiunt); ita vitam Joannis tanquam principis nostri commendare cœpimus, ut ad imitationem ejus nos maxime provocaremus. Quod quidem nequaquam diligenter fieri decrevimus, nisi prius exposita perfectione ipsius, quid nostræ quoque imperfectioni desit ex comparatione illius annotaremus, et cum profectu ejus defectum etiam nostrum præ oculis poneremus, et eorum quæ in ipso laudavimus, contraria in nobis reprehenderemus. Ecce enim a solitudine monachi vocamur, id est solitarii. Etsi enim *monos* unus interpretatur, non tamen monachus ita unus personaliter dicitur, sicut etiam quilibet de plebe, sed ex solitariæ vitæ conversatione. Unde et Augustinus in psalmum CXXXII [1] : « Ex voce hujus psalmi appellati sunt et monachi. Quare ergo et non appellamus monachos, quum dicat Psalmista [2]: « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in « unum. » *Monos* enim unus dicitur, et non unus quocunque modo. Nam et unus in turba est, sed cum multis unus dici *monos* non potest, id est solus. Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, « ut sit illis, » vere, quomodo scriptum est [3], « una anima, et unum cor, » recte dicitur *monos*, id est unus solus. Hinc et Hieronymus ad Heliodorum monachum [4] : « Interpretare vocabulum monachi, hoc est nomen tuum. Quid facis in turba, qui solus es? » Et post aliqua : « O heremus familiarius Deo gaudens! Quid agis, frater, in sæculo, qui major es mundo? quandiu te tectorum umbræ premunt, quandiu te famosarum urbium carcer includit? » Et ad Paulinum presbyterum [5] : « Quia igitur, frater, me interrogas per quam viam incedere debeas, revelata tecum facie loquar. Si officium vis exercere presbyterii, si episcopatus te vel opus vel onus forte delectat, vive et urbibus et castellis, et aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ : sin autem cupis esse quod diceris monachus, id est solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? » Et ad Rusticum monachum [6] : « Filii Jonadab, qui vinum et siceram non bibebant in tentoriis, et quo nox compulerat, sedes habebant, scribuntur in psalmo, quod primi captivitatem sustinuerint, qui ab exercitu Chaldæorum vastante Judæam urbes introire compulsi sunt. Viderint quid alii sentiant. Unusquisque enim suo sensu ducitur. Mihi oppidum carcer, et solitudo paradisus est. Quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur? Moyses, ut præesset populo Judæorum, quadragintis annis eruditur in heremo. Pastor ovium, hominum factus est pastor. » Et attende hanc epistolam Hieronymi ad

[1] In psalm. CXXXII, *Opp.* t. IV, col. 1485, 1486. — [2] Psalm. CXXXII, v. 1. — [3] *Act. Apost.*, cap. IV, v. 32. — [4] Epist. v, *Opp.* t. IV, col. 9. — [5] Epist. XLIX, *Opp.* t. IV, part. II, col. 565. — [6] Epist. XCV, *Opp.* t. IV, part. II, col. 772.

monachum scriptam non tam ex nomine monachi quam presbyteri intitulatam esse. Censuit quippe doctor discretissimus, eum qui nondum ad solitudinem transierat, presbyterum magis quam monachum esse vocandum.

Quid autem de his dicendum est monachis, qui non solum urbes, aut sæcularium habitacula non fugiunt, sed etiam adsciscunt? Quem quidem Joannes tanto ampliori desiderio est amplexus, quanto in ea providit Deo deservire perfectius. Unde bene in ejus laude meminimus a Domino præmissum esse[1] : « Cui dedi in solitudine domum. » Semel a sæculo recessit ad heremum, nulla deinceps pietatis occasione, vel indigentiæ necessitudine revocatus ad sæculum, donec ab Herode tractus ad carcerem, lilio virginitatis rosam martyrii copulavit. Qui quum tantus videretur, ut Christus credi posset, et summo desiderio ab omnibus requireretur in heremo, multa facile in civitatibus posset corrigere, et sæcularibus hominibus persuadere, si aliqua ratione sibi congruum judicaret ad sæculum redire. Quis etiam nesciat eo tempore, quo patri succedere in episcopatu habebat, jam in Israel cæcitate facta, quantum locum in hac dignitate religio ejus haberet, quam convenientius eum quam Annam et Caipham pontificari oporteret, si ad humanum judicium magis, quam ad divinam dispensationem respiciamus? Eo tamen tempore, quo pontificandi majorem nactus opinionem videtur fuisse, monachatum pontificatui præposuit, et lucro aliorum proprium melioris vitæ meritum prætulit. Semel itaque recedens a sæculo, immobilis perstitit in heremo, et quum omnes ad eum de Jerosolymis et de Judæa, vel de regione circa Jordanem causa baptismatis vel ædificationis exirent, ipse ad neminem intrabat, et qui semel vincula ruperat, nodare postmodum nullatenus acquiescebat. Qui quanto amplius homines fugiebat, eisque rarior apparebat, tanto carior omnibus majori desiderio requirebatur. Ad quem et Dominus ipse cum populo exire non dedignatus ab ipso una quum eis est baptizatus, sicut et Lucas meminit, dicens[2] : « Factum est, quum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, etc. » Ad servum Dominus, ad monachum summus pontifex venit, ut ab eo baptismum susciperet, ab eo testimonium haberet, sicut et alius evangelista commemorat[3] : « Vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait : « Ecce « Agnus Dei, etc. » Nec semel, sed sæpius ad eum veniebat Dominus, quum eum ad Dominum nunquam venisse legamus. Mittere pro eo Dominus posset, ut ad se baptizandum veniret, aut ut ei apostolatus officium sicut cæteris injungeret, si hoc congruum judicaret. Sed profecto quem nihil latebat, id noverat nequaquam proposito tantæ vitæ ut ad sæculum revocaretur convenire, et sic eum facile vilescere, nec testimonium ejus tantam ulterius auctoritatem habere. Qui

[1] *Job*, cap. XXXIX, v. 6. — [2] Luc., cap. III, v. 21. — [3] Joan., cap. I, v. 29.

enim partem Mariæ parti prætulerat Marthæ[1], nequaquam excellentiæ Joannis congruere censebat, ut eum de quiete Mariæ ad laborem venire compelleret Marthæ. Sciebat et quid ipse sub persona sponsi de sponsa præceperat olim[2] : « Ne suscitetis, » inquit, « neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. » Qui enim, ut supra meminimus, debitum sibi reliquerat pontificatum, nequaquam sponte susciperet apostolatum. Et qui conversari non sustinuit in civitate, multo minus acquiesceret per mundum discurrere.

Monachus, fratres, seu heremita, nomen est religionis. Episcopus autem sive clericus vocabulum est officii et operis, magis quam devotionis. Unde apostolus[3] : « Qui episcopatum, » inquit, « desiderat, bonum opus desiderat. » Idem alibi de seipso et consimilibus ait[4] : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores, etc. » Non apud Dominum domus ejusdem gradus sunt sponsa ejus in secreto thalami manens, et minister exterioribus intendens, quamvis et de sponsa ipsa nonnullam providentiam et curam gerat. Sic et in ecclesia Dei clericorum vel episcoporum occupatio laboriosa nequaquam quieti monasticæ contemplationis est coæquanda : quantum, inquam, ad meriti pertinet quantitatem, non ecclesiasticam dignitatem. Unde et plerumque videmus non solum clericos, verumetiam episcopos pro emendatione vitæ ad humilitatem monachorum descendere, habitu pariter cum vita mutato. Monachos autem ad officia clericorum ascire non solet Ecclesia præsumere, nisi tantum ad summum sacerdotii gradum : et hoc, ut diximus, non sine aliquo religionis detrimento. Quod quum evenerit, nequaquam is, qui episcopus factus est, quamvis religionem minuat, habitum tamen religionis non mutat. Ad quam quidem religionem quum filii quoque sacerdotum transeunt, qui de adulterio parentum tantam infamiæ labem trahunt, ut nec tonsuram ecclesiasticam suscipere permittantur, postquam monachi fuerint, tota illa labes sanctitatis lavacro deletur, ut deinceps per singulos ecclesiasticorum ordinum gradus usque ad episcopalem conscendant altitudinem. Quantum denique monachi clericis præmineant in meritis, ipsa ecclesiastica consuetudo testatur, quum videlicet in supplicatione letaniæ dicatur ab omnibus : « Omnes sancti monachi et heremitæ, orate pro nobis. » A nullis autem dici præsumitur : Omnes sancti clerici, vel episcopi, seu canonici, orate pro nobis. Horum quippe nomina seu vita non ita ut illorum sanctitate præminent.

Si igitur sic est, imo quia sic est, ut videlicet vita monastica sanctitate præmineat episcopali administrationi, sicut e converso ista illi præminet dignitate prælationis, nemo profecto est plus sanctitatem quam dignitatem appetens, qui

[1] Luc., cap. x, v. 41. — [2] *Cant.*, cap. II, v. 7. — [3] *Tim. I*, cap. III, v. 1. — [4] *Corinth. I*, cap. IV, v. 1.

hanc derelinquere, vel minuere propter illam velit. Sed fortassis inquies, quia hoc inviti monachi onus suscipiunt, constricti videlicet obedientia prælatorum, et maxime pro lucro aliorum suæ religionis tolerant dispendium, eligentes magis mediocre meritum cum multis habere commune, quam magnum habere singulare. Atque utinam ita sit, ut inviti scilicet trahantur, et hac saltem intentione qua diximus, de monachis fiant episcopi pro salute scilicet aliorum; sicut e converso, ut dictum est, de episcopis nonnunquam monachi fiunt, qui propriæ student saluti. Sed profecto sicut credibile est eos, qui sponte de divitiis ad paupertatem transeunt, causa religionis id facere; ita verisimile judicatur, si e converso fiat, ambitionis causa maxime peragi. Quod quidem qua intentione cœperint, vita sequens indicat; quum videlicet remissius ac mollius vivant episcopi, quam fecerant monachi, et delicatius se tam in cibis quam in vestimentis gerant. Quod qui non faciat, neminem videmus, et si quis hoc non fecerit, ut videlicet deliciis affluat, nec eas sentiat, supra hominem eum æstimamus : et forti animo se prædicant esse, qui ea quæ religioni maxime adversantur, et quæ alii pro religione dimittunt, cum religione possidere confidunt. Nec quicunque tales sunt, a tentatione Dei recedere videntur. Quid enim est aliud tentare Deum, quam sponte periculo ingerere quod possit vitare? Verbi gratia, si quis flammis se injiciat, confidens se inde divina liberari virtute, a quo tamen periculo sibi cavere potest absque animæ suæ detrimento, id utique est Deum tentare. Quid autem divitiæ, vel sæculi sunt illecebræ, nisi quædam flammæ vel incentiva vitiorum, quæ desideriis carnalibus animam æstuare compellunt?

Quod si forte respondeas, te ad hoc onus per obedentiam cogi, vel nec ullatenus te id posse recusare sine damno animæ tuæ; non facile tibi a quoquam credendum arbitror. Sed quum obedientiæ actionem opponis, illud omnes de te proverbium susurrare scias : « Satis catus novit cujus barbam lambit. » Et certe quum quis episcopus vel abbas sub nomine obedientiæ monachum ad episcopandum invitat, non utique diffidit ab impetratione suæ jussionis, etiam quando illum, quum hoc injungit, reluctari videt in verbis, et seipsum tanquam indignum accusare, et nonnunquam qualescunque lacrymas fundere. Ita quippe naturaliter omnibus honoris ambitio insita est, ut quum quis ad eum pervenerit, quo se ante indignum censebat, modis omnibus sibi vendicare ac defendere contendit, et quum accusatur ut dignus depositione videatur, quantumcunque potest excusare se nititur, ut honorem susceptum retineat, quem antequam susciperet eo se indignum censebat. Ex quo liquidum est excusationem illam simulatoriam magis quam veram fuisse, et se amore magis quam coactione in hac prælatione præsidere. Notum quippe omnibus proverbium est : « Quæ sine amore possiden-

tur, sine dolore amittuntur. » Sed, inquies, illud mihi beatus Augustinus objiciens : « Qui famam suam negligit crudelis est, » addes etiam hoc plurimam afferre perniciem, si fictis criminibus mali bonos dejiciant, et prævaleat iniquitas sanctitati. Sed ab hoc quidem periculo, et famæ detrimento, eum qui vi ad episcopatum tractus est, facile sibi est providere; et quod cum amore non possidet, cum honore dimittere, nec ut sibi tollatur expectare. Si enim de suscepta prælatione debitam prælatis reverentiam aut subditis curam nolit impendere, et hoc exhibere modo quod revera invitus tolleret onus, tam famæ suæ quam animæ pariter consulere poterit. Quod si de sanctitate sua confidens æstimet se ad hanc administrationem melius quam cæteros posse sufficere, et hoc utique superbissimum est, et in illam Eliæ præsumptionem incidere, qua dicebat [1] : « Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam. » « Sed quid, » inquit Apostolus[2], « dicit ei divinum responsum? « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt « genua ante Baal. » Sic ergo et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt salvæ, etc. »

Si ergo propheta tantus, unum se cæteris præferens, de hoc suæ præsumptionis temerario judicio a Domino correptus est; quis nostrum, nullam prophetiæ gratiam adeptus, se aliis meliorem æstimare audeat, maxime quum id, juxta regulam beati Benedicti, a proposito monasticæ religionis sit remotissimum? Unde illud est in præfata regula, capite VII, ubi de gradibus humilitatis monachum instruens, ait : « Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem et viliorem non solum sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se, et dicens cum Propheta [3] : « Ego autem sum vermis, etc. » Qualiter autem quislibet de congregatione assumptus inferiorem aliis se æstimare potest, et assentire eo loco se poni, quo melior se dignus sit. Aut quidem perniciosus est, alios se inferiores æstimare, et non audire Apostolum dicentem [4] : « Tu quis es qui judicas alienum servum? » Maxime quum et juxta Bedam [5] « quæ dubia sunt in meliorem partem debeamus interpretari. » Quod Apostolus quoque attendens, quum præmisisset [6] : « Tu quis es, qui judicas alienum servum? suo Domino stat, aut cadit, » adjecit : « Stabit autem, » in meliorem videlicet partem dubium convertens. Quid denique periculosius, et in superbiam pronius, quam alios inferiores se attendere, etiamsi inferiores et impares meritis videantur? Unde et Pharisæus Publicanum respiciens statim intumuit [7], et ex comparatione minoris magnum se æstimans, quæ habuerat merita

[1] *Reg. II*, cap. IX, v. 10. — [2] *Rom.*, cap. XI, v. 4. — [3] Psalm. XXI, v. 7. — [4] *Rom.*, cap. XIV, v. 4. — [5] *In Lucam*, cap. VI, *Opp.* t. V, p. 290. — [6] *Rom.*, ibid. — [7] Luc., cap. XVIII, v. 10 et seq.

perdidit; sic e converso pharisæus de comparatione illius tanquam majoris per humilitatem excrevit in meritis. Nihil quippe ad superbiam ita nos trahit, sicut inferiores respicere, et quæ illis bona desunt in illis attendere. Nihil ita proficit ad obtinendam vel conservandam humilitatem, quemadmodum eos intueri, qui nos præcedunt in meritis, ut sciamus quid desit nobis, non quid desit aliis. Quod diligenter Apostolus considerans, Philippensibus scribens, ait[1] : « Fratres, ego me nondum arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum prosequor bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. » Quod ergo Dominus ad reprimendam superbiam consilium dederat, proponens nobis pharisæi et publicani parabolam, ad hoc postmodum Apostolus proprio incitavit exemplo, dicens se nondum arbitrari se comprehendisse id ad quod tendit. Hoc est, nondum se illius esse meriti quod desiderat adipisci. Quod quidem ut obtineat, qualiter id possit, diligenter aperit, dicens se in hoc uno occupari, ut quæ retro sunt obliviscatur, et ad ea quæ ante sunt extendat se, hoc est hanc in operibus vel meritis hominum rationem habeat, ut quæ dignitate priora sunt ad exemplum imitationis aspiciat, non quæ posteriora sunt respiciat. Nemo quippe, ut ipse Dominus ait[2] : « Mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei, » quia quisquis ad bona opera festinat, si deteriores respiciat se, et non meliores attendat, regni cœlestis aditum sibi claudit, quia de comparatione minorum in suis meritis amplius confidit, sicuti pharisæus ille, qui quum Abraham et superiores in meritis patres aspicere debuisset, publicanum respexit, quem inferiorem meritis æstimavit. Ita, fratres, quum quis de cœtu monachorum ad episcopatum assumptus se cæteris tanquam inferioribus comparat, quibus se ad hanc administrationem digniorem æstimat, mirandum, valdeque mirandum est, si de sua electione cæteris reprobatis in elationem non incidat. Ut enim rhetoricæ complexionis argumentatione utar, quam cornutum syllogismum Hieronymus vocat, profecto aut meliorem se cæteris, et ad hoc digniorem, æstimat, aut non æstimat. Si æstimat, quo magis ab humilitate monachi recedit, tanto deterius in elationem cadit, et eo ipso quo se meliorem credit, deteriorem efficit. Si non æstimat, se videlicet cæteris ad hoc esse meliorem, sed vel æqualem aliis vel inferiorem, profecto nonnullum et in hoc periculum occurrit. Si enim æqualem aliis, excidit a supraposito regulæ canonicæ quo præcipitur ad humilitatis custodiam, ut se cæteris inferiorem non solum pronuntiet voce, verumetiam teneat in corde. Sin autem deteriorem, ut oportet, se æstimat, quanta sit

[1] *Phil.*, cap. III, v. 13. — [2] *Luc.*, cap. IX, v. 62.

præsumptio videat locum occupare melioris, et per ambitionem sacrilegium rapinæ committere. Denique quum Apostolus diligenter episcopum describens, dicat [1] : « Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, doctorem, non cupidum, suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, etc. »

Multa in descriptione illius, qui episcopali dignus sit electione, cura diligenti collegit, ex quibus pauca in hunc locum contulimus, sed ea quæ sufficere credimus his in excusationem sui prætendere, qui se invitos ad episcopatum trahi profitentur. Si enim dixerint his, a quibus trahuntur, se apostolicam super hoc sententiam velle audire, et qualem eligi oporteat episcopum ab ipso cognoscere, quum recitata ex integro fuerit ab Apostolo prolata descriptio : nulla, ni fallor, reperiet, quibus se rationabiliter poterit excusare, quo magis Apostolum, imo spiritum Dei in eo loquentem, quam coactionem hominum sequi debeat. Quid est enim quod statim in ipsa fronte descriptionis præmisit « irreprehensibilem? » Quis de salute sua sollicitus, hoc audito, statim pedem non retrahat, et non magis illud alterius apostoli dictum attendat [2] : « In multis enim offendimus omnes? » Quanto etiam diligentius illud est attendendum, quod secundo loco adjecit : « unius uxoris virum, » et post modum rationem supposuit, dicens: « habentem filios subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ, etc. » Consulens quippe probatas in sæculo personas de minoribus ad majora transferri juxta illud dominicum [3] : «Qui fidelis erit in minimo, fidelis erit et in majore,» hoc potissimum præbet consilium, ut qui in matrimonio positi fuerant, et circa domesticam curam bene se gessisse probati sunt, quasi spiritalem uxorem ducant, et dominicæ domus curam suscipiant. Quod et ipse dominus proprio declaravit exemplo, quum duodecim apostolos congregans, quorum episcopi locum obtinent, nullos aut paucos nisi conjugatos assumpsit. Et quamvis Joannem virginem magis quam Petrum copulam nuptiarum expertum, et domui suæ diu præpositum dilexerit, non tamen illum sicut istum principem apostolorum constituit. Quo ergo quisque de monastico cœtu assumptus circa curam uxoris et domesticorum minus probatus est, magis ad episcopatum accedere trepidet. Qui etiam doctoris officium quanto minus est expertus, juxta illud Hieronymi [4] : « Monachus non doctoris, sed plangentis officium habet, qui se mundum lugeat, et Domini pavidus præstoletur adventum, » tanto magis ignorat quid populum

[1] *Tim. I,* cap. III, v. 2. — [2] Jacob, cap. III, v. 2. — [3] Luc., cap. XVI, v. 10. — [4] *Adv. Vigilantium*, *Opp.* t. IV, part. II, col. 288.

doceat, qui a populo jam toto tempore sequestratus vixit. Denique quod ait Apostolus, quia oportet eum habere bonum testimonium, et ab his qui foris sunt, attendatis qui electus est de subjectione ad prælationem, de paupertate ad abundantiam translatus, quam difficile sit eum bonum testimonium retinere, ubi de ambitione major quam de religione subrepit opinio. Nemo autem mihi objiciat quod in antiquis temporibus multis de monastica religione ad episcopatum tractis, per eos Ecclesia in magnam fidelium messem et virtutum copiam excrevit. Scimus et nos ista, nec negamus cognita. Sed edocti de proximo tempora discernimus, et cum præteritis præsentia conferentes reperimus officium episcopi tanto nunc laudabilius et salubrius respui, quanto laudabilius et salubrius olim suscipiebatur. Tunc honorabile nomen episcopi, et salubre officium fuit : quum episcopi non tam honorem quam onus susciperent, nullis adhuc opibus Ecclesia ditata, sed assiduis tribulationibus afflicta, quando in eam persecutione sæviente eos primum aut plurimum infideles persequerentur, quos in capite noverant constitutos. Nunc autem Ecclesia corporalem pacem adepta, sicut in primo *de Civitate Dei* beatus meminit Augustinus, longe graviores[1] expressiones a vitiis intus sustinemus, quam tunc externis ab hostibus. Nunc enim libertate pessima, crapulæ, et ebrietati, et omni luxui vacantes, interfectores nostrarum efficimur animarum, sicut illi antea corporum, et civilibus quibusdam et intestinis bellis perit Ecclesia, sicut olim destructa est Roma. Tanquam enim ad dignitatem episcopi pertineat ita in divitiis abundare, sicut in prælatione perire, non aliter se digne censent episcopari, nisi splendidius et accuratius vivant, et obliti cibarium panem, quo antea vescebantur, corde in Ægyptum revertentes de heremo, ollis carnium impudenter incumbant. Qui quum de apostolica dignitate glorientur, pauperem eorum vitam et frugalitatem beatam omnino refugiunt, quam Dominus ipsis in fundamento constituens, ait[2] : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Quibus quidem verbis patenter ostendit, non per honorem prælationis, sed per onus voluntariæ paupertatis cœlos promereri.

Quanta sit autem impudentia tales episcopos de monachis factos habitum monachi retinere, et non monastice vivere, imo suæ professioni contraria prorsus agere, quis non videat quanta sit impudentia? Quis ignoret de talibus, ut verbis utar apostolicis[3], quia primam fidem irritam fecerunt, et quam contrarii reperiantur sanctis patribus similiter promotis? Non beatus Martinus asperitatem cilicii seu cibi pro prælatione mutavit episcopali. Quare in hoc officio non quæ sua essent, sed quæ Jesu Christi quærebat. Quis denique non miretur, quod hoc

[1] Leg. *eversiones*. — [2] Matth., cap. v, v. 3. — [3] *Tim. I*, cap. v, v. 12.

tempore soliti sunt præsumere, ut videlicet Romam pergentes, quum necessitas exegerit aliqua ut ad summum pontificem vadant, ipsum quoque monasticæ religionis habitum deponant; quo liberius in via sub laicali habitu sæculariter vivere audeant, et simulatione pessima se id esse quod sunt tam re quam voce mentiantur. Qui nec clericatus signa retinentes comam pariter et barbam nutriunt, quo facilius intuentes fallant, atque tutius sub habitu lecatorum, lecaciter se gerant, ut tam a monachi quam episcopi proposito apostatantes, nec monachi meritum habeant, nec episcopi reverentiam servent. Quos prædictus onager noster tanto amplius accusat, quanto perfectius sine professione monasticæ religionis monachum exhibuit, et episcopali dignitati austeritatem hujus vitæ præposuit. Cui nec a Domino gratia miraculorum est collata, quo magis frequentiam populi declinaret, quum ipse, sicut in Joanne scriptum est, nullum fecerit signum. Quæ quidem gratia quantum quieti et humilitati monachorum sit noxia, ille diligenter attendebat, quem Posthumianus de peregrinatione sua scribens, in exemplum hujus gratiæ non appetendæ, imo summopere nobis fugiendæ ad medium deduxit. Cujus sanctitas quum inter cætera in expellendis dæmonibus singularem gratiam esset adepta, et de hoc se inquietari, tam hominum frequentia, quam vana gloria videret, rogavit Dominum, ut ipsis dæmonibus, quos expellebat, in seipsum potestatem daret, simulque his fieret videlicet mensibus, quos ab hac oppressione curabat. Quod quum impetrasset a Domino, correptus est a dæmone, tentus in vinculis, omnia illa quæ energumeni solent ferre perpessus. Quinto demum mense purgatus est, non tamen dæmone, sed, quod illi erat utilius atque optatius, vanitate. Sed mihi, inquit Posthumianus, ista replicanti, nostra infelicitas, nostra occurrit infirmitas. Quis enim nostrum est, quem si unus homunculus humilis salutaverit, aut fatuus, atque adulantibus verbis femina una laudaverit, non continuo elatus sit superbia, non statim inflatus sit vanitate? Aut etiamsi non habeat conscientiam sanctitatis, tamen quia vel stultorum adulatione, aut fortassis errore, sanctus esse dicatur, sanctissimum se putabit? Jam vero si ei munera crebra mittantur, Dei se magnificentia asserit honorari, cui dormienti atque resoluto necessaria conferantur. Quod si vel de modico ei aliqua virtutis signa succederent, angelum se putaret. Cæterum quum neque opere, neque virtute conspicuus sit, si quis clericus fuerit effectus, dilatat continuo fimbrias suas, gaudet salutationibus, inflatur occursionibus. Ipse etiam ubique discurrit. Et qui ante pedibus aut asello ire consueverat, spumeo equo superbus invehitur. Parva prius ac vili cellula contentus habitare, erigit celsa laquearia, construit multa conclavia, sculpit ostia, pingit armaria, vestem respuit grossiorem, indumentum molle desiderat: atque hæc caris viduis, ac familiaribus mandat tributa virginibus. Illa ut birrum rigentem, hæc ut fluentem texat

lacernam. Verum hæc mordacius describenda beato viro Hieronymo relinquamus.

Quid ad hæc illi dicturi sunt, quos hoc tempore in tantum vidimus præsumere, ut de solitudine ad turbas procedentes, sicut de ficto religionis nomine tumebant, ita et de simulatione miraculorum gratia videri mirabiles appetebant? Omitto contactus et benedictiones aquarum, quas languidis in poculum dirigebant, ut sic curarentur, contrectationes vel consignationes membrorum, ut dolores infirmantium expellerent, eulogias in panibus fractas, et ad infirmos destinatas. Ad majora veniam, et summa illa miracula de resuscitandis quoque mortuis inaniter tentata. Quod quidem nuper præsumpsisse Norbertum, et coapostolum ejus Farsitum mirati fuimus, et risimus[1]: qui diu pariter in oratione coram populo prostrati, et de sua præsumptione frustrati, quum a proposito confusi deciderent, objurgare populum impudenter cœperunt, quod devotioni suæ et constanti fidei infidelitas eorum obsisteret. O calliditas incautorum! o excusatio frivola inexcusabilium! Aliquos aliquando in talibus decipere possunt, sed juxta veritatis assertionem, nihil occultum quod non reveletur, et juxta Hieronymi sententiam[2], falsus rumor cito opprimitur. Non ignoramus astutias talium, qui quum febricitantes a lenibus morbis curare præsumunt, pluribus aliqua vel in cibo vel in potu tribuunt ut curent, vel benedictiones vel orationes faciunt. Hoc utique cogitant, ut si quoquomodo curatio sequatur, sanctitati eorum imputetur; sin vero minime, infidelitati eorum vel desperationi ascribatur. Tale consilium quidam sæcularis astutus cuidam pauperculæ sibi notæ fertur dedisse. Quum enim illa, ut dicitur, ad paupertatem nimiam devenisset, et a prædicto viro eleemosynam postularet, miratus ille quod eam mendicantem videret, quam antea noverat abundantem, dedit ei tandem consilium, ut se medicari scire simularet, et herbas quascunque colligeret, et ægrotantibus inde curationem præpararet, et hac arte sibi victum quæreret. Addebat enim, dicens, quod si alicui pro medicamine aliquid daret, et sanitas quacunque de causa inde aliquo curato sequeretur, ille sanatus hanc curationem ejus medicinæ deputans, multos exemplo sui ad medicamenta illius invitaret : et sic in brevi magnum sibi nomen medicinæ acquireret; quæ quum in aliquibus medicamentis suis efficaciam non haberet, morbo id imputaretur, quod incurabilis esset, et contra mortem nihil medicamenti vires posse. Quid plura? fallaci homini ut multos falleret acquievit illa, et magna tandem in opinione hominum de virtute medicamenti habita est. Sic isti de miraculis præsumentes, sicut illa de medica-

[1] De S. Norberto vide supra, p. 63, notas ad *Histor. Calam.* Farsitus iste quem Abælardus Norberti socium fuisse ait, videtur esse Hugo Farsitus, canonicus regularis suessionensis, de quo vide *Hist. litt. de la France*, t. XII, p. 294 et sq. Cf. Rémusat, *Abélard*, t. I, p. 176. — [2] Epist. XLIX, *Opp.* t. IV, part. II, p. 559.

minibus, quodam simulationis pallio se ornantes, multarum febriuncularum curationem præsumunt, ut quum in aliquibus quocunque casu sanitas consequatur, hoc eis imputari possit. Quum vero in aliquibus defecerint, infirmæ fidei hominum ascribatur, qui digni non fuerant ut hæc beneficia susciperent aut etiam viderent.

Nonnulli quoque de nomine religionis gloriantes, quum gratiam miraculorum assequi non valent, ut hinc maxime religio ipsorum comprobetur, hoc ad consolationem suam afferre solent, non jam hoc tempore, quo fides corroborata est, miracula sic esse necessaria quomodo quondam in primitiva Ecclesia. Ad quod etiam testimonium de apostolo inducentes, dicunt[1] : « Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. » Sicut ergo cuilibet genera linguarum collata subito pro signo habentur apud infideles, et cum admiratione magna ab eis quasi magnum quid suscipiuntur, ut his tanquam miraculis ad fidem moveantur : ita et quæcunque miracula infidelibus potius quam fidelibus necessaria dicunt : ideoque hoc tempore his, qui inter fideles conversantur, hanc signorum gratiam non esse necessariam, qua illi fideles efficiantur qui jam fideles sunt. Sed profecto quum fides sine operibus mortua sit, et servus sciens, et non faciens voluntatem Domini sui multis vapulet plagis, non minus propter opera quam propter fidem conferenda, hoc etiam tempore necessaria videntur miracula. Sed nec adhuc infidelium tam hæreticorum quam Judæorum sive gentilium nobis copia deest. Ad quorum conversionem faciendam, vel oppugnationem reprimendam, non minus miracula nunc quoque sicut olim necessaria videntur. Sed quia non sunt qui hanc promeruerint gratiam, nec tam ad salutem aliorum, quam ad ostentationem sui quisque eam desiderat, jamque omnino fides illa periit, de qua Salvator ait[2] : « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti ut se transferat, et transferet, » cessantur penitus illa miraculorum beneficia, quæ prædictus onager, quamvis his indignus non esset, respuit, et qui digni non sunt appetunt, et impudenter simulant. Qui denique clamorem exactoris non audiens, et in montanis virentia quæque perquirens, quanto hæc amplius ad gloriam suam peregit, tanto hæc magis ad ignominiam nostram convertit. Quis enim tam insatiabilis vel importunus exactor, quomodo venter monachorum vel potius epicureorum porcorum, de qualibus quidem illud horatianum[3] :

Me quoque jam nitidum, bene curata cute, vises,
Quum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

[1] *Corinth. I*, cap. XIV, v. 22. — [2] Luc., cap. XVII, v. 6. — [3] *Epist.* lib. I, epist. IV, v. 15 et 16.

Quilibet in sæculo macilenti, quum ad vivaria monasticorum claustrorum pervenerunt, ita in brevi dilatati ac impinguati fiunt, ut si post modicum tempus eos visites, vix agnoscere queas. Inter mille laicos, si paucos adhibeas monachos, plures in eis pingues, plures nitidos, plures ex nimio calore inebriatos, sæpius capitis calvos reperies.

IN NATALI INNOCENTUM.

SERMO XXXIV[1].

Si ad corporalem aspiciamus pacem hodierna passio innocentum prima professata est quam verum fuerit quod ipsa Veritas postmodum ait[2] : « Nolite putare quia veni pacem mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium. » Etsi enim adventus ejus pacem maximam mundo dederit, bellis prioribus sub Augusto finitis, nequaquam ipse sibi hanc præstitit quam omnibus contulit. Quod quidem non sine magna dispensatione factum esse credimus, ut in ejus scilicet persecutione tam cito inchoata, singuli fideles in propria se maxime consolarentur, quam et ipse Dominus consolationem discipulis anteponens[3] : « Mementote, inquit, sermonis mei, quem ego dixi vobis : non enim est servus major domino suo ; si me persecuti sunt et vos persequentur. » Bene autem ab ipsa statim infantia Christi persecutio ejus est incœpta et in infantibus debacchata ut tanto irrationabilior comprobetur, quod tam crudelis innocentiam manifestam prosequitur, ut prius imperatur supplicium quam patrandi facultatem ætas habeat. Ne quis forte Dominum crudelitatis arguat quod ipse persecutionem declinans in Ægypto latuerit, nec ab ea innocentiam infantum liberare decrevit, sciat hoc dominicæ pietati magis imputandum esse. Quis enim nesciat eos qui tunc occisi sunt quandoque morituros, aut quis certus sit eos, si non interficerentur, fuisse salvandos, de quorum salute neminem fidelium nunc constat dubitare ? Quod quum id sola gratia Dei eis absque aliquibus eorum meritis collatum sit, quis non pietatem Dei magis commendet quam crudelitatem accuset ? Ipse denique mortis cruciatus tanto in eis levior extitit, quanto momentaneus et improvisus magis fuit. « Videns Herodes, » inquit evangelista[4], « quoniam illusus esset a magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros

[1] Ex Codice Einsedlensi Ms. nunc primum in lucem editus. — [2] Matth., cap. x, v. 34. — [3] Joan., cap. xv, v. 20. — [4] Matth., cap. II, v. 16.

qui erant in Bethlehem, etc. » Illusus a magis occidit innocentes qui illudere nec peccare poterant. An illusum te, impie, credis quia dolum conceptum perficere nequis, et ordinationem Dei tuo scelere prævenire non permitteris, et prius illudere quam illudi, seducere quam decipi, fraudem inferre quam errorem pati? Usque adeo insensibilis factus es, ut quem justitia non reprimit, humanitas non commovet, ut his quos innocentes non dubitas parcere nequeat crudelitas? Insanus in alios factus, in te ipsum crudelior es repertus, qui dum filium Dei persequeris, tuorum filios occidis; nec ipse filius tuus a tantæ malitiæ crudelitate persistit immunis. Quo quidem cum cæteris interfecto, illusionis tuæ crudelitas incomparabilis in ludum proverbii conversa, titulum tibi quem merueras inscriptum dereliquit, non a Pilato, ut titulus Domini in ejus honorem compositus, sed ab Augusto in illusione tui perpetua promulgatum. Unde et Macrobius, *Saturnaliorum* libro II de Augusto et jocis ejus inter cætera sic meminit : « Quum audisset inter pueros quos in Syria rex Judæorum Herodes in tribunatu jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait : « Melius est Herodis « porcum esse quam filium. » Credebat quippe Augustus ipsum etiam Herodem regem Judæorum more populi sui a carne abstinere porcina, et ob hoc eum nequaquam porcos occidere velle, a quorum usu decreverat abstinere ». Utrum vero hoc scienter an per ignorantiam ad generale edictum regalis imperii sit factum, non satis ex prædictis verbis liquide apparet. Potuit quippe fieri, ut qui pro uno turbatus infante, ab omnibus verebatur, suum quoque filium suspicaretur, per quem regnum amitteret, vel in eo dolorem aliorum leniri crederet, et ob hoc etiam ipsum occidi furor immoderatus præciperet, ut sic sceleris immensitas in admiratione sui cunctos commoveret. Quod si eo ignorante, divino judicio, quacunque occasione id actum, sit benedictus Deus qui impii gaudium retorsit in ipsum, et quam[1] a proprio filio avertit, in maledictum germen nequissimum convertit. Quem denique divina ultio in tantam insaniam dejecit, ut quum ipse miserabilis mortis cruciatus ferre non posset, proprias sibi inferret manus, ut qui tot innocentum vitam eripuerat, ipse suam, non alius, eripere mereretur. A magis illusus, ab Augusto delusus, a se ipso interfectus, quas pœnas meruit, tam vitæ perversitate quam perversitatis suæ fine patenter edocuit. Neminem malitiæ suæ præconem tam certum habuit quam se ipsum.

Quod ejus tempore Christus nasceretur prophetia prædixerat, quod ejus fraude Christus perderetur malitia ejus disponebat. Completum est quod prophetia dixit, non quod dolus cogitavit; non enim furere permissus, nisi prius in Ægyptum Christus infans esset transmissus. Quum occultatus Christus in

[1] Hic *necem* aut simile aliquid deesse videtur.

Ægypto, filius Herodis remanet in regno. Qui utique si cum Christo transisset, nequitiam pariter patris vitasset. Sed in quo regno? Christi potius quam Herodis alienigenæ. Scriptum quippe de Christo est[1] : « In propria venit et sui eum non receperunt. » Parum est quod dixi : « Non receperunt » , imo eum expulerunt. De Judæa in Ægyptum translatus, quasi de proprio ad alienum migrans regnum, tutus in alieno persistit regno. Dum filius Herodis jugulatur in paterno, patrem filius hostem sustinuit, quia servus Dominum non cognovit. Filius pro filio traditus est, filius Herodis pro filio Dei. Traditus est ad mortem non ab hoste, sed a patre, ut ex morte filii maxime patris crudelitas innotesceret. Reservatur ad vitam filius Dei in quo vita omnium constituta fuerat, sicut ipsemet ait[2] : « Ego sum via et veritas et vita. » Non erat in manu hominis mors Dei, nec terrenus rex poterat prævalere cœlesti; cœlestis est terrena disponere, non terreni cœlestia. Quantum voluit ille, quievit iste; at ubi permissus furere, est aggressus. Quod diligenter evangelista describens, quum ad imperium angeli puer in Ægyptum de Judæa translatus fuisset: « Tunc, » inquit[3], « Herodes videns quoniam illusus esset a magis, etc. » Tunc quidem, non ante illusionem advertere permissus est. Quod vero dicitur pueros occidisse « a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis. » Nec solum in Bethlehem unde audierat prophetiam, verum et in omnibus finibus ejus, magnitudo sceleris exageratur, sic ut loco nativitatis, ita et temporum ætati crudelitas adderetur iniquitate occisionis. Nonnullam tamen questionem habens quod dicitur « a bimatu, » hoc est a duobus annis, « et infra, per tempus quod exquisierat a magis. » Si enim illi, ut Chrysostomus super Matthæum ex scriptura quadam refert, in profectione sua biennium consumpserunt, magis depressisse tempori quam addidisse visus est Herodes. Constat quippe magos ante biennium illud stellam vidisse, cujus apparitione proficisci cœperunt. Si ergo Herodes ab eo quod didicit a magis stellam apparuisse biennium computaverit, plus quam integrum annum depressit de tempore, quum videlicet constet hanc occasionem nequaquam peragi, nisi post anni revolutionem quam nos hodie hujus interfectionis passionem recolimus. Ut ergo tempori quoque sicut et loco crudelitas adderetur, intelligendum nobis videtur, ut est, a duobus quoque annis supra stellæ apparitione et deinceps usque ad interfectionis diem.

Quod vero de completione prophetiæ tunc facta dixit evangelista[4] magis ad mysterium quam ad historiam referendum est. Illud quippe juxta historiam de persecutione Nabuchodonosor in Jeremia constat prophetasse; quæ quia futuram Ecclesiæ persecutionem quæ hodie incœpit, figurabat in mysterio, et impletum

[1] Joan., cap. I, v. 11. — [2] Ibid., cap. XIV, v. 6. — [3] Matth, cap. II, v. 16. — [4] Ibid., v. 17.

quod in historia erat prædictum. Rachel quam post Liam Jacob accepit, Ecclesia est quæ a tempore Joannis, synagogæ successit. Quæ quidem, ab adventu Christi, crebris passionibus afflicta, primum in infantibus hodie est passa. Sed nondum quia per dominicam passionem et hostiæ veræ oblationem regnum cœlorum nobis fuerat reseratum, compassio Ecclesiæ de istis primis martyribus consolationem non accepit, quos a regno Dei differre cognoscit. Non vult ergo consolari, quia nondum sunt isti quos compassionis affectu materno deplorat, intelligens eo nondum habere[1], verum esse quam diu exclusi a beatudine, nec adhuc in eo sunt statu ad quem creati fuerunt ac prædestinati. Unde etiam provide a sanctis patribus institutum est, ut hæc innocentium solemnitas non ita ut cæterorum martyrum natalitia; voces illas exultationis habeat : « Te Deum laudamus. Gloria in excelsis Deo. Alleluia in missa. » Non enim natalitia sanctorum proprie dicenda sunt, nisi quando qui in terris sunt nati, in cœlo meruerunt renasci. Hic igitur natalitia sunt hominum, ibi natales sanctorum, quia hic per humanæ naturæ conditionem nascimur miseriis, ibi per sanctitatis gratiam perpetuis renascimur gaudiis. Nec tam nativitas ista deputanda est nativitati quam morti, ubi de paradiso ejecti cadimus per culpam, ut inferiores ad paradisum resurgamus per gratiam. Tunc ergo Rachel tempus habuit mœroris, sed nunc jam adepta tempus consolationis. Quæ tunc flevit ad inferos descendentes, nunc super eos gaudeat cum Christo regnantes. Attendat dominicam consolationem in his quoque jam completam[2] : « Amen, amen, dico vobis quia plorabitis et flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. » Quid enim mundus, nisi Herodes et cæteri mundi amatores? Gavisus est Herodes, completa nequitia sua de morte innocentium prædicta, quasi jam mundum quietus haberet, qui cœlestem regem occidisset, et risit deceptus, potius quam securus. Flevit Rachel, compassione filiorum afflicta. Nunc autem omnibus in contrarium conversis, hæc perenniter gaudet de suis, sicut ille cum suis sine fine mœret. Per omnia benedictus Deus qui impios tradidit et innoxios salvavit, qui, ut quodam loco beatus meminit Hieronymus, adeo misericors et benignus est, ut quos non potest salvare justitia, salvet misericordia, et invitis quoque beneficia et ingratis gratiam largiatur, sicut specialiter hæc severitas testatur. Unde spes maxima sanctorum meritis repromittitur, si tanta perceperunt ex gratia, quorum nulla præcesserunt merita. Super omnia benedictus Deus. Amen.

[1] Hic aliquid deesse videtur. — [2] Joan., cap. XVI, v. 20.

MAGISTRI
PETRI ABÆLARDI
EXPOSITIO ORATIONIS DOMINICÆ.

Inter omnia quæ fragilitas humana facere potest, unde placere conditori, vel eum placare valeat, plurimum prodest oratio, si cum pura conscientia et cordis humilitate fiat. Ideo dico cum pura conscientia et cum cordis humilitate; quia si conscientia fuerit sorde pravæ voluntatis, vel operis nævo polluta, si cor nostrum inani fuerit elatione repletum, oratio nostra apud Deum non recipitur, nec noster animus exauditur. Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Mediator itaque Dei et hominum homo Christus Jesu humanæ saluti consulens et illi misericorditer providens, inter cætera sanctissimæ doctrinæ verba formam orationis instituit, et quomodo Patrem orare debeamus, edocuit dicens[1]: « Quum orabitis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare : orantes autem nolite multum loqui sicut ethnici. Putant enim quia in multiloquio suo exaudiantur. Sic ergo vos orabitis : « Pater noster, qui es in cœlis, etc. » In hac oratione dominica septem petitiones esse dignoscuntur. Prima petitio est: « Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. » Secunda: « Adveniat regnum tuum. » Tertia: « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. » Quarta : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. » Quinta : « et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Sexta: « et ne nos inducas in tentationem. » Septima : « sed libera nos a malo. Amen. »

PRIMA PETITIO.

« Pater noster, qui es in cœlis, etc. » Ecce, carissimi, singulis fere diebus clerus et populus, viri et mulieres, sed præcipue diebus solemnibus gregatim ad

[1] Matth., cap. vi, v. 5.

basilicas evolant, vestibus melioribus coram aspectibus hominum singuli pro posse suo se adornant, domum Dei sancti quasi filii Dei communiter intrant, genua flectunt, pectora tundunt, manus expandunt, ora aperiunt, preces fundunt, dicentes : « Pater noster, » sed, quod sine gravi mœrore dicendum non est, quam multi domum Dei, Dominum deprecaturi ingrediuntur, et quam pauci exaudiuntur? Quam multi Dominum vocant in hac oratione : « Pater noster, » qui non sunt ejus filii, sed illius patris de quo scriptum est[1]: « Vos ex patre diabolo estis! » Dei non sunt filii, qui jam diu perdiderunt gratiam : diaboli sunt filii, quia per superbiam eos genuit, et nutrit per culpam. Filii sunt diaboli omnes immundi, concubinarii, ad ultimum avari, maledici, fœneratores, et aliis quibuscunque damnabilibus peccatis depravati qui dicunt fratri suo, « fatue, » qui vident mulierem ad concupiscendum eam. Et quicunque, etsi non perverso opere, perversa tamen a Deo separati sunt voluntate, et quod multo gravius est, quod magis flendum est, non solum vulgares et indocti laici, verum etiam et innumerabiles nostri temporis sacerdotes, qui sacro peruncti sunt oleo, qui quotidie sacris ornantur vestibus, sacris assistunt altaribus, qui sacramentum dominici corporis et sanguinis tractare mundissimis manibus debent, Dominum pro se sibique commissis placare devotis precibus : ipsi, inquam, sordibus vitiorum involvuntur, ipsi maculis peccatorum polluuntur, sed et, quod scelestius est, non solum talibus qualibus multi laici fœdantur sceleribus; sed multo gravioribus, et non in ædificationem, sed in scandalum et in ruinam populorum jam positi, omnibus proverbium, risus et contemptus facti sunt. Sciant etiam tales sacerdotes quod quotidie, quando primam horam Deo decantant, vel semetipsos maledicunt, vel testimonium divinæ maledictionis adversum se dicunt, dum proferunt[2]: « Maledicti qui declinant a mandatis tuis. » Quicunque igitur, fratres, Deum in Oratione Dominica patrem vocat, quicunque ab eo exaudiri desiderat, taliter vivat, ut Deus eum suum filium recognoscat esse per gratiam, qui omnium pater est per naturam. Alioquin, quum judicabitur, exibit condemnatus, et oratio hujus fiet in peccatum : « Pater noster, qui es in cœlis. » Qui dicit, « pater, » captat benevolentiam; qui dicit « noster, » excludit superbiam. Qui dicit, « qui es in cœlis, » exhibet reverentiam. Qui dicit, « pater, » captat benevolentiam, quia pium clamat. Qui dicit « noster, » excludit superbiam, quia non sibi arroganter proprium, aut specialem; sed et aliis etiam communem denuntiat. Qui dicit, « qui es in cœlis, » exhibet reverentiam, quia non solum infimis, sed et summis eum præsidere prædicat. « Sanctificetur nomen tuum. » Multa sunt nomina divina. Quod ergo nomen petimus sanctificari, quum dicimus : « Sanctificetur no-

[1] Joan., cap. VIII, v. 44. — [2] Psalm. CXVII, v. 21.

men tuum ? » Nomen Dei fides est Dei, per quam credentibus innotescit. « Sanctificetur nomen tuum, » sanctificetur fides tua, quæ est notitia tui. Sed nunquid nomen Domini non est sanctificatum et sanctum? Omnes Scripturæ clamant, omnes resonant : « Sanctum nomen tuum. » Nomen quidem Domini, fratres, sanctum est, sed adhuc in cordibus quorumdam amplius sanctificari potest. Potest namque sanctificari in cordibus paganorum, in quibus nondum sanctificatum est per fidem : in cordibus Judæorum, in quibus nondum sanctificatum est per fidei consommationem : in cordibus falsorum christianorum, in quibus non est sanctificatum per dilectionem. Potes quoque amplius sanctificari in cordibus electorum per majorem fidei confirmationem, et majorem Dei et proximorum dilectionem. Quanto etenim quisque perfectius Deum credit et diligit, tanto amplius nomen Patris in se sanctificat et sanctificatum demonstrat. « Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. » Sanctificetur nomen tuum in cordibus paganorum, sanctificetur in cordibus Judæorum, ut et illi in te credant, et isti perfectius credant, et utrique diligant. Sanctificetur in cordibus falsorum Christianorum, ut sicut habent per fidem tui cognitionem, sic quoque habeant per affectum et dilectionem. Sanctificetur adhuc in cordibus electorum per majorem claritatem cognitionis, et majorem suavitatem dilectionis : « Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. »

SECUNDA PETITIO.

« Adveniat regnum tuum. » Quid est quod petimus dum dicimus, « adveniat regnum tuum? » Nunquid non habet regnum Deus? nunquid non est rex Deus? Si Deus non est rex, aut si non habet regnum, quid est quod Psalmista ait[1] : « Quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter? » Ergo rex est Deus, et regnum habet Deus. Quare ergo petimus, ut adveniat regnum ejus? Quando petimus ut adveniat regnum ejus, non petimus ut adveniat in hoc quod jam est, sed in hoc quod nondum est, vel potius manifestetur in eo quod nondum manifestum est. Ad hæc et nascituri sunt multi, qui ad regnum ejus sunt prædestinati : et qui prædestinati necdum sunt de regno ipsius esse, omnibus manifestat. Adveniat ergo regnum tuum, o pater cœlestis, ut per naturam carnis generentur ad regnum tuum prædestinati, et per gratiam baptismi regenerentur : et fiant justi, et per claritatem justitiæ omnibus manifestentur esse filii regni tui. « Adveniat » ergo « regnum tuum, » ut in fine sæculi, in die judicii, in resurrectione generali, separentur grana a paleis, agni ab hœdis, frumentum a zizaniis, et Ecclesia tua, quæ est regnum tuum, de pressura sæculi præsentis te vo-

[1] Psalm. XLVI, v. 8.

cante transeat in gloriam patriæ cœlestis. Item « adveniat regnum tuum, » ut sicut regnas in justificatis, ita cito regnes in justificandis : et sicut regnas in illis qui jam sunt boni, sic expulsa potestate dæmonum, regnes et in illis, qui adhuc sunt mali : « Adveniat regnum tuum. »

PETITIO TERTIA.

« Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. » Scimus quod in cœlo nemo sanctorum vel angelorum a voluntate Dei deviat, nemo illi contradicit. Quando ergo fieri poterit, ut non voluntas Dei ita in terra sicut in cœlo fiat, ut videlicet in terra nemo vel per ignorantiam, vel per fragilitatem humanam delinquat : quum infans unius diei non sit sine peccato super terram, et in multis offendamus omnes. Sed sciendum quod, « sicut, » non est quantitatis, sed qualitatis, et similitudinem insinuat, non æqualitatem. Si quis ædificaret domum parvam secundum formam et dispositionem domus majoris, non diceremus de parva domo : Tanta est ista quanta illa major : sed diceremus : talis est ista qualis illa; talis similitudine, non tanta quantitate. « Fiat » ergo, o pater, « voluntas tua sicut in cœlo » per angelos, et per sanctos per primam stolam jam glorificatos : ita « in terra » per homines justificandos et glorificandos, ut sicut illi faciunt voluntatem tuam in cœlo, ita eam faciant isti in terra, etsi non secundum æqualitatem, tamen secundum similitudinem : si non secundum illorum perfectionem, tamen secundum perfectionis illorum imitationem. « Fiat voluntas tua, » non solum in electis per bonorum operum exhibitionem, verum et in reprobis per malorum dispositionem. Quamvis vero malorum dispositor, et quamvis sub potestate tua multa sunt mala, nulla tamen relinquis inordinata : et sic fit in omnibus voluntas tua.

PETITIO QUARTA.

« Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. » Fecit Deus hominem ex substantia duplici, corporea scilicet et spirituali. Quia igitur homo compositus est ex duabus substantiis, necessarius est ei duplex panis, corporalis et spiritualis. Corporalis reficit corpus, spiritualis animam satiat. Corporalem petimus, quia nisi Deus fecerit terram germinare, non poterit fructus suos ministrare. Spiritualem panem a Deo postulamus, quia nec ipsum nisi ipse dederit percipimus. Hunc habent nobis dispensare sacerdotes. Hinc jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Quis vero est nostris temporibus fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore fideliter et prudenter? Fideliter quantum ad Deum, ut videlicet cum tanta fide, tanto timore, tanta similitudine, tanta instantia, tanta diligentia,

quemadmodum præcipit Dominus, verbum Dei dispenset. Prudenter, quantum ad homines, ut secundum capacitatem singulorum singulos erudiat. Sed, quod sine gravi luctu dicendum non est, mundus sacerdotibus plenus est, et tamen si sit qui bonum audiat, non est qui dicat, juxta illud[1]: « Parvuli petierunt panem, et non est qui porrigat eis. » Quid dicturi sunt quidam moderni sacerdotes in die judicii, qui ordinem sacerdotalem susceperunt, sed inordate vivere non erubescunt? Quidam vero in conviviis et potationibus cum vulgo prorsus indocto, pravis moribus corrupto, tota die sedent, fabulantur, et quæ dicenda non sunt turpiter operantur. Lanis gregis dominici superbe vestiuntur, lacte pascuntur, et oves fame et penuria verbi Dei moriuntur. Transeunt festa, transit integer annus, quod nec unum verbum de ore ipsorum egreditur, quo plebs sibi commissa erudiatur, de malo corrigatur, ad bonum revocetur, et in bono confirmetur. Quotidie tamen se Deo præstare obsequium arbitrantes, verba divinæ laudis jubilant, imo sibilant, et audientes et intendentes sono vocis, gestu corporis scandalizant, non ædificant. Cogitare deberent hujusmodi sacerdotes animadversiones propheticas adversum se esse prolatas, quibus dicitur[2]: « Erit sicut populus, sic sacerdos. » Et item[3] : « Sacerdotes non dixerunt : « Ubi « est Dominus? » et tenentes legem nescierunt me. » Et illud[4] : « Canes muti non valentes latrare. » Et[5] : « Canes impudentissimi nescierunt saturitatem. » Nemo itaque ab istis sacerdotibus expectet sibi dari panem sacræ doctrinæ, quia vel nesciunt docere, vel contemnunt. Considerent potius illis in locis doctos et dignos sacerdotes, bonæ vitæ et famæ : illos adeant et audiant, ab eis doceri suppliciter requirant. Sunt autem quidam prædicatores, qui sicut zizania in agro Domini a diabolo sunt seminati, qui totum mundum cum suis phylacteriis peragrant, et indoctum vulgus et peccatis oneratum verbis mendacibus beatificant, dicentes : « Pax, pax, » quum non sit pax. Unde Isaias[6]: « Popule meus, qui te beatificant ipsi te seducunt, et viam gressuum tuorum dissipant. » Et iterum[7]: «Erunt qui beatificant, et qui beatificantur præcipitati. » Panem nostrum, pater, da nobis hodie; pasce, Domine, pasce, tu ipse oves tuas : unctio tua doceat eas de omnibus, ut Spiritus tuus per internam aspirationem vel doctrinam infundat quam talium sacerdotum os mutum non dispensat. Panem itaque nostrum quotidianum da nobis hodie, panem scilicet corporalem et panem spiritualem : panem corporalem, ut facias terram germinare, et fructus suos temporibus suis reddere : panem spiritualem, ut inspires prælatis et doctoribus Ecclesiæ tuæ doctrinam tuam sibi traditam studeant feliciter nobis et prudenter dispensare.

[1] *Thren.*, cap. IV, v. 4. — [2] Osee, cap. IV, v. 9. — [3] Jerem., cap. II, v. 8. — [4] Isaiæ cap. LVI, v. 10. — [5] Ibid., v. 11. — [6] Isaiæ cap. III, v. 12. — [7] Ibid., cap. IX, v. 16.

Et si illi non curant panem istum nobis frangere, tu ipse nos pasce per occultam spiritus tui aspirationem, ut intus per te capiamus panem, quo foris fraudamur per illorum taciturnitatem. « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. »

PETITIO QUINTA.

« Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Quam multis timenda, quam multis perniciosa est, fratres, ista oratio! Multis etenim plus confert detrimenti quam augmenti, plus damni quam lucri. Sunt namque quidam, qui per magnam vel longam malignitatis vel odiorum malitiam[1] obdurati, illos qui per aliquam injuriam facti sunt illis debitores, manibus suis lædere vel jugulare concupiscunt : nec pro timore Dei, sed precibus hominum satisfactionem recipere, vel concordiam facere volunt. De talibus scriptum est[2]: « Uva eorum, uva fellis, et botrus amarissimus. Fel draconum vinea eorum, et venenum aspidum insanabile. » Qui quum tales sint, secrete tamen ad Ecclesiam confluunt, et coram Deo et altari ejus orantes dicunt : « Pater noster, dimitte nobis debita nostra, etc. » Sed, o misera insipientia! o infelix præsumptio! iram Dei adversum se precibus provocare! Homo homini reservat iram, et a Deo quærit misericordiam? Sunt autem quidam imperfecti, quorum imperfectioni, sicut dicit beatus Augustinus, divina miseratio condescendens, concedit ut saltem tunc debitoribus suis debita dimittant, quum ipsi debitores indulgentiam ab eis sibi dari postulaverint. Sicut Dominus servo suo nequam fecisse legitur, quemadmodum scriptum est[3]: « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quia rogasti me. » Quicunque autem rogatus a debitore debitum cujuslibet injuriæ dimittere contemnit, in vanum sibi a Domino dimitti debitum peccati sui petit. Quinimo magis illud iram judicis aggravat quam alleviat. Quamvis vero imperfectis concedatur sua posse requirere, satisfactionem de sibi illata injuria recipere, et a debitoribus rogari de indulgentia : si tamen nihil horum fieri contingat, debent omnino proprii cordis iram refrenare, et tenebras odiorum a se pellere, memores illius Jacobi apostoli[4] : « Ira enim viri justitiam Dei non operatur. » Et[5] : « Qui odit fratrem suum, hoc est, omnis homicida, non habet partem in regno Dei. » Perfectorum autem est omnibus omnia corde puro, vultu jucundo, sine restauratione rerum, sine satisfactione injuriarum, et sine precibus, suis debitoribus indulgere : insuper et sua tribuere, et obsequia charitatis exhibere. Provideat igitur unusquisque sibi in oratione ista : « Dimitte nobis, pater, debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » et si pro aliqua fra-

[1] Aliter *militiam*. — [2] *Deuter.*, cap. XXXII, v. 32. — [3] Matth., cap. XVIII, v. 32. — [4] Jacob., cap. I, v. 20. — [5] Joan. I, cap. III, v. 15.

gilitate vel etiam pernicie nos videas non dimittere sicut debemus, da nobis gratiam ut secundum voluntatem tuam dimittamus, et sic tuam indulgentiam consequamur. Da ut sic diligamus homines, ut eorum non diligamus errores, ut sic in eis diligamus naturam, ut non diligamus culpam, ut sic diligamus quod sunt, ut non diligamus quod male faciunt. « Dimitte nobis debita nostra. »

PETITIO SEXTA.

« Et ne nos inducas in tentationem. » Quum scriptum sit[1] : « Deus intentator malorum est, ipse neminem tentat : unusquisque autem tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus, » quid est quod petimus quum dicimus : « Et ne nos inducas in tentationem? » Est igitur sensus : Ne nos inducas in tentationem, non ut nunquam nos permittas tentari, sed ut nunquam permittas a tentatione superari ; et da ut per tentationes probemur, non reprobemur. Multum enim prosunt tentationes electis; quia per tentationum victoriam pertingunt ad coronam. Unde Jacobus apostolus[2] : « Beatus vir qui suffert tentationem, etc. » Item[3] : « Omne gaudium existimate, fratres, quum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ, » quæ, subaudis, per tentationes fit, « patientiam operatur : » unde, « in patientia vestra possidebitis animas vestras[4]. » Tentationum quatuor species sunt : alia enim levis et occulta : alia levis et manifesta : alia gravis et occulta : alia gravis et manifesta. Tria autem sunt quæ nos tentant, caro, mundus, diabolus. Caro nos tentat per gulam et luxuriam : mundus per prospera et adversa : per prospera ut decipiat, per adversa ut frangat. Diabolus omnibus modis nos aggreditur, et ad omnem nequitiam nos perducere conatur. « Pater, ne nos inducas in tentationem : » ne nos permittas tentari supra id quod possumus : sed fac etiam cum tentatione provectum, ut possimus sustinere. « Ne nos inducas in tentationem. »

PETITIO SEPTIMA.

« Sed libera nos a malo. » Multa sunt mala, quibus humana conditio subjacet, et quorum pressuram per se minime evadere valet ; quæ generaliter considerata sex modis distinguere possumus. Malum enim aliud est corporis, aliud animæ. Item aliud est malum, quod est culpa, aliud quod est pœna. Item aliud præsentis sæculi, et aliud futuri. Ab omnibus istis, et ab aliis quæ per ista comprehenduntur petimus liberari. Et sub istis continentur, quando oramus dicentes : «Libera nos ab omni malo » : quia nisi tu liberes nos, non poterimus sine te liberari. « Libera » ergo « nos » tu, Pater, « a malo. »

[1] Jacob., cap I, v. 13. — [2] Ibid., v. 12. — [3] Ibid., v. 3. — [4] Luc., XXI, v. 19.

CONCLUSIO HARUM PETITIONUM.

« Amen. » Interpretatur vere, et concludit omnes præcedentis orationis petitiones : « Amen, » quasi dicamus : O Pater noster, qui es in cœlis, vere sanctificetur nomen tuum, vere adveniat regnum tuum, vere fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, vere panem nostrum quotidianum des nobis hodie, vere dimittas nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, vere ne nos inducas in tentationem, vere liberes nos a malo. Ista est, fratres, jugiter meditanda, ista est jugiter dicenda oratio, utpote quam ipse Salvator docuit, et qua nobis Patrem orare præcepit. Nulla est enim ista sublimior, nulla utilior. Sunt quidam qui, sicut ethnici, gloriantur multa verba fundere, multa psalteria legere, diversas horas decantare, prolixas orationes continuare : et quum ore Domino loquuntur, nonnunquam in finibus terræ vagantur. Meminerint tales Scripturæ qua dicitur[1] : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. » Neque ista dicentes, sanctæ orationis solertiam et perseverantem devotionem culpamus, quam multum laudamus, dum prolixitatem orationis comitatur fervor maximus devotionis[2].

EXPOSITIO SYMBOLI

QUOD DICITUR APOSTOLORUM.

Institutum, fratres, a patribus sanctis habemus, tam symbolum fidei, quod dicitur apostolorum, quam orationem dominicam ab omnibus communiter christianis debere sciri, et memoriter retineri, ut promptius queant frequentari. In illo quippe fidei confessio breviter est expressa : in ista instruimur a Domino postulare necessaria. Ex concilio Remensi, capitulo VIII. « Ut omnis presbyter omnibus parochianis suis symbolum et orationem dominicam aut ipse insinuet, aut insinuanda injungat : ut quum ad confessionem tempore quadragesimali venerint, hæc ab unoquoque memoriter sibi decantari faciat. Nec ante

[1] Matth., cap. XV, v. 8. — [2] Est et alia hujus orationis expositio. Vide supra, p. 465. Serm. in diebus rogationum.

sanctam communionem alicui tradat, nisi hæc ex corde pronuntiare noverit. Siquidem sine horum scientia nullus salvus esse poterit. In uno enim fides et credulitas christiana continetur; in alio, quid orare et petere a Deo debemus exprimitur. » Quod vero sine fide nemo possit salvari, Dominus ostendit quum dicit[1] : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. » Nullus autem credere potest quod nescit nec audivit. Ait enim Paulus[2] : « Quomodo credent ei quem non audierunt? » Nec sola sufficit fides in corde, nisi etiam verbo enuntietur, ut idem apostolus testis est[3] : « Corde enim creditur ad justitiam; ore confessio fit ad salutem. » Nullus autem de stoliditate sensus, vel tenuitate ingenii causetur; quia hæc tam parva sunt, ut nemo tam hebes et barbarus sit, qui hoc dicere, et verbis omnibus enuntiare non possit : tam magna, ut qui horum scientiam pleniter capere potuerit, sufficere sibi credatur ad salutem perpetuam.

Illud etiam observandum, ut nullus suscipiat infantem in baptismo a sacro fonte, antequam idem symbolum et orationem dominicam coram presbytero decantet. Ex concilio Cabilonensi, capitulo III : « Jubendum est, ut oratio dominica, in qua omnia necessaria humanæ vitæ comprehenduntur; et symbolum apostolorum, in quo fides catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus discatur tam latine quam barbarice, ut quod ore confitentur corde credant. » Ex concilio Parisiensi, capitulo II : « Ut nemo a sacro fonte aliquem suscipiat, nisi orationem dominicam et symbolum juxta linguam suam et intellectum teneat, et coram presbytero decantet : et ut intelligant omnes pactum quod cum Deo pepigerunt. » Ex concilio Garinaziensi, capitulo I : « Caveant presbyteri, ut neque viri, neque feminæ de sacro fonte filios vel filias suscipiant, nisi memoriter symbolum et orationem dominicam tenuerint. » Ex concilio Agathensi, capitulo XII : « Symbolum etiam placuit ab omnibus Ecclesiis octava die ante dominicam resurrectionem publice in ecclesia competentibus tradi. »

Hac itaque auctoritate patrum eruditi, præsenti die ante resurrectionem octava decrevimus prædicti symboli non verba docere, quæ jam didicistis, sed aperire sensum eorum quæ profertis; quum cordis potius fides sit quam oris, et prius ipsa sit habenda quam ejus confessione facienda. Quem etiam ordinem Apostolus assignans[4] : « Corde, » inquit, « creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem. » Dicit enim Scriptura : « Omnis qui credit in eum, non « confundetur. » Et post aliqua[5] : « Quomodo autem credent si non audierint? Quomodo autem audient sine prædicante etc.? » Hoc igitur, fratres, tam salubre consilium ab ortu suo Ecclesia providens, brevissimum fidei symbolum compo-

[1] Marc., cap. XVI, v. 16. — [2] *Rom.*, cap. X, v. 14. — [3] Ibid., v. 10. — [4] Ibid. In Codice Victorino 397 ista expositio Abælardi hic tantum incipit his verbis : « Apostolicæ doctrinæ sententia tam fidem nobis quam fidei confessionem commendans, ait, etc. » — *Rom.*, cap. X, v. 10. — [5] Ibid., v. 14.

suit, quod et summam fidei comprehenderet, et verborum multitudine confitentem non gravaret. Hoc autem illud est quod non conciliorum, sed ipsorum esse creditur apostolorum : et juxta numerum eorum totidem sententiis dicitur comprehensum. Symbolum autem collatio dicitur, quando videlicet homines convivaturi partes suas in unum conferunt, unde comessationes fiant. Hinc illud est in *Proverbiis*[1] : « Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt : quia vacantes potibus, et dantes symbola, consumuntur. » Ad hanc itaque similitudinem symbolum dicuntur diversorum sententiæ in unum congregatæ, summam fidei continentes. Unde et Eusebius Emisenus homilia *de Symbolo Fidei* : « Sicut nonnullis scire permissum est, apud veteres symbola vocabantur, quod de substantia collecti in unum sodales in medio conferebant ad solemnes epulas, ad cœnæ communes expensas, ita et Ecclesiarum patres de populorum salute solliciti, ex diversis voluminibus Scripturarum collegerunt testimonia divinis gravida sacramentis, ad animarum pactum salubre convivium, verba brevia, etc., et hoc symbolum nominaverunt. » Est quippe quasi quoddam spiritale convivium divini verbi refectio, et quasi quædam mensa Scriptura nobis apposita, in qua tot sunt fercula quot sunt doctorum sententiæ. De hac mensa scriptum est[2] : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. » Item *de Pane divini Verbi*[3] : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. » Sed etiam apud philosophos *Timæus* Platonis diversarum collationem sententiarum sub specie cujusdam convivii componit, dicens[4] : « Unus, duo, tres, quartum enimvero vestrum, Timæe, requiro; qui hesterni epuli convivæ fueritis, hodierni præbitores mutatores ex condicto resideatis. » Legimus et cœnam Cypriani, in qua sancti patres, quasi quædam fercula virtutum, quibus præminebant, offerentes inducuntur. Sic et apostoli tanquam invicem conferentes, communi deliberatione præsens fidei symbolum creduntur instituisse; in quo et fidei catholicæ summa, ut dictum est, doceatur, et ejus salubris confessio paucis verbis conferatur : ut simul et doctrina fidei sit perfecta, et nulla sit verborum prolixitas onerosa. Quod quidem postmodum a sanctis patribus tanta est diligentia roboratum, ut nemini fidelium liceat verba ejus ignorare ad confitendum, etsi nondum sufficiat ad intelligendum. Sed quoniam sonus sine intelligentia aures tantum mulcere, non mentem reficere potest, et balatus potius quam pastus dicendus est : nec mentem excitant audita, si minime fuerint intellecta : nos, qui litterarum scioli videmur, niti jam convenit, ut de sensu verborum sumamus animæ pastum : nec tam ore corporis sonum, quam ore cordis capiamus sensum. Quales quidem

[1] *Prov.*, cap. XXIII, v. 20. — [2] Psalm. LXVIII, v. 23. — [3] Luc., cap. IV, v. 4. — [4] In *Timæo*, initio.

aures tantum Dominus requirens, dicit[1] : « Qui habet aures audiendi, audiat. » Quum autem fides omnium bonorum sit fundamentum, sine qua impossibile est placere Deo, et cordis ipsa sit potius quam oris, corde enim, ut dictum est, creditur, magis ei cordis quam corporis aures sunt applicandæ, ut quod verbis asserimus, intelligentia capiamus. Non enim longe est a mendacio, qui quod nescit profitetur, et perjurii reus est, qui jurat quod ignorat. Quod quidem ne præsumamus, illa nos Apostoli reprehensio compescat, qua quibusdam improperans, ait[2] : « Nescientes de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant. » Nulli est autem periculosius mendacium vel error, quam in his quæ ad fidem pertinent : et quassa est verborum prolatio, quam intelligentia non sequitur : quæ ad hoc tantum instituta sunt, ut intelligentiam conferant audita. Quanto autem divinorum verborum salubrior est intelligentia, tanto hæc a nobis amplius est requirenda. Ad quam nos supra memoratus adhortatur apostolus, ut quum divinæ laudis benedictiones vel orationes quælibet in ecclesia fiunt, vel aliquid dicitur ad confirmationem cujus vel precis complectionem, « Amen » seu « Fiat, » est respondendum, a nemine id responderi permittat, qui ea quæ præcesserunt, non intelligat. Sic quippe Corinthiis scribens de idiota litteras ignorante, et quasi ad respondendum in ecclesia cuiquam adstante[3] : « Quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, qui quid dicas nescit? » Quod et beatus Hieronymus memoriter tenens, quum Marcellam de diversis nominibus hebraicis erudiret[4] : « In hebræo, » inquit, « legitur amen, quod scilicet ea vera sint dicta quæ supra confirmantur. » Unde et Paulus asserit non posse aliquem respondere « amen, » id est, confirmare ea quæ supra dicta sunt, nisi intellexerit prædicationem. Qui et ad omnium intelligentiam, quæ in ecclesia dicuntur, vehementer nos excitans[5] : « Impleamini, » inquit, « Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritalibus. » Non enim sibi vel secum loquitur, qui quod dicit minime intelligit : quum totum, ut dictum est, sermonis officium ad intelligentiam sit accommodatum : nec sermo sine intelligentia prolatus tam sermo quam sonus sit habendus. Ut igitur, juxta Apostolum, malitia parvuli, sensu autem perfecti, firmum teneamus fidei fundamentum, quod proposuimus expositionis luce, prout Dominus annuerit, consummemus.

« Credo in Deum. » Sed ut confessionis suæ veritatem observet, ne os, quod mentitur, occidat animam, attendere primum debet et quid sit credere in Deum. Aliud quippe est credere Deum, aliud credere Deo, aliud credere in Deum. Credere quippe Deum est æstimare quod ipse sit. Credere Deo, verbis ejus,

[1] Matth., cap. XI, v. 15. — [2] *Tim. I*, cap. I, v. 7. — [3] *Corinth. I*, cap. XIV, v. 16. — [4] *Opp.* t. II, col. 706. — [5] *Ephes.*, cap. V, v. 19.

quod vera sint, vel a falsitate penitus aliena, consentire. Credere vero in Deum, est credendo eum diligere, et sic ejus membrum fieri vel esse. Hæc vero illa est fructuosa fides, quæ, ut dicit Apostolus, per dilectionem operatur; et de qua, ut diximus, scriptum est[1] : « Omnis qui credit in illum non confundetur. » In illum inquit, potius quam illum, vel illi. Illi quippe duo priores fidei modi, quum videlicet Deum vel Deo credimus, communes nobis sunt cum reprobis, et cum ipsis etiam dæmonibus. De quibus et beatus meminit Jacobus[2], quia « dæmones credunt et contremiscunt, » et fides sine operibus mortua est. Hic vero tertius credendi modus, quo videlicet in Deum creditur, solus inter reprobos discernit et electos. Ut igitur vera sit nostra fidei confessio, qua singuli quotidie dicimus : « Credo in Deum, » sic vivere studeamus, ut hoc vere dicere valeamus. Aliter quippe membrum veritatis non erimus, et plus nobis officit falsitas confessionis, quam ejus prolatio adjuvet. Quum autem singula, quæ in hac fidei confessione sequuntur, ita huic principio cohæreant, atque hinc pendeant, ut si hujus veritas violetur, non possit in cæteris ipsa custodiri; quum videlicet dicitur : « Credo in Jesum Christum, et in Spiritum sanctum, etc., » frustra reliqua confitemur, si confessionis exordium falsitatis habeat fundamentum.

« Patrem omnipotentem. » Quum præmiserit Deum, unum videlicet, non plures, deitatis astruxit unitatem. Nunc vero personarum annectit distinctionem, quum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum commemorat. Omnipotens dicitur, ut beatus meminit Augustinus, non quod omnia possit, hoc est, quaslibet in se suscipere actiones; sed quod ejus voluntati vel dispositioni nulla resistere potestas, vel cujusque naturæ vis eam impedire possit. Bene autem quum nos in Deum credere confitemur, omnipotentiam ejus memoramus, ut quam rectum sit in eum credere, vel spem nostram in eum ponere, cujus tanta sit potentia, declaremus. Unde et Apostolus[3] : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? »

« Creatorem cœli et terræ. » Dicturus eum creatorem omnium esse, præmisit omnipotentem : ut ostenderet eum hoc posse qui omnia possit, et cujus voluntati nihil resistere queat. Creatorem autem cœli dicit, hoc est de nihilo, non de præjacente materia omnia, ex quibus constat mundus, operatum. Cœlum quippe, quod tam aereum quam æthereum dicitur, superiores mundi partes hic appellat : terram vero, inferiores quæ pondere suo in imo[4] subsistunt, tam aquaticam scilicet quam terrenam substantiam. Possumus et per cœlum et terram ita universam includere creaturam, ut cœlum dicamus dignitatem superiorem, id est spiritalem quamlibet naturam : terram vero quamcunque corpoream.

[1] *Rom.*, cap. x, v. 11. — [2] Jacob., cap. II, v. 19. — [3] *Rom.*, cap. VIII, v. 31. — [4] Sic Cod. Vict. 397. — *Uno* pro *imo* legitur in edit. Amb.

Quum autem ita omnium creatorem Deum commemorat, quantum ei debeant universa patenter insinuat.

« Et in Jesum Christum. » Filii Dei personam præsens symbolum nobis commendans, ejus divinitatem pariter et humanitatem commemorat, et tam regni ejus quam sacerdotii dignitatem, unde Christus dictus est, designat : per quæ duo nobis Jesus, id est Salvator, efficitur. Nam quia tam regia quam sacerdotalis dignitas per unctionem instituitur, hinc merito Christus est appellatus Rex iste summus, et Sacerdos supremus, et Salvator verus. Unde et hæc nomina jam quasi propria meruit obtinere; ut jam quum audimus Christum vel Jesum, eum per excellentiam solum intelligamus. Rex autem nobis est quasi supremus Dominus, et nobis præsidens, et, inter hujus sæculi procellas et turbines, Ecclesiam suam navem propriam ad portum tranquillitatis æternæ regendo dirigens, et tam verbis quam exemplis disciplinæ regulam nobis tradens. Sacerdos autem, imo et pontifex nobis factus est, dum in cruce suspensus tanquam in ara pro nobis immolatus est. Unde autem nobis tam Christus, ut dictum est, quam Jesus verus existat, diligenter aperit, quum eum tam Dei quam hominis filium esse consequenter annectit, dicens :

« Filium ejus, » id est Dei Patris, « unicum; » ne adoptivus, sed consubstantialis putetur. Et rursum, « qui conceptus est, etc. » Quod tamen dicimus unicum, quibusdam videtur magis ad Dominum quam ad filium esse conjungendum, sive ad utrumque simul : ut sicut est unicus filius patri, ita et unicus sit Dominus nobis. Sicut enim personam Patris commendans, eum et omnipotentem, et cœli et terræ dixit creatorem; ita nunc ad honorem Filii, eum non solummodo Christum et Jesum, verumetiam Dominum confitemur nostrum et unicum, id est, solum Dominum nostrum, secundum hoc quod ejus solius pretioso sanguine empti sumus. Aut si forte quem movet etiam Patrem et Spiritum sanctum non minus nostrum dici Dominum, sciat ita Filium solum dici Dominum nostrum, ut præter eum non sit alius omnium Dominus. Licet enim utraque aliarum personarum æque Dominus noster sicut et Deus sit dicenda, quia non est alius Dominus una persona quam alia, sicut nec alius Deus quælibet earum; ita Deus vel Dominus sola est dicenda, ut nullatenus res alia Dominus sit existimanda, vel alius[1] ab ea Dominus sit credendus; quum idem Dominus sicut et Deus una sit persona cum alia.

« Qui conceptus est. » Qui, inquam, Christus, sive qui filius Dei secundum assumptam humanitatem conceptus est, etc. Ac si diceretur : Cujus humanitas de ipsa substantia Virginis per operationem divinæ gratiæ concepta est, et nata,

[1] Sic Cod. Vict. 397. – *Alius* deest in edit. Amb.

Nam et quum singuli homines ex anima constent et corpore, secundum tamen solam corporis naturam, quæ traducitur, concipi a matribus, vel nasci dicuntur. Bene autem dicturus eum de Virgine natum, ne quis quæreret qualiter id fieret, præmisit conceptum per Spiritum sanctum : sicut et matri quærenti[1] : « Quomodo fiet istud? » dictum est ab Angelo : « Spiritus sanctus superveniet in te, etc. » Ex quo quidem non mediocriter ipsam quoque Spiritus personam nobis commendat, dicendo videlicet per operationem ejus illud corpus esse conceptum, in cujus hostia omnium redemptio est consummata. Quod nec minus per ipsum spiritum Apostolus dicit pro nobis oblatum sicut et conceptum. Hinc est illud ad Hebræos, ubi in hac nostræ salutis consummatione totius Trinitatis operationem commemorans, ait[2] : « Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis? » Quum autem ipsum vel conceptum vel natum de Spiritu sancto audimus, aliter a Virgine conceptum, aliter eum de Spiritu conceptum; vel aliter eum de Spiritu natum, aliter de Virgine natum intelligamus : a Virgine quidem, vel de Virgine, secundum quod de substantia ejus tanquam matris carnem acceperit : de Spiritu vero, secundum hoc quod per divinæ, ut dictum est, gratiæ novam ac mirandam operationem factum est : ad quam nulla institutio naturæ sufficere poterat. Non ergo ita in hac nativitate vel incarnatione Domini patrem ejus intelligere debemus Spiritum sanctum, sicut ejus matrem profitemur virginem. Sicut enim illa ejus æterna generatio de substantia Patris sine matre est, sic ista temporaliter de matre sine patre est. Operatorem itaque, ut dictum est, potius quam patrem Spiritum sanctum hinc intellige, sicut et in singulis quæ facit Deus operator dicitur, vel creator potius quam pater proprie dicendus est. Et attende quod quum dicit filium Dei de Virgine natum, eumdemque tam Dei quam hominis filium esse astruit, unitatem personæ in duabus naturis, divina scilicet atque humana, confirmat. Quamvis enim secundum divinitatem ex solo Patre sit genitus, et secundum humanitatem ex sola matre sit natus, aliaque sit natura Dei, alia hominis; aliud sit divinitas, aliud humanitas : una tamen est in Christo persona, in duabus naturis consistens, nec est aliud in persona filius Dei quam filius hominis. Quamvis aliud sit in natura Verbum quod hominem assumpsit, quam homo ipse assumptus; nec duo sunt Christi, assumens et assumptus, sed unus Christus : sic nec duo sunt homines vel duæ personæ anima hominis et ejus caro, licet aliud secundum naturam sit anima quam caro, quum illa videli-

[1] Luc., cap. I, v. 34. — [2] *Hebr.*, cap. IX, v. 13.

cet sit incorporea substantia, hæc corporea : hoc est, illa corpus, hæc spiritus. Si ergo in singulis hominibus duæ sunt naturæ, corporea scilicet, atque incorporea, sed una tantum persona : sic et in Christo duæ sunt naturæ, divina scilicet atque humana, sed una solummodo persona. Persona quippe quasi per se una dicitur, hoc est, substantia quælibet rationalis ita per se ab aliis rebus disjuncta, ut ipsa substantiam cum aliqua re alia non constituat. Quandiu ergo anima humana in corpore est, persona dici non potest, quia carni conjuncta unam hominis personam atque unam rationalem substantiam cum ea constituit. Sic et Verbum homini in Christo unitum unam Christi personam, non duas reddit. Juxta quam quidem unionem personæ eumdem Christum tam Dei filium quam hominis profitemur, et tam Dei filium quam hominis dicimus crucifixum, mortuum, et sepultum : quum tamen ista non nisi secundum humanitatem sint accipienda. Unde et Paulus Dominum gloriæ crucifixum esse non veretur dicere, et qui descendit de cœlo, et qui ascendit, eumdem esse. Et ipse Dominus Christus de se ipso loquens[1] : « Nemo, » inquit, « ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. » Et iterum[2] : « Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius, etc. » Quum itaque Christus proprie dicatur Deus et homo simul, hoc est tria illa simul in naturis propriis discreta, Verbum videlicet, anima humana, et caro : ad ostendendum tamen unitatem personæ tam diversarum in Christo naturarum, ita sæpe vocabula permiscemus, ut modo Verbum, modo animam, modo etiam carnem dicamus; et nonnunquam quæ propria sunt Dei, homini ascribamus, vel e converso. Quum enim dicit Apostolus[3] : « Christum Dei virtutem et Dei sapientiam; » et rursum[4] : « Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, etc. » quis hoc ad ipsius divinitatem non referat? Sed et quum ipsemet Christus de se et Patre loquens, dicat[5] : « Quia ego et Pater unum sumus ; » et rursum[6] : « Quia Pater major me est; » quis non videat hoc et illud secundum aliam et aliam naturam de ipso dici? Quem etiam quum dicimus ad inferos descendisse, vel in sepulcro fuisse; quis non illud de anima sola, hoc de corpore solo intelligat? Hoc quippe modo et Petrum Romæ in sepulcro esse, et eumdem in cœlestibus cum Christo profitemur gaudere; quum tamen hoc de alia, et illud de alia dicamus substantia, non tamen de alio Petro, quamvis post dissolutionem corporis et animæ jam non sit una in Petro persona ex anima simul et corpore compacta. Ad illam tamen unionem personæ, quæ jam fuit, non quæ modo sit, respicientes dici-

[1] Joan., cap. III, v. 13. — [2] Ibid, cap. VI, v. 63. — [3] *Corinth. I*, cap. I, v. 24. — [4] *Philipp.*, cap. II, v. 6. — [5] Joan., cap. X, v. 30. — [6] Ibid., cap. XIV, v. 28.

mus Petrum ipsum et ibi esse in sepulcro, et in cœlestibus cum Christo. Qui etiam sepulcrum alicujus intuentes dicere non veremur : Hic homo qui hic jacet magnam scientiam et pulchritudinem habuit, quum tamen illud cadaver nec jam homo sit, nec scientiam habuit, quæ solius erat absentis animæ, nec ipsa anima, quæ scientiam illam habuit, ullatenus habere corporalem illam pulchritudinem potuit, sed in diversis penitus naturis scientia illa et pulchritudo fuerit, illa quidem in anima, hæc in corpore. Quum itaque dicimus hunc, qui hic jacet, sapientem fuisse, propter unitatem videlicet personæ, quæ jam non est, sed fuit : cur non dicamus de Christo hunc, qui Deus est, hominem esse? vel hunc, qui de cœlo descendit, ascendisse, hoc est unam Dei et hominis, vel Verbi descendentis est hominis personam esse? Alioquin, quomodo dicemus aliquem intuentes hominem, quia hic, qui pulcher est, sapiens est? nisi videlicet secundum unitatem personæ, in cujus diversis, ut dictum est, partibus pulchritudo et sapientia ita sunt distincta, ut aliud ibi pulchritudinem habeat, id est corpus; aliud sapientiam, id est anima. Sicut ergo dicimus eum, qui pulcher est, vel qui animatus, sapientem esse, quum tamen pulchritudo, vel animatio solius sit corporis, sicut sapientia solius animæ : ita et unum eumdemque Christum et Deum dicimus et hominem, hoc est unam ex istis vel in istis naturis consistere personam : et quum Christus adhuc in terra consistens dicit filium hominis in cœlo esse, vel in cœlo quondam fuisse, quid aliud sonat nisi humanam naturam ei esse unitam, quæ per præsentiam divinitatis ubique consistentis a cœlesti celsitudine non est remota? Quid ita mirum, si quum superius præmissum sit « Filium Dei, » statim adjunctum sit : « Qui conceptus est de Spiritu, » vel « natus de Virgine; » hoc est, assumpta humanitas sic concepta est vel nata? Sic quippe intelligimus et Dominum gloriæ crucifixum, hoc est hominem vel corpus ab eo assumptum tali patibulo affixum. Juxta quod et Maria Magdalena Dominum suum de monumento dicit sublatum, id est corpus Domini sui : sicut et dicimus hic Petrum sepultum esse, de solo ejus corpore id intelligentes; et rursum, ut dictum est, ipsum in cœlestibus esse, de sola ejus anima hoc intendentes. Sæpe quippe de toto ad partes, vel de partibus ad totum translationes fiunt nominum : veluti quum modo animam, modo carnem totum hominem dicimus, et nonnunquam animam desideriis carnalibus irretitam carnis nomine designamus.

« Passus, » secundum eamdem scilicet humanitatis naturam de Spiritu conceptus, vel ex Virgine dictus est natus. « Sub Pontio Pilato, » hoc est, eo ibi dominante ubi passus fuit. Pontius vel cognomen vel gentile nomen esse patet ex aliquo loco. Bene autem gentilem commemorat præsidem, ubi ex hoc etiam insinuet jam illud tempus advenisse, quo jam juxta Prophetiam Jacob sive Danielis unctio regia in populo Judæorum defecerat.

« Crucifixus. » Genus quoque patibuli determinat, quod ignominiosius erat, sicut et prædictum fuerat : « Morte turpissima condemnemus eum[1]. » Et ita « mortuus et » insuper « sepultus, » ut in omnibus humanitatis veritas comprobetur, et tanto amplius diligatur a nobis, quanto graviora vel indigniora sustinuit pro nobis.

« Descendit ad inferos. » Qui mortuus dicitur et sepultus, ipse etiam ad inferos descendisse asseritur : quum illud tantum secundum corpus, hoc secundum animam intelligatur. Ipsa quoque anima, quæ in carne passa fuerat, ad inferos dicitur descendisse; quia passionis illius efficaciam justi senserunt antiqui, per eam a pœnis liberati. Non enim anima, vel spiritus aliquis, ut beatus meminit Augustinus, loco movetur, sed solummodo corpus. Sicut ergo Deus, qui ubique est, descendere quoque dicitur secundum aliquem suæ operationis effectum, ita et anima illa secundum efficaciam propriæ passionis, quam habuit in electis, descendisse liberando dicitur. Solius quippe animæ vel sentire vel pati est, etsi ei hoc ex carne accidat, tanquam quodam talium instrumento. Inferos itaque dicit pœnales illas tenebras, quas justi etiam sustinebant, adhuc extra divinæ gloriæ conspectum constituti, ad quam totis desideriis anhelabant. Cujus quidem gloriæ visio summa est illa felicitas ab omni pœna penitus immunis, quam latroni Dominus ipse promittit dicens[2] : « Hodie mecum eris in paradiso. »

« Tertia die resurrexit a mortuis. » Hoc est, de inter mortuos, tanquam veraciter corpore defunctus propria voluntate, non aliena, est suscitatus. Sicut et ipsemet ait[3] : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam. » Nota ordinem, quod priusquam surrexit, ad inferos descendens, salutem nostræ liberationis, antequam gloriam suæ resurrectionis est operatus : quia non tam sua quam nostra in his omnibus requirebat. Ipso itaque die passionis suæ, antequam resurgeret, vel cœlos ascenderet, tam prædictum latronem quam antiquos viros in paradisum introduxit : quia eis suæ divinitatis visionem exhibens, vera jam beatitudine, quam paradisum nominant, animas eorum satiavit. De qua quidem satietate propheta dixerat[4] : « Satiabor quum apparuerit gloria tua. » Extra quam quidem visionem gloriæ quidquid est, ejus comparatione dicendum est tenebræ : nec est prorsus alienum a pœna, quantacunque[5] sint quietis remedia.

« Ascendit ad cœlos. » Sicut corpore surrexit de sepulcro, ita et corpore ascendit ad cœlos, et utrumque in propria potestate, ut non tractus esse, sed magis

[1] *Sap.*, cap. II, v. 20. — [2] Luc., cap. XXIII, v. 43. — [3] Joan., cap. X, v. 18. — [4] Psalm. XVI, v. 15. — [5] Sic Cod. Vict. 397. – *Quandocunque* Amb.

dicatur ascendisse. Ut enim ipsemet ait[1] : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. » Alii quippe magis trahi quam ascendere sunt dicendi. Absit autem, ut Christo jam per resurrectionem glorificato corporalis ejus ad cœlos ascensus aliquid beatitudinis contulerit. Quæ est enim in futura vita beatitudo nostra, nisi illa divinitatis visio, de qua Psalmista dicit[2] : « Satiabor quum apparuerit gloria tua? » Cujus quidem visionis lucem civitati per Isaiam Dominus promittens, ait[3] : « Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna non minuetur, quia Dominus erit in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes justi in perpetuum hæreditabunt terram, etc. » Quis etiam nesciat Deo, qui ubique est, nos nequaquam locis, sed operibus præsentes fieri vel absentes? Unde et angeli faciem Dei semper videntes, quum ad nos mittuntur, nequaquam hujus visionis beatitudine privantur. Quanto magis anima Christi, quæ hac visione perfectius semper fruitur, ea nunquam privari potuit? Quid est itaque humanitatem ejus cœlos conscendisse, vel ut diligentius Apostolus ait[4], eum super omnes cœlos ascendisse, ut adimpleret omnia, nisi loco corporali ascensu montrasse eam omnium beatorum altitudinem transcendisse? De qua quidem dignitatis excellentia, qua transcendit universa, dictum est per prophetam[5] : « Elevata est manus tua sicut cedrus. » Et per Apostolum[6] : « Propter quod et Deus illum exaltavit, et dedit ei nomen quod est super omne nomen. » Et iterum[7] : « Sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto angelis melior effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. » Ascendisse itaque ad cœlos dicitur, non ut ejus beatitudo vel gloria per corporalem ejus ascensum augeatur, sed ut per ipsum declaretur. Absit enim, ut dictum est, quod post resurrectionem ipsi aliquid beatitudinis vel gloriæ suæ in anima sive in corpore credamus collatum esse : sed quod jam obtinebat, quum jam corpus suum tanta levitate ostendebat glorificatum, ut et nubi insidere, et cœlos penetrare, et longe jam diversum factum esse ab hoc corruptibili corpore, quod aggravat animam, et sensus nostri deprimit vigorem. Ut ergo fideles hanc in suis corporibus glorificationem expectarent, ut ubicunque vellet Spiritus, ibi sine ulla difficultate statim esset corpus, hoc primum in seipso caput exhibuit, quod exemplo ejus sperandum esset membris. Sicut ergo filius Dei de cœlo descendisse dicitur humiliatus, et secundum assumptam humanitatem quodammodo angelis minor factus, ita et filius hominis ascendisse dicitur exaltatus, quamvis et

[1] Joan., cap. III, v. 13. — [2] Psalm. XVI, v. 15. — [3] Isaiæ cap. LX, v. 19 et seq. — [4] *Ephes.*, cap. IV, v. 10. — [5] « Elevata est gloria Domini desuper Cherub. » (*Ezech.*, cap. X, v. 4.) — [6] *Philip.*, cap. II, v. 9. — [7] *Hebr.*, cap. I, v. 3.

corporalis ei non defuerit ascensus, qui hunc exaltatum attestaretur. Nam et quod mox additur, « sedet ad dexteram Patris, » non de corporali ejus sessione, vel de corporali ejus dextera Patris est accipiendum. Quid est enim hominem Christum ad dexteram Dei sedere, nisi eum in gloria Dei Patris, hoc est in superna illa beatitudine digniorem gradum tenere, tanquam omnium a Deo judicem constitutum ? Unde subditur : « Inde, » hoc est perinde, « venturus judicare vivos et mortuos. » Quasi cæteris electis ad sinistram Dei constitutis, solus iste assistit dexteræ : quia sicut dextera prævalet sinistræ, ipse universis præminet beatitudine. Quia vero sedere judicantium, sicut stare judicandorum, bene per ejus sessionem judiciariam exprimit potestatem. Vivos et mortuos judicabit, quia tam electis quam reprobis vel pœnam vel præmium pro meritis reddet. Quia enim justus ex fide vivit, et iniquitas mors quædam animæ, juxta illud[1] : « Non mortui laudabunt te, Domine, sed nos qui vivimus benedicimus Dominum. » Electos hic vivos, reprobos appellat mortuos. Vel vivos dicit, quos adventus ille Judicis occultus adhuc in corpore viventes reperiet : cæteros vero, mortuos appellat.

« Credo in Spiritum sanctum. » Quæ quidem confessio fidei ipsum æque Deum sicut Patrem et Filium patenter asserit. Alioquin non diceret, « in Spiritum sanctum, » sed « Spiritum » tantum : sicut et consequenter dicit « Ecclesiam, » non « in Ecclesiam, etc. » Sicut ergo dicimus : Credo sanctam Ecclesiam, id est eam esse sanctam, ita et dicere possumus : Credo sanctum Petrum, vel : Credo sancto Petro, et : Credo sanctæ Ecclesiæ. Vel Petri tanquam capitis sumus, sicut membra Dei existimus. Membra tamen Ecclesiæ tanquam corporis dicuntur, sed solius Dei tanquam capitis. Quod quidem illa innuit propositio quum dicitur, « in Deum, sicut jam superius expositio nostra præfixit. Græci tamen et « in Ecclesiam, » dicere non verentur : sicut et symbolum illud continet, quod ad cautelam fidei orthodoxæ Leo III instituit, et in tabula argentea descriptum Romæ altari sancti Pauli affixit. « Catholicam, » id est universalem, et non in aliqua mundi parte, sicut sunt hæreticorum conventicula, conclusam : sed ubique dilatatam, sicut et Jacob in figura Christi promissum est, quum dicitur[2] : « Dilataberis ad Orientem et Occidentem. »

« Sanctorum communionem. » Hoc est illam, qua sancti efficiuntur vel in sanctitate confirmantur, divini scilicet sacramenti participatione : vel communem Ecclesiæ fidem, sive caritatis unionem. Possumus et « sanctorum » dicere neutraliter, id est sanctificati panis et vini in sacramentum altaris. « Remissionem peccatorum, » tam per pœnitentiam, quam per virtutem ecclesiasticorum sacramentorum. « Carnis resurrectionem, » tam in electis videlicet quam in reprobis,

[1] Psalm. CXIII, v. 17.— [2] *Genes.*, cap. XXVIII, v. 14.

et in corporibus utrorumque deinceps nulla dissolutione interveniente. « Vitam æternam, » sive ad gloriam, sive ad pœnam. « Amen, » hoc est, verum est. Quod quidem juxta Apostolum, ut supra meminimus, dicere non debemus, nisi, quæ præmissa sunt, intelleximus. Unde ad parvulorum eruditionem, hanc quantulamcunque necessariam duximus expositionem.

EXPOSITIO FIDEI

IN SYMBOLUM ATHANASII.

« Quicunque vult salvus esse,... » Voluntate quippe propria, non coactione salvamur aliena. « ...ante omnia opus est... » Subaudis : Illi hoc est necessarium. Ante omnia, hoc est ante spem et caritatem, vel cætera bona, quibus ad vitam æternam pervenitur. « ... ut teneat... » Non solum habeat, sed habitam custodiat, tanquam bonorum omnium fundamentum atque originem : « Sine fide » quippe, ut ait Apostolus[1], « impossibile est placere Deo. » « ... catholicam, » id est universalem, et omnibus fidelibus communem, atque ita cunctis necessariam, ut nec antiqui justi tam ante legem, quam sub lege, absque illa salvarentur. « In Trinitate, » hoc est in tribus personis existentem, et tres personas in uno Deo non solum credamus, sed etiam veneremur. Qualiter autem hæc Trinitas juxta proprietates personarum, et hæc unitas secundum naturam divinæ substantiæ credenda sit, statim determinat, dicens : « Neque confundentes personas. » Hoc est, permiscentes ad invicem personas, ut videlicet eamdem dicamus personam Patris, quæ Filii, vel Spiritus sancti; sicut illa hæresis asserebat, quæ de Patre dicebat, quia quando vult Pater est, quando vult Filius. « Neque substantiam separantes, » hoc est, diversas substantias in Deo credentes, sed unam tantum. Sicut enim diversitatem personarum in Deo debemus credere, ita etiam unitatem divinæ substantiæ. Quod statim exponens, ait : « Alia est enim persona Patris, etc. » Et rursum, « sed Patris, et Filii, et Spiritus sancti una est Deitas. » « Æqualis gloria, » id est reverentia exhibenda. « Majestas, » id est dignitas. Quare? quia, « qualis Pater, » id est quantus dignitate. Quam dignitatem statim prosequitur, dicens : « Increatus Pater, etc. Immensus Pater, » non mole,

[1] *Hebr.*, cap. XI, v. 6.

sed potestate omnia concludente. Vel « immensus, » id est incomprehensibilis. « Æternus, » tam principio quam fine carens. « Et tamen non tres omnipotentes. » Teste Augustino, nullum nomen est Dei, cujus singulare ita de singulis dicatur personis, ut ejus pluralitas illis simul conveniat, præter hoc nomen persona. Pater quippe persona est, et Filius persona, et hi duo sunt personæ. At vero quum Pater sit Deus, et Filius Deus, vel Dominus, vel creator, seu principium, aut lumen, vel omnipotens : non tamen Pater et Filius aut dii plures sunt, aut creatores, aut plura principia, vel lumina, sive omnipotentes. Quippe quum dicitur pluraliter personæ, diversitas proprietatum ostenditur, non rerum numero, vel essentialiter differentium. E contra autem, si diceremus Deos vel creatores, etc., ipsam quoque rerum essentialiter diversarum multitudinem monstraremus, quarum unaquæque esset Deus, etc. « Prius » tempore vel exsistentia præcedens. « Majus, » prolatione dignitatis. « Unitas, » scilicet substantiæ in tribus personis. « Trinitas » e converso personarum, in unitate videlicet substantiæ. « Sentiat, » id est credat. « Salutem, » subaudis obtinendam. « Ut credamus etc., » juxta illud[1] : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. » « Non duo, » subaudis Christi sunt[2], sed unus tantum in persona Christus. Etsi ergo in Christo diversæ sunt naturæ, divina scilicet atque humana; non tamen ideo diversæ personæ. Quod statim congrua similitudine confirmat, dicens : « Nam sicut anima, » hoc est, sicut in uno homine diversæ sunt naturæ, spiritalis et corporalis; nec tamen ideo duo homines vel duæ personæ : ita in Christo duæ, ut dictum est, sunt naturæ, non tamen duo Christi, imo vel duæ personæ. Persona quippe quasi per se una dicitur, non rei alii in unam rationalem substantiam sociata. Divinitas itaque humanitati in Christo conjuncta per se ibi persona una non est dicenda, et humanitas altera, sed duæ simul una sunt persona, quæ proprie Christus dicitur. « Omnes homines resurgent, » etiam illi qui tunc reperientur vivi. Hi namque dum rapientur obviam Christo in aera, in ipso raptu, quo judici occurrent, morientes, statim reviviscent; et hoc ipsum erit eis resurgere quod reviviscere. Quod si opponatur de quibusdam, quorum resurrectio jam completa creditur, veluti de his qui dominicæ resurrectionis testes sua quoque resurrectione fuerunt; ita intelligendum est tunc omnes resurrecturos esse, ut tunc omnium resurrectio ita compleatur, ut neminem deinceps resurgere contingat, sicut nec morte dissolvi. « Cum corporibus suis. » Hoc est, resumptis eisdem corporibus, quæ prius habuerant quum in mortem corruerunt. Non enim resurget nisi quod cecidit. At vero utrum hi, qui parvuli mo-

[1] *Rom.*, cap. x, v. 10. — [2] Sic e Codice Victorino restituimus hunc locum qui in editione Amboesiana mutilus est.

riuntur, vel qui diu vixerunt, illud solum, vel illud tantum ibi sint habituri de quantitate suæ corpulentiæ, quod hic habuerunt, nonnulla est quæstio. Quidquid tamen de hoc æstimemus, illud procul dubio constat, resurrectionem dici non posse absque illa corporis substantia, quæ pertulit casum in morte. « Et reddituri sumus. » Si hoc quoque generaliter de omnibus intelligatur, quærendum videtur quomodo parvulis morientibus id conveniat, vel perfectis justis, qui potius sunt ibi judicaturi quam judicandi. Quippe quæ ratio de suis tunc ab eis exigenda est, discussio est facienda, qui in tanta perfectione beatitudinis apparebunt, ut cum ipso Domino resideant judicantes, nec tam pro se rationem reddituri, quam a cæteris exacturi. Denique parvuli, quibus nulla imputanda sunt opera, quam ibi habent rationem reddere de propriis factis? Sed profecto, quemadmodum diximus omnes homines ibi resurgere, non ut de singulis tunc resurrecturis id cogamur intelligere, sed ita tunc omnium resurrectionem compleri, ut nulla ulterius fiat : ita et hoc loco omnes tunc reddere rationem dicuntur, ut tunc de omnibus ita sit consummatum judicium, ut nulla deinceps discussio restet, ne de quoquam amplius dubitetur, utrum præmio vel pœna dignus sit. Et hoc est eos ibi de propriis operibus reddere rationem, manifestari omnibus quid horum meruerint. Quæ duo statim determinat, tam præmium scilicet, quam pœnam, dicens : « Et qui bona egerunt, » hoc est, in proposito bonorum operum vitam consummaverunt, qualiacunque præcesserint opera. « Vitam æternam, » hoc est beatitudinem indeficientem. « Ignem æternum, » hoc est summum atque indeficientem cruciatum, sive ille ignis corporeus tantum sit atque materialis, sive quicunque interior animæ cruciatus, qui nomine ignis maxime nos cruciantis, et validius consumentis, quum sit acutius elementum, et penetrabilius cæteris, quo minus ei resisti queat, exprimitur. Et attende nihil hic de parvulis qui nihil habent meritorum, dictum videri; quamvis eos quoque non minus [quam] adultos salvari constet aut damnari. Sicut enim tam hæc scriptura quam cæteræ nonnisi adultis, et qui capaces sunt rationis, ad eruditionem fiunt : ita satis visum est hoc loco tantum de his eos instruere, quæ ad ipsos pertinent.

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI

EPISTOLA AD DIVUM BERNARDUM

CLARÆVALLENSEM ABBATEM.

Illud erat Abælardi ingenium, ut in maximis minimisque novarum rerum studio semper indulgeret. Ut supra vidimus [1], in dominicæ orationis expositione quæ in diebus Rogationum est, quum posset iis verbis stare quæ Ecclesiæ consuetudo consecravit, *panem nostrum quotidianum,* pro illis *panem supersubstantialem* substituebat, fretus quidem evangelii secundum divum Matthæum auctoritate. Illius, ut videtur, exemplo, paraclitenses Virgines a verbis solemnibus discessere, ut iis uterentur quæ Abælardus graviora, neque magis a fide catholica abhorrentia existimabat. Levis quidem commutatio; sed ea divini Bernardi commovit severitatem, qui rei insolentiam vituperavit. Scripsit igitur Abælardus ad divum Bernardum litteras in quibus non sine aliqua acerbitate in sanctum virum invehitur, tanquam jam præsensisset mox illum in graviori causâ, coram concilio senonensi, inter inimicos dimicaturum. Quam ob causam hunc locum illi epistolæ assignavimus, quum et res Paracleti et unam ex Abælardi orationibus spectet. Nullum invenimus codicem, cujus ad fidem datum ab Amboesio [2] textum recognosceremus.

Venerabili atque in Christo dilectissimo fratri Bernardo Clarævallensi abbati Petrus compresbyter.

Quum nuper Paracletum venissem, quibusdam compulsus negotiis ibi peragendis, filia vestra in Christo et soror nostra, quæ illius loci abbatissa dicitur, cum summa exultatione mihi retulit vos illuc diu desideratum causa sanctæ visitationis advenisse, et non tanquam hominem, sed quasi angelum tam eam quam sorores suas sacris exhortationibus corroborasse. Secreto vero mihi inti-

[1] Vide p. 465 et sq. hujusce voluminis. — [2] Vide p. 244-251 editionis Amboesianæ.

mavit vos ea caritate, qua me præcipue amplectimini, aliquantulum commotum esse, quod in oratorio illo oratio dominica non ita ibi in horis quotidianis, sicut alibi, recitari solet : et quum hoc per me factum crederetis, me super hoc quasi de novitate quadam notabilem videri. Quo audito, scribere vobis decrevi nostram super hoc qualemcunque excusationem, maxime quum vestram minus[1] quam cæteras omnes dolerem, ut decet, offensionem.

Constat, ut nostis, hanc dominicam orationem vel a solis Matthæo et Luca nos habere conscriptam[2], quorum alter tam apostolus quam evangelista huic orationi, quum traderetur, interfuit : unde et eam plenius ac perfectius, sicut et totum sermonem in monte habitum, cui est ipsa inserta, scripsisse dubium non est. Lucas vero, discipulus Pauli, qui nec huic sermoni interfuit, nec, quæ ex ore dominico audierit, scripsit, sed quæ, Paulo maxime referente, didicit, quem nec illi sermoni constat interfuisse, scribit etiam non illum perfectiorem dominicum sermonem, quem in monte habuit cum apostolis, sed quem turbis in campestribus fecit. Electurus quippe apostolos Dominus, sicut scriptum est, « in montana subiit ; » turbas vero docturus, ad campestria rediit. Illuc quidem conscendit, hic descendit, in quo quam altior illa esset doctrina, qua doctores ipsos docebat, patenter ostenderet. Beato denique Hieronymo attestante, novimus, sicut et manifesta veritas habet, quoniam aliter audita, aliter visa narrantur : et quod melius intelligimus, melius et proferimus. De ipso fonte Matthæus, de rivulo fontis Lucas est potatus. Non arguimus Lucam mendacii, nec ipse nobis irascitur, si ei Mattheum præferamus, et orationem dominicam, quæ apostolis omnibus generaliter tradita, et ab apostolo est scripta, ei anteferamus, quæ quidem disciplo est dicta, præsertim quum illam Matthæi sicut in auctoritate et in perfectione constat eminere. Ut autem de utraque quasi ante oculos posita melius judicemus, juvat utramque præsenti loco inserere. Sicut ergo Matthæus scribit, quum prædictam orationem apostolis traderet, ait : « Sic ergo orabitis : « Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat « regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Panem nostrum su- « persubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos « dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem : sed libera « nos a malo. » Lucas vero sic ait : « Factum est quum esset in loco quodam orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum : «Domine, doce nos orare, « sicut et Joannes docuit discipulos suos. » Et ait illis : « Quum oratis, dicite : «Pa- « ter, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Panem nostrum quoti- « dianum da nobis quotidie[3]. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi

[1] Legendum esse videtur *magis*. — [2] Matth., cap. VI, v. 9 et seq. – Luc., cap. XI, v. 2 et seq.— [3] Legend. *hodie*.

« dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. » Patet itaque quod perfectius, ut supra meminimus, Matthæus quam Lucas scripserit : quum ille videlicet septem petitiones in ea, iste tantum quinque posuerit. Illa quippe apostolis, sicut oportebat, perfectior est tradita, et in eo petitionum numero constituta, quo septiformis gratiæ plenitudo notatur, de qua prima et potiora dona ipsos accepisse apostolos Paulus confitetur, dicens [1] : « Nos autem primitias spiritus habentes, etc. » Illa vero, quam longe post sermonem in monte habitum Lucas refert a Domino uni discipulorum id roganti traditam fuisse, non immerito suæ imperfectionis typum in ipso petitionum quinario designat. Quinque etenim sunt corporis sensus, sicut et septem dona spiritus. Unde bene his numerus ille convenit, qui quasi carnales adhuc spiritualibus inferiores sunt. Quod de illo uno discipulo non esse dubitandum arbitror, quem constat apostolis non interfuisse, quum eis in monte Dominus Novum traderet Testamentum : cui, ut diximus, ipsam quoque orationem inseruit, quam ille nondum audierat. Qui etiam quum ait [2] : « Domine, doce nos orare, sicut et Joannes discipulos suos, » commemorando Joannem, qui minor Christo in omnibus atque imperfectior fuit, ipsam quoque imperfectionem sui sensus innuit. Constat et plerumque legem, quæ in quinque libris consistit, et carnali populo sensibus magis quam ratione ducto, et corporalibus bonis potius quam spiritualibus inhianti data est, per Joannem figurari. Unde non incongrue factum est, ut qui a Christo talem orationis doctrinam, qualem Joannes dederat, requirebat, imperfectiorem, quam apostoli, suscipere deberet. Pro qua quidem imperfectione sui, bene id a sanctis Patribus provisum est, ut illa potius quæ a Matthæo perfectior scribitur in usum veniret, atque in ecclesiasticis frequentetur officiis. Quid igitur exstiterit causæ, ut, cæteris Matthæi verbis retentis, unum solum mutemus, « quotidianum » scilicet pro « supersubstantialem » dicentes, qui potest dicat, si tamen dicere sufficiat. Non enim ita excellentiam hujus panis hoc nomen « quotidianum » quemadmodum « supersubstantialem » videtur exprimere, et non mediocris videtur præsumptionis esse apostoli verba corrigere; et sic ex duobus evangelistis unam orationem componere, ut neuter in ea sufficere videatur : et sic eam proferre, sicut nec a Domino est dicta, nec ab aliquo evangelistarum scripta ; præsertim quum in cæteris omnibus, quæ de scriptis eorum in ecclesia recitantur, impermixta sint eorum verba, quacumque perfectione vel imperfectione discrepent. Si quis itaque me novitatis super hoc arguat, attendat an ille magis arguendus fuerit, qui ex duabus orationibus antiquitus scriptis unam novam componere præsumpsit, non tam evangelicam quam suam dicendam. De-

[1] *Rom.*, cap. VIII, v. 23. — [2] Luc., cap. XI, v. 1.

nique Græcorum discretio, quorum, ut ait beatus Ambrosius[1], auctoritas major est, solam Matthæi orationem, prædictis, ut arbitror, rationibus, in consuetudinem duxit, dicendo scilicet τὸν ἄρτον ἡμῶν, τὸν ἐπιούσιον, quod interpretatur : « Panem nostrum supersubstantialem. » Quamvis enim Lucas græce, Matthæus scripserit Hebraice, antiquiorem tamen et perfectiorem peregrinæ linguæ orationem frequentare potius Græci decreverunt, et translationem magis quam propriæ linguæ scripturam sequi. His itaque, ni fallor, tam rationibus quam auctoritatibus vetustatis potius quam novitatis arguendus videor, et minus de præsumptione censendus, qui tam Dominum quam apostolos, et manifestam Græcorum providentiam in hoc præcipue sequor. Non enim dubitandum est apostolos orationem hanc sibi traditam a Domino et ab apostolo primum scriptam in eisdem verbis eam frequentasse, in quibus ipsam a Domino acceperant, et apostolus tradiderat scriptam. Quis enim non censeat eos, qui in commune vivunt, et in hoc apostolicam plurimum vitam, doctrinam quoque ipsorum insistere debere potissimum? Denique quum Dominus orationem hanc traderet, vel in his secundum Matthæum verbis, vel in illis secundum Lucam, et eam, sicut tradebat, dici præciperet, quis non videat eos non mediocriter præsumere, qui sic eam dicunt sicut nunquam est ab ipso tradita, nec ab aliquo scripta? Quanta enim præsumptio est, in hac oratione nec aliquod scriptum sequi, nec tenere præceptum Domini : immo tam scriptum, quam Dominum ipsum emendare audere, si forte ista præsumptio dici possit emendatio? Nemini tamen præcipio, nemini persuadeo ut me in hoc sequatur, et a communi recedat usu. Abundet unusquisque in sensu suo. Illud tamen, quicunque est ille, attendat nec usum rationi, nec consuetudinem præferendam esse veritati. Quod quidem tam sæculi leges, quam doctrinæ sanctorum Patrum plurimum nobis commendare decreverunt. Codicis lib. VIII, cap. I[2]: « Consuetudinis ususque longævi nec vilis auctoritas est : verum nec usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem. » Augustinus, lib. IV, *de Baptismo*[3] : « Frustra qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit a Spiritu sancto revelatum. Hoc plane verum est, quia ratio et veritas consuetudini præponenda est. » Gregorius septimus Uvimundo Aversano episcopo[4] : « Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum fuit quod Dominus dicit. « Ego sum, » inquit, « Veritas, » non ait : Ego sum consuetudo. » Beatus quoque Gregorius de diversis consuetudinibus ecclesiarum Augustino, Anglorum episcopo,

[1] *De sacramentis* lib. V, cap. IV (?), *Opp.* t. II, col. 378. — [2] Cod. lib. VIII, tit. 53, II. — [3] Lib. IV, cap. V, *Opp.* t. IX, col. 124. — [4] Vide *Decret. Gratiani,* part. I, dist. VIII, cap. V.

scribens, ejus providentiæ relinquit in divinis officiis, vel celebratione missæ, de variis usibus aliorum id quod decreverit eligere, nec tam ipsam etiam matrem romanam Ecclesiam in talibus sequi, quam quod tenere censuerit. « Novit, » inquit[1], « fraternitas tua romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit nutritam : sed mihi placet sive in romana, sive in gallicana, seu in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, et in Anglorum Ecclesiam, quæ adhuc fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro nobis rebus[2] loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, et hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone. » Quod si in talibus et nobis eligere liceat ex consuetudinibus Ecclesiarum, non improbanda nostra videtur electio, providentiam Græcorum, a quibus plurimam accepimus doctrinam, in hoc etiam imitata, ut nec auctoritas consuetudinis desit tam manifestæ rationi. Quam videlicet rationem ita vos videmus insistere, et in ea vehementes esse, ut contra omnium consuetudinem Ecclesiarum, in divinis officiis eam tenere ac defendere audeatis. Vos quippe quasi noviter exorti, ac de novitate plurimum gaudentes, præter consuetudinem omnem tam clericorum quam monachorum longe ante habitam, et nunc quoque permanentem, novis quibusdam decretis aliter apud vos divinum officium instituistis agi : nec tamen inde vos accusandos censetis. Si hæc vestra novitas aut singularitas ab antiquitate recedat aliorum, quam rationi plurimum et tenori regulæ creditis concordare : nec curatis quantacunque admiratione super hoc alii moveantur, ac murmurent, dummodo vestræ, quam putatis, rationi pareatis. Quorum ut pauca commemorem, pace vestra, hymnos solitos respuistis, et quosdam apud nos inauditos, et fere omnibus Ecclesiis incognitos, ac minus sufficientes, introduxistis. Unde et per totum annum in vigiliis tam feriarum quam festivitatum uno hymno et eodem contenti estis, quum Ecclesia pro diversitate feriarum vel festivitatum diversis utatur hymnis, sicut et psalmis, vel cæteris, quæ his pertinere noscuntur : quod et manifesta ratio exigit. Unde et qui vos die Natalis, seu Paschæ, vel Pentecostes, et cæteris solemnitatibus hymnum semper eumdem decantare audiunt, scilicet : « Æterne rerum conditor, » summo stupore attoniti suspenduntur, nec tam admiratione quam derisione moventur. Preces quæ post supplicationem et orationem dominicam ab Ecclesia ubique celebrantur ; et ea quæ suffragia sanctorum dicuntur, omnino a vobis fieri interdixistis, quasi vel precibus vestris mundus, vel vos suffragiis sanctorum minus egeatis. Et, quod mi-

[1] Lib. XI, epist. LXIV, *Opp.* t. II, col. 1152. — [2] Legendum *pro rebus nobis loca.*

rabile est, quum omnia oratoria vestra in memoria matris dominicæ fundetis, nullam ejus commemorationem, sicut nec cæterorum sanctorum, ibi frequentatis. Processionum fere totam venerationem a vobis exclusistis. « Alleluia » nec in Septuagesima, communi Ecclesiæ more intermittitis; sed usque in Quadragesimam retinetis. Symbolum, quod dicitur apostolorum, quod tam a clericis quam a monachis in Prima pariter ac Completorio ex antiquo frequentatur, a vestra remotum est consuetudine, qui tamen symbolum Athanasii diebus tantum dominicis recitare decrevistis. « Gloria » cum responsoriis vigiliarum tantum decantatis diebus dominicæ sepulturæ : antiquam consuetudinem penitus abstulistis. Ubi et invitatorium et hymnum cum tribus tantum lectionibus et responsoriis, cum « Gloria, » contra omnem Ecclesiæ morem, et, ut dicitur, rationem vos dicere instituistis. Quum enim hoc triduum tanquam exsequiæ dominicæ in luctu peragatur, atque hinc vulgo horum dierum vigiliæ nuncupentur tenebræ, quod exstinctis ibi luminaribus mœror hic exprimatur; non mediocriter mirandum videtur vel invitatorium, vel hymnum, vel « Gloria, » quæ potius gaudii voces sunt, ibi decantari. Quæ omnia quum omnibus in magnam admirationem veniant, cur hæc scilicet vestra novitas totius ecclesiæ usui apud vos præferatur, nec tamen ab institutione vestra ideo receditis, nec quid alii murmurent curatis : quia id rationabiliter vos facere confiditis, quos institutio regulæ novum opus de veteri facere compellit, sicut de semetipso Hieronymus meminit. Non enim vocum novitates, sed profanas tantum et fidei contrarias Apostolus interdicit. Alioquin novam legem veteri non præferremus, et post canonicas scripturas multa fidei verba necessario inventa, hæreticorum more, respueremus. Ad confutandam quippe novam hæresim novum vocabulum ὁμοούσιον repertum fuit : nec hoc nomen « Trinitas » et « persona » canonicis scripturis insertum est. Denique in divinis officiis quis ignoret diversas et innumeras Ecclesiæ consuetudines inter ipsos etiam clericos? Antiquam certe Romanæ sedis consuetudinem nec ipsa civitas tenet, sed sola Ecclesia Lateranensis, quæ mater est omnium, antiquum tenet officium, nulla filiarum suarum in hoc eam sequente, nec ipsa etiam Romani palatii basilica. Mediolanensis metropolis ita in talibus ab omnibus dissidet, ut nulla etiam suffraganearum suarum matris institutionem imitetur. Sic et Lugdunensis prima sedes Galliarum sola in suo persistit officio. Et quum tanta in istis facta sit varietas, quidquid una post aliam noviter instituit, nulla reprehensio novitatis incidit, quia nulla fidei contrarietas fuit. Nonnullam enim oblectationem hæc divini cultus varietas habet; quia, ut Tullius meminit[1], identitas in omnibus mater est satietatis. Qui ergo omnium

[1] « Omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. » (*Invent.*, 41.)

linguarum generibus prædicari voluit, ipse diversis officiorum modis venerari decrevit. Qui etiam quum orationem prædictam diversis composuerit modis, et in ea utroque modo orandum præceperit, quomodo præceptum ejus implebimus, si verbum aliquod subtrahere præsumimus, et nunquam eam eo modo, quo ipsam dixit, proferamus? Denique, ut omnibus satisfaciam, nunc etiam, ut superius, dico, abundet unusquisque in suo sensu, dicat eam quomodo voluerit. Nemini persuadeo ut me in hoc sequatur; variet verba Christi, prout voluerit. Ego autem sic illa, sicut et sensum, quantum potero, invariata servabo.

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI

EXPOSITIO IN HEXAMERON.

Hunc commentarium in lucem primum edidere dom. Edm. Martene et dom. Durand, *Thesaur. nov. anecdotor.*, t. V, p. 1361-1416, expromptum ex Ms. Cod. monasterii sancti Michaelis in periculo maris; qui, quidem comprehendebat omnem illam partem Geneseos in qua Moses nascentis mundi historiam enarravit, sed ad nos mancus pervenit, nec ultra versum 17 capitis II progreditur.

Commentarios de origine mundi multi ante Abælardum ecclesiastici scriptores composuerant, inter quos divus Ambrosius et divus Basilius memorantur. Eorum exemplo, noster initium Geneseos interpretari secundum triplicem sensum litteralem, moralem, allegoricum aggressus est, morem precibus Heloissæ suæ gerens, quæ eum « et supplicando postu- « labat, et postulando supplicabat, ut hoc ipsi debitum filiabusque spiritualibus persolveret. » Quonam autem tempore illud opus scripserit, non satis constat. Existimat quidem Edm. Martene Abælardum, quum illud perfecerit, jam cum sancto Bernardo reconciliatum et Cluniacensem monachum factum fuisse, utpote qui « philosophorum de anima mundi, stellarum et planetarum opinionem referens, eam de Spiritu sancto, ut in *Theologia* fecerat, non amplius interpretetur[1]. » Quam doctissimi viri conjecturam non satis probabilem esse arbitramur; primo, quod Abælardus in libris ad Heloissam scriptis nimiam fugit vel in opinando vel in interpretando audaciam; deinde, quod Hexameron, ut monet lectorem luculentus auctor dom. Clement[2], aliquoties a fidei catholicæ sinceritate discedere videtur. Librum eum potius compositum fuisse suspicamur, quum Abælardus in Gildasii monasterio maneret; nam in epistola ad Heloissam dedicatoria eisdem uxorem compellandi formulis utitur, quas in aliis temporis ejusdem epistolis reperimus.

[1] Hanc interpretationem in dialectica etiam rejicit. Vide *Ouvrages inédits*, p. 475. Cf. *Abélard*, de M. de Rémusat, t. I, p. 465; t. II, p. 223. — [2] *Hist. litt. de France*, t. XII, p. 118.

PRÆFATIO.

Tria sunt in veteri testamento loca quæ ad intelligendum difficiliora esse Sacræ Scripturæ periti censuerunt. Principium scilicet Geneseos, secundum ipsam divinæ operationis historiam, et Canticum canticorum, et prophetiam Ezechiel in prima præcipue visione de animalibus et rotis, et in extrema de ædificio in monte constituto. Unde apud Hebræos institutum esse aiunt prædictorum scriptorum expositionem præ nimia difficultate sui nonnisi maturis sensibus seniorum committendam esse; sicut et Origenes meminit prima in Cantico canticorum homelia, dicens : « Aiunt et observari apud Hebræos quod nisi quis ad ætatem perfectam maturamque pervenerit, librum hunc in manibus tenere non permittitur : sed illud ab eis accepimus custodiri, apud eos omnes scripturas a doctoribus tradi pueris, ad ultimum quatuor libros reservari, id est, principium Genesis quo mundi creatura describitur, et Ezechiel prophetæ principia in quibus de cherubim refertur, finem quoque in quo templi ædificatio continetur, et hunc Cantici canticorum librum. » Hinc et illud Hieronymi in prologo expositionis suæ in Ezechielem : « Aggrediar Ezechiel prophetam, cujus difficultatem Hebræorum probat traditio. Nam nisi quis apud eos ætatem sacerdotalis ministerii, id est trigesimum annum impleverit, nec principium Geneseos, nec Canticum canticorum, nec hujus voluminis exordium et finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam, et mysticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat. » Supplicando itaque postulas, et postulando supplicas, soror Heloissa, in sæculo quondam cara, nunc in Christo carissima, quatenus expositionem horum tanto studiosius intendam, quanto difficiliorem esse constat intelligentiam, et spiritaliter hoc tibi et filiabus tuis spiritalibus persolvam. Unde et rogantes vos rogo, ut quia me rogando ad hoc compellitis, orando Deum mihi efficaciam impetretis; et quoniam, ut dici solet, et capite inchoandum est, tanto me amplius in exordio Geneseos vestræ orationes adjuvent, quanto ejus difficultatem cæteris constat esse majorem; sicut expositionum raritas ipsa testatur. Quum enim multi multas mysticas vel morales in Genesim confecerint explanationes, solius apud nos beatissimi Augustini perspicax ingenium historiam hic aggressus est exponere. Quam adeo difficilem recognovit, ut, quæ ibi dixerit, ex opinione potius quam ex assertione sententiæ protulerit; vel quærendo magis tanquam dubia, quam diffiniendo tanquam certa, quasi Aristotelicum illud attendens consilium : « Fortasse, » inquit[1], « difficile sit de hujusmodi rebus

[1] Categ., cap. VII.

confidenter declarare, nisi sæpe pertractata sunt : dubitare autem de singulis non erit inutile. » Prædictus itaque doctor in secundo retractationum suarum, libros XII suos de Genesi ad litteram retractaturus ait[1] : « In quo opere plura quæsita sunt quam inventa, et eorum quæ inventa sunt, pauciora firmata, cætera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint. » Sed quoniam hujus quoque operis dicta adeo vobis obscura videntur, ut ipsa rursus expositio exponenda esse censeatur, nostram etiam opinionem in exponendo prædicto Genesis exordio efflagitatis. Quam nunc quidem expositionem ita me vestrarum instantia precum aggredi cognoscatis, ut ubi me deficere videritis, illam a me apostolicam excusationem expectetis[2] : « Factus sum insipiens, vos me coegistis. »

EXPOSITIO IN HEXAMERON.

Immensam igitur abyssum profunditatis Geneseos triplici perscrutantes expositione, historica scilicet, morali, et mystica, ipsum invocemus spiritum, quo dictante, hæc scripta sunt; ut qui prophetæ verba largitus est, ipse nobis eorum aperiat sensum. Primo itaque prout ipse annuerit, imo dederit, rei gestæ veritatem quasi historicam figamus radicem. Carnalem itaque populum propheta desiderans ad divinum cultum allicere, cui tanquam rudi adhuc et indisciplinato prioris instituta testamenti fuerat traditurus, primo eos ad obediendum Deo tanquam omnium creatori ac dispositori monet; consideratione videlicet corporalium ejus[3], in ipsa mundi optima creatione ac dispositione. Quarum quidem rerum ab ipso mundi exordio usque ad tempora sua diligenti narratione deducit. Unde et ipsius recte materiam assignamus hanc ipsam, quam diximus mundi creationem ac dispositionem, hoc est ipsa quæ in creatione mundi vel dispositione divina operata est gratia. De qua quidem operatione ad cognitionem opificis nos perducente Apostolus ait[4] : « Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, etc. » Quisquis enim de aliquo artifice an bonus vel solers in operando sit voluerit intelligere, non ipsum, sed opera ejus considerare debet. Sic et Deus qui in seipso invisibilis et incomprehensibilis est, ex operum suorum magnitudine primam nobis de se scientiam confert; quum omnis humana notitia surgat a sensibus. Quod diligen-

[1] Cap. xxiv, *Opp.* t. I, col. 50. — [2] *Corinth. II*, cap. xii, v. 11. — [3] Aliquid deesse videtur, forte *operum*. — [4] *Rom.*, cap. i, v. 20.

ter Moyses attendens populo illi carnali et corporeis sensibus dedito, nec spiritali intelligentia prædito, juxta numerum quinque sensuum hoc vetus Testamentum in quinque libris scribere decrevit, ab ipso divinæ creationis exordio sumens exordium, naturalem quidem ordinem in hoc prosecutus : unde bene hanc ipsam ejus operationem prophetæ hujus materiam assignamus.

Intentio vero est ea quam præmisimus, horum videlicet narratione vel doctrina carnalem adhuc populum ex visibilibus saltem operibus ad cultum allicere divinum, ut ex his videlicet homo intelligat quantam Deo debeat obedientiam, quem ipse et ad imaginem suam creavit et in paradiso collocatum cæteris præfecit creaturis tanquam propter eum conditis universis, sicut scriptum est : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, etc.[1] » Quem etiam post culpam a paradiso ejectum beneficiis suis non destituit; sed eum modo per aspera corrigendo, modo per blanda attrahendo, modo lege instruendo, modo miraculis confirmando, modo minis deterrendo, modo promissionibus alliciendo, summa eum sollicitudine ad veniam non cessat invitare. Quæ quidem omnia, ut præfati sumus, diligenti narratione ab ipso mundi exordio usque ad tempora sua Moyses prosecutus ita exorsus est.

DE OPERE PRIMÆ DIEI.

« In principio creavit Deus cœlum et terram. » Cœli et terræ nomine hoc loco quatuor elementa comprehendi arbitror, ex quibus tanquam materiali primordio cætera omnia corpora constat esse composita. Cœlum quidem duo levia elementa, ignem videlicet atque aerem dicit. Reliqua vero duo quæ gravia sunt, terram generaliter vocat. Cœlum quippe tam aereum dicimus, juxta illud, « volucres cœli, » quam æthereum quod est igneum. Unde non incongrue tam aerem quam ignem cœlum hic nominat. Constat etiam cœlum æthereum, quo purior est ignis, cœlum proprie solere dici. Unde merito nomen cœli, quod quanto purior est ignis, tanto levioris est naturæ, pro duobus, ut dictum, levibus elementis, igne scilicet atque aere, hic positum esse intelligitur. Sicut e contrario per terram, cujus maxime gravis est et ponderosa natura, tam terram ipsam, quam ei adhærentem aquam determinat. Hæc itaque quatuor elementa tanquam cæterorum corporum principia Deum in principio fecisse prænuntiat.

Et tale est quod dicit, « in principio, » si diceret ante illa omnia quæ consequenter enumerat, et de quorum etiam consummatione postmodum subdit[2] : « Igitur perfecti sunt cœli, etc. » Tale est quod dicit in principio sequentium operum, ac si diceret, in principio mundi; id est, antequam quidquam de his

[1] Psalm. VIII, v. 8. — [2] *Genes.*, cap. II, v. 1.

quæ de mundo sunt efficeret. Non enim angeli, quum incorporeæ sint naturæ, inter mundanas creaturas comprehenduntur, sicut homines, de quibus in III *Topic.* philosophus meminit. « Mundus, » inquit, « providentia regitur, homines autem pars mundi sunt; humanæ igitur res providentia reguntur. »

Potest etiam sic intelligi, « in principio creavit » hæc, ac si diceretur, ut ipsa quæ diximus elementa, cæterorum corporum ex eis conficiendorum primordialiter essent causa. Unde et bene elementa quasi alimenta dicta sunt, quod ex eis cætera suum esse trahant : sicut et quæcumque animantia per alimenta ciborum vivere habent atque subsistere.

Bene autem de elementis dictum est, « creavit, » potius quam « formavit; » quia creari proprie id dicitur, quod de non esse ita ad esse producitur, ut præjacentem non habeat materiam, nec in aliquo primitus subsisteret naturæ statu. Quum autem de ipsa jam materia præparata adjunctione formæ aliquid sit, recte illud formari dicitur : sicut est illud quod in sequentibus ponitur[1] : « Formavit igitur hominem de limo terræ. » Et iterum[2] : « Formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ. » Quum enim præjacens materia denotatur, veluti quum præmittitur de humo quoniam in speciem aliquem formaretur, tunc rectissime formari dicitur.

« Terra autem erat inanis et vacua. » Quoniam ad hominis creationem de terra formandi et in terra conversaturi specialiter iste spectat tractatus, quo propheta, ut diximus, ad cultum Dei hominem allicere intendens, ad terrena opera stilum convertit, cœlestis et superioris naturæ, id est angelicæ, creatione præterita; ne forte, si eam perscrutaretur, et ad creatoris sui laudem ejus excellentiam ostenderet, minus hominem ad amorem Dei alliceret; qui sibi aliam præferri naturam conspiceret. Præmittens itaque terram in creatione sua inanem et vacuam extitisse, quomodo post modum ejus inanitati et vacuitati divina operatio consuluerit, posteriorum dierum operibus declarat. « Inanem » dicit terram a fructu, quem nondum produxerat; « vacuam » ab habitatore non solum homine, verum etiam ab omni penitus animantium genere; quum nulla adhuc animantia vel terrestris vel aquatica mansio contineret, quæ utraque, ut diximus, terræ vocabulo comprehendit. Terram itaque dicit secundum quod expositum est, hanc ex elementis gravibus constantem inferiorem mundi regionem. Et notandum quod, dum ait, « terra autem erat inanis et vacua, » subinnuit ex illa apposita conjunctione adversativa de cœlo non sic esse intelligendum, quum videlicet angeli vel ante ipsum cœlum, vel cum cœlo creati esse intelligantur, qui quasi cœlestes habitatores dicuntur, ut licet eorum creationem

[1] *Genes.*, cap. II, v. 7. — [2] Ibid., v. 19.

propheta non exsequatur, in transitu tamen eam perstringat, ne quid ejus narrationi de divinis operibus deesse videatur.

« Et tenebræ erant super faciem abyssi. » Abyssum, id est profunditatem, vocat totam illam confusam necdum distinctam, sicut postmodum fuit, elementorum congeriem. Quam quidem confusionem nonnulli philosophorum seu poetarum chaos dixerunt : quod enim profundum est, minus apparet et visui patet. Illam itaque elementorum congeriem nondum per partes ordinatas distinctam, ut cognitioni nostræ vel visui patere posset, etiamsi jam homo creatus esset, abyssum nominat; faciem vero qua unusquisque cognoscitur pro notitia ponit. Facies ergo abyssi tenebris obducta erat, id est, notitia illius congeriei ex prima confusione præpediebatur, ut nequaquam se visibilem præberet, vel aliqua ejus utilitas in laudem creatoris adhuc appareret.

« Et spiritus Domini ferebatur super aquas. » Hebraicum habet, « volitabat super faciem aquarum. » Translatio vero quædam habet, « fovebat aquas, » quædam, « ferebatur super aquas, » sicut habet præsens quam præ manibus habemus, ac primum nobis occurrit exponenda. Quantum ergo nobis videtur, aquarum etiam nomine fluidam illam atque instabilem congeriem nondum certa partium suarum collocatione firmatam comprehendit. Super hanc itaque spiritus Domini ferebatur, quia ut eam ordinaret, tanquam imperio suo subjectam divina disponebat gratia, ne videlicet ulterius esset inanis aut vacua, seu tenebrosa vel fluida. Quid enim spiritus Dei nisi ejus bonitas intelligitur, cujus participatione sunt bona universa? Quæ videlicet Dei bonitas, quia nondum in illa elementorum confusione apparebat, superferri potius illi, quam inferri dicebatur, quia nondum in ea operatus fuerat, unde aliquid utilitatis ipsa prætenderet. Unde nec in ejus commendatione dicitur, « vidit Deus quia bonum est, » sicut in commendatione reliquorum operum. Diligenter etiam dicit « ferebatur super aquas, » potius quam, « erat, quasi ostendens eum habere quemdam transitum in istis, ut de tenebris ad lucem produceret, non in eis permanentiam habere, quas nequaquam in hac confusione proposuerat relinquere.

Alia etiam, ut diximus, translatio habet, « et spiritus Domini fovebat aquas, » more videlicet avis, quæ ovo incumbit, ut ipsum foveat atque vivificet; unde et bene vivificatorem Spiritum sanctum appellamus. Bene autem ovo nondum vivificato aut formato illa confusa congeries comparatur, in qua tanquam in ovo quatuor in se continenti quatuor elementa comprehenduntur. Est quippe in ovo testa exterior; deinde intus tela, id est cartilago quædam testæ adhærens; ac postmodum albugo; denique medium illud ovi quasi medulla ejus. Quod quidem medium ovi quod vitellum dicimus, quasi terra est in mundo : albugo quasi aqua terræ adhærens : tela tanquam aer : testa ut ignis. Ex vitello

autem et albugine ovi constat pullum in eo formari et nasci : et ex terra vel aqua cuncta produci ac formari animantia liber iste commemorat. Sicut igitur avis ovo incumbens et ei nimio affectu se applicans, ipsum calore suo fovet, sicut dictum est, pullum format atque vivificat; sic divina bonitas quæ Spiritus sanctus intelligitur, et proprie caritas Dei dicitur, quæ infusa cordibus fidelium ea fervere in Deum facit, et sic quodam suo fotu calentia reddit, illi adhuc fluidæ et instabili congeriei, quasi aquis præesse dicitur, ut inde postmodum animantia producat, quia sic eam quasi sub se habebat, hoc est, in sua potestate, ut inde postmodum hominem et animantia cætera quasi de ovo pullum formaret, ac formata vivificaret.

Notandum vero quod ubi nos dicimus « spiritus Domini ferebatur super aquas, » pro spiritu hebraicum habet *ruauh*, quod tam spiritum quam ventum figurat. Et pro eo quod dicimus, « ferebatur super aquas, » in hebræo est, « volitabat super faciem aquarum, » ut supra quoque meminimus. Ex quo et volitans alibi in eodem propheta reperitur, quum dicitur[1] : « Sicut aquila provocans ad volandum pullos et super eos volitans. » Quod itaque dicitur ventus Dei jam tunc super faciem aquarum volitare, id est, ventilare, tale est fortassis juxta litteram, ac si diceretur : quod jam tunc ventus a Deo aquis immissus, earum superiorem partem, quam semper constat leviorem esse in omni aquarum congerie, sursum agitabat, ut videlicet postmodum suspensæ firmarentur. Quum enim postmodum ait : « Fiat firmamentum in medio aquarum; » et rursum : « divisit aquas quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super, » innuit jam eas fuisse divisas, sed nondum esse firmatas. Nec mireris hoc loco ventum a Domino aquis immissum spiritum Domini a Moyse dici, quum hoc idem propheta tanquam in consuetudine habens alibi dicat[2] : « In spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ. » Et rursum[3] : « Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare. » Nec mirum ventum a Domino immissum spiritum ejus vocari, quum malignus quoque spiritus, nonnunquam ab eo furere permissus, spiritus Domini malus nuncupetur, sicut in Saule legimus.

Bene autem ventus aquis immissus et eas sustollens, ut universum tegerent mundum, typum nostræ regenerationis ex aqua et spiritu præsignabat. Hoc enim elementum Spiritus sanctus cæteris dignitate præfecit ac superposuit, dum hoc ei sui gratiæ beneficium contulit, ut quorumlibet hominum aqua baptismatis perfusorum universa peccata sic tegerentur vel delerentur, ut nec satisfactio pœnæ corporalis restaret.

Si quis etiam hoc ad naturalem ordinem elementorum ita referat, ut aerem

[1] *Deut.*, cap. XXXII, v. 11. — [2] *Exod.*, cap. XV, v. 8. — [3] Ibid., v. 10.

aqua circumfusum dicat, sicut aqua terram tunc omnino ambibat, vel cœlum aerem ambit, et tale sit spiritum tunc illum volitare super aquas, quasi mobili sua levitate illas ambire; videtur hæc quoque sententia naturali rerum ordini consentire, nisi forte quod quum de aere dicitur spiritus, additur Domini : quod nequaquam de terra vel cæteris dictum est elementis. Sed fortasse tanto id diligentius propheta scripsit, quanto perfectius rem gestam simul et mysticam comprehendit. Tale est ergo « spiritus Domini volitabat super aquas, » ac si diceret, ventus in eis spirabat, typum gerens Spiritus sancti aquas in baptismum sua gratia fœcundaturi et quasi hoc beneficium eis inspiraturi.

Quum ergo propheta de cœlo et terra manifestam prius fecisset mentionem, dicens : « Creavit cœlum et terram, » et in hoc patenter duo elementa comprehendisset, ignem videlicet ac terram, præsertim quum nomine cœli et terræ nonnisi terrenum elementum et igneum ex quo est, extrema mundi spatia, hoc est ætherea, quæ proprie cœlum dicitur, intelligi soleat : duo quoque alia, scilicet aquam et aerem consequenter exprimere curavit : quæ dum non creari tunc sicut illa patenter dixerit, quamvis, ut diximus, hæc quoque in eorum nominibus comprehendat, curavit manifeste nunc ea distinguere, ut diligenter totam mundi constitutionem in quatuor istis consistere declararet.

« Dixit quoque Deus : « Fiat lux. » Dictum ipsius Dei est Verbum Patris, quod ejus coæternam sapientiam intelligimus, in qua primitus omnia disponuntur quam opere compleantur; sicut scriptum est : « Qui fecit quæ futura sunt; » fecit, inquam, disponendo antequam faceret opere complendo. Sicut est itaque verbum oris, ita et verbum dicitur cordis, juxta illud[1] : « In corde et corde locuti sunt. » Quum igitur propheta in diversis rerum creationibus faciendis præmittit : « Dixit Deus; » et ad dictum statim effectum adjungit, dicens : « Et factum est; » ita cuncta Deum condidisse in Verbo, hoc est in sapientia sua ostenditur, id est, nihil subito vel temere, sed omnia rationabiliter ac provide. De quo et Psalmista[2] : « Dixit, » inquit, « et facta sunt, » id est, ratione et providentia præeunte cuncta condidit sive ordinavit. Qui etiam alibi verbum hoc apertius demonstrans non esse verbum audibile et transitorium, sed intelligibile ac permanens, ait[3] : « Qui fecit cœlos in intellectu; » primo videlicet per rationem apud se eos constituendo quam opere complendo; quasi bina sit omnium rerum creatio : una quidem primum in ipsa divinæ providentiæ ordinatione, altera in opere. Secundum quas etiam duas creationes duos esse mundos, unum videlicet intelligibilem, alterum sensibilem adstruxere philosophi. Quod nec ab evangelica dissidet disciplina, si sententiæ veritatem magis quam verborum at-

[1] Psalm. xi, v. 3. — [2] Psalm. xxxii, v. 9. — [3] Psalm. cxxxv, v. 5.

tendamus proprietatem. Scriptum quippe est in evangelio de hoc ipso Dei Verbo[1] : « Quod factum est, in ipso vita erat.» Quod tamen philosophi ipsum etiam divinæ providentiæ conceptum mundum appellant, ab ecclesiasticæ locutionis usu plurimum dissentire videtur. Unde Augustinus in primo *Retractationum*[2] : « Displicet, » inquit, « mihi quod philosophos non vera pietate præditos dixi virtutis luce fulsisse. Et quod duos mundos, unum sensibilem, alterum intelligibilem sic commendavi tanquam hoc etiam Dominus figurare voluerit, quia non ait[3] : « Regnum meum non est de mundo, sed, regnum meum non est de hoc mundo. » Item : « Nec Plato quidem in hoc erravit quia esse mundum intelligibilem dixit, si non vocabulum quod ecclesiasticæ consuetudini in re illa minime usitatum est, sed ipsam rem volumus attendere : mundum quippe ille intelligibilem nuncupavit ipsam rationem qua fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur ut dicat irrationabiliter, Deum fecisse quæ fecit. » Idem *de Civitate Dei* libro decimo sexto hanc internam Dei locutionem, et intellectuale, non audibile, verbum diligenter describens : « Dei, » inquit, ante factum suum locutio ipsius, facti sui est incommutabilis ratio, quæ non habet sonum strepentem atque transeuntem, sed inde sempiterne manentem et temporaliter operantem. »

Quod itaque dictum est : « Dixit Deus : Fiat lux et facta est lux, » tale est quod sicut prius in verbo mentis ordinavit, aut propria ratione faciendum esse decrevit, ita postmodum opere complevit. Lucem vero istam, quæ prædictas tenebras removit, ipsam sequentium operum distinctionem accipimus, qua videlicet confusa illa congeries, quæ se nondum visibilem præbebat, nec usui apta alicui cognosci poterat, vel ad quid creata esset, ex ipsa adhuc percipi valebat, ad eam ordinationem perducta est, ut jam se omnino ipsis aptam præberet. « Et facta lux, » hoc est, juxta hoc quod in verbo mentis suæ Deus ordinaverat opere complevit, illis videlicet confusionis, quas diximus, tenebris sequentis distinctionis luce remotis.

Nec est prætereundum quod superius in creatione cœli et terræ non est scriptum : « Dixit Deus et factum est ita, » sicut in sequentibus per singula opera scriptum videmus : sed quasi primo tacuit Deus, et a luce loqui exorsus est. Bene equidem ; quasi enim imperando dicit Dominus : « Fiat, » et ei subjecta famulatur creatura, quantumcumque irrationalis sit vel bruta, tanquam ejus audierit atque intellexerit imperium : sicut et Jeremias meminit dicens[4] : « Perfecit terram et adimplevit eam pecudibus, vocavit eam et audivit in tremore ; stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt, vocatæ sunt et

[1] Joan., cap. I, v. 3. — [2] Cap. III, *Opp.* t. I, col. 6. — [3] Joan., cap. XVIII, v. 36. — [4] Baruc., cap. III, v. 32.

dixerunt : « Adsumus; et luxerunt cum jucunditate. » Quomodo itaque nondum creata materia, nec adhuc existente, cui imperaretur, verba imperii convenienter dicerentur? Præterea dictum illud Dei, hoc est, verbum ipsius, de quo scriptum est[1] : « Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem, etc. » Bene tunc primo propheta demonstravit, quum ad lucem operum Dei pervenisset, per quam quidem lucem operum Deus homini quodammodo loqui et seipsum manifestare primo incepit, sicut et Apostolus patenter edocuit dicens[2] : « Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, etc. » Dum igitur illa adhuc confusa congeries nec visui, nec notitiæ se præberet humanæ, nec alicui apta usui, vel angelo, vel homini, si jam esset creatus, appareret, quasi tacuisse Deus ostenditur, quia nondum tale quid in illa egerat. Unde aliquid ipse loqui valeret, hoc est humanam instruere rationem atque aliquam excellentiæ suæ præbere notitiam.

Notandum vero in hoc ipso Genesis exordio fidei nostræ fundamentum circa unitatem Dei ac Trinitatem prophetam diligenter expressisse. Quum enim dixerit « spiritus Domini, » simul et personam Spiritus sancti, et Patris a quo ipse Spiritus, ut beatus meminit Augustinus, principaliter procedit, manifeste distinxit. In eo vero quod addidit, « dixit Deus, » dictum ipsius Dei, id est Verbum ejus, quod est Filius, cum ipso pariter Patre patenter expressit. Nemo etenim sani capitis ita desipere potest, ut hoc dictum corporale æstimet, quum nec corporalis sit divinitas, nec loqui corporaliter habeat, nec adhuc cui eum loqui corporaliter oporteret adsisteret. Ubi autem nos dicimus, « creavit Deus, » pro eo quod est « Deus, » in Hebræo habetur *Heloym*, quod divinarum personarum pluralitatem ostendit. *Hel* quippe singulare est, quod interpretatur « Deus; » *Heloym* vero plurale est, per quod diversitatem personarum, quarum unaquæque Deus est, intelligimus. Unde autem dictum est, « Heloym creavit, » non, creaverunt? ut videlicet ad plurale nomen singulare verbum referretur; quatenus insinuaretur in tribus illis personis non tres creatores, sed unum tantum debere intelligi. Quum igitur dixit « Heloym creavit » in quo divinas personas pariter cooperari docuit, profecto indivisa esse opera Trinitatis præfixit. Quum autem postmodum, ut diximus, Patris et Spiritus et Verbi personas distinxit, in quo illa consisteret Trinitas determinavit.

Notandum vero pro eo quod dicimus: « Fiat lux, et facta est lux, » in Hebræo haberi : « Sit lux, et fuit lux; » et similiter in cæteris quæ sequuntur, ubicumque nos habemus: « Dixit Deus: « Fiat hoc, et factum est ita; » in Hebræo est : « Sit hoc, et fuit ita. » Quibus fortasse verbis maxima celeritas divinæ operationis exprimi-

[1] Joan., cap. I, v. 9. — [2] *Rom.*, cap. I, v. 20.

tur. Quippe dum aliquid sit quod nondum est, aliqua mora in faciendo esse potest. Quum vero dicitur : Sit, et fuit, nulla interposita mora, perfectio rei ostenditur.

« Et vidit Deus lucem, quod esset bona. » Quum dicitur in diversis operibus Dei post eorum consummationem, quia vidit Deus quod esset bonum, tale est ac si diceretur, intellexit nihil ibi per errorem factum quod sit corrigendum, etiam aliquid comparatione præcedentis imperfectionis esse perfectum innuitur. Bene lucem, id est distinctionem operum, Deus approbat, quia per eam excellentiæ suæ laudem nobis manifestat, quoniam laus operis in artificem redundat. Unde etiam de his quæ propter hominem facit, quum dicitur ipse videre quia bona sint, nullo modo rectius intelligi puto, quam quod ea sic ordinat, ut nos etiam illa bona esse videre faciat, sicut et Abraham dicit[1] : « Nunc cognovi quod timeas Dominum, » id est, Cognosci feci. Hinc est quod secundæ diei opera in suspensione scilicet superiorum aquarum minime approbare dicitur, quum nos id minime laudare faciat, cujus operis rationem vel utilitatem nequaquam percipimus.

« Et divisit lucem a tenebris. » Hoc est operatione sua perfectum discrevit ab imperfecto, et distinctum a confuso. Superius autem ubi ait : « Dixitque Deus : « Fiat lux, et facta est lux, » ad imperium quidem Dei lucem esse factam monstravit. Hic vero quum ait, « et divisit lucem a tenebris, » per ipsum quoque hanc distinctionem operum, quam lucem appellat, factam esse demonstrat, ut idem ipse materiæ creator pariter et formator intelligatur, eique tota laus tam de creatione materiæ quam de operum formatione tribuatur.

« Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem. » Hoc est, fecit eam hac appellatione dignam, ut videlicet ipsa operum facta distinctio per similitudinem dies appelletur, et illa quæ præcessit confusio nox dicatur, quæ etiam superius tenebræ dicebatur.

« Et factum est vespere et mane dies unus. » Diem unum hic vocat totam illorum operum Dei consummationem, prius in mente habitam, et in opere postmodum sexta die completam. Vesperam autem hujus totius temporis quod hic unum diem appellat, totam illam operationem Dei vocat, secundum quod prius in ejus mente latebat, antequam per effectum ad lucem prodiret. Ac rursus ipsam eamdem operationem mane nuncupat secundum quod opere postmodum completa sese visibilem præbuit. Divinæ itaque mentis conceptum in dispositione futuri operis vesperam dicit, mane vero appellat ipsam conceptus illius operationem et divinæ dispositionis effectum in sex diebus consummatum. Quum itaque dicitur: « Et factum est vespere et mane dies unus, » tale est ac si diceretur, eadem est operatio, quæ in mente Dei tanquam in vespere prius la-

[1] *Genes.*, cap. XXII, v. 12.

tebat, et quæ postmodum per effectum operum ad lucem erupit : quod est dicere : Sicut prius mente concepit, ita postmodum opere consummavit, juxta quod scriptum est[1] : « Quod factum est, in ipso vita erat. » Quasi enim de sinu quodam secreti sui singula Deus producit, dum exhibet opere quod ante conceperat mente; nec a conceptu dissidet opus, dum quod mente disponitur opere completur. Quum itaque tam vespere quam mane totam divinorum operum summam, ut dictum est, comprehendat, tam videlicet conceptorum mente quam exhibitorum opere, bene dictum est dies unus potius quam dies primus, quum omnia comprehendat opera, nullus est operum dies respectu cujus primus hic dici possit. Unitas vero hæc dici magnam divinorum operum concordiam et convenientiam demonstrat, in illa scilicet tota tam diversorum operum summa. Hunc vero unum diem magnum, totum videlicet tempus illud divinorum operum ipse in sequentibus propheta declarat dicens : « Istæ sunt generationes cœli et terræ, quando creatæ sunt, in die quo fecit Dominus cœlum et terram et omne virgultum agri, etc. » Quum vero in sequentibus dicit diem secundum et tertium, etc., diem primum intelligit quo cœlum et terra creata sunt, sicut dictum est: « In principio creavit Deus cœlum et terram, » in quo etiam lux est creata vel a tenebris divisa. Ad opera quippe primæ diei sola creatio cœli et terræ pertinet quæ primo diei deputanda est, respectu cujus videlicet primæ diei secundus aut tertius dies dicatur : ut tale sit : In principio creavit, ac si diceretur : In prima die, hoc est ante cætera quæ sequuntur opera. Prius quippe materiam creari oportuit quam formari. Si quis tamen quod dicitur, « et factum est vespere et mane dies unus, » ad opus solummodo primæ diei referre velit, sicut et in cæteris diebus de operibus eorum fit, nihil impedit : nam et ipsam materiam sicut et materiata prius in mente Deus habuit, velut in vespere, antequam per creationem produceret in mane.

DE SECUNDA DIE.

« Dixit quoque Deus. » Notandum vero quod in his dictis divinis nostra translatio habet aliquando, « dixit quoque Deus, » aliquando « dixit vero Deus; » vel « autem, » vel « etiam » quod idem est, aliquando sicut superius, « dixitque Deus, » quum hebraica veritas ubique habeat, « dixitque Deus. » Quæ quidem veritas hebraica juxta superiorem nostram expositionem huic loco maxime congruit, ut videlicet dicatur « dixitque Deus, » potius quam « dixit quoque Deus. » Quum, ut diximus, in luce facta omnium sequentium operum distinctio intelligatur, nequaquam proprie ista conjunctio « quoque » quoddam augmentum

[1] Joan., cap. I, v. 3.

dicti significans supponi hoc loco debuit; quum jam videlicet hujus diei operatio sicut et cæterorum in luce facta sit comprehensa. Quum ergo in Hebraico dicitur: « dixitque, » ut scilicet qualiter ista lux facta sic distinguatur, ita est ad superiora continuandum, tanquam si dicatur: Facta est lux, id est, distinctio præcedentis confusionis, sicut dixit Deus, et ita facta est ad imperium dicti ejus, sicut tam nunc quam postmodum distinguitur. De cujus quidem distinctionis opere primo nunc dicitur, « dixitque Deus, etc. » Dixit Deus, id est in Verbo sibi coæterno, sicut jam determinatum est, id est in ipsa propriæ sapientiæ providentia prius id disposuit quam opere compleret.

« Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. » Firmamentum vocat aereum similiter simul et æthereum cœlum, de quibus dictum est, « et aquæ quæ super cœlos sunt, » quæ utraque nunc interjacent inter has aquas inferiores[1] sive terram, et illas superiores aquas. Quod quidem ideo firmamentum dicitur, quod superiorem aquarum fluidam naturam ne inferius defluant et relabantur propria interpositione confirmat. Unde Hieronymus. *Samaym* Hebraice, id est cœlos, æthereum scilicet atque aerum, quos hic firmamentum Moyses appellat, ex aquis dicit sortiri vocabulum, id est pro eo sic appellatum, quod aquas ita superius firmat, ne inferius defluant.

Quæritur autem quomodo ignis et aer aquæ substantiam quæ ponderosior est sustentare valeant. Sed profecto tanta potest esse raritas atque subtilitas illarum aquarum, et tanta ignis et aeris massa quæ ei subjacet, quod ab istis illæ sustentari queant; sicut ligna et nonnulli lapides ab aquis, quamvis ipsa terrenæ sint et gravioris naturæ. Quis etiam nesciat vicinum aerem, quamvis aquis levior sit, eas tamen exhalatione terræ vaporaliter tractas, antequam in guttas conglobentur, suspendere atque sustentare? Si ergo his aquis vaporatis, illæ superiores rariores sunt ac minus corpulentæ, cur non ab igne simul et aere subjacentibus sustentari perenniter valeant, sicut illæ corpulentiores ab aere solo suspenduntur ad horam? Nam et nubes densas et ingentia draconum vel avium corpora ab aere sustentari manifestum est. Nec quisquam fidelium dubitat humana corpora, quamvis terrenæ naturæ sint, tantæ subtilitatis ac levitatis post resurrectionem futura, ut non solum super cœlos consistere queant, verum etiam ubicumque voluerit Spiritus sine dilatione transferantur. Præterea quis nesciat inclusum aerem in vesica circumstantem pellem vesicæ undique suspendere atque sustentare, licet ipse omnino pelle illa sit levior? Imo etiam quantamcumque corporum molem sustentare posset quamdiu inclusus cohiberi posset. Sic et illa aeris et ignis congeries atque globus in illa aquarum corpulentia conclu-

[1] Martene legit *interiores*, male, ut opinor.

sus nequaquam levitate sui eas suspendere vel sustentare impeditur. Nec ullo modo labi aqua illa circumfusa posset, qua undique ignem et aerem cohibet, donec ei ignis vel aer in aliquam partem cederet, quoniam locum unius corporis nullatenus alterum occupare potest, nisi illo primitus inter recedente. Undique vero aer ipse et ignis, ne devolare fortassis possint, circumstantibus aquis comprimuntur; et undique superpositas habent aquas, quomodo in omni globo quæ exteriora sunt superiora sunt. Ut autem cohibere illa et comprimere possint, aliquid gravitatis inesse necesse est, et ita moderate, ut ab illis queant sustentari. Constat vero, ut dictum est, duo tantum elementa gravia esse, terram scilicet atque aquam, et terram graviorem aqua. Unde ut moderatior esset gravitas, aquam potius quam terram superponi oportuit, quæ et facilius sustentari, a levibus potuit. Denique in his corporibus, quæ ex quatuor constant elementis, tam animatis quam inanimatis, quis rationabiliter negare possit, hæc quatuor elementa tali sibi modo copulari, ut nonnullæ particulæ leviorum elementorum aliquibus particulis graviorum supponantur? Non enim alicujus magni corporis inferiores partes ita prorsus ignei vel aerii elementi admixtione penitus carent, sicut nec superiores ab aqua et terra prorsus sunt immunes; sed tam superiores quam inferiores hujus corporis partes ex quatuor constant elementis, congrua quadam naturali moderatione sibi colligatis, juxta illud quod ad Deum dicitur, « qui numeris elementa ligas. » Quid ergo mirum si in compositione mundi aqua igne vel aere gravior superponi potuit illis, et ab eis etiam sustentari?

Nonnulli autem aquas illas superiores glaciali concretione solidatas atque in crystallum induruisse adstruxerunt. Quod quidem si ita est, quanto magis sunt solidæ, tanto vehementius conclusum ignem et aerem cohibent ne aliquo abscedant, et tanto fortius ab ipsis sustentantur; imo fortassis nec jam ab eis sustentari eas necesse est, quæ jam fluidæ non sunt, sed in crystallum solidatæ. Unde Josephus *Antiquitatum* libro primo: «Secunda die cœlum super omnia collocavit, eumque ab aliis distinguens in semetipso constitutum esse percepit; et ei crystallum circumfigens, humidum esse et pluviale ad utilitatem quæ fit ex imbribus terræ congrue fabricatus est. » Hieronymus *ad Oceanum* de unius uxoris viro : « Inter cœlum et terram medium extruitur firmamentum, et juxta hebraici sermonis etymologiam cœlum, id est *samaim* ex aquis sortitur vocabulum, ut aquæ quæ super cœlos sunt in laudes Domini separentur. Unde et Ezechiel crystallum super cherubim videtur extensum, id est compactæ et densiores aquæ. » Beda *de rerum Naturis* : « Cœlum superioris circuli virtutes continet angelicas, quæ ad nos exeuntes ætherea corpora sumunt, ut possint hominibus etiam in edendo similari, eademque ibi reversæ deponunt. Hoc Deus aquis glacialibus temperavit, ne inferiora succenderet elementa, dehinc inferius

cœlum nuncupans firmamentum propter sustentationem superiorum aquarum : item aquas super firmamentum positas cœlos quidem spiritualibus humiliores, sed omni creatura corporali superiores. »

Quidam ad inundationem diluvii reservatas, alii vero rectius ad ignem siderum temperandum suspensas affirmant. Beatus vero Augustinus istas opiniones prætermittens de aquis illis superioribus, utrum videlicet glaciales sint vel non, vel quas in se habeant utilitates, ait : « Sane quales ibi aquæ sint quosve ad usus reservatæ conditor ipse noverit, esse tamen eas, ibi Scriptura testante, nulli dubium est. » Quod ergo tantus doctor quasi dubium sibi reliquit, affirmare nobis arrogantissimum videtur. Quod vero nonnulli opinati sunt eas ibi constitutas et reservatas ad inundationem diluvii, ut inde scilicet labentes abundantia sui terram cooperirent, frivolum omnino deprehenditur. Quum enim Psalmista longe post diluvium existens dicat [1] : « Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini, » profecto ibi nunc quoque sicut ante constat eas existere. Quippe non ait : Quæ erant, sed : Quæ sunt. Quod si pars quædam inde sit delapsa, nequaquam firmamentum illi parti fuit interpositum, quod nequaquam ita eas firmavit, ut non ulterius laberentur. Constat etiam, ut Genesis refert, diluvium ex abundantia pluviarum fuisse, ruptis etiam fontibus abyssi magnæ : quibus postea clausis et prohibitis pluviis, ipsum diluvium cessavit. Certum autem habetur pluvias nequaquam oriri nisi terrarum exhalatione, cum sol videlicet eas calefaciens vaporatione sui aquas tenues tanquam in fumo ex calefactione terræ conscendentes attrahit. Non itaque illa aquarum abundantia, quæ in pluviis fuit, de supernis, sed infimis originem habuit. Ubi et quum jam diluvio cessante, additur non solum quia pluviæ sunt prohibitæ, sed etiam quia clausi sunt fontes, manifeste innuitur totam illam aquarum in diluvio abundantiam nonnisi de inferioribus aquis fuisse, quæ in die tertia congregatæ sunt ut appareret arida. Quod vero dictum est, quia cataractæ cœli in diluvio sunt apertæ, et facta est pluvia, cœlum ipsum aereum, unde pluvia manat, non æthereum dicit : cataractas vero non arcta foramina dicens, abundantiam pluviæ insinuat, tanquam tunc nihil nubium vel aquæ vaporatæ aer uspiam retineret. Aqua itaque desuper in pluviam labente, et obstrusis terræ foraminibus, terram undique aquis cooperiri necesse fuit, sicut et in die tertia antequam illæ eædem aquæ inferiores in unum congregarentur locum ut appareret arida. Quid ergo suspensio illa aquarum utilitatis habeat, quod nec a sanctis certa sententia definitum est, difficillimum disseri arbitror. Illa tamen nobis probabilior videtur opinio, ut ob hoc maxime ad calorem temperandum superioris ignis constituerentur,

[1] Psalm. CXLVIII, v. 4.

ne fervor ille superior vel nubes ipsas vel aquas inferiores omnino attraheret, quum sit vis ignis naturaliter attractiva humoris : unde et phlebotomarii quum vasculis appositis sanguinem extrahere volunt, inclusis stupis ignem immittunt, ut calore ignis humorem attrahant sanguinis.

Et notandum, quod ubi nos dicimus « fiat firmamentum in medio aquarum, » Hebræi habent, « sit extensio infra aquas; » hoc est intervallum quo ipsæ ab invicem in perpetuum separentur ne se ulterius contingant : sicut scriptum est[1] : « Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus. » Et alibi[2] : « Congregans sicut in utre aquas maris. » Illa igitur extensio qua superiores et inferiores aquæ separantur quasi pellis interjacens inferiores aquas tanquam utrem concludit, et superiores quasi firmamentum suspendit atque sustentat. Quum autem ait : « Divisit aquas quæ erant sub firmamento, etc., » tale videtur esse, ac si diceret : Divisit quæ jam divisa erant. Non enim ait : Quæ nunc sunt sub firmamento et quæ super, sed : Quæ jam tunc erant. Ex quo manifestum est a prima die jam aquas super ætherem constitisse, sive flatu venti, ut diximus, illuc superjectas, sive ibi in ipsa sua creatione factas et circumductas universo mundo, non de inferioribus illuc flatu aliquo venti sublatas. Quod ergo nunc dicitur in secunda die divisas aquas quæ erant super ab his quæ erant subtus, divisionem istam per interpositionem firmamenti intelligit ita eas in secundo die firmatas esse, ut ulterius labi non possent. Quamvis enim in prima die jam ibi essent, non tamen jam ibi firmatæ erant, ut labi non possent, quod secunda die factum est, in qua firmamentum fieri dicitur. Hebraicum tamen ubi nos habemus : « Divisit aquas quæ erant sub firmamento, etc., » non habet « erant; » quoniam verbo substantivo aut vix aut nunquam utitur, et absque hoc verbo enuntiationes facere consuevit, veluti quum dicitur « beatus vir, » pro « beatus est vir. » Tale est itaque quod ibi habetur, ac si diceretur : Divisit aquas quæ sub firmamento ab his quæ super firmamentum. Ubi quidem si subintelligatur, « sunt, » quod est in præsens verbum, sicuti quum dicitur « beatus vir, » pro « beatus est vir; » tale est quod propheta ait : « Divisit tunc quod nunc sub firmamento, etc., » quoniam in ipso tempore prophetæ qui loquitur et firmamentum jam olim existebat factum, et divisio aquarum erat per interpositionem ipsius sicut et modo.

Si quis autem requirat quanta mora ibi fuerint antequam firmarentur, volens cognoscere quæ fuerit illa prima dies ante secundam : sciat istos sex dies quibus mundus perfectus est, nequaquam mensurari debere secundum dies istos quos nunc habemus ex solis illuminatione, præsertim quum nondum sol in illis tribus præcedentibus diebus factus esset. Quum ergo dies in his operibus Dei compu-

[1] Psalm. CIII, v. 20. — [2] Psalm. XXXII, v. 7.

tamus, et dicimus quod factum est vespere et mane dies unus, nequaquam diem vel vesperam vel mane juxta dies nostros quos nunc habemus accipimus; sed unam et aliam diem secundum operum distinctionem intelligimus, ut prima videlicet dies dicatur prima Dei operatio, per quam ipse prius operatus est, unde nos illuminare de sua notitià posset, juxta illud quidem Apostoli[1], « invisibilia enim ipsius, etc. » Etsi enim materia illa informis primo die creata minus sufficiens esset ad notitiam vel laudem creatoris quamdiu in illa confusione vel informitate sui permaneret, illa tamen primæ creationis confusio postea formanda atque distinguenda in hunc mundi ornatum quo nunc utimur, et quem necessarium nobis intelligentes, Deum inde laudamus, non immerito prima dies dicta est, quia inde humanæ notitiæ circa Deum exordium cœpit. Prius quippe cœlum et terram creari necesse fuit, hoc est materiam futurorum in elementis præparari, quam eam in opera subsecuta formari. Primam itaque diem dicit, ut jam supra meminimus, primam materiæ creationem in elementis. De vespera quoque et mane hujus diei sicut et cæterorum jam dudum docuimus.

Nunc autem ut ad intermissa, non dimissa, redeamus, sciat lector nos hæc interposuisse, nec quum audit unam diem vel aliam a propheta dici, moras istas temporis intelligat, quas nunc in diebus nostris accipimus, sed diversitatem dierum ad diversitatem operum referat, quantamcumque moram in successione vel operatione sui habentium. Nemo igitur miretur, quum audit secunda die aquas firmari jam super cœlos existentes, tanquam aliqua mora fuerit inter illam earum existentiam et firmationem ipsarum, quum videlicet statim postquam ibi fuerint, firmatæ sint ibi. Quod ergo nunc dicitur: « Fiat firmamentum, » vel « divisit aquas quæ erant, etc., » ista firmatio earum vel divisio ita est accipienda, ut sine dilatione postquam ibi fuerunt in indissolubilem glaciem tanquam crystallus induratæ, sic stabilirentur et firmarentur per interpositionem ætheris et aeris, ne ad inferiora dilaberentur quamvis ex natura elementi aquatici aliquid ponderositatis haberent, et juxta philosophos omnia pondera nutu suo ferantur in terram.

Forte et hoc aliquis requirit, si, ut dicitur, aquæ illæ superiores igni superpositæ in glaciem duruerint, qua vi naturæ id factum sit. Ad quod primum respondeo, nullatenus nos modo, quum in aliquibus rerum affectis vim naturæ vel causas naturales requirimus vel assignamus, id nos facere secundum illam priorem Dei operationem in constitutione mundi, ubi sola Dei voluntas naturæ efficaciam habuit in illis tunc creandis vel disponendis; sed tantum ab illa operatione Dei sex diebus illa completa. Deinceps vim naturæ pensare solemus,

[1] *Rom.*, cap. I, v. 20.

tunc videlicet rebus ipsis jam ita præparatis, ut ad quælibet sine miraculis facienda illa eorum constitutio vel præparatio sufficeret. Unde illa quæ per miracula fiunt magis contra vel supra naturam quam secundum naturam fieri fatemur, quum ad illud scilicet faciendum nequaquam illa rerum præparatio prior sufficere possit, nisi quamdam vim novam rebus ipsis Deus conferret, sicut et in illis sex diebus faciebat, ubi sola ejus voluntas vim naturæ obtinebat in singulis efficiendis. Quæ quidem si nunc quoque, sicut tunc, faceret, profecto contra naturam hæc fieri diceremus. Veluti si terra sponte sua sine seminario aliquo plantas produceret, vel bestias ex se vel aqua volucres formaret. Naturam itaque dicimus vim rerum ex illa prima præparatione illis collatam ad aliquid inde nascendum, hoc est efficiendum sufficientem. Nemo ergo quærat qua natura illas superiores aquas super ignem constitutas duruerit in glaciem, vel eas etiam sursum extulerit, quum tunc sola ejus voluntas, ut dictum est, vim naturæ obtinuerit : quam et Plato in rebus efficiendis sive conservandis omni natura earum validiorem esse profitetur, ubi.... Deum in *Timæo* suo loquentem ad sidereos Deos introducit, quum ait : « Immortales quidem nequaquam, nec omnino indissolubiles, nec tamen unquam dissolvemini, nec mortis necessitatem subibitis, quia voluntas mea major est nexus et vegetatior ad æternitatis custodiam, quam illi nexus vitales ex quibus æternitas vestra coaugmentata atque composita est. » Potest et fortassis probabiliter dici, quod ipse ventus, qui eas sursum projecerit, frigiditate sui flatus eam in glaciem adstrinxerit, ut ita secunda die firmamentum fieret; eis videlicet tunc ita solidatis, quæ ibi ante fuerant quam sic solidarentur. Quod enim ibi jam essent antequam sic solidarentur, manifeste, ut supra meminimus, insinuatur, quum dicitur « quæ erant » potius quam « quæ sunt. » Hebraicum tamen, ut jam quoque dictum est, non habet « erant, » quo minus habeat quæstionis.

« Et factum est ita. » Hoc est, firmata est in perpetuum hæc aquarum divisio, ut nunquam ulterius illæ superiores aquæ ad istas inferiores relabantur. Quod quidem ideo dici arbitror, ne quis putaret ex illis superioribus aquis pluviam stillare, et adhuc illas superius suspensas fuisse, sicut et Josephus opinatus est, ut supra meminimus.

« Vocavitque. » Id est, fecit per hoc unde ipsum firmamentum appellaretur postmodum a nobis cœlum, quum videlicet tam aereum quam æthereum cœlum nunc dicamus quasi superiores mundi partes comparatione nostræ habitationis. Quum autem in Hebraico pro cœlo « Samaim » habeatur, quod ex aquis, ut dictum est, vocabulum trahit, recte « Samaim » dici videtur pro divisione aquarum vel suspensione et confirmatione illarum superiorum.

« Et factum est vespere. » Sicut superius vesperam et mane conceptum divinæ

mentis et effectum operis accepimus, ita tam in hoc loco quam in cæteris intelligendum est. Tale est ergo quum in hac operatione vel in cæteris dicitur, « factum est vespere et mane dies unus, » tanquam si diceretur hujus operis effectus qui per hanc diem designatur, ita ad mane productus sicut in vespera fuit, hoc est ita visibili opere completus, sicut in mente divina primo fuit dispositus, tanquam eadem sit sententia cujusque operis in novissimis verbis quæ in prioribus quasi ad principium finis reducatur. Idem quippe est quantum ad sensum, quum in singulis operibus præmittitur, dixit Deus : Fiat hoc, et factum est : quod et in fine subponitur, quum dicitur quia hujus diei factum est vespere et mane dies unus, hoc est hujus operationis complexio, sicut ejus in Deo præcesserat dispositio. Notandum vero, ut supra quoque meminimus, non ita in hac die dici : « Et vidit Deus quod esset bonum, » sicut in cæteris, hoc est non ita Deum approbasse operationem hujus diei sicut reliquorum, propter eam videlicet causam quam jam reddidimus, hoc est quum nondum nos faciat Deus videre quid boni vel utilitatis habeat illa superiorum aquarum suspensio. Sed nec ista divisio aquarum laude digna visa est, quum nondum aquæ divisæ ita collocatæ et stabilitæ erant, ut permansuræ fuerant, et necessarium erat ad creationem rerum futurarum. Adhuc enim inferiores aquæ in unum erant congregandæ, ut appareret arida. Denique nec illam corporalem superiorum aquarum suspensionem, ut universum operirent mundum, commendare Propheta voluit, providens baptismum in aquis futurum ad quamlibet peccatorum multitudinem operiendam in his superpositis aquis figurari.

DE TERTIA DIE.

« Dixit vero Deus : Congregentur aquæ. » Inferiorem terræ regionem, in qua hominem Deus creaturus et collocaturus erat ei, prout necessarium erat, præparat; inundantes videlicet aquas a superficie terræ removendo, atque ipsam terram herbis et arboribus venustando.

« Quæ sub cœlo sunt. » Hoc dicitur ad differentiam earum quæ super cœlum, id est firmamentum, suspensæ sunt.

« In locum unum. » Hoc est, ut non jam totam cooperiant terram, sed cedentes in unam partem terræ, aliam habitabilem præbeant.

« Factumque est ita. » Id est cedentibus aquis in unam partem terræ, altera detecta est, sicut scriptum est : « Qui fundavit terram super aquas. » Quasi enim aliquis globus ita in aqua constituatur, ut una pars ejus superemineat; ita ille globus terræ in aquis insedit, ut ex una parte eum mare contingeret, et per venas ejus se infunderet, unde nobis fontes vel flumina nascerentur. Cujus quidem maris aqua in unum modo congregata profundior facta est quam prius

esset diffusa, nisi forte id, quod per venas terræ immissum est, ejus minuat profunditatem.

« Et vocavit. » Id est vocari dignam fecit aridam, id est siccam illam terram aquis detectam. Terra enim erat etiam, quum limosam eam aquæ superfusæ redderent, sed arida nunc facta est aquis cedentibus.

« Congregationesque aquarum. » Id est earum continuationes licet diversis locis distinctarum. Apud Hebræos enim cunctæ aquarum congregationes, sive salsæ, sive dulces, appellari maria dicuntur. Et nota quod, quum in opere secundæ diei præmisisset : « Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, etc., » postea supposuit : « Et factum est ita. » Quod nequaquam in ista congregatione aquarum nunc facta observavi. Non enim dixit prius et congregatæ sunt aquæ; ut postmodum subderet, et factum est ita; sed tantum dixit, quia factum est ita. Si enim hic sicut ibi supposuisset : « factum est ita, » innuere videretur quod sicut illa suspensio aquarum perpetua est, ita etiam hæc congregatio earum : quod nequaquam verum est, quum eædem aquæ tunc in unum locum adductæ ut appareret arida, in diluvio sint reductæ ut eam contegerent.

« Et vidit. » Id est sic istam congregationem fecit, ut bonam esse, et ad hæc quæ facturus erat necessariam, postmodum eam videri faceret.

« Germinet terra. » Id est in se primum concipiat quod deinde proferat, sicut ex conceptu producitur in lucem partus. De quo quidem partu statim adnectit : « Et protulit. » Quod vero interpositum est : « Et factum est ita, » ad conceptum tantum germinationis pertinet. Quod vero statim addit : « Et protulit, » tale est tanquam si diceret : Et mox germinatum produxit. Et nota quod quum ex terris vel aquis aliqua procreari vel nasci dicuntur, non sic accipiendum est, ut ex uno tantum elemento constent, sed ex obtinenti nomina sortiuntur, sicut et ipsa ex quibus produci referuntur.

« Herbam virentem. » Quæ terræ radicitus adhærent, et ex humore aquæ vivere et crescere habent, recte prædictæ dispositioni terræ et aquæ sub una die aggregantur. Notandum vero, ut quibusdam videtur, ex hoc maxime innui mundum verno tempore his adornari, quod his nascituris de terra vel conservandis vernam temperiem necessariam videamus. Sed profecto non video qua ratione hanc temperiem, quam nunc experimur, in vere mundus habere posset, sole nondum condito, ex cujus quidem accessu ipsa nunc fit temperies; imo hac die qua hæc terra protulit frigidius tempus exstitisse videtur quam in hyemalibus diebus quos quantulumcumque sol modo calefacit. Unde ergo secundum naturam rerum terra tunc germinare ista potuerit vel conservare, nonnulla est quæstio. Sed sicut jam supra meminimus, in illis operibus sex priorum dierum sola Dei voluntas vim naturæ obtinuit, quando ipsa etiam natura creabatur,

hoc est vis quædam conferebatur illis rebus quæ tunc fiebant. Unde ipsa postmodum ad multiplicationem sui sufficeret vel ad quoscumque effectus inde processuros vel tanquam nascituros. Quippe, ut dictum est, nihil nunc naturam aliud dicimus, nisi vim et facultatem illis operibus tunc collatam, unde illa sufficerent ad efficiendum hæc quæ postmodum inde contigerunt.

Potest fortassis et nonnulla naturæ ratio reddi, qua tunc terra producere ista potuerit, quod scilicet illa terræ novitas in producendis vel conservandis plantis vires majores habuerit quam postea, et maxime hoc accepisse ex nimia humectatione sui, quam aquarum abundantia ei contulit antequam congregarentur, et ex calore solis die proximo conditi ad hæc conservanda profecisse, qui fortasse conditus statim calore sui universam temperiem fecit in aliqua terrarum parte, non, ut arbitror, ubique. Nunquam enim eodem tempore omnes regiones æqualiter calent et frigescunt, nec eodem tempore quæ in eis sunt nascuntur vel revirescunt, nec simul ad maturitatem fructus ubique perveniunt, nec in omnibus terris eædem herbæ vel arbores nascuntur. Si igitur omnes herbarum vel arborum species hac die terra protulit, ut in sex diebus Deus opera consummasset, neque simul verna temperies omnibus terris inesse posset, quid necesse est, ut in vere id fieret, nisi in ea forte parte terræ ubi ver esset? Ex qua quidem parte ad cætera terrarum loca postea transferri et transplantari potuerunt. Verna autem temperies in paradiso jugis esse creditur, et ibi fortassis omnia tunc simul terra producere et conservare potuit, ubi et terra omnibus apta et ipsa temperies cœli convenirent. Scimus autem multa de terra nasci, quorum alia calidam terram desiderant, alia frigidam, alia temperatam : et sic fieri potuit, ut quocumque tempore terra germinaret, in diversis locis diversa produceret. Nec tam necessaria videtur temperies ad producendas plantas, quam ad conservandos fructus. Scriptura autem de fructibus nullam hic mentionem facit. Sed de fructuosis plantis in paradiso ubi homo collocandus erat, fructus subito cum arboribus produci credimus quantum homini necessarium esset : unde et eos in fructu vetitæ arboris transgressos fuisse Scriptura commemorat, et cæterarum arborum fructus ei fuisse concessos in esum ei necessarios. Nihil tamen impedit, si in diversis terris pro qualitate earum ac diversa temperie cœli diversæ plantæ fructus suos eodem tempore conservarent, vel eædem plantæ in alia terra cum fructu, in alia sine fructu tunc consisterent donec temperies adveniret, sicut quotidie contingit, quum videamus non æque cito terras omnes eosdem fructus ministrare.

« Et facientem semen. » Sive ut nata statim semen suum haberet, ac si ad maturitatem pervenisset, sive ut apta ad habendum semen crearetur.

« Et lignum pomiferum. » Hoc est arbores fructuosas, sive statim quum nasce-

rentur poma, id est fructus suos afferentes, sive non statim. Solet quippe pomum generaliter pro omni arboris fructu intelligi.

« Juxta genus suum. » Hoc est secundum materiæ suæ naturam, ut, pro diversitate scilicet herbarum vel arborum magis quam terrarum, diversos afferant fructus, non eosdem. Cujus semen, hoc est dum terræ radicitus adhærebit, vim suæ propagationis in seipso habeat, sive ex semine sive ex insertione ramorum vel ex plantatione. Et nota quod, quum ait « lignum pomiferum, » de fructuosis tantum arboribus, non de infructuosis, videtur dicere quod tunc creatæ sint; et ita non omnes tunc arbores creatas esse, sed quasdam postea, sicut de spinis et tribulis creditur post peccatum in pœnam hominis de terra productis. Si quis tamen dicat has quoque arbores, quæ nunc infructuosæ sunt, primo creatas esse fructuosas, sed postmodum pro peccato hominis infructuosas fieri, vel fructum arboris sive pomum quamcumque utilitatem ligni intelligat, non absurdum videtur, quum infructuosa quoque ligna nonnullas habeant utilitates, etsi fructum aliquem non producant in esum. Et quia non est in consuetudine sermonis, ut pomum pro quacumque utilitate sicut fructus accipiatur, ideo quum prius dictum sit « pomiferum, » postea quasi pro expositione supposuit « faciens fructum, » hoc est habens quamcumque utilitatem. Propter quam etiam expositionis determinationem quum præmittat, « factum est ita, » statim adjungit : « Et protulit terra herbam, etc. »

DE QUARTA DIE.

« Fiant luminaria. » Inter creationem plantarum jam factam, et animalium faciendam, luminaria fiunt, ut calore ipsorum plantæ foveantur et proficiant, et eorum luce animalia solatium habeant, ne quasi cæca oberrent in tenebris, ut et alimenta sua eligere possint.

« In firmamento cœli. » Intransitive quod novissime cœlum est appellatum, aquis, ut dictum est, interpositum, et ab illis aquis, quas superius firmat, firmamentum dictum.

« Et dividant. » Ad quas utilitates fiant exponit : primo ad distinguendum sua illuminatione diurnum tempus ac nocturnum. Diurnum quippe tempus est quod sole illuminatur, sicut nocturnum quod luna et sideribus illustratur, vel solis illuminatione caret.

« Et signa. » Non quæ vanitatis est observare, sicut in auspiciis atque auguriis, sed in quasdam naturales ostensiones futurorum eventuum sive præsentium. Nautæ quippe siderum inspectione ad quas partes mundi ferantur cognoscere solent, et de commutandis temporibus multa indicia ex sole et luna vel sideribus capiuntur, quum modo alterius coloris vel caloris,

modo alterius nobis esse videntur, vel quocumque modo nostris aspectibus variantur.

« Et tempora. » Hoc est temporum computationem, sicut dierum vel annorum, quæ statim per exempla supponit : dies enim computamus atque numeramus secundum motus et discursus solis ab oriente in occidentem, et annos secundum revolutiones ejus et nonnunquam cæterorum planetarum computare solemus, ut quot videlicet revolutiones sunt eorum ad idem punctum, tot annos solis vel Saturni vel aliorum planetarum dicamus.

« Et luceant. » Ut alibi « sint, » et alibi « illuminent » terram, scilicet ubi necessarium est splendorem suum inde spargentia.

« Fecitque. » Quomodo factum sit de illis ad dividendum diem et noctem quod prius dixerat exponit, quum solem ad illuminationem diurni temporis, lunam et stellas ad illuminationem nocturni instituerit.

« Luminare majus. » Scilicet solem, non tam sui orbis quantitate quam suæ illuminationis virtute quantum ad sensum nostrum, qui majorem inde suscipimus illuminationem.

« Præesset diei. » Tanquam videlicet ipsum diurnum tempus illuminatione sui efficiens, vel lucem circumferens, sicut luna et stellæ nocti.

« Luminare minus. » Lunam dicit, quasi secundam a sole in effectu illuminandi, quod terris propinquior sit quam stellæ, ideoque majorem vim ad lucendum nobis habeat quam stellæ, etsi aliquæ ipsarum magis a nobis remotæ amplius splendoris vel magnitudinis habere credantur.

« Et stellas. » Subaudit, similiter, fecit ut præessent nocti. « Eas, » etiam; scilicet stellas in firmamento sicut solem et lunam.

« Ut lucerent. » Istud communiter tam ad stellas quam ad solem et lunam referendum est. Alioquin non apparet quomodo diceret, ut præessent diei ac nocti, quum videlicet stellæ nocti tantum præesse, non diei, habeant. Non parva quæstio est de planetis, qui contra firmamentum ferri dicuntur, utrum animati sint, ut philosophis visum est, et quidam spiritus illis præsint corporibus, qui hunc eis motum tribuant, an sola Dei voluntate et ordinatione hunc discursum immobiliter teneant. Philosophi vero tam eos quam ipsum totum mundum animatos esse adstruunt, et quædam animalia rationalia, immortalia atque impassibilia non dubitant asserere, dicentes omnem motum in corporibus ab anima incipere, nec postea corpus nisi per eam moveri. Qui etiam mundum ita ubique animalibus repleri volunt, ut singulæ mundi partes habeant animalia propria, aer quidem iste inferior et corpulentior usque ad lunam dæmones, superior vero pars mundi, quam æthereum cœlum nominare solemus, planetas vel cætera sidera. Quam quidem sententiam beatus Augustinus commemorans

libro *de Civitate Dei* octavo, ita de Platonicis ait [1] : « Omnium, inquiunt, animalium in quibus est anima rationalis, tripertita divisio est in deos, homines, dæmones. Deorum sedes in cœlo est, hominum in terra, in aere dæmonum. » Item : « Habent dæmones cum diis communem immortalitatem corporum, animarum autem cum hominibus passiones. » Et post aliqua descriptionem dæmonum ex dictis Apulei Platonici supponens ait : « Breviter Apuleius dæmones diffiniens, ait eos esse genere animalia, anima passiva, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna. » Ex quibus philosophorum dictis maxime vero Platonicorum, constat cœlum quoque et aerem propriis animalibus adornari : quorum hæc dæmones, id est animalia rationalia, immortalia et passibilia dicunt; illa vero deos appellant, hoc est animalia rationalia, immortalia et impassibilia, sicut sunt omnia sidera, non solum planetæ, verum etiam quælibet stellæ. Planetas vero non solum deos, verum etiam deos deorum, tanquam cæteris sideribus excellentiores, et majorem efficaciam habentes, a Platone dici autumant, ubi, sicut aiunt, eos præcipue ad creationem hominis invitat, ut vi quadam eorum ex terra fingatur corpus humanum, cui Deus animam infundat. Quum autem deorum neminem nisi bonum esse fateantur, dæmonum tamen sicut et hominum quosdam bonos, quosdam malos esse distinguunt : unde hos græce calodæmones, illos cacodæmones appellant. Nihil enim sciunt de diaboli dejectione, sed sicut homines vel cætera animalia, ita et dæmones corporeos esse creatos arbitrantur. Omnium itaque animalium rationalium corpora secundum regionem vel partem mundi quam inhabitant distinguunt, ut videlicet horum alia terrena sint, sicut hominum; alia aerea vel ætherea, sicut dæmonum vel deorum. Constat itaque juxta Platonicam vel Platonicorum sententiam, ipsa quoque sidera quædam esse animalia, et illis sidereis quæ videmus corporibus quasdam inesse animas, quibus ipsa moveri vel agitari queant. Quam profecto sententiam beatus Augustinus nequaquam refellere præsumens, dicit in *Enchiridion* sibi adhuc incertum esse, utrum ad societatem angelorum sol et luna pertineant, an videlicet quidam de spiritibus angelicis illis sidereis corporibus sint deputati, ut illa trahentes ac circumducentes, humanis usibus tanta beneficia ministrent. De mundo autem utrum animal quoddam sit, quod tam hæc animalia quam cætera in se contineat, minus rationi propinquare, primo *Retractationum* libro insinuat. Cujus nunc verba ex utroque ipsius opere collecta non incongruum supponere duximus. Ait itaque in *Enchiridion* caput XXV [2] : « Utrum archangeli appellentur virtutes, et quid inter se distent sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, dicant qui pos-

[1] *De Civit. Dei*, t. VIII, cap. XIV. — [2] Cap. LVIII.

sunt, si tamen possunt probare quod dicunt : ego me ista ignorare profiteor. Sed neque illud certum habeo utrum ad eamdem societatem pertineant sol et luna et sidera, quamvis nonnulla lucida esse corpora, non cum sensu vel intelligentia esse videantur. » Idem in primo *Retractationum* : « Animal esse istum mundum, sicut Plato sensit, aliique philosophi plurimi, nec ratione certa indagare potui, nec divinarum Scripturarum auctoritate persuaderi posse cognovi : unde tale aliquid a me dictum, quod accipi possit etiam in libro *de Immortalitate animæ* temere dictum notavi, non quia hoc falsum esse confirmo, sed quia nec verum esse comprehendo quod sit animal mundus. » Apostolus quoque tam cœlestia animalia, quæ deos philosophi vocant, quam aera, quæ dæmones appellant, distinguere videtur. Si ergo, ut philosophis visum est, nec sancti prorsus refellere præsumunt, illis cœlestibus siderum corporibus quidam præsint spiritus, qui eos movere vel agitare queant, facile est propositæ quæstionis de motu planetarum solutio. Sin autem aliunde ordinatum sibi et stabilem motum habeant, sufficit hoc divinæ tribuere voluntati, quæ in primordialibus, ut dictum est, causis vim naturæ obtinuit, et juxta Platonem, in omnibus efficiendis validior est, quam ipsa rerum creatarum naturalis facultas.

Sunt qui astronomiæ doctrinam atque ipsam vim astrorum in tantum efferant et extollant, ut ex ipsis etiam contingentia futura præsignari queant, et per hanc artem de his quoque se judicare fateantur, quæ naturæ incognita philosophi profitentur, tanquam ipsa videlicet astra in signa sint futurorum, non solum naturalium, ut diximus, verum etiam contingentium, sicut illi mentiuntur. Naturalia vero futura dicuntur, quæ causam aliquam naturalem sui eventus habent, ut ex his quæ præcedunt tanquam quibusdam naturalibus sui causis contingere habeant, et sic eis adjuncta sint, ut vix aut nunquam illis præcedentibus hæc inde contingere possit impediri : velut mortis dissolutio futura in proximo post venenum exhaustum, vel pluvia post tonitrùum, vel sterilitas terræ post nimiam æstuationem vel immoderatos imbres. Contingentia vero futura sunt quæ sic æqualiter ad fieri et non fieri sese habent, ut nulla in rerum naturis causa præcedat, unde ipsa fieri vel non fieri cogantur, nec ex aliquo prænosci queat, utrum illa contingere habeant vel non, sicut me hodie lecturum esse, et quæcumque tam facere quam dimittere in nostri arbitrii consistit potestate. Sunt itaque futura quædam naturalia et quasi determinata in suis eventibus, quum ex aliqua naturali adjunctione ad præcedentes sui causas prænosci queant, ac per hoc jam naturæ esse cognitæ dicuntur, sicut omnia quæ præsentia sunt vel præterita. Quum enim jam in præsenti sit ipsa astra esse paria vel esse non paria, nec nobis cognitum sit quid horum jam sit, ipsum tamen naturæ cognitum esse Boetius asserit. Quum jam videlicet in ipsis astris sit numerus talis qui

de se cognitionem conferre possit, quod est eum naturæ cognosci vel determinatum esse. Nam et vox vel sonus audibilis naturaliter dicitur quantum in ipsis est, etsi nemo assistat qui hæc audire valeat; et ager ad excolendum aptus fuit antequam homo esset qui eum excolere posset. Futura vero contingentia naturæ quoque dicuntur incognita, quum videlicet ex nulla naturæ operatione vel institutione prænosci queant. Unde miror quosdam se per astronomiam scire profiteri, de his quoque judicare posse; et quasi divinatores talium esse. Quum enim astronomia species sit physicæ, hoc est naturalis philosophiæ, quomodo per eam investigare valent quod ipsi quoque naturæ philosophi asserunt incognitum esse, hoc est ex nulla rerum natura prænosci posse? Naturalia vero quædam futura nequaquam cognosci per eam negamus, sicut nec per medicinam. Medici enim secundum complexiones corporum multa prænoscere de infirmis possunt, utrum videlicet evadere queant, an minime. Sic et periti astrorum, qui naturas ipsorum, unde calida aut frigida, sicca vel humida vel temperata sunt, noverunt; et illas partes cœli quæ domicilia eorum vocant, in quibus quum fuerint, suas maxime vires exercent, per astronomiam didicerunt, multa de naturalibus futuris prænoscere possunt, utrum videlicet sequenti tempore siccitas abundet aut pluvia, sive calor aut frigiditas. Quæ non solum ad providentiam cultus terræ, verum etiam ad medicamentorum moderationem plurimum valet. Unde et philosophi planetas ipsos vocare ausi sunt deos, et quasi quosdam mundi rectores profiteri, eo videlicet quod secundum eorum naturas et qualitates situs iste noster plurimum varietur, ut diximus, ut modo sterilitas inde, modo abundantia contingat, modo in humidis locis, modo in siccis seminandum sit, modo calida vel humida in medicamentis vel alia sint providenda. De contingentibus vero futuris, quæ, ut diximus, naturæ quoque sunt incognita, quisquis per documentum astronomiæ certitudinem aliquam promiserit, non tam astronomicus quam diabolicus habendus est. De quo facile nihil eos scire convincere possumus. Si enim interrogemus de aliquo faciendo, quod æque facere vel dimittere in nostra sit potestate, nullum ibi judicium ex aliquo artis suæ documento facere audent, scientes quod si hoc dicerent, in aliud nos converteremus. Si vero alius ex nobis eos hoc ipsum interrogaret de nobis; neque id, inquiunt, faceret causa tentandi, sed sincera intentione veritatis, tunc se veritatem dicturos promittunt. Quod quanta irrisione sit excipiendum quis non videat? Si enim per artem suam de eventu, de quo consuluntur, certitudinem habent, quid refert quis inde eos interroget, vel qua etiam intentione? Vel cur etiam de intentione dijudicare non possunt, quæ quum præsens sit, determinatum jam habet eventum, et de futuro quod omnino incertum est certitudinem promittunt? Ex quo liquere arbitror, quod si quemquam in talibus verum dicere ipsos

contingat; non hoc ex arte prædicta, sed ex opinione diabolica instructi proferunt. Sicut enim nos rerum aliquarum videntes apparatum, quid inde proveniat ex suspicione magis quam ex certitudine prædicimus : ita et diabolus quem consulunt in hanc eos divinationem inducit, ut multa veraciter incerti pronuntient : qui quum de aliquibus vera prædixerint, de cæteris omnibus præscire credunt. Sæpe quoque præsentia de absentibus vel præterita nuntiant diabolico instinctu, nec mentiuntur, quod ab imperitis pro magno habetur, non attendentes quod hæc diabolus nuntiet, quæ jam conspiciendo noverit, ut de futuris quoque ipsis credatur. Nemo itaque talium divinationes ad prædictam referat artem, sed magis ad diabolicam machinationem. Quod itaque de sideribus dictum est, et sint in signa scilicet futurorum, non de contingentibus futuris, hoc est casualibus, sive fortuitis, quæ ad utrumlibet se habere Aristoteles dicit; sed de naturalibus futuris, ut dictum est, accipiendum est; tanquam hinc maxime astronomicæ disciplinæ studium sumpserit initium, vel auctoritate hoc loco præcipue utilitate præsignata; in qua et ipse Moyses Ægyptiorum scientiæ peritissimus enituisse creditur.

DE QUINTA DIE.

« Reptile animæ viventis. » Ambrosius in *Hexameron* de die quinto : « Scimus reptilia dici genera serpentium, eo quod super terram repant, sed multo magis omne quod natat reptandi habet vel speciem vel naturam; nam quum supra aquam natant, repunt toto corpore quo trahuntur super quædam dorsa aquarum; unde et David ait [1] : « Hoc mare magnum et spatiosum, illic « reptilia quorum non est numerus. » Quin etiam quum pleraque pedes habeant et ambulandi usum eo quod sint amphibia, et quæ vel in aquis vel in terris vivant, ut sunt phocæ, crocodili, equi fluvialis [2], quos hippopotamos vocant, eo quod hi generentur in Nilo flumine, tamen quum in alto aquarum sunt, nec ambulant, nec natant, nec vestigio utuntur pedis ad incedendum, sed tanquam remo ad reptandum. » Ex quibus quidem Ambrosii verbis patet omnes etiam pisces reptilibus aggregari, quum sine incessu pedum sese moveant. « Animæ viventis » dicit ad differentiam vivificationis plantarum, quæ si animam quamdam, id est vitam habere dicantur, non tamen ex se vivere habent, sicut ea quæ spirando et respirando vivunt, sed terræ tantum affixæ ipsum terræ humorem in eas conscendentem pro vita habent. Tale est ergo, « animæ viventis, » hoc est vitæ ex se, ut dictum est, permanentis, non ex immissione terreni humoris.

[1] Psalm. CIII, v. 25. — [2] Leg. *fluviales.*

« Et volatile. » Ex quo liquidum est tam pisces quam volucres ex aquis procreatos habere corpora ejusdem naturæ, nec tantam vim humanis corporibus ad lasciviendum carnes eorum ministrare, quantam carnes terrestrium animantium, quæ cum nostris corporibus ejusdem sunt naturæ. Unde nec monachis beati Benedicti regula ita[1] carnes illas sicut has interdicit, quum videlicet a carnibus tantum quadrupedum, non aliarum abstinere præcipit.

« Super terram, sub firmamento cœli. » Quod dicit, « super terram, sub firmamento cœli, » non solum ad volatile, sed etiam ad reptile referendum videtur, si videlicet ipsa quoque sidera animata putentur. Ipsa quippe quum sine pedibus ferantur, reptilibus aggreganda essent sicut et pisces : sed quum ipsa sub firmamento cœli nequaquam sint, patet ea excludi per hoc quod dicitur, « sub firmamento cœli. » Tale est ergo reptile atque volatile tanquam si diceretur animal aptum ad rependum sive volandum super terram, hoc est ita ut terram non contingat. Nam postmodum quum dicit reptilia terræ potius quam super terram, profecto hoc et istud reptilium genus diligenter distinguunt. Nonnullæ aves aquaticæ dicuntur pedes habere, ita posterioribus adhærentes ut nequaquam cum illis incedere queant, sed solummodo natare, sicut pisces cum pennulis suis, quas profecto reptiles magis quam gressibiles dicendas credimus. Quæ quum nunquam in terram exire videantur, nonnulla quæstio est de ovis earum quomodo ea foveant, an potius aquæ ipsæ talium ova sicut et piscium suscepta quodam suo fotu vivificare sufficiant.

Quum dicit, « sub firmamento cœli, » intransitive videtur accipiendum quasi sub firmamento quod cœlum est, sicut quum dicitur urbs Romæ, fluvius Tyberis, creatura salis, corpus vel essentia lapidis. Hoc autem firmamentum, ut superius dictum est, inde sic nominatur, quod aquis interpositum, superiores ita sustentando firmet, ut relabi ad inferiores nequeant, vel eas unquam contingere. Non ergo proprie firmamentum dicitur quod aquis nubium permixtum est, sed quod prorsus ab aquis vacuum superius est. Aves vero nequaquam volare per firmamentum possunt, quia earum corpora sustentari ab aere sine aquarum corpulentia nequaquam possent.

« Creavitque, » ex ipsis videlicet aquis.

« Animam » pro toto animante ponit ex corpore simul et anima constante, unius videlicet nomine partis totum comprehendens. Juxta quod et alibi ait[2] :

[1] Eadem est sententia Theodemari abbatis Casinensis in epistola *ad Carolum Magnum*, Rabani Mauri lib. II, *de Institutione Clericorum*, cap. XXVII, et sancti Hildegardis in *Expositione regulæ sancti Benedicti*. Communis tamen opinio est sanctum Benedictum non solum quadrupedia, sed etiam volatilia monachis prohibuisse. Qua de re vide quæ diximus in *Commentario* ad cap. XXXIX *Regulæ sancti Benedicti*. (Not. Edm. Martene.) — [2] *Genes.*, cap. XIV, v. 21.

« Da mihi animas, cætera tolle tibi. » Et rursum [1] : « Descendit Jacob in Ægyptum in animabus septuaginta. »

« Viventem. » Subaudis ex se non ex terra, sicut plantæ affixæ radicitus terræ.

« Atque motabilem. » Ad differentiam scilicet cæterorum animalium, quæ terra postmodum produxit, quæ gravius est elementum quam aqua. Unde et ista ex aquis producta naturaliter mobiliora et agiliora sunt, quum ex leviori scilicet elemento consistant. Et attende quid superius dixerit de plantis, quod terra eas germinavit ac protulit. De animalibus vero dicitur tantum, quod aqua vel terra ea produxerit, non quod germinaverit; ut videlicet innueret, quia non terræ radicitus affixa vegetationem inde accipiunt sicut plantæ.

« Quam produxerant aquæ in species suas. » Sic construe : creavit omnem animam, hoc est omne animatum tale in species : ac si diceret, omnem, inquam, secundum speciem, non secundum numerum. Quippe non omnia individua harum specierum, sed singulæ species tam avium quam piscium tunc creatæ sunt. Unde et in sequentibus cum dicit Deum requievisse ab omni opere suo, non de individuis specierum multiplicandis est accipiendum, sed de naturis specierum jam præparatis ad quælibet postmodum inde procreanda. « Quam produxerant. » Id est ad quam producendam jam aquæ fuerant præparatæ; sive dulces, ut flumina; sive salsæ, ut marinæ.

« Et vidit. » Nota in operibus hujus diei nequaquam in repetitione creationis ipsorum dici : « Et factum est ita, » sicut superius in secundo die. Vel quum præmisisset : « Et fecit firmamentum, etc., » postmodum adjunxit : « Et factum est ita, » tanquam per hoc innuens illam aquarum divisionem ita in perpetuum permansuram. Sic et in creatione hominis postquam dixit : « Creavit Deus hominem, etc., » subjunxit : « Et factum est ita. » Quum ergo, ubicunque dicitur : « Et faciamus ita, » perseverantia quædam operum significetur, ut sic scilicet permaneant sicut facta sunt, nequaquam in speciebus avium id recte dici posse videtur, quum videlicet nonnulla species in eis quandoque prorsus deperire habeat, sicut de phœnice legitur ac fortasse de nonnullis aliis tam avium quam piscium speciebus contingit, quæ ad opera pertinent hujus diei.

« Benedixitque. » Solis animantibus istis ex aqua productis sicut et postmodum hominibus creatis benedixisse Deus memoratur, quasi quadam dignitate animantia ista homini propinquarent, quæ de illo generata sunt elemento, de quo et homines regenerandi erant. Unde et in arca secundum post hominem locum aves tenuisse non immerito videntur, quia videlicet de illo facta sunt

[1] *Genes.*, cap. XLVI.

elemento, quod in sacramento baptismi magis necessarium nostræ esset saluti. Recte ergo benedictio Dei a creationibus aquaticis incepit, quum ex hoc, ut dictum est, elemento nostræ salutis benedictio initium esset habitura in remissionem peccatorum perfecta. Tale est ergo : Benedixit eis, tanquam si diceret, typum sanctificationis regenerandorum ex aqua vel multiplicationis eorum comparatione circumcisorum jam tunc providebat. Circumcisio quippe quamvis id quod baptismus operata esse dicatur in remissionem peccatorum, non tamen hanc efficaciam in tot habuisse potuit in quot baptismi gratia persistit, non enim nisi mares circumcidebantur, et soli Judæi sive proselyti.

« Dicens. » Id est apud se disponens quod nobis postmodum exhiberet.

« Crescite et multiplicamini. » Hoc est, numero individuorum, non diversitate specierum, crementum accipite. Non enim ita est intelligendum, ut prius in seipsis crescerent donec ad perfectam venirent ætatem qua generare possent, quum statim creatio talium perfecta fuisse credenda sit, alioquin diu educanda esset ut ad perfectionem veniret. Quod si de avibus quoque intelligamus, non facile apparet unde alimentorum acciperent nutrimentum.

« Replete. » Hoc est, quantum satis sit ad hoc fructificate.

« Aquas maris. » Quum tamen et aquæ dulces tam pisces habeant quam volucres. Sed constat quia omnis congregatio aquarum tam salsa quam dulcis mare dicitur, et omnes aquæ ex mari proveniunt. Ubi et quod ait, « animam viventem atque motabilem, » de his scilicet animantibus quæ producta sunt ex aquis, sacramento baptismi plurimum congruere videtur, ubi a peccato liberati, et quasi de morte suscitati per vivificatorem spiritum nasci ac vivere in Deo incipimus, ac de veteri Adam in novum promovemur et in membra Christi transformamur. Et attende quod solis animantibus istis ex aqua scilicet creatis et postmodum hominibus et tandem septimo diei Deus inter hæc opera benedicere memoratur, benedictione hominis media constituta, tanquam ad illam cæteris duabus convenientibus. Benedictio quippe hominis a baptismo incipit, remissione plenaria peccatorum ibi percepta, ac postmodum in sabbatum supernæ felicitatis promota consummatur, ut hinc quoque benedictum sit superius produci ex aquis animam viventem atque motabilem. In baptismo quippe vivere incipimus, ut inde postmodum in prædictum sabbatum promoti pariter quiescamus.

DE SEXTA DIE.

« Animam viventem. » Hoc est animatum ex se vivens, non ex terra vitam contrahens, quamvis ex terra sit, sicut e contrario plantæ faciunt. « Viventem, » inquit, « in genere suo, » quia etsi jam illa animantia quæ prius creata fuerunt

in se defecerunt, nec jam eadem numero permanent quæ prius facta sunt, in suo tamen genere quodammodo semper vivunt, quia decidentibus individuis genus sive species non deperit. Vivunt ergo in genere, hoc est in specie sua, quæ primo creata sunt, etsi jam in se non vivant. Sicut et de aliquo dicitur tyranno jam mortuo, quia vivit in filiis suis. Et nota quod quum ait « animam viventem » de his quæ de terra produxit, non adjecit motabilem sicut prius de his quæ aquæ produxerunt; quia quum elementum aquæ levius sit terra, profecto animalia de aquis producta faciliorem habent motum, et corpora eorum facilius ab anima moveri atque agitari possunt, ut jam supra meminimus.

« Jumenta. » Id est quadrupedia domestica quasi sub jugo et dominio nostro posita.

« Reptilia terræ. » Sic enim jungendum est ad differentiam scilicet supradictorum reptilium aquæ.

« Bestias. » Videlicet sylvestres, ut feras, vel quascunque a nostra conversatione remotas.

« Et fecit. » Primo dixit : « Factum est ita, » quod scilicet terra produxit animalia, secundum corporis substantiam : sed postmodum hæc Dominus consummando fecit, quasi perfecit, vitalem spiritum eis dando de aqua, ut nonnullis videtur, sive de cæteris elementis, non ita corpulentis aut gravibus, sed magis levibus atque mobilibus. Non dicitur Deus benedixisse bestiis sicut piscibus et volucribus, quia serpens cui maledicturus erat de bestiis tunc erat. Homini vero benedixit quanquam peccaturus esset, nec eum, sed terram propter eum maledictam dicit.

« Faciamus hominem. » Creatis cæteris omnibus sive dispositis propter hominem, eum novissime condidit, et tanquam in fine suorum operum constituit : ad quem tanquam finem et causam suæ creationis cætera omnia tendebant, quum propter eum fierent universa. Unde nec eum creari oportuit nisi cæteris quibus præesse debebat, vel quæ ipsi in esum necessaria, vel saltem ad glorificandum Deum congrua erant, ante creatis et ei præparatis, ne quid forte de indigentia in excusationem sui peccati prætendere posset, et tanto amplius ab offensa Dei revocari posset, quanto majorem dilectionis ejus causam haberet, qui eum præfecerit universis, vel etiam post casum ad pœnitentiam citius moveretur, dolens se illum offendisse cui tanta debebat. Cujus quidem creationis excellentiam patenter insinuat, quum quasi ex quodam consilio loquens, dicit : « Faciamus. » Sed cur pluraliter dicitur : « Faciamus hominem ad imaginem nostram, » si nulla prorsus pluralitas in Deo sit, qui solus hominem creasse ad imaginem suam postea memoratur his verbis : « Et creavit Deus hominem ad

imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum. » Dicant Judæi si possunt, vel nobiscum fateantur in una divinitatis essentia pluralitatem personarum magis quam rerum esse. Quod diligenter Propheta considerans ad distinctionem personarum faciendam, dicit pluraliter « faciamus; » ad unitatem vero Dei assignandam subjunxit singulariter, « et creavit Deus hominem, etc. » Quasi ergo aliquis secum loquens se et rationem suam quasi duo constituit quum eam consulit, sicut Boetius in libro *de Consolatione Philosophiæ,* vel Augustinus in libro *Soliloquiorum.* Sic Deus Pater ad creationem hominis tam Sapientiam quam Bonitatem, hoc est Filium et Spiritum sanctum quasi invitans dicit: Faciamus, eum talem et tantum, ut imago nostra sit vel similitudo. Quæ quidem creatio quam excellens sit, et cæteris supra positis longe superior, ipsis quoque verbis exprimitur tanquam in consilio quodam collatis ad magnum aliquid faciendum quum dicitur: « Faciamus. » In cæteris vero creationibus non ita dictum est, sed solummodo ut fiat hoc vel illud, vel terra sive aqua hoc vel illud producat. Quum autem homo commune nomen sit tam viri quam feminæ, quum sit utrumque animal rationale mortale; unde et in sequentibus quum dicitur « quia creavit Deus hominem, » statim subinfertur, « masculum et feminam creavit eos, » intelligimus virum ad imaginem Dei creatum, feminam vero ad similitudinem. De viro quippe Apostolus ait[1]: « Vir quidem non debet velare caput suum, quia imago et gloria Dei est. » Hoc est, gloriosior et pretiosior ejus similitudo. Distat autem inter imaginem et similitudinem, quod similitudo rei potest dici quod convenientiam aliquam habet cum ipsa, unde simile illi dici queat. Imago vero expressa tantum similitudo dicitur, sicut figuræ hominum quæ per singula membra perfectius eos repræsentant. Quia ergo vir dignior quam femina est, et per hoc Deo similior, imago ejus dicitur; femina vero similitudo, quum ipsa etiam sicut vir per rationem et immortalitatem animæ Deum imitetur. Vir autem hoc insuper habet quo Deo similior fiat, quod sicut omnia ex Deo habent esse, ita ex uno viro secundum traducem corporis tam femina ipsa quam totum genus humanum initium habet. Si quis autem diligentius ac perfectius hanc imaginem vel similitudinem Dei, ad quam homo factus dicitur, considerare velit juxta ipsarum personarum distinctionem, videbit hominem ipsum tam Patris quam Filii vel Spiritus sancti ex sua conditione similitudinem maximam adeptum esse. Constat quippe Deo Patri, qui a seipso non ab alio esse habet, juxta hanc ejus proprietatem, id quod ad potentiam pertinet divinam specialiter adscribi; sicut et Filio, qui ejus Sapientia dicitur, quod sapientiæ est; et Spiritui sancto, qui amborum Amor vocatur et proprie Caritas dicitur, id quod ad bonitatem

[1] *Corinth. I,* cap. xi, v. 7.

divinæ gratiæ spectat tanquam proprium tribuitur. Homo itaque, ut dictum est, secundum animæ dignitatem ad similitudinem singularem personarum factus est, quum per potentiam et sapientiam et amorem cæteris prælatus animantibus Deo similior factus sit. Eo quippe anima humana per propriæ naturæ potentiam cæteris omnibus validior est, quod sola immortalis et defectus ignara est condita. Sola quoque capax est rationis et sapientiæ et divini amoris particeps. Quæ enim Deum recognoscere pro ratione nequeunt, nequaquam eum diligere possunt. Et hæc quidem tria tam viro quam feminæ communia sunt, unde utrique ad similitudinem Dei facti memorantur quum in sequentibus dicitur : « In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum, masculum et feminam creavit eos. » Quum itaque ambo juxta prædicta similitudinem cum divinis personis habeant, vir tamen quo majorem cum eis similitudinem tenet, non solum ad similitudinem, verum etiam ad imaginem creari dicitur. Ut enim ex Patre cæteræ personæ habent esse, ita in humana creatione femina ex viro creata esse inde habuit, non vir ex femina. Per sapientiam quoque sive rationem virum feminæ præeminuisse supra docuimus, et in hoc eum sapientiorem constare, quod a serpente seduci non potuit. A quo etiam Deum magis diligi non dubitandum est, qui nequaquam eum sibi invidere, vel dolose quidquam dicere, vel in mendacium prorumpere, credere potuit, sicut mulier seducta fecit. Ex his itaque liquet virum illum primo conditum non solum similitudinem, verum etiam imaginem divinarum personarum ex ipsarum cooperatione in sua creatione accepisse, quod similior illis in istis conditus sit. Unde recte de viro dictum est « ad imaginem nostram, » hoc est ad expressiorem similitudinem ; et de femina subjunctum est tantum, « ad similitudinem. »

« Et præsit piscibus. » Non quidem hominem homini præponit Deus, sed insensibilibus tantum vel irrationabilibus creaturis, ut eas scilicet in potestatem accipiat, et eis dominetur quæ ratione carent et sensu, sicut postmodum ait ibi : « Et dominamini piscibus maris, etc. » Potestas aut dominium in his ideo collata homini dicuntur, quod juxta ejus arbitrium hæc omnia disponerentur, et pro voluntate sua eis penitus uterentur, quandiu ipse voluntati sui conditoris subjectus esset. In quos tamen usus hæc omnia tunc haberet, non facile est de singulis disserere, si semper in paradiso persisteret, tanquam ad manum habens omnia necessaria, et sufficientem sibi de fructibus arborum vel herbis esum concessum : præsertim quum nec ad eum pertingere possent universa animantia. Ut enim de bestiis et avibus prætermittamus, quis cete grandia vel marinos pisces illuc posse pervenire, vel etiam vivere arbitretur? Quale denique dominium super hæc exercere posset quæ nunquam videret, nec etiam ubi essent sciret, nec fortassis si essent cognosceret? Quomodo insuper universæ, ut

dicitur, terræ dominari vel præesse posset in uno paradisi loco semper conclusus, cæteris omnibus mundi partibus ignoratis tanquam nondum visis? Aut quod postmodum ait : « Crescite et multiplicamini et replete terram, » quomodo unquam eveniret, si in tantula parte mundi conclusi nondum exirent in diversas mundi regiones? Nulla itaque ratio habet totam hominum futuram multitudinem in illo uno paradisi loco semper conversaturam esse, si non peccassent, sed inde postmodum sicut et de arca per mundum dispergendos esse, nihil pœnale alicubi reperturos, quum nulla maledictione pro peccato terra percuteretur a Deo. Ideo tamen primos homines in paradiso locatos primum credimus, quo temperies illa loci, quem principio Dominus plantaverat, fructibus plurimum abundaret, nondum his ita vel cæteris per mundum propagatis. Sed nec de ligno vitæ diffitendum est, ne ante maledictionem terræ per plantationem multiplicari posset in terris. Tunc utique universæ terræ homo præesse et dominari posset, et multis usibus ei animantia cætera esse fortassis postmodum et in esum ei concessa, sicut post diluvium a Domino Noe concessum est. Possent et delectationem nonnullam homini afferre secundum sensuum diversitatem, quum ex cantu auditum mulcerent, vel ex pulchritudine formæ visum oblectarent, vel odoris suavitate olfactum reficerent, vel quibuscunque modis diversæ ipsorum naturæ diligenter cognitæ in amorem et laudem creatoris nos amplius excitarent, juxta quod ad eum Psalmista dicit[1] : « Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo. »

Sunt fortassis quibus hujusmodi quæstiones frivolæ esse nec rationabiliter moveri videntur, quum quis videlicet quærit de aliquo nunquam eveniente, et dicit quid fieret si ita esset. Quæ namque, inquiunt, ratio est quærere si ita esset, quod nec fieri habet, sicut nec illud esse? Dicunt itaque Deum præscium futurorum hoc homini concessisse, ut per rationem dominaretur cæteris animantibus, et ea constringere posset atque opprimere, quamvis corpore validiora, ut videlicet ex concessa sibi ratione tanto eum homo amplius diligeret, quanto amplius in hac se ab eo accepisse cognosceret.

Quum dicit, « volatilibus cœli, » hoc est avibus, non ad differentiam aliquam volatilium additum est « cœli, » sed ad demonstrandum per quam partem mundi volare habeant; sicut etiam dictum est « piscibus maris, » vel sidera cœli dicere solemus, non ad aliquorum determinationem, sed magis ad eorum exprimendam proprietatem ubi esse habeant. Cœlum ergo hic tam aereum quam æthereum comprehendens, quidquid ab inferioribus aquis usque ad superiores interest hoc vocabulo nuncupat.

[1] Psalm. xci, v. 5.

« Et bestiis. » Quod superius per bestias et jumenta distinxit, hic nomine bestiarum communiter comprehendit.

« Universæque terræ. » Nota quod quum hic concedatur homini tam bestiis quæ in terra sunt, quam ipsi terræ præesse, nequaquam tamen ita superius ei concessum est, tam piscibus maris quam ipsi mari, vel tam volatilibus cœli quam ipsi cœlo præesse. Non enim ita mare vel cœlum in nostra est potestate, sicut terra in qua manemus, et ædificia nostra constituimus, et quam ad nostras utilitates excolendo paramus.

« Reptili quod movetur in terra. » Hoc est in hac mundi parte inferiori, ad differentiam fortassis cœlestium animalium, id est siderum, quæ sicut philosophis visum est, animata sunt, et reptilia potius in suo motu quam gressibilia sunt dicenda, quum pedibus careant.

« Hominem ad imaginem suam. » Virum videlicet prius condidit talem, ut ejus esset imago, sicut exposuimus. Recte postquam dictum est, « faciamus hominem ad imaginem nostram, » subditur hic, « creavit Deus hominem ad imaginem suam, » hoc est Dei, non alterius rei, sicut statim etiam supponitur, « ad imaginem Dei creavit illum. » Ne videlicet quum præmitteretur « nostram, » non solum ad imaginem Dei factus intelligeretur, verum etiam ad aliquorum aliorum quibus loqui videretur, quum ait : « Faciamus hominem. » Et nota quod quum ait hic, « ad imaginem Dei creavit illum; » et postmodum addit, « masculum et feminam creavit eos, » nec reperit ad imaginem Dei, quum dicit pluraliter « eos, » sicut fecit quum dixit « illum, » patenter innuit de solo viro recipiendum esse quod ad imaginem Dei creatus sit. Potest etiam videri quod adjunctum est, « ad imaginem Dei creavit illum, » aliter debere intelligi, quam quod dictum est, « ad imaginem suam. » Filius quippe Dei imago dicitur, qui ex solo Patre est, quum Spiritus sanctus a Patre et Filio esse dicatur. Vir itaque ad imaginem Dei creatus est, quia in hoc præcipuam habet cum filio Dei similitudinem, quod sicut ille ex solo est Patre tanquam genitus, ita iste ex solo Deo habet esse tanquam creatus, non de aliquo animali assumptus, sicut mulier de viro sumpta est et de costa ejus formata.

« Masculum et feminam. » Hoc est tales qui ad propagationem humani generis sufficerent. De qua propagatione postmodum ait : « Crescite et multiplicamini. » Quum dicit eos masculino genere pro viro simul et femina, pro dignitate virilis sexus factum est : quod in tantum etiam usque hodie servamus, ut uno viro multis feminis aggregato, quum de ipsis loquimur, plurale aliquod adjectivum de ipsis simul proferentes, masculino genere contenti sumus, veluti si de ipsis dicamus quia sunt boni vel albi.

« Benedixitque. » Hoc est, de meliori statu ipsorum immortali et incorrupti-

bili futuræ vitæ jam tunc disponebat. Hoc autem propheta dixit præveniens futurum eorum lapsum, ne quis forte quum postmodum audiret eos expelli de paradiso terrestri, desperaret de cœlesti.

« Crescite et multiplicamini. » Sicut superius animantibus aquaticis dixisse memoratur, « crescite et multiplicamini et replete aquas maris; » ita hic hominibus creatis dicere narratur, « crescite et multiplicamini et replete terram; » ut hæc quoque locutio sicut illa non prolatio sermonis, sed dispositio divinæ operationis subintelligatur, præsertim quum nondum linguæ alicujus institutio facta esset, nondum impositis ab Adam nominibus, sicut postmodum fecisse refertur : unde ista quoque Dei locutio sicut et supradictæ non tam de prolatione verborum accipienda videtur, quam ex dispositione divina; quum videlicet ita de ipsis facere Deus apud se ordinaret, ut crescerent et multiplicarentur, id est crementum multiplicationis acciperent commixtione masculi et feminæ, quos jam supra distinxit tanquam ad hoc masculum et feminam creatos. Ex quo patenter insinuat, quantum a creatione Dei et institutione naturæ illa Sodomitarum abominabilis commixtio recedat, qua seipsos tantum polluunt, nullum de prole fructum reportantes. Damnantur et ex hoc loco præcipue damnatores nuptiarum, quum primis hominibus creatis, ex auctoritate dominica conjugium statim sancitum sit.

« Animantibus quæ moventur super terram. » Quod adjungit « quæ moventur super terram, » potest videri additum esse ad exclusionem tam cœlestium animalium, juxta illam scilicet opinionem philosophorum, qua sidera deos appellant, id est animalia rationalia, immortalia, impassibilia, quam aereorum, id est dæmonum.

« Ecce dedi. » Ac si diceret, in præsenti tempore sive loco, quia et post diluvium carnium quoque esum homini Dominus indulsit. Sed quum nonnullas modo bestias vel aves videamus, quibus carnium esus necessarius sit, quomodo his quoque sicut homini solummodo herbæ et arbores nunc in esum conceduntur, tanquam hæc illis primum sufficerent, et nisi post peccatum hominis carnibus indigerent, ut pœna videlicet hominis ex peccato proveniens in ea quoque redundaret, quibus homo præesse et dominari habuit, ut alia scilicet animantia aliis in rapinam et esum traderentur. Et fortassis nulla sunt animantia de his quæ hodie inter nos carnium indigerent alimento, quibus in aliquibus mundi partibus sufficiens esus reperiri non possit in herbis vel arboribus. Et attende quantum sibi in omnibus hominem velit obedire, quum nec eum comedere ut vivat nisi per obedientiam velit, nec sine permissione sua quidquam in quibuscunque necessariis attingere, nec ad sustentationem etiam vitæ. Ex quo patenter innuit totam hominis vitam nonnisi in obedientia Dei consistere, et ad hoc eum solummodo debere vivere.

« Vobis et cunctis animantibus terræ. » Alia quidem vobis, alia illis, vel aliqua pariter vobis et illis. Non enim omnia pabula vel homini vel illis convenire videntur, quamvis ante peccatum nullum escæ genus homini nocivum esset vel fortassis incongruum; sed si hominibus omnia convenire ponamus, nequaquam credibile est, ut hoc de animantibus annuamus, ut eis quoque tam lignum vitæ quam cætera omnia sint concessa, nisi forte quis velit ea quoque sicut homines inde contra mortem et senium habere remedium : quibus etiam lignum scientiæ boni et mali nunquam legimus esse prohibitum, sicut postmodum hominibus dicitur interdictum. Non enim apparet quomodo de omnibus lignis hæc concessio facta sit hominibus et cæteris animantibus, si arbor illa vetita nunquam fuerit hominibus vel illis concessa. Et nota quod illæ quoque arbores, quæ infructuosæ dicuntur, aliquod alimentum in foliis saltem vel floribus seu cortice nonnullis animantibus ministrare possunt. Et attende quod quum de cibo etiam hominis sicut de cibo animalium providet, et omnibus pariter terrena concedit alimenta, patenter insinuat mortales quoque homines creatos fuisse, et eos in corporibus animalibus non spiritalibus factos esse, et ne morte dissolverentur, tunc quoque homini sicut nunc cibum necessarium esse. Unde nec iste animæ vel vitæ status, in quo videlicet homo conditus fuerat, laudem habere meruit, comparatione scilicet spiritalis illius vitæ ad quam transferendus erat. Non enim de homine quoque creato sicut de cæteris animantibus dictum est, quia vidit Deus quod esset bonum, quia commendari non debuit in homine vita illa ad quam obtinendam nequaquam creatus erat, sed de illa transiturus ad longe meliorem. Communiter vero cum cæteris laudari potuit, quia comparatione aliorum hic etiam mortalis status hominis tanquam excellens et optimus commendandus fuit, quum tamen ad hoc quod futurus erat nequaquam in tantum dignus laude censebatur, ut per se optimus, id est valde bonus, diceretur.

« Et factum est ita. » Hoc non ad creationem hominis tantum, vel operationem sextæ diei, sed ad totam præcedentium operum summam referendum videtur. Quæ universa statim comprehendit, quum in eorum laudem prorumpens ait, « cuncta quæ fecerat, » tam de creatione scilicet cœli et terræ, quam de luce operum superaddita et in creatione hominis consummata. Ad quem quidem tanquam finem, hoc est finalem cæterorum causam, omnia spectabant, quum propter hominem creata sint sive disposita. Homo vero non propter illa, sed propter Deum solum glorificandum. Quum ergo illa usque ad hominem per suas utilitates pervenerint, cursum suum quasi in meta quadam et stadii termino sibi præfixo consummabunt. Homo vero usque ad Deum pervenire habet, et in ejus visione tanquam in sabbato vero quiescere.

Et nota quod non ait, videns quod essent cuncta valde bona, sicut superius

in diversis operibus dictum est, vidit quod esset bonum; sed ita distinxit, vidit Deus cuncta quæ fecerat; et postmodum nequaquam repetens « vidit » subintulit « et erant valde bona. » Non enim juxta hoc quod exposuimus de singulis, vidit Deus quod esset bonum, hoc est videre hoc nos et intelligere fecit ex manifesta eorum utilitate. Potuit de omnibus dici, quia viderit cuncta bona propter operationem saltem secundæ diei de suspensione aquarum, quarum, ut diximus, utilitatem nondum probare valemus. Quod ergo dictum est « vidit cuncta et erant valde bona, » tale est quod nihil in eis ab ipso perfecte cognitis corrigendum censuit, sed tantum omnia bona condidit, quantum bona condi oportuit, ut nihil scilicet in conditione sua plus boni accipere illa decuerit, juxta illam quoque Platonis sententiam, qua mundum ab omnipotente et non æmulo factum Deo convincit nequaquam meliorem fieri potuisse. Quod et Moyses considerans, asserit omnia valde bona creata, quamvis de omnibus rationem reddere nec ipsi etiam concessum esse credamus. Non tamen singula in se, sed omnia simul valde bona dicit, quia ut beatus quoque meminit Augustinus, bona sunt singula in se, sed cuncta simul valde bona : quia quæ in se considerata nihil aut parum valere videntur, in tota omnium summa valde sunt necessaria. Unde dicitur [1] : « Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. »

Movet fortassis aliquos quum dicitur, « valde bona, » quid de quibusdam animantibus vel plantis venenatis dicamus, vel de aliis quibusdam quæ omnino superflua censentur, vel denique de ipsis apostatis angelis, qui ab ipso statim exordio suæ creationis superbiendo mali facti sunt. Sed quia malitiam istam a se postmodum habuerunt, non in sua creatione acceperunt, nequaquam a Deo facti sunt mali, sed a seipsis superbiendo corrupti. Quia ergo et illi spiritus facti sunt boni et absque peccato, sed non tales perstiterunt, nequaquam propter hoc negandum est opera Dei bona fuisse, quum illos quoque spiritus bonos condiderit, in ipsa scilicet spiritali substantiæ natura, quam ipsi superbiæ labe maculaverunt, non destruxerunt. Opera itaque Dei cuncta bona sunt, et omnis creatura bona est prædicanda, quia nihil peccati vel mali in ipsa suæ creationis origine accipiunt, sed singulis tantum confert Deus quantum convenit, ut non solum bonæ, verum etiam optimæ, id est valde bonæ, singulæ ab ipso fiant creaturæ. Nec solum tunc quum primo crearentur, verum etiam quotidie quum ex illis primordialibus causis nascendo procreantur vel multiplicantur. Etsi enim infans qnum nascitur nondum bonus homo dicatur, quod ad mores pertinet, bona tamen est creatura. Sic et pullus quum nascitur, quamvis nondum sit bonus

[1] Psalm. cx, v. 2.

equus et ad usitandum idoneus, bona tamen est creatura, et quantum ei convenit in ipsa creatione a Deo accepit, qui nihil sine ratione vel facit vel fieri permittit, etiam quum abortivi fœtus producuntur vel vitiati nascuntur. De sarmentis vero plantarum quæ superflua videntur, et a nobis sæpe resecari convenit, sicut et capillos nostros vel ungues, seu de venenatis quæ diximus : illud fortassis ad solutionem sufficere videtur, quod ait, « erant valde bona, » tunc videlicet ante peccatum hominis non nunc, jamque post peccatum in pœnam nobis conversa. Constat quippe si homo non peccasset, nec ex veneno illi imminere periculum, nec ex aliqua re cruciatum, sed omnia illi animalia quantumcunque sæva, quantumcunque crudelia, ei mansueta quasi domestica, fore per omnia illius dominio subjecta, quandiu ille suo creatori qui hoc ipsi subjecerat per obedientiam subjectus esset. Quod postquam ille neglexit, multa illi ex his periculosa facta sunt, et usque ad mortem in eum prævalere permissa, ut ex his miser jam disceret quantum deliquerit non obediendo Deo, qui hæc tandiu in potestatem habere mereretur, quandiu ille summæ potestati subjiceretur, a qua acceperat ut his ipse dominaretur. Quem ergo ratio retrahere debuit a peccato, et quid cavendum esset prædocere, irrationabiles vel insensibiles quoque creaturæ nunc ei periculosæ factæ patenter edocent quantum deliquerit, tanquam quadam vi divina sentientes jam se homini nullam subjectionem debere, postquam ille Deo subjectus esse neglexerit, utpote quæ nihil ei nisi propter Deum deberent. Ex quo et patenter ipsa etiam quæ ratione vel sensu carent nostram insipientiam erudiunt, ne aliquibus in his obediamus quæ contra Deum facere præsumunt, quum nihil cuiquam nisi propter Deum debeamus, et omnium quæ agimus finem in Deo constitui oporteat. Nemo itaque inobedientiæ est arguendus, nec etiam arguendus ubicunque offensa Dei cavetur, quæ sola quemlibet reum constituit. Juret quislibet alicui quod ab eo ille requisierit, et tandiu juramentum teneat, quandiu non recognoverit se id quod juravit exsequendo Deum esse offensurum, sicut et ex ipsis, ut diximus, quæ ratione carent, jam edocti sumus, quæ jam nostrum non curant dominium, tanquam intelligant nos respuisse divinum. Quæ dum nos perimunt vel cruciant, divinum in hoc judicium exercendo ac debitam pœnam inferendo, falso in eis opera Dei quasi mala calumniamur, quia nobis in dolorem pro meritis nostris convertuntur : alioquin et pœnam ipsam quæ justa est, et tam Deum quam quemlibet judicem justum, quum reos punit, et quod debet agit, arguere possemus. Non sunt igitur opera Dei ulla dicenda mala, quamvis nonnulla, ut justum est, periculosa sint ac nociva, vel quum nonnunquam justum perimendo ab hujus vitæ angustiis liberant, vel aliquibus afflictionibus purgant. Sed nec aliqua in creaturis superflua sunt dicenda, quamvis nos nonnunquam maxime gravent, quia pro

diversis usibus ea quæ ad unum minime valent, ad aliud commoda sunt, ut sarmenta præcisa quæ fructui vitis nocerent si in ea remanerent, ad faciendum ignem vel ad alias necessitudines non inutilia sunt. Denique quanto amplius vita hæc periculosior vel magis pœnalis habetur, tanto ardentius illa expetitur quæ ab his omnibus immunis exsistit. Quid autem proprie bonum ac per se, scilicet sine adjectione, vel quid malum sive indifferens dicatur, in secunda collatione nostra, quantum arbitror satis, est definitum.

De creaturis autem nonnulla est quæstio, utrum videlicet, ut quibusdam videtur, quidquid est et creator non est, creatura dicatur; an solæ substantiæ, non etiam earum accidentia dicendæ sint creaturæ, an res etiam aliquæ sicut est sessio. Non enim quum aliquem sedere accidit, quamdam rem tunc dicimus esse quæ prius non fuerit, vel quamdam rem periisse quæ prius in stante fuisset.

« Et factum est vespere. » Sicut in cæteris diebus tali fine opera eorum sic concludit, ut nihil supra intelligendum sit quod ad opera uniuscujusque diei pertineat, ita et de hac die intelligendum videtur, ut nihil scilicet supra id quod dictum est ad operationem hujus diei pertinere dicatur, sed statim primis parentibus creatis, totam operationem hujus sextæ diei consummatam esse. Unde quod in sequentibus additur de prohibitione ligni facta, vel transgressione præcepti, et de ejectione paradisi, vel impositione nominum quam Adam fecit, vel si qua sunt alia, non necesse est hæc omnia nos profiteri sexto die hæc facta; præsertim quum incertum sit quanto temporis spatio illi parentes in paradiso perstiterint, ut hæc scilicet omnia quæ postea referuntur ibi facta fuisse, peragi possent ante ipsorum dejectionem. Quod enim multis annis vel diebus ante transgressionem in paradiso fuerint, tam auctoritas quam ratio habere videtur, sicut postmodum loco suo ponere decrevimus.

« Dies sextus. » Quod in sex diebus opera sua Deum consummasse propheta retulerit non vacat a mysterio, ut videlicet perfectioni operum ipsa quoque numeri attestaretur perfectio : hic quippe numerus qui senarius dicitur inter eos numeros qui perfecti dicuntur primus occurrit. Tres quippe numerorum species secundum computationem partium suarum distinguuntur; quum videlicet alii perfecti, alii abundantes, alii dicantur diminuti. Perfecti vero sunt quorum partium computatio summæ totius adæquatur : verbi gratia, senarius mediam partem habet ternarium, tertiam binarium, sextam unitatem : quibus quidem ad invicem ita junctis ut dicas, unus, duo, tres, solum perficit senarium. Abundantes vero numeri dicuntur quorum computatio partium ipsos excedens majorem reddit numerum, ut duodenarius : hujus quippe senarius media pars est, quaternarius tertia, ternarius quarta, binarius sexta, unitas duodecima; quæ

omnes ad invicem conjunctæ sedecim faciunt, qui profecto numerus duodenario major est. Diminuti vero sunt quorum partibus computatis et sibi conjunctis summa totius reddi non potest, ut est octonarius : hic quippe numerus mediam partem habet quaternarium, quartam binarium, octavam unum; quæ simul junctæ septenarium faciunt, quem octonario minorem esse constat.

« Igitur perfecti sunt. » Quia videlicet elementa, ut dictum est, creata sunt atque disposita, et sideribus, plantis, animantibus adornata : igitur non solum facta in creatione, sed etiam perfecta sunt in sua dispositione. Ornatus eorum dicit non saltem quæ sunt in eis, verum etiam quæ sunt ex eis, non spiritales scilicet, sed corporales substantias, quæ maxime ad commendationem mundi pertinent per hoc quod ex eo initium habent. « Omnis ornatus eorum. » Tam cœli videlicet, sicut sidera, quam terræ vel aqua, sicut plantæ vel animalia.

« Quod fecerat. » Sex scilicet præcedentibus diebus. Sed quomodo tunc opus suum complevit et non in sexta die, si tunc nihil fecit? Unde septimum diem intelligimus totum futurum sæculi tempus, quo multiplicare non cessat species creatas in aliquo rerum numero ex natura earum jam præparatarum, juxta illud Veritatis [1] : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor : » Tanquam si diceret : Sicut ille nondum operari cessat, quotidie scilicet multiplicando quæ primo facta sunt; sic nec ego pariter cooperari tanquam coæterna ejus sapientia, per quam omnia facit.

« Et requievit. » Cessando scilicet, sicut statim exponit, a speciebus quas creaverat, non a numero rerum in eis multiplicandarum : nulla quippe de speciebus illis postmodum peritura erat, ut ad eam reparandam non sufficeret per se natura jam præparata, sicut et ad individua specierum multiplicanda. Etsi enim ponamus phœnicem speciem esse, vel aliquas species herbarum vel florum quandoque deperire : jam tamen ita natura ex primordialibus causis est præparata, ut ad hæc restauranda sufficiat. Bene itaque dicit « quod patrarat, » scilicet in speciebus, non quod multiplicaturus erat in numero individuorum. Quamvis enim mulus inter species animalium creatus non fuerit, vel vermes multi ex aliqua putredine vel corruptione postmodum nati, in ipsis tamen speciebus prædictis seminarium habuerunt et vim quamdam futuræ suæ creationis. Animæ vero licet ex animabus per traducem non propagentur; quia tamen jam species animæ creata fuerat, non impedit earum quotidiana multiplicatio dici Deum requievisse ab universo, etc.

« Benedixit et sanctificavit. » Id est cæteris prætulit diebus, et in celebrationem ipsum constituit.

[1] Joan., cap. v, v. 17.

« Cessaverat. » Quod dicit « cessaverat, expositio est ejus quod dixerat « requievit, » ne forte a labore ipsum quievisse arbitraremur.

« Creavit. » In verbo, ut faceret in opere juxta illud, « dixit et facta sunt. » Et attende quod non ita de septima die, sicut de cæteris dicitur, quia factum est vespere et mane dies septimus. Non enim in eo sicut in cæteris aliquid fecisse Deus memoratur, sed tantum quievisse, nec opera multiplicationis quæ in hoc septimo die fuerunt quotidie usque ad consummationem sæculi complebuntur.

Quoniam ea quæ prædicta sunt juxta radicem historiæ ac veritatem rei gestæ quantum valuimus prosecuti sumus, juvat morali quoque ac postmodum mystica expositione nos eadem perquirere. Moralis itaque dicitur expositio quoties ea quæ dicuntur ad ædificationem morum sic applicantur, sicut in nobis vel a nobis fieri habent quæ ad salutem necessaria sunt bona, veluti quum de fide, spe, et caritate, vel bonis operibus expositione nostra lectorem instruimus. Mystica vero dicitur expositio, quum ea præfigurari docemus, quæ a tempore gratiæ per Christum fuerant consummanda, vel quæcumque historia futura præsignari ostenditur.

MORALITAS.

Confusio illa cœli et terræ prius creata in materia, et nondum in creatam partium distinctionem redacta, homo est ex superiori et inferiori substantia constans, id est ex anima et corpore : sed adhuc quasi informis et moribus incompositus, nondum carne spiritui sicut oportet subjugata, imo magis spiritui dominante, atque ita naturalem ordinem confundente ac perturbante, donec divina gratia animalem hunc hominem in spiritalem transferat atque formet, sicut illam quasi brutam atque confusam elementorum congeriem postmodum ordinavit. Cui videlicet confusioni, quæ per fluidum elementum aquæ iterum figuratur, spiritus incumbit, dum de homine adhuc animali spiritalem efficere divina bonitas disponit : et sic quodammodo illam confusionem more avis incumbentis fovet, ut inde quasi pullum producat, dum veterem adhuc hominem in novum reformare parat. Quod quidem efficit primo lucem fidei inspirando, postmodum spem, deinde caritatem, tandem in operibus caritatis eum consummando, ut non solum sibi, sed etiam aliis vivat, nec tantum in se bonus sit, verum etiam alios bonos efficiat tam exemplo operum, vel beneficiis collatis, quam doctrina prædicationis. Creatio itaque lucis illuminatio est fidei, quam Spiritus sanctus his quibus vult inspirans ædificium animæ spiritale ab hoc inchoat fundamento, sine quo, ut ait Apostolus, impossibile est placere Deo. Unde et bene post creationem illam cœli et terræ lucem factam esse propheta statim commemorat. Post fidem autem spes sequitur, quæ hominem prius per concupiscen-

tiam ad terrena defluentem, dum variis ducitur desideriis, jam quasi a terrenis ad cœlestia sustollit, et in eis ejus animum ad multa primitus discurrentem firmat ac stabilit, et contra quaslibet adversitatum procellas quasi anchora navem conservat, et ad quælibet toleranda vel aggredienda desiderio cœlestium corroborat. Quod bene superior aquarum suspensio facta secundo die figurat, quæ per interpositionem cœli sursum firmiter est stabilita. Tertio die recedentibus aquis, vel per meatus quosdam terræ submissis, exsiccatur terra et arida fit, quia igne caritatis anima succensa, dum carnem spiritui subjicit, a fluxu vel desideriis carnalium concupiscentiarum hoc calore siccata quodammodo fit arida, ut jam fit de illis locis inaquosis, per quæ diabolus suggestionibus suis transiens requiem non invenit, quia talem animam per concupiscentias ad consensum non trahit. Ut autem talis anima per opera etiam consummetur, primum terra producit plantas, postea luminaria in firmamento posita lucem ministrant. Terra itaque, ut dictum est, arefacta plantas producit, quum anima quælibet caritatem qua fervet interius in exhibitione corporalium operum ostendit. Quæ si in tantam perfectionem excreverit, ut verbo quoque prædicationis alios ædificare atque illuminare possit, luminaria fuerit in cœlo, id est verba prædicantis in ecclesia minorum et quasi adhuc terrenorum fuerit illuminatio, et hoc est illuminent terram. Nec solum in die, verum etiam in nocte, quia tam in prosperitate quam in adversitate infirmis mentibus prædicatio necessaria est, ne per hanc extollantur, vel per illam frangantur. Qualibus quidem luminaribus non solum exemplo, sed etiam verbo alios ædificantibus Apostolus ait[1]: « Inter quos lucent tanquam luminaria. » Et Veritas ipsa[2]: « Vos estis lux mundi. » Hoc igitur viro perfecto tum luce operum tum etiam documento prædicationis alios ædificante, parit undique mundus animantia, tam volatilia scilicet, quam gressibilia, sive reptilia; hoc est, trium ordinum fideles, continentes videlicet, rectores, seu conjugatos. Denique homo ille extra paradisum creatus in paradisum transfertur, dum his qui in hac vita tantis bonis per gratiam Dei floruit ad patriam cœlestem de hoc exsilio transfertur, pro meritis primo ad sabbatum, deinde ad octavam perveniens.

ALLEGORIA.

Sex ætates sæculi senarius iste dierum quibus mundus perfectus est atque adornatus exprimit. Prima ætas sæculi quasi ejus infantia est ab Adam usque ad Noe. Inde secunda usque ad Abraham quasi pueritia. Deinde tertia ad David tanquam adolescentia. Postea quarta usque ad transmigrationem Babylonis

[1] *Philip.*, cap. II, v. 15. — [2] Matth., cap. V, v. 14.

quasi juventus, id est virilis ætas. Inde quinta usque ad Christum tanquam senectus. Denique sexta usque ad finem sæculi tanquam senium vel decrepita ætas.

Confusa itaque illa nec adhuc distincta congeries elementorum primam mundi ætatem sine lege et disciplina incultam et rudem bene figurat; quæ infantia mundi vocatur : et bene infantia necdum ex documento legis verba Dei formare valens, sicut infantes nondum loqui sufficiunt. Deleta hæc est ætas diluvio, sicut eorum memoria quæ in infantia geruntur per oblivionem delentur.

Secunda ætas diluvio non deletur, quum quisque eorum quæ in pueritia gesserit recordari valeat. In hac ætate arca in diluvio fideles conservavit, et quasi firmamentum aquis interpositum eos ab aquis desuper compluentibus et ab aquis inferius inundantibus illæsos custodivit.

Tertia ætate lex data est, quæ fluxum carnalis concupiscentiæ ab antiquo populo timore pœnarum coerceret, sicut die tertia ab inferioribus aquis terra est exonerata, et statim germinans terrenam sobolem in herbis et arboribus produxit, quia populus antiquus terrena potius quam cœlestia desiderans, terrenam accepit promissionem, et terrenis maxime desideriis adhærens, quasi terrena generatio fuit, atque terræ totus innitens, et in terrenis vitam suam constituens.

Quarta die facta luminaria lucem prophetarum post legem significant longe apertius de Christo loquentium quam lex antiqua fecerat, sicut dicit Daniel[1] : « Pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia tam in viris, ut in Samuele, Nathan, quam in feminis sicut in Anna. » Proprie namque a tempore Samuelis tempus prophetarum incepit, sicut in Actibus Apostolorum, ubi scriptum est[2]: « Et omnes prophetæ a Samuel et deinceps, etc., » diligenter exprimitur. Beda etiam attestante, dum locum illum exponeret dicens : « Quamvis patriarchæ et sancti priorum temporum multa de Christo dictis factisque prophetaverint, tempus tamen proprie prophetarum, eorum dico qui de Christi ecclesiæque mysterio manifeste scripserunt, a Samuele exordium sumpsit, et usque ad Babylonicæ captivitatis solutionem permansit. »

Quinta ætas quasi senium mundi, defectum præteritorum bonorum designat, quum jam patriarchæ et prophetæ præteriissent, atque unctio ad alienigenam transferretur, non jam pristino ritu sacrificium celebraretur, quod etiam Babylonica captivitas abstulerat. In hoc quidem senio jam mundo languescente missus est Salvator, qui veterem renovaret hominem, baptismum prædicaret : in

[1] *Dan.*, cap. XII, v. 4. — [2] *Act. Apost*, cap. III, v. 24.

quo quidem baptismo homines veterem hominem deponentes, et novum induentes, sicut scriptum est[1] : « Quicunque baptisati estis, Christum induistis, » quasi ex aquis animalia producta sunt.

Sexta ætate homo renovatus in paradiso collocatur, quia post passionem Domini tantum aditus cœlestis hominibus patuit, ut primo sabbatum in anima postmodum octavam in corpore simul et anima celebret. Unde et latroni dictum est[2] : « Hodie mecum eris in paradiso, » ut in hac ætate tantum cœlum hominibus patere ostenderet.

« Istæ generationes. » Quasi diceret, bene dixi, « cessaverat, » quia istæ sunt non aliæ postmodum ex aliqua nova naturæ præparatione futuræ. « Generationes cœli et terræ. » Id est species rerum factæ materialiter ex elementis per cœlum et terram, ut diximus, primo significatis.

« Quando creatæ sunt. » Id est primum factæ istæ scilicet generationes ante hunc septimum diem quo multiplicantur quotidie.

« In die. » Id est in tempore illo sex præcedentium dierum.

« Quo fecit Dominus cœlum et terram. » In hebræo est ordo commutatus ita : « Quo fecit Dominus terram et cœlum ; » quum in principio dictum sit e converso, quia creavit cœlum et terram. Ex quo innuitur ex hac commutatione ordinis varietas quædam significationis ad prædictas scilicet generationes comprehendendas. Per terram quippe et cœlum animalia, per virgultum et herbas comprehendit plantas. Animalia quippe, quia vivificationem non ex humore sicut plantæ, sed ex spiritu habent, juxta quod Gregorius tres vitales spiritus distinguit, per terram et cœlum hoc loco insinuantur, quum ex corporea et gravi substantia constent secundum corpus, et ex spiritali et levi secundum animam. Et quia corpora prius formata sunt quam spiritus infunderentur, bene hic terram prius quam cœlum nominavit. Ubi et de stellis innuere videtur, si omnia comprehendit facta ex elementis, quosdam spiritus et illis inesse quo possint animalibus et connumerari, sicut philosophi asserunt, et beatus Augustinus adeo sibi esse incertum profitetur, ut se ignorare dicat, utrum sol et luna ad societatem angelorum pertineant, sicut et supra meminimus.

« Virgultum agri. » Id est agreste adhuc et nondum cultum ab hominibus vel insertum sicut nunc vel aliqua cura hominum custoditum.

« Oriretur in terra. » Id est fructificaret per universas terras dispersum sicut nunc ex irrigatione imbrium proficiens.

« Religionis. » Pro quo in hebræo est « agri, » sicut superius ; quasi diceret incultam adhuc nec ex propagine et ope imbrium multiplicatam sicut nunc. Unde et subditur:

[1] *Rom.*, cap. VI, v. 3. — [2] Luc., cap. XXIII, v. 43.

« Non enim. » Id est, nondum pluvia facta fuerat, ex qua tunc quoque sicut nunc per universum mundum hæc multiplicatio fieret, homine tunc terram sicut nunc excolente, quum nec ipse homo qui terram operaretur tunc esset. Quod statim annectit dicens : « Et homo non erat. » Non dicit simpliciter : Non erat, quum ipse quoque inter generationes cœli et terræ superius sit comprehensus et factus esse monstretur; sed non erat ad operandum terram, quia nondum ei necessaria erat laboriosa cultura, quam postmodum in pœnam peccati accepit, et quam nunc ubique terrarum exercet.

« Sed fons. » Ne quis forte requireret unde ergo humorem quo nutrirentur vel conservarentur plantæ habebant, quum pluvia non esset, respondet, quia de imo aqua tenuis conscendens more fontis irrigabat eas mundi partes in quibus plantæ dispersæ erant. Et attende quod quum superius per septem dies Deus tantum vocatus sit, non etiam Dominus appellatus; hic tamen ubi generationes cœli et terræ completas commemorat, eum non solum Deum, sed et Dominum vocat, et deinceps frequenter Domini vocabulo ipsum designat. Hoc quippe nomen Dominus nonnisi ex creaturis quibus dominari et præesse habet convenit, nec ex quibusdam tantum creaturis, sed ex omnibus simul. Unde post consummationem omnium ipsum tantum poni congruum visum est.

« Formavit igitur. » Hoc et ad illud respicit quod sexto die præmissum est de hominis creatione, quum dicitur : « Et creavit Deus hominem, etc. » Ibi quippe quod creatus sit homo tam masculus quam femina præmissum est, sed modus creationis expressus non est : quod hic diligenter aperit docendo scilicet corpus viri de limo terræ prius formatum esse, ac deinde animam infundi; feminam vero non per se creatam esse, sed de viro assumptam, ut sequentia docent. Continenter dixi hominem creari, sed modum creationis non expressi, igitur nunc faciam. Et hoc est quod nunc agit dicens : « Formavit hominem, » id est humanum corpus in effigiem istam quam nunc habemus composuit.

« De limo terræ. » Id est de terra humida et quasi compacta non dissoluta, et sic corpori jam creato infudit animam. Ex quo patenter innuit, animam humanam ex ipso modo creationis dissimilem a cæteris animabus esse. In creatione quippe cæterorum animantium dictum est terram vel aquam ea cum corpore simul et anima produxisse : ex quo innuitur illorum animas ex ipsis etiam elementis esse quasi quamdam eorum raritatem vel subtilitatem, pro qua scilicet subtilitate illæ quoque animæ spiritus dicuntur, sicut et ventus nonnunquam spiritus appellatur, comparatione terræ et aquæ, quæ grossioris et corpulentioris substantiæ sunt. Diligenti etiam vocabulo utitur, quum dicit hominem de humo formari potius quam creari. Ubi enim de materia aliquid fit forma ei su-

peraddita, formari proprie dicitur. Isidorus, *Etymol.,* lib. XI, cap. I : « Homo dictus est, quia ex humo est factus, sicut et in Genesi dicitur : « Et creavit « Deus hominem de limo terræ. » Abusive tamen pronuntiatur ex utraque substantia totus homo, id est ex societate animæ et corporis, nam proprie homo ab humo. » Item : « Duplex est autem homo, interior et exterior : interior homo, anima; exterior homo, corpus. » Idem : « Anima hominis non est homo, sed corpus quod ex humo factum est, id tantum est homo. » Beda, *supra Genesim* lib. II. Et vocavit nomina eorum Adam in die quo creati sunt. Adam interpretatur homo, ut utrique sexui possit aptari. Unde recte dicitur : « Vocavit nomina eorum Adam, » id est homo. Sicut homo latine ab humo, ita apud Hebræos Adam a terra nominatur. Unde et terrenus sive terra rubra potest interpretari. Porro apud Græcos homo aliam habet etymologiam. Vocatur enim ἄνθρωπος ab eo quod superna spectari et ad cœlestia contuenda debeat mentis oculos attollere. »

« Inspiravit spiraculum vitæ. » Id est quasi per se non de aliquo materiali primordio dedit animam corpori jam formato, ut ipsa videlicet anima ex solo Deo tanquam principio non ex alia primordiali causa esse haberet. « Spiraculum vitæ » dicit ad differentiam flatus venti, qui et spiraculum dicitur, sed non vivificans, sicut et anima nonnunquam flatus dicitur, juxta illud Isaiæ[1] : « Flatum omnem ego feci. » Hinc quoque anima recte flatui sive spiraculo comparatur, quia maxime an in corpore sit exspirando vel flando apparet, quum sine his vita non possit in animalibus conservari.

« In faciem ejus. » Spiraculum, inquam, in faciem ejus, hoc est, hominis factum, ut videlicet anima illa sola non cæterorum animantium notitiam sive scientiam per rationem haberet. Facies quippe qua unusquisque cognoscitur notitiam significat.

« Et factus est. » Id est, ita consummatus est homo.

« In animam viventem. » Id est, per talem animam quæ semper vivat, quum defectum non habeat.

« Paradisum voluptatis. » Id est, hortum delectabilem, ut non solummodo ex dignitate creationis suæ quantum Deo debeat homo attenderet, verum etiam ex amœnitate et delectabilitate loci electi ex universo mundo in quo est positus. De quo quidem loco scriptum est, quod nonnulli volunt, quod in orientali parte orbis terrarum sit locus paradisi, quamvis longissimo interjacente spatio vel Oceani vel terrarum a cunctis regionibus quas nunc humanum genus incolit secretum. Unde nec aquæ diluvii, quæ totam nostri orbis superficiem altissime

[1] Isaiæ cap. LVII, v. 16.

cooperuerunt, ad eum pervenire potuerunt. Quod quidem ex eo maxime videtur, quod Enoch ante diluvium in paradisum translatus submergi non potuit. Hieronymus, *Hebraicarum Quæstionum in Genesim* : « Paradisum a principio, etc. » Ex quo manifestissime comprobatur quod priusquam cœlum et terram Deus faceret, paradisum ante condiderat. Et legitur in hebræo : « Plantaverat autem Dominus Deus paradisum in Eden a principio. » Isidorus, *Etym.* lib. XIV, cap. III, de Asia in qua est paradisus : « Paradisus est locus in Orientis partibus constitutus, cujus vocabulum ex græco in latinum vertitur *Hortus* : porro hebraice *Eden* dicitur, quod in nostram linguam *Deliciæ* interpretatur. » Quod utrumque junctum facit Hortum Deliciarum. Est enim omni genere ligni et pomiferarum arborum consitus, habens etiam lignum vitæ. Non ibi frigus, non æstus, sed perpetua aeris temperies. E cujus medio fons prorumpens totum nemus irrigat, dividiturque in quatuor nascentia flumina. Cujus loci post peccatum homini aditus interclusus est. Septus est enim undique romphæa flammea, id est muro igneo accinctus, ita ut ejus cum cœlo pene jungatur incendium. Cherubim quoque, id est angelorum, præsidium arcendis spiritibus malis super rompheæ flagrantiam ordinatum est, ut homines flammæ, angelos vero malos angeli submoveant, ne cui carni vel spiritui transgressionis aditus ad paradisum pateat. Quod vero ait « a principio, » subaudit plantationis; innuit ante cæteras plantas ipsum fuisse : quo aliquid delectabilitatis præ cæteris locis haberet quando in ipsum homo introduceretur, tanto diligentius ante præparatus, quanto amplius temporis impenderetur ejus præparationi.

« Posuit hominem quem formaverat. » Id est virum, cujus formatio jam prædicta est. Vir quippe extra paradisum factus de limo terræ in paradisum translatus est : mulier vero in paradiso de viro creata est, quæ tamen virum et se pariter de paradiso ejecit, sicut sequentia manifeste tradunt. Ex quo patenter innuitur, non tam loca quam mores ad salutem pertinere, quum mulier in meliori loco facta deterior in seductione fuerit.

« Produxitque. » Quare dixerit, « voluptatis, » assignat. « Pulchrum visu et ad vescendum suave, » ut visu delectaret, et gustus suavitate reficeret.

« Lignum etiam vitæ. » Quum dixerit omne lignum, quid est quod dicit de istis duobus lignis etiam tanquam ipsa non fuerint de omnibus lignis visu et gustu delectabilibus, maxime quum de ligno in quo transgressio facta est scriptum sit in sequentibus, quia vidit mulier quod bonum esset lignum et delectabile? Sed profecto non pro diversitate lignorum dictum est « etiam, » sed pro diversitate loci ubi hæc duo ligna constituit et sibi conjunxit, id est medio paradisi, non in circuitu sicut cætera. Quum enim dixisset quia protulit terra in paradiso ligna cætera sicut et ista, nequaquam distinxit quomodo ponerentur,

vel qua dispositione sibi aptarentur. Quod nunc facit quum hæc in medio, illa circum posita describit. Lignum vitæ dicit quod ad vitam conservandam et corporis incolumitatem sine defectu senii quasi pro medicamento illis creatum et concessum fuerat. Unde et in sequentibus de ipsis post peccatum a paradiso ejectis scriptum est : « Ne forte sumat de ligno vitæ et vivat in æternum. » Et rursum : « Collocavit ante paradisum cherubin ad custodiendam viam ligni vitæ. » Cætera vero ligna in esum quotidianum habebant ad sustentationem vitæ, et corporis refectionem, non ad medicamenti sanitatem. Lignum vero scientiæ boni et mali dicitur, non ex eo quod accepisset in sua creatione, sed ex eo quod consecutum est in illis primis parentibus ex ea quam in eo fecerunt transgressione. Per hanc enim experimento ipso didicerunt quid inter bonum vitæ delectabilis quam prius habebant, et inter malum pœnæ quam incurrerunt, distaret quasi inter requiem et laborem.

« Lignumque scientiæ. » In medio simul paradisi cum ligno vitæ, ut dum hoc lignum quod melius est, et magis sibi necessarium, homo conspiceret sibi concessum, a transgressione alterius maxime revocaretur, si non amore Dei, saltem retinendi tanti beneficii in ligno vitæ constituti. Quale autem hoc lignum fuerit in quo transgressi sunt, nulla definitum est Scripturæ auctoritate. Nonnullis tamen visum est quod ficus fuerit, ex eo præcipue quod postmodum referantur illi parentes de foliis ficus perizomata sibi consuisse. Unde et illud quod Dominus respondit Nathanael quærenti unde eum nosset, dicens[1] : « Quum esses sub ficu vidi te, » ita intelligi volunt, tanquam si Dominus diceret : Non modo mihi primum notus esse cœpisti, quem a principio in primis parentibus per seminarium exsistentem per præscientiam novi. Sic enim et Levi in lumbis Abrahæ fuisse Apostolus dicit. Hebræi autem hoc lignum scientiæ boni et mali autumant vitem fuisse, et sic ligno vitæ in medio paradisi appositam, sicut nunc sæpe videmus, vitem ab ulmo sustentari et ei quasi in uno corpore colligari. Hinc etiam vitem lignum scientiæ boni et mali dici assignant, quod ex fructu ejus vinum productum moderate vel immoderate sumptum hominem reddat scientem bonum vel malum, id est bono vel malo sensu eum esse faciat : cujus scilicet ingenium vel acuit vel pervertit. Unde et uvam esse fructum illum intelligunt, in quo priores patres prævaricati sunt, juxta illud prophetæ[2] : « Patres nostri comederunt uvam acerbam, » id est fructum quo acerbitatem pœnæ incurrimus. Quod statim determinans ait : « Et dentes filiorum obstupuerunt, » id est pœna in posteros traducta perseverat. Cui fortassis opinioni illud quoque non incongrue attestari videtur, quod post esum hujus ligni statim senserunt incentiva libidinis.

[1] Joan., cap. I, v. 48. — [2] Jerem., cap. XXXI, v. 29.

Calidæ quippe naturæ fructum hunc vel vinum hinc expressum esse constat, et in luxuriam maxime commovere, juxta illud Apostoli[1] : « Nolite inebriari vino in quo est luxuria. » Secundum quem etiam luxuriæ motum in primis illis hominibus inde factum, de quo erubescentes virilia texerunt, non incongrue videtur dictum, scientiæ boni et mali fuisse illud lignum. Denique hujus ligni gustum, in quo Adam excedens tam se quam posteros pœnæ addixit, in tantum posteritas ejus postmodum abhorruit, vel vitare decrevit, ut ante diluvium nemo vinum attigisse credatur, quasi memor pœnæ quam ex contractu incurrerat vetiti fructus. Post diluvium Noe plantata vinea, quasi supradictæ transgressionis immemor, inebriatus vino memoratur, et statim genitalibus suis denudatis turpitudo ejus apparuit. Sic et in primis parentibus factum fuerat, qui post commissum vetitæ arboris gustum nudati referuntur, et de sua nuditate mox erubuisse, et ad tegenda pudenda statim festinasse, sicut et de Noe duo ejus filii curaverunt, tertio patrem irridente.

« Et fluvius. » Id quoque ad describendam amœnitatem loci pertinet, ut cum arboribus jocunditas quoque fluvii incolas illos oblectaret.

« De loco voluptatis. » Hoc est de ipso paradiso, non de foris influens, sed de ipso paradiso intus nascens, ut omnia in se necessaria continere monstretur non aliunde accipere.

« Ad irrigandum. » Et virorem perpetuum ei conferendum, ut nulla ibi pluvia esset necessaria.

« Inde. » Unde videlicet de terra egrediens emergebat, vel de ipso paradiso quum exterius egrederetur, quamvis in ipso paradiso quasi unus esset fluvius.

« In quatuor capita. » Id est, in origines quatuor fluviorum hæc fit divisio. Ubi enim divisio hæc incipit, inde habent flumina distingui, quia ante hanc divisionem tota illa aqua per unum alveum discurrens fluvius unus dicenda est, sive fons unus et origo illorum quatuor fluviorum.

« Nomen uni. » Videlicet capiti horum quatuor. Sicut enim fluvius quislibet horum quatuor a capite suo habet distingui, ita et a capite habet nominari, quia usque ad initium illius divisionis tota illius fluvii aqua sic vel sic nominatur donec mare ingreditur.

« Ipse est. » Hoc pronomem relativum « ipse, » quum sit masculini generis secundum proprietatem constructionis, reducendum est ad hoc nomen « Phison, » non ad illud quod præmissum est, uni videlicet capiti.

« Omnem terram. » Pro majori parte dicit, quum nullus fluvius aliquam omnino terram circuire possit, quum nullatenus per illam partem, qua influit, effluere possit.

[1] *Ephes.*, cap. v, v. 18.

« Evilat. » Id est, India, quæ inde habet hoc nomen, quod post diluvium possessa sit ab Evila filio Jectan, filii Heber, unde Hebræi. Plinius dicit Indiæ regiones auri venis præ cæteris abundare terris.

« Bdellium » est arbor aromatica colore nigra, lacryma ejus lucida, gustu amara, boni odoris, sed vino perfusa odoratior.

« Onyx, » lapis pretiosus ita appellatus, quod in se habet permixtum colorem vel in similitudinem unguis humani. Græci enim unguem ὄνυχον dicunt. Antiqua translatio habet pro his, « carbunculus et lapis prassinus. » Carbunculus est lapis ignei coloris, qui noctis tenebras illustrat. Prassinus viridis aspectus. Unde et a porro nomen accepit, quod a Græcis πρᾶσον dicitur. Quum laudem cujuscumque fluvii de paradiso egredientis prosequitur, in commendationem hujus loci redundare videtur, tanquam ex loco nativitatis suæ trahat, quod his bonis abundet. Et nota quod ad majorem horum fluviorum notitiam non solum ex nominibus suis eos distinguit, verum etiam ex locis terrarum ad quæ perveniunt, ut ex utilitate ipsorum ibi præcipue cognita amplius commendentur. Quum dicit de his fluminibus unum, vel secundum, vel tertium seu quartum, non hoc juxta ordinem positionis eorum, sed magis narrationis accipiendum videtur, nisi forte quis dicat in prædicta quoque divisione ipsorum hunc ordinem haberi, ut alius alio prius dividatur in alveum suum ab ipsa origine nativitatis suæ.

« Ipse est Euphrates. » Hunc non ita describit ex locis per quæ discurrit sicut cæteros; quum, ut aiunt, vicinior atque notior populo Judæorum esset. Hæc flumina gentibus per quas fluunt notissima sunt. Duobus eorum vetustas nomina mutavit. « Gion » quippe ipse est qui nunc Nilus vocatur. « Phison » autem ille dicebatur quem nunc Gangen appellant. Duo vero Tygris et Euphrates antiqua nomina servaverunt. Sed movere potest quod de his fluminibus dicitur, aliorum fontes esse notos, aliorum prorsus ignotos, et ideo non posse accipi ad litteram quod ex uno fonte dividantur, quum potius credendum sit quoniam locus ille paradisi remotus est a cognitione hominum, qui in quatuor aquarum partes dividitur, sicut fidelissima scriptura testatur. Sed ea flumina quorum fontes noti dicuntur alicubi esse sub terris, et post tractus prolixarum regionum locis aliis erupisse, ubi tanquam in suis fontibus noti esse perhibentur. Nam hoc facere solere nonnullas aquas quis ignorat? Sic et illud Boetii absolvi judicant, quod libro V *de Consolatione* his verbis de Tygri et Euphrate dixit[1]:

Rupis Achemeniæ scopulis ubi versa sequentum
Pectoribus figit spicula pugna fugax,
Tygris et Euphrates uno se fonte resolvunt.

[1] *Consol. philos.* V.

Isidorus, *Etymol.* lib. XIII : « Gion vocatur quod incremento suæ exundationis terram Ægypti irriget. Γῆ græce latine terram significat. Hic apud Ægyptios Nilus vocatur propter limum quem trahit, qui efficit fecunditatem terræ : unde et Nilus dictus est quasi[1] Niahomon. Nam antea Nilus latine Melo dicebatur. » Ganges quem Scriptura « Phison » cognominat, pergit ad Indiæ regiones. Dictus est autem Phison, id est Caterva, quia decem fluminibus magnis sibi adjunctis impletur et efficitur unus. Ganges autem vocatur a rege Gangaro Indiæ. Fertur autem Nili modo exaltari et super Orientis terras erumpere. Tygris fluvius Mesopotamiæ pergens contra Assyrios post multos circuitus in mare Mortuum influit. Vocatur autem hoc nomine propter velocitatem instar bestiæ tygris nimia pernicitate currentis. Euphrates fluvius Mesopotamiæ copiosissimus gemmis per mediam Babyloniam influit. Hic a frugibus vel ab ubertate nomen accepit : nam hebraice *Euphrata fertilitas* interpretatur. Mesopotamiam etenim ita in quibusdam locis irrigat, sicut Nilus Alexandriam. Sallustius autem auctor certissimus asserit Tigrim et Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius dividantur spatio medio relicto multorum millium. Quæ tamen terra quæ ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur. Ex quo Hieronymus animadvertit aliter de paradisi fluminibus intelligendum. Beda, *de Natura Rerum* : « Nili flumine pro pluviis utitur Ægyptus, propter solis calorem imbres et nubila respuens : mense enim maio dum ostia ejus quibus in mare influit, zephyro flante, undis ejectis arenarum cumulis perstruuntur, paulatim intumescens, ac retro propulsus plana irrigat Ægypti ; vento autem cessante, ruptisque arenarum cumulis, suo redditur alveo. »

« Tulit ergo. » Quia videlicet tam delectabilis et amœnus erat ille locus paradisi. Commode vir extra paradisum factus est, et inde in paradisum translatus, ut tanto amplius amœnitatem paradisi concupisceret, ac retinere niteretur, quanto eam terræ illi exteriori qua conditus fuerat præcellere videbatur.

« Ut operaretur. » Id est ad excolendum ipsum paradisum, et per obedientiam servatam sibi custodiendum, ne videlicet per transgressionem expulsus eum amitteret. De quo autem præcepto deberet ibi obedire statim insinuat, quum ait :

« Præcepitque ei. » Non dicit « eis » pluraliter, sed « ei » singulariter, respiciens ad solum virum, quem dixit in paradiso translatum, quum tamen mulier postmodum fateatur sibi pariter ut viro Deum hoc præcepisse dicens : « De fructu ligni quod est in medio paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus. » Unde intelligendum est, quod quum hoc loco Dominus lignum illud viro interdi-

[1] Leg. Νέαν ἰλύδα.

cit, ad speciem hominis in illo communiter loquitur, non specialiter ad personam illam sermonem intendens, sed generaliter ad naturam humanam, id est penitus interdicens ne quis humanæ naturæ id præsumat. Sic et sacerdos cum aliqua aqua præsentem sanctificans dicens, « qui super te pedibus ambulavit, qui te in vinum convertit, » ad elementum aquæ non ad præsentem illam aquam sermo dirigitur. Sed quomodo verum est quod Deus hominem posuerit in paradiso ad hoc ut eum excoleret, ac sibi custodiret, quum hoc nullatenus sit consecutum, ut homo sibi eum custodiret. Duobus quippe modis dicimus aliquid fieri ut aliud inde contingat vel fiat, tum videlicet secundum intentionem, tum secundum effectum consecutionis. Veluti si de aliquo dicam, quia exiit ad bellum ut occideret, vel exiit ut occideretur, sicut illud intelligitur hac intentione factum ab illo ut alium occideret : sic istud ita factum ut eum occidi inde contingeret. At vero quum dicimus, quia posuit Deus hominem in paradiso ut eum sibi custodiret, nequaquam ipse hac intentione id fecit quod sciebat nequaquam futurum esse, neque ita ut illud inde contingeret. Ita ergo accipiendum est, « ut operaretur, etc. » ac si diceretur quia ponendo eum ibi, constituit eum cultorem et conservatorem illius loci, præcipiendo scilicet ei ut eum excoleret ac sibi conservaret : excoleret quidem eum delectatione magis aliqua ibi operando, sicut arbores ipsas vel herbas purgando, potius quam cum fatigationis labore.

Quæri etiam potest si hoc præceptum audibile fuit, qua lingua prolatum sit quam Adam intelligere posset, quum postmodum ipse referatur linguam invenisse, quum adductis ad se animalibus nomina illis imponeret. Sed scimus multa in Scripturis per intermissionem vel anticipationem extra ordinem rei gestæ nonnunquam narrari. Ecce enim superius sexto die tam viro quam femina creatis, sed nondum exposito modo illius creationis, postmodum repetitur illa creatio, ac sic diligenter et integre narratur, tanquam tunc tantum et non ante fieret. Sicut ergo ipsa prius facta postmodum iteratur propter intermissum scilicet ejus modum, ita et per anticipationem nonnulla hic referri extra ordinem non est improbandum, ut prius scilicet Adam voces instituerit ad loquendum, quam præceptum Domini audiret in illis vocibus quas ipse instituisset, ut eas intelligere posset, quibus et ipse postmodum loquens diceret : « Hoc nunc os ex ossibus meis, etc. » quibus et serpens cum muliere loqueretur, vel mulier cum serpente; et ipse rursum Dominus in increpatione peccati cum Adam et Eva, vel ipsi cum Domino. Ex quo profecto non minimum rationis habere videntur, qui illos primos parentes aliquibus annis in paradiso ante peccatum vixisse æstimant, quamvis nullum ibi filium genuerint. Non enim breve temporis spatium, ut cætera omittamus, ad unius linguæ inventionem sufficere poterat, nec sola inventio nominum quæ hic tantum commemoratur in his locutionibus continetur, quæ

in paradiso dici memorantur; imo e contrario nullum de nominibus animantium terræ vel volucrum quæ Adam imposuisse dicitur, in his locutionibus continetur. Quod autem pluribus annis in paradiso innocenter vixerint, præter rationem quam diximus, auctoritas Malachiæ prophetæ, cui plurimum in hoc beatus assentit Augustinus, astruere videtur. Unde idem doctor verba illa prophetæ inducens lib. *de Civ. Dei* XX, cap. XXVII : « Exponere, inquit, nos oportet quomodo sit accipiendum quod dictum est, « sicut in diebus pristinis « et sicut annis prioribus : » fortassis enim tempus illud commemorat, quo primi homines in paradiso fuerunt. Tunc enim puri atque integri ab omni sorde ac labe peccati seipsos Deo mundissimas hostias offerebant. Cæterum ex quo commissæ prævaricationis causa inde emissi sunt, atque humana in eis natura damnata est, excepto uno mediatore, et post lavacrum regenerationis quibusque adhuc parvulis, « nemo mundus a sorde, » sicut scriptum est [1], « nec in-« fans cujus est unius diei vita super terram. » Quod si respondetur, etiam eos merito dici posse offerre hostias in justitia, qui offerunt in fide, « justus » enim « ex fide vivit [2]; » quamvis seipsum seducat, si dixerit se non habere peccatum, et ideo dicat nunc quia ex fide vivit. Numquid dicturus est quispiam hoc fidei tempus illi fini esse coæquandum, quando igne judicii novissimi mundabuntur qui offerrent in justitia. Ac per hoc quoniam post talem mundationem nullum peccatum justos habituros esse credendum est, profecto illud tempus, quantum attinet ad non habere peccatum, nulli tempori comparandum est, nisi quando primi homines in paradiso ante prævaricationem innocentissima felicitate vixerunt. Recte itaque intelligitur hoc significatum esse quum dictum est, « sicut « diebus pristinis et sicut annis prioribus. » Nam et per Isaiam postea quam cœlum novum et terra nova promissa est, inter cætera quæ ibi de sanctorum beatitudine per allegorias et ænigmata exsequitur, quibus expositionem congruam reddere nos prohibuit, vitandæ longitudinis cura, « secundum dies, » inquit [3], « ligni vitæ erunt dies populi mei. » Quis autem sacras litteras attigit, et ignorat ubi Deus plantaverit lignum vitæ, a cujus cibo separatis illis hominibus, quando eos sua de paradiso ejecit iniquitas, eidem ligno circumposita est ignea terribilisque custodia. Quod quisquam illos dies ligni vitæ, quos commemoravit propheta Isaias, istos qui nunc aguntur ecclesiæ dies esse contendit, ipsumque Christum lignum vitæ prophetice dictum, quia ipse est sapientia Dei de qua Salomon ait [4] : « Lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam, » nec annos aliquos egisse in paradiso illos primos homines, unde tam cito ejecti sunt, ut ibi nullum gignerent filium, et ideo non posse illud tempus intelligi in eo quod di-

[1] *Job*, cap. XIV, v. 4. — [2] *Rom.*, cap. I, v. 17. — [3] Isaiæ cap. LXV, v. 22. — [4] *Prov.*, cap. III, v. 18.

ctum est « sicut diebus pristinis et sicut annis prioribus » istam prætereo quæstionem ne cogar, quod prolixum est, cuncta discutere, ut aliquid horum veritas manifestata confirmet. Video quippe alterum sensum, ne dies pristinos et annos priores, carnalium sacrificiorum nobis pro magno munere per prophetam præmissos fuisse credamus. Hostiæ namque illæ veteris legis in quibusque pecoribus, quæ immaculatæ ac sine ullo prorsus vitio videbantur offerri, significabant homines sanctos, qualis solus inventus est Christus sine ullo omnino peccato. » Ut tamen his quoque satisfacere laboremus qui primos parentes nec unius diei spatium in paradiso peregisse volunt, fortassis aliquibus signis ibi pro voce usus est Dominus, quorum intelligentiam facile fuit ei inspirare homini. Nam et serpens non verbis, sed sibilo mulieri locutus fuisse creditur, tantæque sagacitatis illi primi parentes exstitisse, ut ex sibilo serpentum vel vocibus avium affectus eorum cognoscerent. Quod si ita ponamus, nullatenus cogimur profiteri Adam instituisse linguam in paradiso : sed hoc per anticipationem quod extra paradisum factum sit prophetam retulisse.

« Ex omni. » Solummodo id quod sequitur, « de ligno vero scientiæ, etc. » videtur ad præceptum pertinere. Quod vero præmittitur « ex omni ligno, » concessio potius quam præceptio videtur. Non enim rei essent, si non de omnibus aliis lignis comederent, quando in paradiso fuerunt. Unde et mulier respondens serpenti, de ligno tantum quod est in medio paradisi se accepisse præceptum solummodo dicit.

« In quacumque. » Comminatione pœnæ ad obedientiam eum adhortatur dicens, quod quacumque die lignum illud vetitum attingat, ex morte animæ id est peccato tunc commisso, mortem postmodum corporis incurret : quasi geminam mortem. *Reliqua desunt.*

MAGISTRI

PETRI ABÆLARDI

EPISTOLA ET FIDEI CONFESSIO

AD HELOISSAM.

Quum theologicæ Abælardi opiniones, vituperatæ primum in Suessionensi concilio, rursus in synodo Senonensi, graviori quidem judicio, fuissent condemnatæ, animo fractus tandem noster ad Heloissam misit epistolam quæ suprema fuisse videtur; etenim paulo post ab hominibus se removit, recessitque in Cluniacense monasterium, ubi vitam in silentio et precibus consummavit. Ea quidem epistola non integra ad nos pervenit; sed illius fragmentum nobis servavit Abælardi discipulus Berengarius Pictaviensis, in *Epistola Apologetica* contra divum Bernardum; quam ad calcem nostri secundi voluminis sepositam, si placet, legas.

Soror mea Heloissa, quondam mihi in sæculo cara, nunc in Christo carissima, odiosum me mundo reddidit logica. Aiunt enim perversi pervertentes, quorum sapientia est in perditione, me in logica præstantissimum esse, sed in Paulo non mediocriter claudicare. Quumque ingenii prædicent aciem, christianæ fidei subtrahunt puritatem. Quia, ut mihi videtur, opinione potius traducuntur ad judicium, quam experientiæ magistratu. Nolo sic esse philosophus, ut recalcitrem Paulo; non sic esse Aristoteles, ut secludar a Christo. Non enim aliud nomen est sub cœlo, in quo oporteat me salvum fieri. Adoro Christum in dextera Patris regnantem. Amplector eum ulnis fidei in carne virginali de Paracleto sumpta gloriosa divinitus operantem. Et ut trepida sollicitudo, cunctæque ambages a corde tui pectoris explodantur, hoc de me teneto, quod super illam petram fundavi conscientiam meam, super quam Christus ædificavit ecclesiam suam. Cujus petræ titulum tibi breviter assignabo. Credo in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; unum naturaliter et verum Deum : qui sic in personis ap-

probat Trinitatem, ut semper in substantia custodiat unitatem. Credo Filium per omnia Patri esse coæqualem, scilicet æternitate, potestate, voluntate et opere. Nec audio Arium, qui perverso ingenio actus, imo dæmoniaco seductus spiritu, gradus facit in Trinitate, Patrem majorem, Filium dogmatizans minorem, oblitus legalis præcepti[1]: « Non ascendes, inquit lex, per gradus ad meum altare. » Ad altare quippe Dei per gradus ascendit, qui prius et posterius in Trinitate ponit. Spiritum etiam sanctum Patri et Filio consubstantialem et coæqualem per omnia testor, utpote quem bonitatis nomine designari volumina mea sæpe declarant. Damno Sabellium, qui eamdem personam asserens Patris et Filii, Patrem passum autumavit; unde et *Patripassiani* dicti sunt. Credo etiam Filium Dei factum esse Filium hominis, unamque personam ex duabus et in naturis duabus consistere. Qui post completam susceptæ humanitatis dispensationem passus est et mortuus, et resurrexit, et ascendit in cœlum, venturusque est judicare vivos et mortuos. Assero etiam in baptismo universa remitti delicta; gratiaque nos egere, qua et incipiamus bonum, et perficiamus, lapsosque per pœnitentiam reformari. De carnis autem resurrectione quid opus est dicere, quum frustra glorier me christianum, si non credidero resurrecturum? Hæc itaque est fides in qua sedeo, ex qua spei contraho firmitatem. In hac locatus salubriter, latratus Scyllæ non timeo, vertiginem Charybdis rideo, mortiferos Sirenarum modulos non horresco. Si irruat turbo, non quatior. Si venti perflent, non moveor. Fundatus enim sum supra firmam petram.

EPISTOLA

ADVERSUS EOS, QUI EX AUCTORITATE BEDÆ PRESBYTERI ARGUERE CONANTUR DIONYSIUM AREOPAGITAM FUISSE DIONYSIUM CORINTHIORUM EPISCOPUM, ET NON MAGIS FUISSE ATHENIENSIUM EPISCOPUM[2].

Dum in sancti Dionysii abbatia Abælardus, post suam in Suessionensi concilio condemnationem, commoraretur, in locum quemdam incidit *Commentarii* Bedæ de *Actis Apostolorum*, in quo Dionysius Areopagita Corinthi episcopus fuisse ferebatur. Quum rem fratribus quibusdam communicasset, magna fuit et illorum et abbatis ipsius indignatio quod ex eo loco colligendum esset, contra omnium opinionem, Dionysium Areopagitam non eumdem esse ac Dionysium primum Parisiensem episcopum, Galliarum apostolum, et patronum monasterii.

[1] *Exod.*, cap. xx, v. 26. — [2] Edit. Amb., p. 224.

Majestatis postulatus, ut ipse narrat in *Historia calamitatum*[1], fugam capessivit primum Abælardus, ne in majora veniret pericula : deinde prudentius existimavit publice inficiari paradoxon illud historicum quo tantam commoverat in se tempestatem. In præsenti igitur epistola diversis probat auctorum testimoniis Dionysium, Corinthi episcopum, sub Marci Aurelii principatu defunctum, non eumdem esse ac Dionysium Areopagitam, Divi Pauli discipulum, hunc vero prorsus potuisse variis temporibus pontificiam sedem primo Athenis, ut est opinio omnium, deinde Corinthi obtinuisse, et postea fidem christianam in Gallias attulisse. Quam epistolam, ut studiis suis favebat, D. Dionysii monachi permultis exemplaribus vulgavere; unde fit ut ex omnibus Abælardi operibus unius hujus plurimi exstent adhuc codices manuscripti. Pervolvimus eos qui in Bibliothecæ regiæ catalogo inscripti sunt numeris 2445A et 2447 : sed lectiones fere inutiles nec multas nobis suffecere.

Adæ, dilectissimo patri suo, abbati Dei gratia cœnobii gloriosissimorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii, ibidem corpore quiescentium, unaque fratribus et commonachis suis carissimis, Petrus habitu monachus, vita peccator, gratia vobis et pax, ut ait Apostolus, a Deo patre nostro et Domino Jesu Christo.

Sæpe unius error multos involvit, et proni homines in malum, facilius per unum in falsitatem, quam per multos in veritatem trahuntur. Hoc autem [2] ideo dico, quod multi ei, quam tenemus, veritati de Dionysio Areopagita unius Bedæ auctoritatem opponere soleant, gravioribus, quæ [3] nobis favent, aut per malitiam, aut fortassis per ignorantiam, auctoritatibus [4] postpositis. Hic quippe Dionysium Areopagitam Corinthiorum episcopum fuisse profitetur, quum alii, quorum longe validior est auctoritas, eum potius fuisse Atheniensium antistitem adstruant, et omnino alium fuisse Dionysium Areopagitam, alium Dionysium Corinthiorum episcopum, suis convincant assertionibus. Ponamus itaque singulorum verba, ac deinde consideremus, si non solum diversa, verumetiam invicem adversa sibi sint, ac sibi penitus repugnantia. Quod si viderimus, dijudicemus auctoritates ipsas, ut, quum omnes salvari non valeant, illa periclitetur quæ minore nititur dignitate. Scriptum est itaque de hoc in *Ecclesiastica Historia,* libro quarto, capitulo vigesimo tertio, his verbis : « Veniendum nobis est tandem ad beati Dionysii commemorationem Corinthiorum ecclesiæ episcopi, cujus eruditione et gratia, quam habebat in verbo Dei, fruebantur non hi populi tantum, quos regendos acceperat, sed et procul positi, quibus per epistolas

[1] Vide t. I hujusce editionis, p. 23. — [2] Sic Cod. Reg. 2445 A et 2447.— *Hoc autem* desunt in edit. Amb. [3] Sic Cod. Reg. 2445 A et 2447.–*Qui* Amb.— [4] Sic Cod. Reg. 2445 A et 2447. – *Auctoribus* Amb.

præsentiam sui reddebat.» Exstat denique ejus epistola ad Lacedæmonios scripta *de Catholica fide,* et [1] alia ad Athenienses, in qua ad Evangelii credulitatem invitat et concitat seniores. Et illud designat in eadem epistola, quod Dionysius Areopagites, qui ab apostolo Paulo instructus credidit Christo, secundum ea quæ in *Apostolorum Actibus* designantur [2], primus apud Athenas ab eodem apostolo episcopus fuerit ordinatus. Sed et Hieronymus, ille, inquam, ecclesiæ doctor egregius, super hoc ipso in libro *de Illustribus Viris* ita meminit [3] : « Dionysius Corinthiorum ecclesiæ episcopus tantæ eloquentiæ fuit et industriæ, ut non solum suæ civitatis et provinciæ populos, sed et aliarum provinciarum et urbium epistolis erudiret. E quibus una est ad Lacedæmonios, alia [4] ad Athenienses, et cætera. » Et post pauca : « Claruit sub imperatore Marco Antonino Vero et Lucio Aurelio Commodo. » Nunc et ipsius Bedæ verba ponamus, qui in explanatione *Actuum Apostolorum,* eo videlicet loco quo dicitur [5] : « In quibus et Dionysius Areopagita, » ait sic : « Hic est Dionysius, qui, in episcopatu ordinatus, Corinthiorum gloriose rexit ecclesiam, multaque ad utilitatem ecclesiæ pertinentia, quæ hactenus manent, ingenii sui volumina reliquit, cognomen a loco cui præerat accipiens. Areopagus enim est Athenarum curia, nomen a Marte trahens; siquidem Græce Mars *Arios*, villa dicitur *pagos* [6]. » Inductis itaque, sicut proposuimus, auctoritatibus, earum, sicut promisimus, diversitatem aut repugnantiam consideremus. Videntur autem duæ supra positæ auctoritates, quæ sibi consonæ sunt, auctoritati Bedæ omnino contrariæ. Ex illis quippe aperte convincitur alium fuisse Dionysium Areopagitam, alium Dionysium Corinthiorum episcopum. Nam, juxta *Ecclesiasticam Historiam,* Dionysius Corinthiorum episcopus de Dionysio Areopagita scripsisse perhibetur, et ibidem Dionysius Areopagita Atheniensium fuisse episcopus assignatur. Nec minus ex verbis Hieronymi alium hunc esse, quam illum apparet, quum videlicet dicat Dionysium Corinthiorum episcopum sub Marco Antonino et Lucio Aurelio claruisse. Constat quippe Dionysium Areopagitam, qui prædicatione Pauli conversus est, tempore Christi et apostolorum exstitisse, ac jam virum adultum adeo fuisse, ut uxorem Damarim jam tunc eum constet habuisse : de qua pariter cum eo in *Actibus Apostolorum* fit commemoratio. Unde et ibidem scriptum habetur, quod [7] « quidam viri adhærentes Paulo crediderunt, in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis. » A tempore autem Tiberii Cæsaris, sub quo Dominus passus est, usque ad tempora prædictorum imperatorum, sub quibus Dionysius Corinthiorum claruisse dicitur, amplius quam

[1] *Ut* Amb. — [2] *Act. Apost.,* cap. XVII, v. 34. — [3] Cap. XXVII, *Opp.* t. IV, p. II, col. 111. — [4] *Alia* deest Amb. — [5] Bed. Ven., *Opp.,* t. V, col. 656. *Exp. Act. Apost.,* cap. XVII. — [6] Ἄρης, πάγος Amb. — [7] *Act. Apost.,* cap. XVII, v. 34.

centum sexaginta annos chronicorum supputatio assignat, ut nequaquam tanto tempori vita prædicti viri sufficeret. Scriptum quippe est in *Psalmis*[1]: « Si autem in potentibus octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor. » Ex quo liquide colligitur alium Dionysium Areopagitam, alium Dionysium Corinthiorum episcopum exstitisse. Atque ita prædictorum auctorum sententiis Bedæ refellimus opinionem, præsertim quum et illorum longe gravior auctoritas sit, et in ore duorum potius quam unius stare verbum conveniat. Ad ecclesiasticam quippe historiam, quasi primum et maximum ecclesiasticorum gestorum fundamentum, tam Bedam quam cæteros scriptores ecclesiasticos recurrere certum est. Quid itaque videtur tibi respondere posse Beda, si illa scripta ei adversari monstraveris, quorum se frequenter auctoritatibus protegit? Nil equidem rectius, quam sapientis illum versiculum[2]:

Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse.

Ne quis autem graviter ferat, ac vehementer abhorreat Bedam nonnunquam decipi, et suo spiritu, non divino, quædam protulisse, eo videlicet quod ejus expositiones Latinorum maxime frequentet ecclesia : ad memoriam Natham prophetam reducat de ædificando templo deceptum[3], atque ipsius quoque principis apostolorum perniciosam simulationem a coapostolo Paulo correctam[4], « Quia, » inquit, « reprehensibilis erat : » necnon et venerabilem doctorem Augustinum, qui errores proprios sponte corrigendo, omnia fere scripta sua retractare non erubuit. Recogitet[5] et illud Heliæ proverbium[6] : « Non enim meliores sumus, quam patres nostri. » Et tunc profecto, quum tantorum virorum errores commemoraverit, jam de errore Bedæ mirari desistet. Ut enim beatus asserit Gregorius in prima super Ezechielem *Homilia*, nonnunquam Spiritus sanctus ad humilitatis custodiam mentibus fidelium sese subtrahit, et eos in errorem labi permittit, ut videlicet recognoscant, quam inutiles Spiritu sancto abscedente remaneant : qui etiam quum mentibus præsidet sanctorum, sic revelet aliqua, ut occultet nonnulla. Nec[7] magnopere curandum est, si in historiis, aut in his, quæ ad catholicæ fidei periculum non attinent, errasse sanctos nonnunquam annuamus, quum aperte Augustinus de historia septimi Psalmi in cujus videlicet Psalmi titulo legitur, « Pro verbis Chusi filii Jemini, » per Hieronymum errasse convinci possit, tanquam Hebraicæ penitus expers veritatis. Si quis autem Bedæ quoque auctoritatem salvare[8] nitatur, ut omnibus satisfaciat, dicere fortasse lice-

[1] Psalm. LXXXIX, v. 10. — [2] *Dist. Catonis*, I, v. 4.— [3] *Reg. II*, cap. VII. — [4] *Galat.*, cap. II, v. 11. — [5] *Recogitate* Cod. 2445 A. — [6] *Reg. III*, cap. XIX, v. 4. — [7] *Non* Amb. — [8] Sic Cod. 2445 A et 2447.—*Si quis autem Bedæ quoque auctoritate nitatur* Amb.

bit hoc loco Bedam aliorum opinionem potius secutum esse, quam suam constituisse sententiam. Sæpe etenim, ut sanctorum auctoritates illæsas custodiamus, ea quæ scribunt ad opinionem aliorum potius quam ad sententiam ipsorum referimus. Sic et in hoc loco dicamus Bedam aliorum introduxisse sententiam, qui ex æquivocatione nominis decepti, eumdem esse æstimaverunt Dionysium Areopagitam, et Dionysium Corinthiorum : quippe quum et beatum Ambrosium adeo ab historica veritate quodam loco per æquivocationem nominis videamus exorbitasse, ut Jacobum fratrem Joannis, quem pariter cum Joanne fratre suo et Petro ad transfigurationem sui seorsum Dominus assumpsit, eum Jacobum fuisse asserat, qui primus solium sacerdotale conscendit [1]. Quod quidem de alio Jacobo, et qui frater Domini nuncupatus est, et primus in Hierosolymorum ecclesiam est ordinatus, constat intelligi debere : ut videlicet ille primus hoc modo sacerdotale solium intelligatur conscendisse. Si ergo tantus doctor per æquivocationem nominis Jacobi, a veritate historica in expositione evangelica permissus sit deviare; quid mirum, si Bedam æquivocatio quoque nominis Dionysii vel plerosque alios fefellerit, præsertim in illa *Actuum Apostolorum* expositione, quam ab ipso Beda certum est postea retractatam esse? In cujus quidem retractationis præfatiuncula, ut breviter verba ejus comprehendamus, ita exorsus ait [2]: « Scimus eximium doctorem Augustinum libros *Retractationum* in quædam opuscula sua fecisse : cujus industriam nobis quoque placuit imitari, ut post expositionem *Actuum Apostolorum*, quam ante annos plures conscripsimus, nunc in idem volumen brevem retractationis libellum condamus, studio maxime vel addendi quæ minus dicta, vel emendandi quæ secus, quam placuit, dicta videbantur. » Qui etiam in prædicta expositione sua versus Arati frequenter introduxit, cujus nonnullos novimus errores, quum aperte eum Hieronymus in prædicto illustrium virorum libro errasse ostendit, de eodem die quo Petrus et Paulus passi sunt. Quem quidem diem non aliter eumdem tam Aratus quam Beda in martyrologio ejus auctoritate fretus accipiat, nisi anni revoluto tempore, quum Hieronymus eodem prorsus die, anno quarto decimo Neronis tam Petrum quam Paulum passos esse pronuntiet. Denique, ut hanc litem variarum sententiarum pacatissimo fine sopire penitus valeamus; facile fortassis, si duos Dionysios Corinthiorum episcopos exstitisse ponamus, et Bedam veracem poterimus tenere, et nihil per opinionem accipere : ita quidem, ut unus ex Dionysiis Corinthiorum episcopis, et Dionysius Areopagita idem sint [3], de quo Beda scribit, et in diversis temporibus idem Athenis et Corintho præesset episcopus, et postmodum a sancto Clemente Galliarum sit ordinatus apostolus : alius vero ex

[1] *Opp.*, t. II, col. 1413. — [2] *Opp.*, t. VI, col. 1. — [3] *Sit* Amb.

Dionysiis Corinthiorum episcopis, ille fuerit Dionysius, de quo *Ecclesiastica Historia* et Hieronymus meminerunt : atque ita arbitror omnem controversiam absolvi posse. Omnium igitur, quæ ad solutionem proposuimus, hæc summa est, ut vel Bedam deceptum fuisse concedamus, vel eum aliorum nobis opinionem præsentasse, vel duos Corinthiorum episcopos exstitisse. Valete in Domino dilectissimi.

CONTRA QUEMDAM CANONICUM REGULAREM

QUI MONASTICUM ORDINEM DEPRIMEBAT ET SUUM ILLI ANTEFEREBAT.

Non ad nos pervenit nomen hujus canonici contra quem vitæ monasticæ dignitatem Abælardus tutatus est. Nicero[1] affirmat non illum alium esse posse atque illustrem virum Norbertum qui Præmonstrati in diœcesi Laudunensi condidit ordinem observantem regulæ Divi Augustini A. 1125, confirmatum a papa Honorio II[2]; quod vero nullis argumentis confirmatur. Nobis potius illud opus videtur spectare Philippum abbatem Bonæ Spei[3], cujus exstat liber *de Dignitate Clericorum*, in quo pleraque reperias argumenta ab Abælardo refutata. Multum autem de hac quæstione inter homines hujus ætatis acriter disputatum est. Narrat Philippus[4] rem fuisse adductam in controversiam a clerico et a monacho partes suas pertinaciter defendentibus; quorum alter clericorum vitæ instituta et jura, alter vero vitæ monasticæ præstantiam acerrime tueretur. Monachus, quum multum in Divi Hieronymi libris fuisset versatus, hujus loca sibi veluti suffragantia ostentabat, et iis utebatur callidissime; clericus vero, Porphyrii et Aristotelis argumentis imbutus, multo minus sacras litteras callebat; nihil opposuit locis ab adversario allatis, quæ neque posset in eum regerere homo ineruditus, neque auderet refutare; victum igitur se confessus est. Hanc forsan disputationem spectabant et liber Philippi *de Clericorum Dignitate* et Abælardi opusculum, ut verisimile est, in monasterio Sancti Gildasii compositum.

Nullum habuimus codicem, cujus ad fidem textus Amboesianus, locis quibusdam corruptus, emendaretur.

Multorum relatione ad nostras delatum est aures nostri ordinis, id est monastici, statum a te sæpius in præsentia multorum non mediocriter læsum; quod non alia de causa præsumptum est, credimus, nisi ut nostros humiliando, tuæ

[1] *Mémoires pour servir à l'histoire des Hommes illustres*, Paris, 1727 et sq., in-12, t. IV. — [2] Vid. *Notas ad Historiam calamitatum*, t. I, hujus editionis pag. 63; et Fabricii *Bibl. med. et infim. latinit.*, Pataviæ, 1754, t. III, p. 141. — [3] De eo videas *Histoire littéraire de la France*, t. XII, p. 262-295.— [4] *D. Philippi, abbatis Bonæ Spei, opera*, Duaci, 1621, in-fol., p. 466.

professionis clericos, quos canonicos regulares vocatis, sic efferre labores. Miramur autem si ita sit, sed amplius miramur si ita non sit, quum nullam aliam suspicari possimus causam. Dicis, ut dicunt, longe ordine tuo nostrum inferiorem esse, et plurimum monachos a dignitate clericorum abesse. In quo quidem primum a te sciscitari volumus, de qua id dignitate intelligas, utrum prælationis inter homines, an religionis apud Deum. Quod religionis profecto hæc dignitas verissima est, quæ nos Deo maxime commendat, atque virtutibus adornat, et tanto gloriosiores in cœlestibus efficit, quanto humiliores habemur in terrenis. At vero qua ratione vel auctoritate hanc sibi dignitatem clerici vindicare valeant, dicas si possis, aut adjicias cur non possis. Quis enim nesciat quod quotidianis docemur experimentis hos etiam clericos, qui majore gradu præminent, monasticam eligere vitam, quum quod in clericatu deliquerint perfecte corrigere satagunt, et quum eis ad monachatum transire liceat, ad clericatum nullatenus redire permittantur? Aut si quandoque per religionis excellentiam, ecclesiasticæ personæ de monasteriis electæ, clericorum officiis præficiantur, ipse quoque habitus monachalis tanta dignitate præminet, ut semel assumptus deponi non debeat : pro quo non solum sæcularis, verumetiam clericalis abjiciendus est. Quid est etiam, quod quum sæpe monachi episcopi facti clericis præponantur, vel quibuscumque officiis ecclesiasticis applicentur? Cur non e converso de clericis abbates in monasteriis fiant, vel officiorum monachicorum curam suscipiant? Cur, inquam, cur, obsecro, nisi quod indignissimum censetur, ut ejus vitæ regimini laxior præponatur, pro qua etiam ipsa contemnenda est, et, ut diximus, per eam corrigenda? Cur etiam vos ipsi, et universa ecclesia in supplicatione Letaniarum dicitis : « Omnes sancti monachi et eremitæ, omnes sanctæ virgines, omnes sanctæ viduæ et continentes, orate pro nobis, » et non, « Omnes sancti clerici, vel sancti presbyteri, vel sancti episcopi? » Certe quia hæc nomina officii magis sunt, sicut illa religionis. Quid est etiam quod in illis Hymnis festivitatis omnium sanctorum, in quibus tam a vobis, quam a cæteris suffragia sanctorum postulantur, nulla vestri mentio fiat, sicut fit monachorum et virginum? Sic quippe scriptum est :

Chorus sanctarum virginum,
Monachorumque omnium,
Simul cum sanctis omnibus
Consortes Christi facite.

Item :

Monachorum suffragia,
Omnesque cives cœlici,

Annuant votis supplicum,
Et vitæ poscant præmium.

Audio te tamen solere opponere nobis illud quoque Hieronymi nostri[1] : « Monachus, si ceciderit, rogabit pro eo sacerdos : pro sacerdotis lapsu quis rogaturus est? » Quod certe quacunque ratione diceres, si nullatenus monachos sacerdotes esse contingeret. Quum vero dicit : « Monachus est sacerdos utique, » illud distinguit monachum a ditione sacerdotis qui sacerdos non sit. Sic enim quum dicimus, rex et miles; vel episcopus et sacerdos, vel sacerdos et diaconus, quamvis etiam reges sint milites, vel episcopi sacerdotes, vel sacerdotes diaconi; militem eum intelligimus, qui rex non sit, et sacerdotem qui non sit episcopus, et diaconum simplicem. Ubi etiam quum dicit : « Rogabit pro eo sacerdos, » specialem illam missam orationem intelligit, quæ propria est sacerdotis, non quæ cuilibet justo competit. Quam et apostolus generaliter commendans, ait[2] : « Multum valet enim deprecatio justi assidua. » Quo enim quisque justior est, ab eo exaudiri meretur, qui non tam verba quam opera pensat, nec tam linguam quam vitam considerat. Quantum autem de perfectione sua vitam monasticam idem doctor vestræ præferat, patenter insinuat *ad Heliodorum* monachum his scribens verbis[3] : « Interpretare vocabulum monachi, hoc est nomen tuum. Quid facis in turba qui solus es? Quid ergo? Quicunque in civitate sunt, christiani non sunt? non est tibi eadem causa quæ cæteris? Dominum ausculta dicentem[4] : « Si vis perfectus « esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni, sequere me. » Tu autem perfectum te esse pollicitus es. Nam quum, derelicta militia mundiali, castrasti te propter regnum cœlorum, quid aliud quam perfectam secutus es vitam? » Et post aliqua : « Alia, » inquit, « ut ante perstrinxi, monachi causa est, alia clericorum : » hoc est, longe ab invicem eorum professio et conversatio distat, et ipsorum propositum tendit ad diversa, « sicut, » ait, « ante perstrinxi. » Quod quidem ubi faceret, assignari non potest, nisi ubi perfectionem monasticam a vita fidelium in civitate commorantium distinxit, dicens : « Quid ergo? Quicunque in civitate non sunt, christiani sunt? » Qui etiam *ad Paulinum* presbyterum simul et monachum scribens, clericos magis inter homines conversari debere, quam monasticæ solitudinis perfectionem tenere patenter his verbis insinuat[5] : « Quia igitur, frater, me interrogas, per quam viam incedere debeas, revelata tecum facie loquar. Si officium vis exercere presbyteri, si episcopatus te vel opus vel honor forte delectat, vive in urbibus et castellis, et aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ. Sin autem cupis esse quod diceris, monachus, id

[1] *Opp.*, t. IV, part. II, col. 11 — [2] Jacob., cap. v, v. 16. — [3] Epist. v, *Opp.*, t. IV, part. II, col. 9. — [4] Matth., cap. XIX, v. 21. — [5] Epist. XLIX, *Opp.* t. IV, part. II, col. 565.

est solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Habet unumquodque propositum principes suos : et, ut ad nostra veniamus, episcopi et presbyteri habeant in exemplum apostolos et apostolicos viros : quorum honorem possidentes, habere nitantur et meritum. Nos autem habeamus propositi nostri principes, Paulos, Antonios, Julianos, Hilariones, Macharios, et, ut ad Scripturarum auctoritatem redeam, noster princeps Elias, noster Elisæus, nostri duces filii prophetarum, qui habitabant in agris et solitudinibus, et faciebant sibi tabernacula prope fluenta Jordanis. De his sunt et illi filii Rechab, qui vinum et siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei per Jeremiam voce laudantur[1], et promittitur eis, quod non deficiat de stirpe eorum vir stans coram Domino. Nec solum Eliam, qui in antiquo populo tantus enituit, ut in cœlum vivus sustolli mereretur, inter nostros mirare principes : verumetiam Joannem in spiritu ejus venientem, et quasi alterum Eliam, cui Dominus tantum testimonium dedit, ut pro eminentia vitæ ipsum ex testimonio prophetæ angelum nuncuparet, nec solum prophetis, verumetiam universis hominibus anteferret. De quo et Chrysostomus *Homelia* Evangeliorum XXIII quæ sic incipit : « De Joanne dicitur : « Fuit homo missus a Deo, cui « nomen erat Joannes. » Gratia in homine comprehenditur, Joannes enim interpretatur Dei gratia, quia majorem accepit gratiam. Propterea in eremo philosophatur, et reservat se in adventum Christi, quia nuntiaturus erat Christum. Statim in eremo nutritur, statim ibi crescit : non vult cum hominibus conversari, in eremo cum angelis philosophatur. Considerate, monachi, dignitatem vestram : Joannes princeps vestri est dogmatis ipse monachus. Statim ut natus est, in eremo vivit, in solitudine nutritur, Christum exspectat in solitudine. Eo tempore, quo Jesus natus est, erat in eremo. Hoc templum, quod videmus esse destructum, quantas habebat divitias, quid auri, quid argenti, Josephus describit, quantum gemmarum, quantum serici, quanti erant sacerdotes, scribæ et universa genera officiorum. Christus in templo nescitur, et in eremo prædicatur. Hoc totum quare dico? Ut doceam dogmatis vestri principem esse Baptistam Joannem. » Audistis, fratres, nostri pariter et vestri propositi principes superius inductos, ut utriusque ordinis differentia clareat. Si gaudetis apostolos quoque vestris connumerari principibus, atque pontifices tam Veteris quam Novi Testamenti ab ipso videlicet Aaron usque ad Annam et Caipham, ne, obsecro, doleatis Eliam et Joannem, majores istis, nostri duces esse propositi. Clericatum pro monachatu Joannem commutasse dubium non est : qui quum filius pontificis esset, cui eo tempore pontificalis dignitas hæreditario jure debebatur, civitatem soli-

[1] Jerem., cap. XXXV.

tudini, pontificem monacho posthabuit, et perfectionem vitæ prælationi præposuit ecclesiasticæ. De quo et Hieronymus *ad Rusticum* monachum scribens[1] : « Audio, » inquit, « religiosam te habere matrem, multorum annorum viduam, quæ aluit, quæ erudivit infantem. Et Joannes Baptista sanctam matrem habuit, pontificisque filius erat : et tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis. Vivebat in eremo, et oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur adspicere. Filii prophetarum, quos monachos in *Veteri Testamento* legimus, ædificabant sibi casas propter fluenta Jordanis : et turbis urbium derelictis, polenta et herbis agrestibus victitabant. » De quibus et alibi meminit[2] : « Virgo Elias, Elisæus virgo, virgines filii prophetarum. » Quid est, obsecro, frater, quod electurus apostolos Dominus nequaquam de eremo accivit Joannem, nec ab eo baptizandus, ipsum a solitudine, vel ad horam revocavit : sed sicut cæteri hominum ad eum venit, inter cæteros et ipse baptizandus a monacho, sicut scriptum est[3] : « Factum est quum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, etc. » Quid, inquam, nisi quia, ut dixit, partem Mariæ præferendam censuit parti Marthæ, quietem scilicet contemplationis sollicitudini et crebris perturbationibus sæculi? Quibus quidem sollicitudinibus occupatus Apostolus ingemiscit, dicens[4] : « Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea, quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » In quibus quidem occupationibus atque molestiis quam difficile sit puritatem custodire mentis, et terrena itinera sine aliquo pulveris contagio frequentare, ipse Dominus patenter edocuit, quum pedes apostolorum abluere decrevit. Quod diligenter Sponsa *in Cantico Canticorum* attendens, Sponso ad ostium ejus pulsanti, et, ut de lectulo surgens ei aperiat roganti, provide his verbis se excusat[5] : « Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? » Quid enim lectulus Sponsæ, nisi quies est animæ contemplativæ, et a sollicitudinibus et curis sæculi remotæ? Quæ quidem in claustro quasi sponsa in thalamo, tanto amplius Deo vacat, et arctius ei toto adstringitur desiderio, quanto longius ab occupationibus sæculi remota est, et jam in secreto cœlestium camerarum per contemplationem ita ei conjuncta est, ut sit unus cum Deo spiritus, juxta quod de beato Martino legitur : « Artus quippe fatiscentes spiritui servire cogebat, stratuque suo recubans, nec terram videre tam dignatus, cœlo totus inhiabat. » Ad talem lectuli quietem contemplationis secretum Sponsus veniens sibi aperiri postulat, quum plebs christiana animæ

[1] Epist. xcv, *Opp.*, t. IV, part. II, col. 771. — [2] Epist. xviii, *Opp.*, t. IV, part. II, col. 36. — [3] Luc., cap. iii, v. 21. — [4] *Corinth. II*, cap. xi, v. 28. — [5] *Cantic.*, cap. v, v. 3.

cuicunque contemplativæ supplicat, ut suscipiendo regimen ipsorum eos ad se sic admittat. Quod et ipse Christus in membris suis agere dicitur, quo inspirante id agitur, et sub cujus nomine et auctoritate hoc imploratur. Perfecta vero anima illa quietem suam vehementer diligens, dum laborem refugit, ne aliorum lucro detrimentum incurrat suæ perfectionis, surgere de lectulo renuit, et Sponso, ut dictum est, instanti dicit : « Exspoliavi me tunica mea, » hoc est, exteriorem curam mundanarum actionum ex voto postposui. Interior quippe vestis et subtilior, est interula; exterior et grossior, tunica. Unde bene hic ornatus, contemplativus; ille vero habitus, assignandus est activus. Hi quippe claustris se monasticis recludentes tanto subtilius atque perfectius summi luminis splendorem contemplantur, quanto ab exterioribus sæculi curis amplius sunt remoti. Hanc profecto curarum occupationem, quam Martha proximi necessitudinibus impendit, et qui populo præsunt exercent, quasi tunicam resumere Sponsa refugit, quum a contemplatione ad actionem redire nullatenus acquiescit. Unde et causam annectens ait : « Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? » Affectus quippe nostri, quibus ad quidlibet agendum trahimur, quasi quidam pedes sunt, quibus ducimur. Istos pedes abluit, qui a curis sæculi mentem retrahit, quibus animus per diversa diffusus, difficile est ne saltem cogitationum maculis aliquibus respergatur, vel quandoque cedat tentationibus. Quod Sponsa considerans de lectulo pedes ad terram deponere trepidat, hoc est se iterum implicare curis, dum nullum a sordibus vacare locum extra lectulum suum credit. Quæ tandem Sponso instante de lectulo surgere compellitur, et ei, sicut postulavit, aperire : de quo quum eum tenere vellet, atque, ut solita fuerat, comprehendere, subjunctum est[1] : « At ille declinaverat atque transierat. » Non enim ita in publico sicut in occulto Deus inveniri potest : nec sollicitudo Marthæ circa plurima turbatæ Christo assistere valet assidue, nec curis sæculi mens intenta in Deo poterit vigilare quieta. Unde et ipse Sponsus quo devotius oremus, ostium cubiculi admonet claudi : alioquin declinat et transit a nobis, quia quo minus ei vacamus, eo magis ab ipso deserimur, et ab ejus gratiæ donis amplius destituimur. Etiam Sponsa ejus ad publicum de secreto thalami transgressa, quantum de perfectione sua pro lucris aliorum minuit, reperit; et tanto magis accedit periculum, quanto de commissis animabus major illi superest reddenda ratio. Attende, obsecro frater, tui ordinis dignitatem et officii conditionem, in quo et minuitur meritum, et imminet periculum. Vide quid sit profectus dignitatis, ubi perfectio tollitur religionis, ubi major apud sæculum, minor fit apud Deum, et grave sui sustinet dispendium. Liam, quam duxisti, gaudes esse fecundam : sed doles

[1] *Cantic.*, cap. v, v. 6.

quum respexeris eam lippam. Nocturnum Lia conjugium habuit, quasi talis copula luce digna non fuerit. Quamdiu sterilis Rachel permansit, incolumis vixit : fecunda postmodum facta, proprio partu est extincta. Ex quo patenter innuitur quam periculose id, unde gloriamini, suscipiatur : et quod hæc gloria, ruina potius sive dejectio quam exaltatio sit dicenda. Quorum quidem facilem casum, et periculosum ascensum, juxta illud Psalmistæ[1] : « Dejecisti eos dum allevarentur, » beatus Hieronymus attendens, quodam loco *ad Heliodorum* monachum his scribit verbis[2] : « Quod si te quoque ad eumdem ordinem pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, sed timebo de lapsu. » Idem *adversus Vigilantium* solitariæ, hoc est monasticæ vitæ securitatem commendans, ait[3] : « Cur, » inquies, « pergis ad eremum? Videlicet ut te non audiam, non videam, ut tuo furore non movear, ut tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis : Hoc non est pugnare, sed fugere. Sta in acie, adversariis armatus obsiste; ut postquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam : nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium devitavi : si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse certa dimittere, et incerta sectari? Aut scuto, aut pedibus mors vitanda est. Tu, qui pugnas, et superari potes, et vincere. Ego quum fugero, non vinco[4] in eo quod fugio, sed ideo fugio, ne vincar. Nulla securitas est, vicino serpente dormire. Potest fieri, ut me non mordeat : tamen potest fieri, ut aliquando me mordeat. » Idem *ad Oceanum* de morte Fabiolæ : « Caveat religiosus ibi vivere, ubi necesse habeat quotidie aut perire, aut vincere. Securius enim est perire non posse, quam juxta periculum non perire. » Hanc et Seneca maximus ille morum philosophus sententiam tenens, et sic philosophari Lucilio suo consulens, ait *Epistolarum*, quas ad eum scribit, quinquagesima tertia[5] : « Non tantum corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus. Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quam longissime profugiamus. Indurandus est animus, et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Una Hannibalem hiberna solverunt, et indomitum illum nivibus atque Alpibus virum enervaverunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus est. Nobis quoque militandum est, et quodam genere militiæ, quo nunquam otium datur. Debellandæ sunt imprimis voluptates : quæ, ut vides, sæva quoque ad se ingenia rapuerunt. Si quis sibi proposuerit quantum operis agressus sit, sciet nihil delicate, nihil molliter esse faciendum. » Sed ad hæc fortassis tam sanctorum Patrum quam philosophorum consilia respondebis

[1] Psalm. LXXII, v. 18.— [2] *Opp.*, t. IV, part. II, col. 10. — [3] Ibid., col. 28?. — [4] Legit Dom. Martianay : « Non vincar in eo quod fugio, sed ideo fugio ne vincar. » — [5] Epist. LI.

revera periculosum esse administrationem ecclesiasticam suscipere, ac difficillimum in ea, quantum oportet desudare : sed profecto tanto majora constat esse præmia, quanto huic labori major incumbit difficultas. Cui primum illud respondeo Tullianum : « Quod si laboriosum, non statim præclarum. » Alioquin in Ecclesia Dei, qui quotidianis nuptiarum molestiis et sollicitudinibus implicantur assiduis, his preferendi essent, qui cœlibem vitam ducentes, minus onere sæculi premuntur, et ob hoc liberius atque purius Deo vacant, tanquam lectuli quietem adepti. Denique si pro augmento meritorum eos extollis, qui de virtutibus suis confidentes, pugnas tentationum et illecebras mundi magis sustinere quam fugere decreverunt, vide utrum his, qui continentiam voverunt, consulendum sit, ut in lupanaribus, vel ubi crebras fornicationes[1]..., vide aut hanc virtutem studeant conservare, et se sponte periculis objicientes, sed quæ magis angelos, quam homines attendentes, tanta securitate sui Deum præsumant tentare. Cur etiam clerici feminas in contubernio suo habere prohibentur, nisi tales consanguinitatis personas, de quibus nulla suspicio turpitudinis possit haberi? Quas quoque vester maxime, ut dicitis, præceptor Augustinus in tantum declinare decrevit, ut nec sanctissimam sororem secum habitare pertulerit, dicens : « Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. » Cur et vos ipsi canonici regulares a vobis ipsis noviter appellati, sicut et noviter exorti, magno ambitu murorum claustra vestra sepientes, more monachorum, ab illecebris et tentationibus sæculi manetis divisi? Si ergo, ut vos quoque docetis, et omnibus patet, imbecillitati humanæ magis provideri convenit a periculis, quam ultro se objicere illis; profecto consilium est omnia tentamenta, quoad possumus, evitare, præsertim si eam eligamus vitam, quæ et majoris sit meriti, et minus pateat tentationi. Quod tam auctoritate Patrum, quam certis rerum declaratur exemplis. Vitam contemplationis, quietem tumultuosæ fidelium actioni constat a Domino prælatam fuisse : et Mariæ partem, quam optimam dixit, parti Marthæ certum est anteferri. Quamvis enim Martha reficeret Dominum, felicius Maria reficiebatur a Domino, et longe meliorem Dominus quam Martha ministrabat refectionem[2]. Marthæ ministratio est necessaria corporis providere, verbum prædicationis erogare, aliorum magis, ex officio proprio, quam sui curam gerere. Non enim Ecclesiæ pastores, in eo quod pastores sunt, tam de propriis quam de subjectorum pabulis habent cogitare, nec in hoc tam sibi quam aliis proficiunt. Unde et Dominus quum in hoc officio Petrum constitueret, nequaquam ait[3] : « Pasce teipsum, » sed, « pasce oves meas, » sive, « agnos meos, » hoc est pane spiritalis doctrinæ vel exhortationis ipsos instrue vel confirma. De quo quidem

[1] Videtur hic aliquid deesse. — [2] Luc., cap. x, v. 39 et seq. — [3] Joan., cap. xxi, v. 15 et 17.

pane divini verbi scriptum est alibi[1] : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. » Quod si hoc tempore clericorum ac monachorum laborem ac vitæ duritiam conferatis, non est hoc longa disputatione discutiendum, quod quotidianis experimentis fit manifestum. Confer episcopos cum abbatibus, archipresbyteros ecclesiarum cum prioribus monasteriorum, clericos cum monachis : et quoslibet consule[2], qui quibus inter ipsos magis asperam vel laboriosam vitam ducant, ut si laborem penses, ad meritum nos longe superiores invenias, quibus vos ipsi non aliam quam pœnitentium vitam adscribitis, et claustra nostra non loca dignitatis, sed pœnitentiæ carceres nuncupatis. Quam et beatus Hieronymus a vita clericorum distinguens, *ad Heliodorum* de morte Nepotiani scribit his verbis[3] : « Si quis relicto clericatu, duritiæ se tradiderit monachorum, sit creber in orationibus, vigilans in precando, lachrymas Deo, non hominibus offerat. » Certe si clericorum arctior esset vita, et qui ecclesiastica præsunt dignitate, vitæ quoque præeminerent austeritate; nequaquam monachi tanto desiderio appeterent episcopari, nec spiritales patres tanta sollicitudine clericos etiam ad monasticam conversationem invitarent. Quale et illud est prædicti doctoris præsidium diaconem exhortantis : « Diaconus, » inquies, « Ecclesiam tuto deserere non possum. Vereor ne incurram sacrilegium, si altaria derelinquam. Sed considera, obsecro, satis esse difficile locum Stephani implere vel Pauli, in angelico stare ministerio, et populos subjacentes candenti desuper veste despicere. Pretiosum est margaritum, sed cito frangitur, fractumque non potest instaurari. » Item : « Quum vitam in urbibus lacerent bonam, quid facies frater in medio? aut sectaberis quæ sunt adversa continentiæ : aut, si facere nolueris, ipse damnaberis. Prætermitto varias illecebras, quibus etiam rigidissimi emolliuntur animi. Nunc illud affirmo, quod etiam si ita non essent, ad comparationem tam ingentis boni, minora deserere debueras. Adde quod diaconus es, sed abcessu tuo Ecclesiæ damna non sentient. Elias vixit in eremo. Elisæum prophetarum secutus est chorus. Præcursor Domini Joannes nutritus in solitudine, ad hoc tantum descendit ad Jordanis ripas, ut populos argueret confluentes, et pharisæos intelligens clericos Judæorum, generationes vipereas denotaret. Nuper Ægypti deserta vidisti, intuitus es angelicam familiam. Quanti ibi flores sunt? quam spiritualibus gemmis prata vernantia? Vidisti serta, quibus Dominus coronatur. » Item : « Habebis cellulam, quæ te solum capiat. Imo non eris solus, angelica tecum turba versabitur. Tot socii, quot sancti. Leges Evangelium, fabulabitur tecum Jesus. Replicabis apostolos vel prophetas. Numquid poteris talem alium tuis sermonibus habere consortem? » Sectemur

[1] Luc., cap. IV, v. 4. — [2] *Consulo* Amb. — [3] *Opp.*, t. IV, part. II, col. 270.

saltem mulierculas, sexus nos doceat infirmior. Quantæ divitiis pariter et nobilitate pollentes (nolo enim vocabula dicere, ne adulari videar) relictis facultatibus, pignoribusque contemptis, id factu facile judicaverunt, quod tu proprio putasti timore difficile?

INVECTIVA IN QUEMDAM IGNARUM DIALECTICES,

QUI TAMEN EJUS STUDIUM REPREHENDEBAT, ET OMNIA EJUS DOGMATA PUTABAT SOPHISMATA ET DECEPTIONES.

Nullum novimus codicem in quo contineatur hoc opusculum, vel fragmentum potius, ab Amboesio primo vulgatum[1]; sed illud certa fide carere quis possit arbitrari, quum in eo multa occurrant quæ in cæteris Abælardi operibus reperias? Noster enim sive in *Introductione ad Theologiam,* sive in *Christiana Theologia,* utilitatem dialectices comprobavit, amplius quidem ac fusius, sed iisdem innixus argumentis et eorumdem auctoritate. Quum vero contemptius ac confidentius ibi in adversarium invehatur, hinc colligere possumus opusculum illud, ut nonnullis placuit, compositum ante fuisse quam concilium Suessionense opera Abælardi dedecore quodam notavisset.

Mystica quædam de vulpe fabula in proverbium a vulgo est assumta[2]. « Vulpes, » inquiunt, « conspectis in arbore cerasis, repere in eam cœpit, ut se inde reficeret. Quo cum pervenire non posset et relapsa decideret, irata dixit : « Non curo cerasa : pessimus est eorum gustus. « Sic et quidam hujus temporis doctores, quum dialecticarum rationum virtutem attingere non possint, ita eam exsecrantur ut cuncta ejus dogmata putent sophismata, et deceptiones potius quam rationes arbitrentur. Qui « cœci duces cœcorum[3] nescientes, » ut ait Apostolus[4], « de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant, » quod nesciunt damnant, quod ignorant accusant. Lethalem judicant gustum quem nunquam attigerunt. Quidquid non intelligunt, stultitiam dicunt :

[1] Pag. 238-242. — [2] Vid. *Phædri Fab.*, lib. IV, 3. — [3] Matth., cap. xv, v. 14. — [4] *Tim. I,* cap. I, v. 7.

quidquid capere non possunt, æstimant deliramentum. Quos quidem rationis expertes, quia rationibus refellere non valemus, testimoniis saltem sanctarum Scripturarum, quibus se plurimum niti fatentur, eorum præsumptionem compescamus. Agnoscant igitur eam, quam vehementius detestantur, artem, hoc est dialecticam, quasi sacræ lectioni contrariam, quantum ecclesiastici doctores commendent, quantum eam sacræ Scripturæ necessariam judicent. Hanc quippe scientiam tantis præconiis efferre beatus ausus est Augustinus, ut comparatione cæterarum artium eam solam facere scire fateatur, tanquam ipsa sola sit dicenda scientia. Unde libro secundo *de Ordine* ita meminit[1]: « Disciplinam disciplinarum, quam dialecticam vocant. Hæc docet docere, hæc docet discere. In hac se ipsa ratio demonstrat atque aperit, quæ sit, quid velit : scit sacra sola, scientes facere non solum vult[2], sed etiam potest. » Idem in secundo *de Doctrina christiana*, quum inter omnes artes præcipue dialecticam et arithmeticam sacræ lectioni necessarias esse profiteatur, illam quidem ad dissolvendas quæstiones, hanc ad allegoriarum mysteria discutienda, quæ frequenter in naturis numerorum investigamus, tanto amplius dialecticam extulit, quanto amplius eam necessariam assignavit, ad omnes videlicet quæstionum dubitationes terminandas. Ait autem sic[3] : « Restant ea, quæ non ad corporis sensus, sed ad rationem animi pertinent, ubi disciplina regnat disputationis et numeri. Sed disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt, penetranda et dissolvenda plurimum valet. Tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim multa, quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, et plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipiant. Quod genus captiosarum conclusionum scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco ubi dictum est[4]: « Qui sophistice loquitur, odibilis erit. » Plurimum autem dialecticam atque sophisticam artem ab invicem constat esse discretas, quum illa in veritate rationum, hæc in similitudine consistat earum, ista fallaces argumentationes tradat, illa fallacias earum dissolvat, et ex discretione verarum argumentationum falsas deprehendi doceat. Utraque tamen scientia tam dialectica scilicet quam sophistica ad discretionem pertinet argumentorum; nec aliter quis in argumentis esse discretus poterit, nisi qui falsas ac deceptorias argumentationes a veris et congruis argumentationibus distinguere

[1] Cap. XIII, *Opp.*, t. I, col. 346. — [2] Amboesius : Scit sola, scientem facere non solus vult, sed etiam potest. — [3] Cap. XXXI, *Opp.*, t. I, col. 38. — [4] *Eccli.*, cap. XXXVII, v. 23.

valebit. Unde et a scriptoribus dialecticæ nec hujus artis tractatus est prætermissus, quum ipse peripateticorum princeps Aristoteles hanc quoque tradiderit, *Elenchos* scribens *sophisticos*. Ut enim homini justo mali quoque notitia necessaria est, non ut malum faciat, sed ut malum cognitum cavere queat; ita et dialectico sophismatum non potest deesse peritia, ut sic ab eis sibi cavere queat; nec discretus in rationibus argumentorum erit, nisi falsis pariter et veris cognitis, hæc ab illis discernere, et utraque dijudicare diligenter valebit. Unde et, beato attestante Hieronymo, ipse quoque Salomon ad falsas pariter et veras argumentationes cognoscendas plurimum adhortatur. Sic enim adversus calumnias Magni oratoris urbis Romæ scribens, sicut et nos nunc adversus consimiles, ait inter cætera de summo illo sapiente Salomone[1]: « In exordio Proverbiorum commonet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas, et obscurum sermonem, dicta sapientum et ænigmata, quæ proprie dialecticorum et philosophorum sunt. » Quid enim sapientiæ sermones, versutiasque verborum, nisi verarum et fallacium argumentationum diversitatem intelligit? Quæ, ut diximus, ita sibi sunt adjunctæ, ut discretus in his esse non possit, qui illas ignoraverit : quum ad cognitionem quarumlibet rerum necessaria sit notitia contrariarum. Nemo enim virtutes diligenter noverit, qui vitia ignoret : præsertim quum nonnulla vitia ita virtutibus finitima sint, ut ex similitudine sua facile multos decipiant, sicut et falsæ argumentationes ex similitudine verarum plerosque in errorem pertrahunt. Unde non solum in dialectica diversitas incidit sententiarum, verumetiam in fide christiana multiplicitas errorum, quum verbosi hæretici assertionum suarum laqueis multos simplices in diversas pertrahant sectas : qui nequaquam in argumentationibus exercitati, similitudinem pro veritate, et fallaciam pro ratione suscipiunt. Adversus quam pestem nos in disputationibus exercere ipsi quoque Doctores ecclesiastici commonent, ut quod non intelligimus in scripturis, non solum orando petamus a Domino, verum invicem quæramus disputando. Unde et illud est Augustini in tractatu *de Misericordia*, quum illa Domini exponeret verba[2] : « Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis, » petite, » inquit, « orando, quærite disputando, pulsate rogando, id est interrogando. » Non enim hæreticorum, vel quorumlibet infidelium infestationes refellere sufficimus, nisi disputationes eorum dissolvere possimus, et eorum sophismata veris refellere rationibus, ut cedat falsitas veritati, et sophistas reprimant dialectici : parati semper, ut beatus admonet Petrus, ad satis-

[1] *Opp.*, t. IV, p. 2. col. 654. — [2] Matth., cap. VII, v. 7. — Luc., cap. XI, v. 9.

factionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe vel fide. In qua profecto disputatione, quum illos sophistas convicerimus, nos dialecticos exhibebimus et tanto Christi, qui veritas est, discipuli memores erimus, quanto veritate rationum amplius pollebimus. Quis denique nesciat ipsam artem disputandi, qua indifferenter hos quam illos[1] constet nuncupatos esse? Ipsum quippe Dei filium, quem nos Verbum dicimus, Græci λόγον appellant, hoc est divinæ mentis conceptum, seu Dei sapientiam, vel rationem. Unde et Augustinus in libro *Quæstionum octoginta trium* capite quadragesimo quarto[2] : « In principio, » inquit, « erat Verbum, quod græce λόγος dicitur. » Idem in libro *Contra quinque Hæreses* : « In principio erat Verbum. Melius Græci λόγος *dicunt*, λόγος quippe Verbum significat et rationem. » Et Hieronymus *ad Paulinum* de divinis scripturis[3] : « In principio erat Verbum, λόγος græce multa significat. Nam et verbum est, et ratio, et supputatio, et causa uniuscujusque rei, per quam sunt singula, quæ subsistunt. Quæ universa recte intelligimus in Christo. » Quum ergo Verbum patris Dominus Jesus Christus λόγος græce dicatur, sicut et σοφία Patris appellatur : plurimum ad eum pertinere videtur ea scientia quæ nomine quoque illi sit conjuncta, et per derivationem quamdam a λόγος logica sit appellata : et sicut a Christo Christiani, ita a λόγος logica proprie dici videatur. Cujus etiam amatores tanto verius appellantur philosophi, quanto veriores sint illius sophiæ superioris amatores. Quæ profecto summi Patris summa sophia, quum nostram indueret naturam, ut nos veræ sapientiæ illustraret lumine, et nos ab amore mundi in amorem converteret sui; profecto nos pariter christianos, et veros effecit philosophos. Qui quum illam sapientiæ virtutem discipulis promitteret, qua refellere possint contradicentium disputationes, dicens[4] : « Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere adversarii vestri : » profecto post amorem sui, unde veri dicendi sunt philosophi, patenter et illam rationum armaturam eis pollicetur, qua in disputando summi efficiantur logici. Quæ duo de hoc videlicet amore, et doctrina ejus, quibus tam philosophi, quam summi efficerentur logici, hymnus ille Pentecostes « Beata nobis gaudia, » diligenter distinguit, quum dicitur :

Verbis ut essent proflui,
Et caritate fervidi.

Hæc enim duo maxime ille superni Spiritus adventus in igneis linguis reve-

[1] Locus corruptus. — [2] Cap. LXIII, *Opp.*, t. VI, col. 38. — [3] *Opp.*, t. IV, part. II, col. 570. — [4] Luc., cap. XXI, v. 15.

latus eis contulit : ut per amorem philosophos, et per rationum virtutem summos efficeret logicos. Unde bene Spiritus in ignis et linguarum specie est demonstratus, qui eis amorem et eloquentiam in omni genere linguarum conferret. Quis denique ipsum etiam Dominum Jesum Christum crebris disputationibus Judæos ignoret convicisse, et tam scripto quam ratione calumnias eorum repressisse : non solum potentia miraculorum, verum virtute verborum fidem plurimum astruxisse? Cur non solis usus est miraculis, ut hæc faceret, quibus maxime Judæi, qui signa petunt, commoverentur : nisi quia proprio nos exemplo instruere decrevit, qualiter et eos, qui sapientiam quærunt, rationibus ad fidem pertraheremus? Quæ duo Apostolus distinguens, ait[1] : « Nam et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt. » Hoc est rationibus plurimum isti, sicut illi maxime signis ad fidem moventur. Quum autem miraculorum jam signa defecerint, una nobis contra quoslibet contradicentes superest pugna, ut quod factis non possumus, verbis convincamus : præsertim quum apud discretos vim majorem rationes quam miracula teneant, quæ utrum illusio diabolica faciat, ambigi facile potest. Unde et Veritas[2], « Surgent, » inquit, « pseudo-prophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. » At vero, inquies, quia et in rationalibus plurimus error se ingerit, ut non facile discernat, quum rationes inducuntur argumentorum, quæ et pro rationibus suscipiantur, et quæ tanquam sophismata respuantur? Ita, inquam, his accidit, qui peritiam argumentorum non sunt adepti. Quod ne forte accidat, rationi disserendi, hoc est logicæ disciplinæ, opera est danda, quæ, ut beatus meminit Augustinus, ad omnia genera quæstionum penetranda, quæ in sacris litteris incidunt, plurimum valet. Sed hoc certe apud illos Doctores necessarium est, qui solvendis quæstionibus se sufficere confidentes, eas minime subterfugiunt.

[1] *Corinth. I*, cap. I, v. 22. — [2] Matth., cap. XXIV, v. 24.

APPENDIX.

Quanquam huic editioni opera tantum Abælardi inserere constituimus, non omittenda tamen censuimus opuscula quædam, quæ et vitam et scripta ejus præcipue illustrant et quorum nonnulla ab Amboesio in lucem edita sunt. Ea in *Appendice* seposuimus, cujus pars prior, huic subjuncta volumini, omnia continet, quæ ad Abælardi et Heloissæ vitam pertinent : pars posterior, ad calcem rejecta voluminis alterius, opuscula theologica complectetur.

I.

EPISTOLA

FULCONIS PRIORIS DE DIOGILLO,

AD PETRUM ABÆLARDUM.

[Legitur inter Opera Abælardi edita ab Amboesio, p. 217-223. Cf. *Hist. litt. de la France*, t. XII, p. 249-251.]

Petro Deo gratias cucullato frater Fulco vitæ consolationem præsentis et futuræ.

Sæcularis vitæ pericula qui sine periculo se putat evadere, non minus mihi desipere videtur, quam, si quum insipiens, quispiam se existimat sapientem. Quanto utique involvatur errore stultitiæ non opus est me monstrare, quum luce clarius pateat sapienti. Fortuna reguntur, qui diutius sibi permanere in hujus felicitatis mutabilitate promittunt. Quam sit contrarium rationi hoc opinari, monstrat sui mutatione infida felicitas. Non est humanum, stabilitate durare. Et licet res humanæ quotidie in deteriora labantur, et felicitatis jocunda vanitas frequenter feriatur contrariis : homines tamen miseri hujus temporis familiares et amicissimi finem rerum attendere negligunt, et quam multis subjaceant periculis, quantulacunque deliniti prosperitate oculo providentiæ metiuntur. Sed quum ferit adversitas, aut in desperationem præcipitat, aut ad fructum animadversionis elevat; attamen demum quod homines sint agnoscunt. Desperatis et impœnitentibus neque in hoc sæculo, neque in futuro remissionis venia relinquitur ulla : sperantes autem in Domino misericordia circumdabit[1]. Affluentissime tibi paulo ante mundi hujus gloria blandiebatur, et te incertis fortunæ casibus esse obnoxium non sinebat advertere. Roma suos tibi docendos transmittebat alumnos : et quæ olim omnium artium scientiam auditoribus solebat infundere, sapientiorem te se sapiente transmissis scolaribus monstrabat. Nulla terrarum spatia, nulla montium cacumina, nulla concava vallium, nulla via difficili licet obsita periculo, et latrone, quominus ad te properarent retinebat. Anglorum turbam juvenum mare interjacens et undarum procella terribilis non terrebat : sed omni periculo contempto, audito tuo nomine, ad te confluebat. Remota Britannia sua animalia erudienda destinabat. Andegavenses eorum edomita feritate tibi famu-

[1] Psalm. xxxvii, v. 16.

labantur in suis. Pictavi, Vuascones et Hiberi : Normania, Flandria, Theutonicus et Suevius tuum calere ingenium, laudare et prædicare assidue studebat. Præterco cunctos Parisiorum civitatem habitantes, et intra Galliarum proximas et remotissimas partes qui sic a te doceri sitiebant, ac si nihil disciplinæ non apud te inveniri potuisset. Ingenii claritate, et suavitate eloquii, et linguæ absolutioris facilitate, necnon et scientiæ subtilitate permoti, quasi ad limpidissimum philosophiæ fontem iter accelerabant. Nam illud, quod sic te, ut aiunt, præcipitem dedit, singularum scilicet feminarum amorem, et laqueos libidinis earum, quibus suos capiunt scortatores, melius mihi videor præterire, quam aliquid dicere quod ordini nostro, et regulæ nostræ religionis non concordet : quandoquidem sermo de talibus sæpe magis soleat nocere bonis, quam prodesse. Hac fortassis in te bonorum congregatione in te et super te elatus (quamvis sapiens, si hujus nominis significationem in se non exstinguat, his animi bonis minime moveatur) in superbiam, initium et pestem omnium malorum, et inanissime efferbueras, et te jactantiæ vento ostentandi, omnes fere alios, etiam sanctos, qui ante te sapientiæ operam dederant, ut aiunt qui te frequentius audiebant, inferiores te existimabas [1]. At omnipotens Dei dignatio et benignitas, qui superbiæ ventum facit evanescere, et humilitatis gratiam multiplicat; qui neminem morbo ægrotantem superbiæ, aliisque animi ægritudinibus laborantem non justo judicio despicit; tuæ mentis inflationem, et oculorum extollentiam hoc adversitatis genere tui miserando perdomuit : quatenus et in te superbe non saperes, et alios quosque bonos vituperando negligere desisteres; castimoniæque sanctitate, et continentiæ laudabili devotione de reliquo polleres. Hæc corporis particula, quam omnipotentis Dei judicio, et beneficio perdidisti, quantum tibi nocuerat, ac nocere, quandiu permansit, non desistebat, melius tuarum diminutio rerum, quam mea possit monstrare oratio, docet. Quidquid vere scientiæ tuæ venditione perorando præter quotidianum victum et usum necessarium, sicut relatione didici, acquirere poteras, in voraginem fornicariæ consumptionis demergere non cessabas. Avara meretricum rapacitas cuncta tibi rapuerat. Nulla audierunt sæcula meretricem velle alteri misereri, vel pepercisse rebus appetitorum, quas quoquo modo auferre potuerunt. Videtur hoc probare tua profunda paupertas, qui nihil, ut dicitur, præter pannos ex tanto quæstu habebas, quum his primum casibus subjacuisti fortunæ. Damnum quidem in hoc tempore tui corporis pertulisti, et secundum sæculi vanitatem, te forsitan reputas, aut reputari æstimas viliorem : omnium infelicem æstimationem, et penitus a vera ratione destitutam reputationem. Si verius quod justum et bonum est perscrutari tecum et solus studiosa frequentique meditatione velles, postposita vanitate, invenires quantum tibi afferat utilitatis particularum ista mutilatio. Primum quidem,

[1] Vide *Hist. calamit*, p. 9 et sq. hujus voluminis.

quod plurimas evasisti passiones, quibus frequenter quatiuntur, qui tale aliquid minime perdiderunt : et quibus nequaquam tenentur obnoxii, ut physici affirmant, qui hujus partis corporis privatione ab omni felicitate se cecidisse stolidissime putant. Deinde autem quod ardore libidinis et luxuriæ facibus, quo malo aliquando tanguntur etiam sancti, nullam ex hoc jam nisi sola cogitatione patieris vexationem : sed extincta feralis flamma incendii, ad te redeas necesse est, mentemque, quæ per multa et dulcia luxuriæ insania vagabatur, in solidum recolligas. Jam poteris liber, nulla retractante libidine, omnium vias cognoscere rationum, et causas, quas aut parum, aut nihil percipiunt, qui per diversa libidinis incitamenta raptantur. Adde quod pecunia tua, si quam tibi habere licuerit (non enim est monachorum sine licentia proprium quid habere), vexatione distrahentium non erit obnoxia. Amodo incipies possidere quod multis paulo ante distrahebatur eviscerationibus. Hoc quoque magni existimare debes, quod nulli suspectus, ab omni hospite hospes tutissime recipiaris. Maritus uxoris violationem ex te, vel lectuli concussionem minime formidabit. Decentissime ornatarum turmas matronarum inviolabiliter pertransibis. Virginum choros flore juventutis splendentium, quæ etiam senes jam calore carnis destitutos suis motibus in fervorem libidinis inflammare consueverunt, non timens earum incessus et laqueos, securus et sine peccato miraberis. Sodomitarum secretos recessus, quos detestatur super omnes turpissimos divinæ justitiæ veritas, et eorum turpia et maligna consortia, quæ quidem semper odisti, de cætero te sine intermissione vitare verum est. Et omnino post hos hujus fragilissimæ fragilitatis fluxus, quod magnum Dei gratiæ munus in hoc ordine æstimo, nocturnas somniorum illusiones te minime sentire ita certum est, sicut certum est, quoniam voluntatem, si forte aderit, nullus sequetur effectus. Blanditiæ[1] uxoris, corporumque contactus, sine quo uxor haberi non potest, ac liberorum cura singularis, quominus Deo placeas minime retardabunt. Quam magnum æstimas bonum, peccandi periculis te subtrahi, et in non peccandi securitate constitui? Leoninam itaque meretricum ferociam, quam primum ad se introeuntibus ostendunt, serpentinæ deceptionis astutiam, captivæ earum luxuriæ incontinentiam poteris vitare superbus. Quod loquor melius de reliquo rerum experientia es cogniturus, quam verbis valeam explicare. Origenes ille, cujus alta sapientia ubique prædicatur et colitur, præter hoc quod quædam errata minime correxerit, referens tamen culpam in Ambrosium discipulum, ut dicit beatus Hieronymus, qui clanculum edita, ante tempus in lucem protulerit, ille, inquam, Origenes[2] devitans omnem libidinis suspicionem, hac parte corporis se sponte privavit. Joannes et Paulus, Protus et Hyacinthus, aliique plures gloriosi martyres, gloria et honore in supercœlestibus in præsentia Dei coronati, in hac temporis brevitate gaudent genitalibus

[1] Aliter *blandimenta*. — [2] Euseb., *Hist. eccles.*, lib. VI, cap. VII.

caruisse. Et beati sunt, qui propter regnum cœlorum se castraverunt. Poteram fortasse plurima talium exempla ponere, sed quæ dicta sunt sufficiant. Ergo, frater, ne doleas, nec contristeris, nec perturbatione hujus incommodi quatiaris, præsertim quum hoc tam plures, ut dictum est, utilitatis afferat fructus; et quod hoc modo factum est, semper et irreparabile permaneat et evulsum. Sit hoc tibi solamen assidue quod redintegrari natura non patitur, levius potest tolerari.

.... Fer et hæc (ut ait ille[1]), solatia tecum,

quoniam tempore hujus diminutionis vel thorum violando aliorum, vel in aliquo fornicationis veneno minime deprehensus es. Membra quieti dederas et sopori, nullique malum inferre parabas, quum ecce manus impietatis et ferramentum exitiale sanguinem tuum innoxium gratis fundere non dubitaverunt. Plangit ergo hoc tuum vulnus et damnum venerabilis episcopi benignitas, qui, quantum licuit, vacare justitiæ studuit. Plangit liberalium canonicorum ac nobilium clericorum multitudo. Plangunt cives, civitatis hoc dedecus reputantes, et dolentes suam urbem tui sanguinis effusione violari. Quid singularum feminarum referam planctum, quæ sic, hoc audito, lacrymis, more femineo, ora rigarunt, propter te militem suum, quem amiserant, ac si singulæ virum suum aut amicum sorte belli reperissent exstinctum? Tantus ergo omnium luctus exstitit, ut melius mihi videaris te debere velle periisse quam servasse quod periit. Felix se nescit amari. Pene tota civitas in tuo dolore contabuit. Habes arram veræ dilectionis in te, quam si prius agnovisses, nullas, meo judicio, divitias illi comparabiles æstimares. Sed forsitan illo sermone prophetico mihi respondere contendes : « Renuit consolari anima[2]. » Non possum non dolere tam probroso tactus incommodo : quoniam hoc hominum genus suam solet ætatem adducere. Nudantur genæ post modicum ornamento pilorum, et gloria cutis in facie in rugam contrahitur, pallor inconveniens confundit vultum, et qui me aliquando noverunt, ex quo faciem meam viderint, statim esse mutilum hac corporis parte sunt cognituri. Exigam ergo mei vindictam dedecoris, et totum meæ pondus injuriæ romanis auribus intimare studebo, et tam episcopum quam canonicos, quoniam primum judicium de illo qui in me malus exstitit, mutare machinati sunt, quantum potero perturbabo, ac tum demum intelligent, quam sit contrarium honestati a rigore justitiæ deviasse. » O miserum valde consilium, et omni destitutum utilitate! Nunquid non audisti aliquando de Romanorum avaritia et impuritate? Quis unquam suis potuit opibus meretricum voraginem satiare? Quis potuit sacculis cupiditatis earum sufficere crumenis? Quantum ergo ratione colligo, nec tibi, nec Ecclesiæ tuæ, hoc etiam cogitare, salubre consilium esse dignoscitur. Et plurimum monasterio tuo, cui addictus

[1] Lucan., *Pharsal.*, VI, v. 802. — [2] Psalm. LXXVI, v. 3.

es, debes studere, prodesse potius quam obesse. Quamplurimum te obesse, si hoc agere intenderis, nulli, qui sapiat, erit in incerto. Substantia tuæ rei ad visitationem romani pontificis, quum aut modica sit, aut nulla, minime sufficit. Quid palatinis morsibus objectabis? Parentum vel amicorum tuorum (omnes enim oderunt te propter te) rei familiaris subventio, vel aliorum, in nullo ministrabit tibi. Restat ergo, ut, si Romam expetieris, monasterii tui opibus, quæ res ei grande damnum exstiterit, necesse est iter arripias. Quod si defecerit, et iter tamen impleveris, incassum te sudasse nulli dubitare fas est. Quotquot enim nostris temporibus ad illam sedem sine pondere pecuniæ accesserunt, perdita causa, confusi et reprobi abscesserunt. Si protervus exstiteris, et causam tuam inter eos exponere volueris, de te quidem commovebis risum : justitiam vero consequeris nullam. Perdes itaque tanti laboris fructum et operam, et Ecclesiæ parisiensis pontificem et canonicos monasterio tuo et fratribus reddes acerbissimos et infestissimos inimicos. Frustra autem niti, ut dicit historicus, et nil nisi odium acquirere, extremæ dementiæ est. Si de vindicta quereris, quam multum sitit anima tua et desiderat, noli continuo morderi dolore et tabescere : quia jam in maxima parte visa est adimpleri. Nam quidam illorum, qui tibi nocuerunt, oculorum privatione et genitalium abscisione mutilati sunt. Ille autem qui per se factum abnegat, jam ab omni possessione sua bonorum suorum comportatione exturbatus est. Noli ergo canonicos vel episcopum tui sanguinis effusores vel perditores vocare, qui propter te et propter se, quantum potuerunt, justitia intenderunt, sed audi consilium bonum et veri amici consolationem. Monachus es et sanctæ religionis habitum, non invitus, sed sponte sumpsisti. Non igitur amplius tibi vindictam exigere licet, si in veritate vis tenere et amare quod in hujus nominis significatione monstratur contineri. Si vero odio habueris etiam inimicum qui hoc opus fecit, nec odire desinis; afferat aliud qui velit, ego confidenter assero, vestem quidem Christi portare potes, sed ad nullam tibi utilitatem proveniet. « Sequimini, » inquit Apostolus [1], « pacem cum omnibus et sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum. » « Mihi vindicta, » inquit Dominus, « et ego retribuam[2]. » Si vis esse perfectus, incipe Christum perfecte diligere, et usque ad inimicum diligendum pertinges. Dimitte minas et verba ampullosa incassum effundere. Neque enim potes implere quod cupis. Injuria injuste irrogata, non cui irrogatur, sed ei qui irrogat, infamia est. Noli de cætero de amissa dolere felicitate, quam semper adversitatis incommoda prosequuntur. Si ergo in sancto proposito permanseris usque in finem nec defeceris; Christus omnia quæ perdidisti, multipliciter et mirabiliter reformabit in glorificatione corporum in futuro beatorum; ac tum demum regula dialecticorum falsa apparebit, dicentium in habitum nunquam posse redire privationem. Vale in Domino.

[1] *Hebr.*, cap. XII, v. 14. — [2] *Rom.*, cap. XII, v. 19.

II.

ELEGIA,

QUA HILARIUS PETRI ABÆLARDI DISCIPULUS

PLANGIT RECESSUM PRÆCEPTORIS SUI EX PARACLETO.

[Legitur pag. 243-244 edit. Amb. Exstant Hilarii *Versus et Ludi*, quos nuper publici juris fecit Champollion-Figeac (Lutetiæ Parisiorum, 1838). Cf. *Histoire littéraire de France*, XII, 251 et sq.]

Lingua servi, lingua perfidiæ,
Rixæ motus, semen discordiæ,
Quam sit prava sentimus hodie,
Subjacendo gravi sententiæ.
Tort avers nos [1] li mestre.

Lingua servi, nostrum dissidium,
In nos Petri commovit odium,
Quæ meretur ultorem gladium
Quia nostrum exstinxit studium.
Tort avers nos li mestre.

Detestandus est ille rusticus,
Per quem cessit a schola clericus;
Gravis dolor quod quidam publicus
Id effecit ut cesset logicus.
Tort avers nos li mestre.

Est dolendum quod lingua servuli
Magni nobis causa periculi
Susurravit in aurem creduli
Per quod ejus cessant discipuli.
Tort avers nos li mestre.

O quam durum magistrum sentio,
Si pro sui bubulci nuntio,
Qui vilis est et sine pretio,
Sua nobis negetur lectio.
Tort avers nos li mestre.

Heu quam crudelis iste nuntius
Dicens : « Fratres, exite citius,
Habitetur vobis Quinciacus :
Alioquin, non leget monachus. »
Tort avers nos li mestre.

Quid, Hilari, quid ergo dubitas?
Cur non abis, et villam habitas?
Sed te tenet diei brevitas,
Iter longum, et tua gravitas.
Tort avers nos li mestre.

Ex diverso multi convenimus,
Quo logices fons erat plurimus,
Sed discedat summus et minimus :
Nam negatur quod hic quæsivimus.
Tort avers nos li mestre.

Nos in unum passim et publice
Traxit aura torrentis logicæ :
Desolatos, magister, respice,
Spemque nostram, quæ languet, refice.
Tort avers nos li mestre.

Per impostum, per deceptorium
Si negare vis adjutorium,
Hujus loci non oratorium
Nomen erit, sed ploratorium.
Tort avers nos li mestre.

[1] Aliter *vos*.

III.

EPISTOLA

PETRI VENERABILIS ABBATIS CLUNIACENSIS

AD DOMINUM INNOCENTIUM II, PAPAM, PRO PETRO ABÆLARDO.

[Legitur pag. 335-336 edit. Amb. Cf. pag. 70 hujus voluminis.]

Summo pontifici et nostro speciali patri, Domino papæ Innocentio frater Petrus humilis Cluniacensium abbas obedientiam et amorem.

Magister Petrus sapientiæ vestræ, ut credo, optime notus, nuper a Francia veniens, per Cluniacum transitum fecit : quæsivimus quo tenderet : gravatum se vexationibus quorumdam, qui sibi, quod valde abhorrebat, nomen hæretici imponebant, majestatem apostolicam se appellasse, et ad eam confugere velle respondit. Laudavimus propositum, et, ut ad notum et commune refugium confugeret, admonuimus : justitiam apostolicam, quæ nulli unquam etiam extraneo vel peregrino defuit, sibi non defuturam diximus. Misericordiam ipsam, ubi ratio postularet, sibi occursuram promisimus. Venit interim dominus Cisterciensis abbas, et de pace ipsius et domini Claræ-vallensis, cujus causa appellaverat, nobiscum et cum ipso pariter egit. Dedimus et nos operam paci ejus : et, ut ad illum cum ipso iret, hortati sumus. Addidimus hoc monitis nostris, ut si qua catholicas aures offendentia aut scripsisset, aut dixisset : hortatu ejus et aliorum bonorum et sapientum, et a verbis suis amoveret, et a libris abraderet. Et factum est ita. Ivit, rediit; cum domino Clarævallensi, mediante Cisterciensi, sopitis prioribus quærelis, se pacifice convenisse reversus retulit. Interim a nobis admonitus, magis autem a Deo, ut credimus, inspiratus, dimissis scholarum et studiorum tumultibus, in Cluniaco vestra sibi perpetuam mansionem elegit. Quod nos senectuti ejus, debilitati ejus, religioni ejus congruere putantes, et scientiam ejus vobis ex toto non incognitam magnæ fratrum nostrorum multitudini proficere posse credentes, voluntati ejus assensimus : et, si sic benignitati vestræ beneplacitum esset, benigne et cum gaudio nobiscum, vestris, ut nostis, per omnia, remanere concessimus. Rogo igitur ego qualiscunque, tamen vester, rogat devotissimus vobis Clu-

niacensis conventus, rogat ipse per se, per nos, per præsentium latores filios vestros, per has, quas ut scriberem rogavit litteras, ut reliquos dies vitæ et senectutis suæ, qui fortasse non multi sunt, in Cluniaco vestra eum consummare jubeatis, et ne a domo, quam velut passer, ne a nido, quem velut turtur invenisse se gaudet, aliquorum instantia aut expelli, aut commoveri valeat, more quo omnes bonos colitis, et etiam istum dilexistis, scuto defensionis apostolicæ protegatis.

IV.

EPISTOLA

EJUSDEM PETRI ABBATIS CLUNIACENSIS

AD HELOISSAM PARACLITI ABBATISSAM.

[Pag. 337-338 edit. Amb. Cf. pag. 71 hujus voluminis.]

Venerabili et in Christo plurimum dilectæ sorori Heloissæ abbatissæ, fratrer Petrus humilis Cluniacensium abbas, salutem, quam promisit Deus diligentibus se.

Acceptis litteris charitatis tuæ[1], quas mihi nuper per filium meum Theobaldum misisti, gavisus, et eas mittentis gratia amicabiliter amplexus sum. Volui statim rescribere quod animo insederat : sed impedientibus importunis curarum exactionibus, quibus plerumque, imo pene semper, cedere compellor, non potui. Vix tamen a tumultibus tandem interpolata die, quod conceperam, attentavi. Visum est ut affectui tuo erga me, quem et tunc ex litteris, et prius ex mihi missis xeniis cognoveram : saltem verborum vicem rependere festinarem, et quantum in corde meo locum tibi dilationis in Domino servarem, ostenderem. Revera enim non nunc primum diligere incipio, quam ex multo tempore me dilexisse reminiscor. Necdum plene metas adolescentiæ excesseram, necdum in juveniles annos evaseram, quando nomen, non

[1] Hæ litteræ non exstant.

quidem adhuc religionis tuæ, sed honestorum tamen et laudabilium studiorum tuorum mihi fama innotuit. Audiebam tunc temporis mulierem, licet necdum sæculi nexibus expeditam, litteratoriæ scientiæ, quod perrarum est, et studio licet sæcularis sapientiæ summam operam dare : nec mundi voluptatibus, nugis vel deliciis, ab hoc utili discendarum artium proposito retrahi posse. Quumque ab his exercitiis detestanda desidia totus pene torpeat mundus, et ubi subsistere possit pes sapientiæ, non dicam apud sexum femineum, a quo ex toto explosus est, sed vix apud ipsos viriles animos invenire valeat : tu illo efferendo studio tuo et mulieres omnes evicisti, et pene viros universos superasti. Mox vero, juxta verba Apostoli[1], ut complacuit ei, qui te segregavit ex utero matris tuæ, vocare te per gratiam suam, longe in melius disciplinarum studia commutasti : et pro logica Evangelium, pro physica Apostolum, pro Platone Christum, pro academia claustrum tota jam et vere philosophica mulier elegisti. Eripuisti victis spolia hostibus, et de thesauris ægyptiacis per hujus peregrinationis desertum transiens, pretiosum in corde tuo tabernaculum Deo erexisti. Cantasti cum Maria, demerso Pharaone[2], canticum laudis; et beatæ mortificationis tympanum, ut olim illa, præ manibus gerens, novi modulaminis melos usque ad ipsas deitatis aures docta tympanistria transmisisti. Conculcasti jam incipiendo, quod per Omnipotentis gratiam bene perseverando conteres vetusti anguis, ac semper mulieribus insidiantis caput : atque elides, ut nunquam ulterius contra te sibilare audeat. Ostentui facis et facies superbum principem principem mundi : et illum, qui divina voce vocatur[3] rex filiorum superbiæ, et juxta ipsius Dei ad beatum Job verba[4], tibi ac tecum cohabitantibus ancillis Dei alligatum ingemiscere coges. Et vere singulare miraculum, ac super omnia miranda opera extollendum, eum, quo, juxta prophetam, cedri non fuerunt altiores in paradiso Dei[5], et cujus summitatem frondium abietes non adæquarunt, a fragili sexu vinci : et fortissimum archangelum a muliere infirmissima superari. Gignitur tali duello maxima gloria conditori : infertur e converso summa ignominia deceptori. Exprobratur ei hoc certamine, non solum stultum, sed et super omnia ridiculum fuisse, illum aspirasse ad æqualitatem sublimissimæ majestatis, qui nec breve luctamen ferre prævalet feminæ debilitatis. Sustinet caput cujuslibet victricis illius, merito talis victoriæ, gemmeam a rege cœlorum coronam; ut quanto, in transacta pugna carne infirmior, tanto in remuneratione sempiterna appareat gloriosior. Hæc, charissima in Domino soror, vere non adulando, sed exhortando dico, ut magnum, in quo aliquamdiu perstitisti, bonum attendens, ad caute illud conservandum animosior reddaris : ut sanctas illas, quæ tecum Domino serviunt, secundum gratiam a Deo tibi collatam, ut in eodem sollicite

[1] *Galat.*, cap. I, v. 15.— [2] *Exod.*, cap. XV, v. 20 et 21.— [3] Job, cap. XLI, v. 25. — [4] Job, cap. XL. — [5] *Ezech.*, cap. XXXI, v. 8.

agone contendant, verbis pariter et exemplis accendas. Es enim unum de animalibus illis, quæ Ezechiel propheta vidit[1], licet sis mulier : quæ non tantum ut carbo ardere, sed ut lampas ardere debes pariter et lucere. Es quidem discipula veritatis, sed es etiam ipso officio, quantum ad tibi commissas pertinet, magistra humilitatis. Humilitatis plane, et totius cœlestis disciplinæ, tibi a Deo magisterium impositum est : unde non solum tui, sed et commissi gregis curam habere, et pro universis, majorem universis debes mercedem recipere. Manet tibi certe palma pro omnibus : quia, ut optime nosti, quotquot ducatu tuo mundum mundique principem vicerint, tot tibi triumphos, tot gloriosa trophæa apud æternum regem et judicem præparabunt. Sed nec omnino apud mortales insolitum est feminas feminis principari, nec ex toto inusitatum etiam præliari; ipsos insuper viros ad prælia comitari. Nam si verum est quod dicitur[2]

....Fas est et ab hoste doceri,

et apud gentiles amazonum regina Penthesilæa cum suis amazonibus, non viris, sed mulieribus, Trojani belli tempore, sæpe pugnasse scribitur[3] : et in populo etiam Dei, prophetissa Debora[4] Barach judicem Israel contra Ethnicos animasse legitur. Cur ergo non liceat feminas virtutis contra fortem armatum ad prælia procedentes, ductrices fieri exercitus Domini, quum et illa, quod quidem indecens videbatur, manu tamen propria contra hostes pugnaverit, et hæc nostra Debora viros ipsos ad bella divina commoverit, armaverit, accenderit? Victo dehinc Jabin rege, occiso Sisara duce, deleto prophano exercitu, cecinit statim canticum illa, illudque Dei laudibus devota dicavit[5]. Erit, Dei gratia hoc faciente, post datam tibi tuisque de longe fortioribus hostibus victoriam, longe tuum gloriosius canticum, quod sic læta cantabis, ut nunquam postea lætari, nunquam cantare desistas. Interim eris ancillis Dei, hoc est cœlesti exercitui, quod illa suo judaico populo Debora : nec a tam lucroso certamine, aliquo tempore, quolibet casu, nisi vincendo cessabis. Et quia hoc nomen Debora, ut tua novit eruditio, lingua hebraica apem designat; eris etiam in hoc et tu Debora, id est apis. Mellificabis enim tu, sed non soli tibi, quia quicquid boni per diversos et a diversis collegisti, exemplo, verbo, modisque quibus poteris, domesticis sororibus seu quibuslibet aliis, totum refundes. Satiabis hoc exiguo vitæ mortalis tempore et te ipsam sacrarum litterarum secreta dulcedine, et beatas sorores aperta prædicatione, quousque, juxta vocem propheticam, in illa, quæ promittitur, die, distillent montes æternam dulcedinem[6], et colles fluant lac et mel. Hoc enim licet de tempore gratiæ dicatur, nil obstat, imo et dulcius est, ut de tempore gloriæ accipiatur. Dulce mihi esset diu tecum de hujusmodi protrahere sermonem, quia et famosa

[1] *Ezech.*, cap. I. — [2] Ovid. *Metam.* lib. IV, v. 428. — [3] Justin., *Hist.*, lib. II, cap. IV, v. 31. — [4] Judicum IV, cap. IV. — [5] Ibid., cap. V. — [6] *Joel.*, cap. V, v. 18.

eruditione tua delector, et prædicata mihi a multis religione tua longe magis allicior. Utinam te Cluniacus nostra habuisset! Utinam te jucundus Marciniaci carcer cum cæteris Christi ancillis libertatem inde cœlestem exspectantibus inclusisset! Prætulissem opes religionis ac scientiæ maximis quorumlibet regum thesauris, et illarum sororum illud præclarum collegium cohabitatione tua clarius rutilare gauderem. Retulisses et ipsa ab ipsis non modicum quæstum, et summam mundi nobilitatem ac superbiam pedibus substratam mirareris. Cerneres omnigenos sæculi luxus miranda parcitate mutatos, et sordida quondam vasa diaboli in mundissima Spiritus sancti templa conversa. Videres puellas Dei, Satanæ vel mundo velut furto subtractas, super innocentiæ fundamentum altos virtutum erigere parietes : et usque ad ipsa cœli fastigia felicis fabricæ cacumen producere. Lætareris angelica virginitate florentes castissimis viduis junctas, et universas pariter beatæ illius et magnæ resurrectionis gloriam sustinentes, infra arcta septa domorum etiam corporaliter beatæ spei velut sepulcro jam conditas. Quæ licet omnia, et fortassis majora, cum tibi datis a Deo collegis habeas, licet forte nihil ad sacrarum rerum studium pertinens tibi addi possit : augeretur tamen augmento gratiarum tuarum non parvis, ut arbitror, commodis respublica nostra. Sed quamvis a dispensatrice omnium rerum providentia Dei hoc nobis de te negatum sit, concessum tamen est de illo tuo, de illo, inquam, sæpe ac semper cum honore nominando servo ac vere Christi philosopho magistro Petro : quem in ultimis vitæ suæ annis eadem divina dispositio Cluniacum transmisit : et eam in ipso et de ipso super omne aurum et topazion munere cariore ditavit. Cujus sanctæ, humili ac devotæ inter nos conversationi, quod quantumve Cluniacus testimonium ferat, brevis sermo non explicat. Nisi enim fallor, non recolo vidisse me illi in humilitatis habitu et gestu similem : in tantum ut nec Germanus abjectior, nec ipse Martinus bene discernenti pauperior appareret. Quumque in magno illo fratrum nostrorum grege, me compellente, gradum superiorem teneret, ultimus omnium vestitu incultissimo videbatur. Mirabar sæpe, et in processionibus eo me cum reliquis pro more præcedente, pene stupebam, tanti tamque famosi nominis hominem sic seipsum contemnere, sic se abjicere posse. Et quia sunt quidam religionis professores, qui ipsum quem gerunt habitum religiosum nimis esse cupiunt sumptuosum, erat ille prorsus parcus in istis, et cujuscumque generis simplici veste contentus, nil ultra quærebat. Hoc et in cibo, hoc et in potu, hoc et in omni cura corporis sui servabat : et non dico superflua, sed et cuncta nisi valde necessaria, tam in se quam in omnibus verbo pariter et vita damnabat. Lectio erat ei continua, oratio frequens, silentium juge, nisi aut fratrum familiaris collatio, aut ad ipsos in conventu de divinis publicus sermo eum loqui urgebant. Sacramenta cœlestia, immortalis Agni sacrificium Deo offerendo, prout poterat, frequentabat, imo postquam litteris et labore meo apostolicæ gratiæ redditus est, pene continuabat. Et quid multa? mens ejus, lingua ejus, opus ejus, semper divina, semper philosophica,

semper eruditoria meditabatur, docebat, fatebatur. Tali nobiscum vir simplex et rectus, timens Deum et recedens a malo, tali, inquam, per aliquantum temporis conversatione ultimos vitæ suæ dies consecrans Deo, pausandi gratia (nam plus solito scabie et quibusdam corporis incommoditatibus gravabatur) a me Cabillonem missus est. Nam propter illius soli amœnitatem, qua cunctis pene Burgundiæ nostræ partibus præminet, locum ei habilem prope urbem quidem, sed tamen Arari interfluente, provideram. Ibi juxta quod incommoditas permittebat, antiqua sua revocans studia, libris semper incumbebat : nec, sicut de magno Gregorio legitur, momentum aliquod præterire sinebat, quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. In his sacrorum operum exercitiis eum adventus illius evangelici visitatoris reperit, nec eum, ut multos, dormientem, sed vigilantem invenit. Invenit eum vere vigilantem, et ad æternitatis nuptias, non ut fatuam, sed ut sapientem virginem evocavit. Attulit enim ille secum lampadem plenam oleo, hoc est conscientiam refertam sanctæ vitæ testimonio. Nam ad solvendum commune mortalium debitum morbo correptus eoque ingravescente in brevi ad extrema perductus est. Tunc vero quam sancte, quam devote, quam catholice primo fidei, dehinc peccatorum confessionem fecerit, quanto inhiantis cordis affectu viaticum peregrinationis ac vitæ æternæ pignus, corpus scilicet redemptoris Domini acceperit, quam fideliter corpus suum et animam hic et in æternum ipsi commendaverit, testes sunt religiosi fratres et totus illius monasterii, in quo corpus sancti martyris Marcelli jacet, conventus. Hoc magister Petrus fine dies suos consummavit; et qui singulari scientiæ magistro toti pene orbi terrarum notus et ubique famosus erat, in illius discipulatu qui dixit[1] : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, » mitis et humilis perseverans, ad ipsum, ut dignum est credere, sic transivit. Hunc ergo, venerabilis et carissima in Domino soror, cui post carnalem copulam tanto validiore quanto meliore divinæ caritatis vinculo adhæsisti, cum quo et sub quo diu Domino deservisti : hunc, inquam, loco tui, vel ut te alteram in gremio suo confovet, et in adventu Domini, in voce archangeli, et in tuba Dei descendentis de cœlo, tibi per ipsius gratiam restituendum reservat. Esto ergo in Domino memor ipsius, esto etiam, si placet, et sanctis sororibus tecum domino famulantibus fratres congregationis nostræ ac sorores, qui ubique terrarum pro posse suo eidem, cui et tu, Domino famulantur, sollicite commenda. Vale.

[1] Matth., cap. XI, v. 29.

V.

EPISTOLA

HELOISSÆ AD PETRUM ABBATEM CLUNIACENSEM.

[Pag. 343 edit. Amb.]

Petro reverendissimo Domino et patri ac venerabili abbati Cluniacensium Heloissa humilis Dei et ejus ancilla spiritum gratiæ salutaris.

Visitante nos Dei misericordia, dignationis vestræ nos visitavit gratia. Gratulamur, pater benignissime, et, quod ad parvitatem nostram magnitudo vestra descenderit, gloriamur. Est siquidem vestra visitatio, magna magnis quibuslibet gloriatio. Norunt alii quantum eis utilitatis vestræ contulerit præsentia sublimitatis : ego certe non dicam enarrare dictu, sed nec ipso valeo comprehendere cogitatu, quam utilis, quam jucundus vester mihi fuerit adventus. Abbas noster, dominus noster apud nos anno præterito XVI kalendis decembris missam celebrastis, in qua Spiritui sancto nos commendastis; in capitulo divini nos sermonis elogio cibastis, corpus magistri nobis dedistis ac beneficium Cluniacense concessistis. Mihi quoque, quam nec ancillæ nomine dignam sublimis humilitas vestra tam scripto quam verbo sororem vocare non dedignata est, singulare quoddam velut amoris et sinceritatis privilegium donastis, Tricenarium scilicet, quod mihi defunctæ conventus Cluniacensis persolveret. Indixistis etiam quod donum illud sigillatis confirmaretis apicibus. Quod itaque sorori, imo ancillæ concessistis, frater, imo dominus, impleatis. Placeat etiam vobis aliud mihi sigillum mittere, in quo magistri absolutio litteris apertis contineatur; ut sepulcro ejus suspendatur. Memineritis et amore Dei et nostri Astralabii vestri, ut aliquam ei vel a parisiensi vel alio quolibet episcopo præbendam acquiratis. Vale. Dominus vos custodiat, et præsentiam vestram quandoque nobis exhibeat.

VI.

EPISTOLA

PETRI CLUNIACENSIS ABBATIS

AD HELOISSAM.

[Pag. 344-345 edit. Amb.]

Venerabili et carissimæ sorori nostræ, Deique ancillæ Heloissæ ancillarum Dei ductrici ac magistræ, frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, salutis a Deo, amoris a nobis in Christo plenitudinem.

Gavisus sum, et hoc non parum, legens sanctitatis vestræ litteras, in quibus agnovi adventum meum ad vos non fuisse transitorium, ex quibus adverti non solum me apud vos non fuisse, sed et a vobis nunquam postmodum recessisse. Non fuit, ut video, illud hospitium meum velut memoria hospitis unius noctis prætereuntis, nec factus sum advena et peregrinus apud vos, sed civis sanctarum, et domesticus, utinam, Dei. Sic sacræ menti vestræ cuncta inhæserunt, sic benigno spiritui vestro omnia impressa sunt, quæ in illo fugaci seu volatico adventu meo dixi, quæ feci, ut non dicam ea quæ studiose a me tunc dicta sunt, sed nec verbum forte negligenter prolatum, ad terram cederet. Ita notastis omnia, ita tenaci memoriæ ex sinceritatis affectu derivatæ commendastis, quasi magna, quasi cœlestia, quasi sacrosancta, quasi ipsius verba vel opera Jesu Christi. Forte moverunt vos ad illa sic retinenda, verba communis regulæ[1], hoc est tam nostræ quam vestræ, quæ de hospitibus præcipit, Christus in eis adoretur, qui et suscipitur. Forsitan et illa de præpositis, licet ego præpositus vobis non sim : « Qui vos audit, me audit[2]. » Utinam hæc mihi semper gratia detur apud vos, ut mei memor esse dignemini, ut pro me Omnipotentis misericordiam cum sacro gregis vobis commissi collegio deprecemini. Rependo et ego in hoc vobis vicem quam possum; quia et longe antequam vos viderem, et maxime ex quo vestri notitiam habui, singularem vobis in intimis mentis meæ recessibus veræ, non fictæ caritatis locum servavi. Donum quod de Tricenario vobis præsens feci, ab-

[1] *Regul.*, cap. LIII. – *Regul.*, cap. V. — [2] Luc., cap. X, v. 16.

sens, ut voluistis, scriptum et sigillatum transmitto. Mitto etiam sicut mandastis, magistri Petri absolutionem in charta similiter scriptam et sigillatam. Astralabio vestro vestrique causa nostro, mox ut facultas data fuerit, in aliqua nobilium Ecclesiarum præbendam libens acquirere laborabo. Res tamen difficilis est : quia, ut sæpe probavi, ad dandas in Ecclesiis suis præbendas variis objectis occasionibus, valde se difficiles præbere episcopi solent. Faciam tamen causa vestri quod potero, mox ut potero. Valete.

ABSOLUTIO PETRI ABÆLARDI.

Ego Petrus Cluniacensis Abbas, qui Petrum Abælardum in monachum Cluniacensem recepi, et corpus ejus furtim delatum Heloissæ abbatissæ et monialibus Paracleti concessi, authoritate omnipotentis Dei et omnium sanctorum absolvo eum pro officio ab omnibus peccatis suis.

VII.

EPITAPHIA ABÆLARDI.

1.

[Petrus venerabilis auctor hujus et sequentis epitaphii esse fertur. Vide Amboes., p. 342, et *Præfat. Apolog.*; Fabricii *Biblioth. med. et infimæ latinitatis*, Patavii 1754, in-4°, t. V, p. 235; *Hist. litt. de la France*, t. XII, p. 102.]

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles, logicis quicunque fuerunt,
Aut par, aut melior; studiorum cognitus orbi
Princeps; ingenio varius, subtilis et acer;
Omnia vi superans rationis, et arte loquendi
Abælardus erat; sed tunc magis omnia vicit,
Quum Cluniacensem monachum moremque professus,
Ad Christi veram transivit philosophiam.
In qua longævæ bene complens ultima vitæ,
Philosophis quandoque bonis se connumerandum
Spem dedit, undenas maio revocante kalendas.

2.

Petrus in hac petra latitat, quem mundus Homerum
Clamabat, sed jam sidera sidus habent.
Sol erat hic Gallis, sed eum jam fata tulerunt.
Ergo caret regio gallica sole suo.
Ille sciens quidquid fuit ulli scibile, vicit
Artifices, artes absque docente docens.
Undecimæ maii Petrum rapuere kalendæ,
Privantes logices atria rege suo.
Est satis in tumulo, Petrus hic jacet Abælardus,
Cui soli patuit scibile quidquid erat.

3.

[Ex Codice Oxoniensi, apud Rawlinson, in editione Epistolarum Petri Abælardi, p. III.]

Occubuit Petrus, succumbit eo moriente
Omnis philosophus, perit omnis Philosophia,
Scinditur in partes jam vestis Philosophiæ.
Gallia facta est frequens studiis et Philosophia,
Petrum defunctum deflet de Philosophia,
Gemma subtracta plangit solitaria facta.
Plangit Aristotelem sibi Logica nuper ademptum,
Et plangit Socratem sibi mœrens Ethica demptum,
Physica Platonem, Facundia sic Ciceronem,

Artes Artificem deplorant occubuisse,
Quod quid sentirent, senserunt exposuisse.
Petrus Aristoteles fuit ipse vel alter et hæres,
Solus Aristotelis metas qui reperit artes;
Hic docuit voces cum rebus significare,
Et docuit voces res significando notare.
Errores generum correxit, ita specierum;
Hic genus et species in sola voce locavit,
Et genus et species sermones esse notavit.
Significativum quid sit, quid significatum,
Significare quid sit prudens diversificavit;
Hic quid res essent, quid voces significarunt
Lucidius reliquis patefecit in arte peritis.
Sic animal nullumque animal genus esse probatur,
Sic et homo, sed nullus homo species vocitatur.
Ingenio fretus docuit subtilia Petrus
Dogmata doctores quæ non docuere priores,
Quantum difficiles aliis sunt omnibus artes
Tam Petro faciles, Petro referente patentes.
Petrus laudandus, Petrus plangendus ab hoste
Occidit : hunc subita rapuit sors invida morte.
Errorum nebulæ surgunt, te, Petre, cadente;
Si stares, caderent, et, te surgente, jacerent.
Gloria te celebrem fecit, tua fama perennem,
Nec potuit titulos mors abolere tuos.
Invidit mors ipsa tibi, qui causa fuisti
Omnibus invidiæ : mors inimica tibi.
Jam tua vocalis sententia facta realis
Mors argumentum, sic tibi tumba locus.
Hæc in voce docens, hæc in rebus didicisti,
Et moriendo probas quod moriatur homo.

4.

E Codice perantiquo, ap. Bern. Pez *Thes. anecd. noviss.*, Diss. Isag., p. XXII.]

Petrus amor cleri, Petrus inquisitio veri,
Lingua salutaris turbæque lucerna scholaris,
Argumentandi solertia, copia fandi,
Post mundi bella, nova fulget in æthere stella.
De mundo fragili sub mense vocatur aprili,
Eloquii flos, consilii ros, ingenii cos,
Grammaticæ fons, Rhetoricæ pons, ac Logicæ [mons,
Ecclesiæ lux, justitiæ dux inter iniquos,
Gymnasii fax, discipuli pax, justus et insons.
Hinc abiit, sed non obiit, nec desiit esse.
Præteriit sed non periit, transivit ad esse.
Aspera gens violenter agens, super hunc fabrica- [vit :
Christus eum super æthereum jubar exhilaravit.

5.

[Legitur inter Opera D. Philippi abbatis Bonæ-Spei, sacri ordinis Præmonstratensium (Duaci 1621, in-fol., p. 801), et de Abælardo nostro conditum esse fertur, quanquam solum magistri Petri nomen præferat.]

Lucifer occubuit, stellæ, radiate, minores,
Cujus vos radius hebetabat ut inferiores.
Illius occasu tandem venistis ad ortum
Naufragioque tulit vestræ ratis anchora portum.
Maturus, docilis, pius, egit, prætulit, emit
Cursum, jus, cœlum, tempore, lege, fide.

6.

[Ex chronico Richardi Pictaviensis, ap. *Rer. Gall. et Francic. Script.*, t. XII, p. 415.]

Summorum major Petrus Abælardus
Occidit, immanis factus dolor omnibus unus.
Gallia nil majus habuit vel clarius isto.
Nec mors cujusquam fit tanta ruina Latinis.
In quantum fama Romani nominis exit,
Illius ingenii studiorum fama volavit.
Namque oritur patre Pictavis et Britone matre,
Cum Francis studuit, monachus moritur Cabilo- [nis.

VIII.

EPITAPHIUM HELOISSÆ.

[Ap. Amboesium, in *Præfat. Apolog.* Cf. *Hist. litt. de la France*, t. XII, p. 646.]

Hoc tumulo abbatissa jacet prudens Heloissa.
Paraclitum statuit, cum Paraclito requiescit.
Gaudia sanctorum sua sunt super alta polorum.
Nos meritis precibusque suis exaltet ab imis.

IX.

LITTERÆ,

SEU DIPLOMATA SUMMORUM PONTIFICUM,

AD HELOISSAM PARACLITI ABBATISSAM.

[Ex chartulario Paraclitensis cœnobii. Vid. Amboesium, p. 346-356.]

I.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloissæ priorissæ, cæterisque sororibus in oratorio Sanctæ Trinitatis, quod in pago Trecensi, in parrochia Quinceii, supra fluvium Arduconem situm est, divino famulatui mancipatis tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Quoties illud a nobis petitur quod rationi cognoscitur convenire, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Proinde dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus assensum præbentes, monasterium Sanctæ Trinitatis, in quo divino vacatis servitio sub apostolicæ sedis protectione suscipimus, et præsentis scripti pagina communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona in præ-

sentiarum juste et legitime possidetis, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis in perpetuum et illibata permaneant. Sane laborum vestrorum decimas quas propriis excolitis sumptibus, seu annualium absque contradictione aliqua vobis concedimus possidendas. Nulli ergo hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed hæc omnia integra conserventur, vestris usibus perpetuo profutura. Ad indicium autem perceptæ hujus a romana Ecclesia libertatis, sex nummos quotannis Lateranensi palatio persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertioque commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Conservantes autem, intervenientibus beatorum apostolorum Petri et Pauli meritis, gratiam Domini nostri Jesu Christi et æternæ felicitatis præmia consequantur. Amen. Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ episcopus. Datum Autissiodori, per manum Aldierici sanctæ romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis et cancellarii, IV cal. decembris, ind. X, incarnationis Dominicæ anno MCXXXI, pontificatus vero domini Innocentii papæ II, anno II.

II.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloissæ abbatissæ, cæterisque sororibus in oratorio sanctæ Trinitatis, quod in pago Trecensi, in parochia Quinceii supra fluvium Arduconem situm est, divino famulatui mancipatis tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Quotiens illud, etc. [*Ut in præcedenti litt.*] Ad hæc adjicientes statuimus, ne propter benedictionem et consecrationem percipiendam de monasterio exire cogamini. Nec pro electione abbatissæ, aut alia qualibet occasione episcopus, vel alia qualibet persona, ullum vobis gravamen vel molestiam inferre præsumat. Nulli ergo omnino, etc. Ad judicium autem perceptæ hujus a romana Ecclesia libertatis unum obolum aureum quotannis Lateranensi palatio persolvetis. Si qua igitur, etc. Data Lisis, per manum Almerici sanctæ romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis et cancellarii, XV cal. julii, ind. XIII, incarnationis Dominicæ anno MCXXXVI, pontificatus domini Innocentii papæ II, anno VI.

III.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloissæ abbatissæ et sanctimonialibus Paraclitensis cœnobii salutem et apostolicam benedi-

ctionem. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Quanto itaque femineus sexus exstat fragilior, tanto magis erga vos paternam curam atque sollicitudinem volumus exhibere, et in quibus secundum Deum possumus quieti et utilitati vestræ salubriter providere. Locum itaque suum cum omnibus ad ipsum pertinentibus, quem Gundricus sacerdos in paterno prædio constructum religiosorum precibus et consilio rationabiliter vobis concessit, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et concessionem ipsam præsentis scripti pagina roboramus. Si quis autem hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere temptaverit, secundo tertiove commonitus, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III cal. januarii.

IV.

Lucius episcopus servus servorum Dei dilectis in Domino filiabus Heloissæ abbatissæ, cæterisque sororibus in oratorio Sanctæ Trinitatis divino famulatui mancipatis, etc. [*ut in I Innocentii Epist.*]. Datum Laterani, per manum Barrocii capellani et scriptoris, id. martii, ind. VII, incarnationis Dominicæ anno MCXLII, pontificatus vero domini Lucii II papæ anno I.

V.

Eugenius servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloissæ abbatissæ monasterii Sancti Spiritus ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis. Ad hoc nobis a provisore omnium bonorum Deo pastoralis officii cura commissa est, ut beneplacentem Deo religionem laboremus statuere, et stabilitam exacta diligentia conservare. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium, in quo divino mancipatæ estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona in agris, vineis, pratis, silvis, molendinis, aquis, decimis, seu aliis idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis, eisque quæ post vos successerint, et illibata permaneant, in quibus hæc specialiter duximus annotanda. Terram videlicet, in qua ipsum monasterium constructum est. Culturas in monte Limarsum. Quicquid habetis ex venditione seu donatione Milonis. Duo jugera terræ ante ipsum monasterium. Aliam terram in eodem loco. Culturam de fonte Amam. Totam terram quam Rainaldus habebat in parrochia de Quinceio, ex utraque parte fluvioli Arducionis.

Molendinum de Brufleto, culturam et quasdam alias terras, quas Hilduinus Decanus, et Seguinus frater ejus, et cognati eorum monasterio vestro dederunt. Medietatem furni de Quinceio, et vineam Baboel de Calestra[1]. Quicquid Arpinus de Mariaco tenebat de feodo Milonis, ex illa parte Sequanæ in qua monasterium est. Terram de Busseto, terras quas habetis apud Fontanetum Petrosum[2], et apud Bociam Vagonis, et in valle Faiel. Quatuor ochas de terra apud Ferroum[3], medietatem totius nemoris et terræ de Furvellis. Decem jugera terræ apud Bocennaium[4]. Tertiam partem molendini molentis et sextam terentis, et totam piscationem quam Maria de Balbusia habebat apud Pontes, et terram apud Pomerulos[5]. Modium frumenti singulis annis ab illustri comite Theobaldo vobis donatum, et totam piscationem in molendinis suis apud Pontes. Vineam quam dedit vobis Berfridus de Calestra, et duodecim denarios census apud sanctum Ferreolum, vineam apud Calestram, censum quinque solidorum in eodem loco. Apud Montem Portarum censum trium solidorum. Terram de Croisum. Totam terram, quam Rainaldus, filius Milonis, habebat in Murgeoris, usus nemorum de Gurgiuolt et de Poiseo, de Maceilliaco, de Charmeio et omnium nemorum Anselli de Triagnello tam ad pasturam pecorum quam ad ædificia, seu alia necessaria. Censum quinque solidorum in ponte de Baldimento[6], et sex solidos in molendino de Canturanæ, et quinque solidos in Oscha Theold, apud Gurgiuolt, et vineam de fonte Beton, et quicquid Willelmus habebat in prato Gandeleu; vineam de Saldon. Ex dono Gauterii de Curtemaim duos sextarios siliginis singulis annis. Terram de Tilliaco. Quicquid legitime habetis ex dono Hervulfi de Insula apud Villam-Novam et Tranqueil[7]. Terram de Spineto, terram apud Gumeri, terram apud Summum-Fontem[8], et apud Trembleium. Molendinum de Barsam. Medietatem molendini de fonte Amau. Partem molendini pagani de Frou. Quicquid habetis apud Planteiz. Censum sex denariorum ab Uberto de Tranqueil. Quicquid Thehelinus habebat in eodem loco præter homines. Tetram Amici militis de Summo-Fonte. Quicquid Ermengardius Postellus habebat in molendinis canonicorum Villæ Maurorum[9], et in hortis ultra pontem Vanæ. Partem piscationis, quam Felix habebat in aqua Bucennaii, et partem quam habebat in terra Scrobium, et censum duorum solidorum ab eodem. Terram, in qua granchia vestra est, et oscham in eodem loco. Terram quam dederunt Amaldricus et Hilduimus. Prata de Vergeron. Terras quas habetis apud Quinceium. Quartam partem prati de Orella. Quatuor arpennos prati apud Tilleium. Medietatem molendini de Quinceio. Totum tenementum Gaufridi. Dimidium arpennum vineæ Ponstingiatum. Ex dono Hugonis Capri vineam de Montearpon, et domum in qua ipse manebat, et cellarium. Tenementum Guarini apud Sanceium.

[1] Chalautre. — [2] Fontenay-le-Pierreux. — [3] Ferreux. — [4] Bocenay. — [5] Pommereaux. — [6] Pont-de-Baudement. — [7] Tranquaut. — [8] Somme-Fontaine. — [9] Villemor.

Vineam apud Sesanam. Terram inter Pisiacum[1] et Aizium. Molendinum de Bretenniaco. Molendinum, terram et pratum apud Marcilliacum. Octavam partem nemoris de Pisiaco, aliam partem in eodem nemore. Ex dono Gualterii Rungifer, quatuor arpennos prati, et quadraginta solidos census. Ex dono Heloissæ de Villari, terram, vineam et domum. Quicquid Rodulphus Gaius habebat in bosco Fraxineti, ex dono præfati comitis Theobaldi. Sexdecim sextarios annonæ in molendino de Stagno. Molendinum de Changeio. Quindecim sextarios annonæ in molendino de Planca. Molendinum de Justigniaco[2]. Medietatem molendini de Crevecuer et vineam. Medietatem furni Vicecomitissæ. Medietatem prati subter ecclesiam Sancti Nicolai. Vineas Paulæ et Emmellinæ, tenementum Petri de Valle, et tres denarios census de Ponne. Vineas Galcherii Cementarii. Arpennum vineæ, et quatuordecim denarios census a Frodemundo Peregrino. Vineam Hugonis Butarii. Vineam Rahaldis. Septem jugera terræ a Petro de Ponne. Quatuor jugera ab Alburge de Ponne. Duo jugera et aream a prædicto Gualcherio. Septem jugera ab Ada de Altomuro. Arpennum prati, et dimidium, et medietatem domus ab Emmelina Rebursata. Arpennum prati et dimidium a Bonade Prouvino. Pratum Teodorici. Domum Ascranæ et plateam. Domos Richeldis, Paulæ, Hugonis Butarii, Loberii, Adan, Joannis Tyranni et dimidiam domum Sunbardi. Domum Bonelli Uvauræ, et medietatem alterius domus. Tres cameras et vineam ejusdem. Modium avenæ et viginti gallinas a Margareta vicecomitissa de Marrolis. Molendinum de Roscha. Quartam partem domus ab Andrea. Sex jugera terræ in Campo levato, et decem et octo jugera desuper montem Hanepon. Quartam partem terræ de Villa-Cren. Dimidium plantæ de Fuliniaco. Ab Evrardo, vineam et duodecim denarios census. Tenementum uxoris Pagani sellarii, et tres solidos census apud Lisinas, et domum ejusdem Pagani apud Pruvinum. Terram Radulphi canonici apud Lizinniam[3]. Medietatem domus in atrio Sancti Nicolai. Septem solidos census apud Calestram. Viginti solidos apud Pruvinum. Viginti solidos apud Lisinnias. Septem et dimidium a Tescia Majorissa. Decem et septem de monte Henepon. Quatuor solidos et duos denarios de Buath. Duos solidos a Godefrido Monetario. Viginti solidos in terris Couleti. Terram Greviarum. Ex dono præterea Hatonis Trecensis episcopi medietatem omnis decimæ de sancto Albino, et medietatem candelarum in purificatione sanctæ Mariæ. Totam decimam de Aneuz. Quicquid Petrus sanctus habebat in oblatione Ecclesiæ de Tranqueil, et partem decimæ ejusdem loci. Tertiam partem præfatæ oblationis, et censum atrii, et majorem partem decimæ de Parigniaco. Quidquid habetis in decimis de Balbusia, et apud sanctum Parrum in decimis de Quinceio, et apud Ulmellos duas partes decimæ de Gurgiuolt. Quidquid habetis in decima de Villagruis. Tertiam partem decimæ de Nogennio. Decimam quam habetis

[1] Pisy et Aisy. — [2] Juligny. — [3] Lisinec.

apud Aurigniacum, apud Occe[1], et Malpigniacum, et sanctum Flavitum. Quidquid habetis apud Marigniacum in decimis et oblatione, et apud utramque ecclesiam de Bocennay, apud Ferroum, apud Capellam, et apud Codes, apud Calestram, apud Maferial[2], apud Bernerias. Quidquid etiam Petrus sacerdos de Parrigniaco vobis donavit in domibus, vineis, seu aliis. De dono Henrici Senonensis archiepiscopi, decimam de Lisignis, et partem decimæ de Cuchermeyo. Loca vero de Triagnello et Pomario, quemadmodum vobis rationabiliter concessa sunt, cum universis appendiciis suis auctoritate vobis apostolica confirmamus, et in vestra subjectione manere decernimus, juxta videlicet dispositionem Paraclitensis abbatissæ suarumque sororum priorissæ statuantur et mutentur. Decernimus autem ne propter consecrationem vel benedictionem percipiendam de monasterio exire cogamini, nec pro electione abbatissæ, aut alia qualibet occasione episcopus vel alius gravamen vobis vel molestiam inferat. De laboribus etiam vestris seu annualibus nullus a vobis decimas exigat. Ad indicium itaque perceptæ hujus a romana Ecclesia libertatis, unum obolum aureum singulis annis nobis nostrisque successoribus persolvetis. Nulli ergo hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur earum; pro quarum substentatione et gubernatione concessa sunt, usibus profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur, etc. [*ut in I Innocentii Epist.*]. Datum Catalauni, per manum Guidonis sanctæ religionis Ecclesiæ diaconi cardinalis et cancellarii, cal. novembris, ind. XI, incarnationis Dominicæ anno MCXLVII, pontificatus vero domini Eugenii III papæ anno III.

VI.

Anastasius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloissæ abbatissæ, cæterisque sororibus in oratorio Sancti Spiritus, quod in pago Trecensi, in parrochia Quinceii supra fluvium Arduconem situm est, divino famulatui mancipatis tam præsentibus quam futuris, etc. [*ut in præcedenti Eugenii Epist.*]. Ex dono Gauterii Rungifer, quatuor arpennos prati et quatuor arpennos terræ, quadraginta solidos census et corveas, etc. A Godefrido monetario, decem solidos census, a Fulcherio Pentecoste, et quicquid habebat in furno alodii. Quinquaginta solidos census a defuncto Stephano vicario et Andrea nepote suo. Quinque solidos census a defuncta Aalis. Decem solidos census a Petro de Porta. Quicquid habetis apud Sulimatum et apud Pontem. Ab uxore Gualterii de Fontineto, viginti solidos census in terris Corileti. Loca vero de Triagnello, et Pomario, et Leavalle, quemadmodum vobis rationabiliter concessa sunt, etc. Datum Laterani, per manum Rolandi sanctæ romanæ

[1] Osse et Maupigny. — [2] Maferey.

Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, vii cal. februarii, ind. ii, incarnationis Dominicæ anno MCLIII, pontificatus vero domini Anastasii IV papæ....

VII.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloissæ abbatissæ, cæterisque in oratorio Sancti Spiritus, quod in pago Trecensi situm est, divino famulatui mancipatis, etc. [*ut in superiori Eugenii Epist.*]. Loca vero de Pomario, Triagnello, Leavalle, Neforto, Sancti Flaviti, quemadmodum vobis rationabiliter concessa sunt, auctoritate vobis apostolica confirmamus, etc. Datum Laterani, per manum Alberti sancti Adriani diaconi cardinalis, vicem domini Rollandi sanctæ romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii gerentis, cal. decembris, ind. xi, incarnationis Dominicæ anno MCLVII, pontificatus vero domini Adriani papæ IV, anno iii.

VIII.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloissæ abbatissæ, cæterisque sororibus Paracliti, salutem et apostolicam benedictionem. Et injuncti nobis a Deo apostolatus officium nos impellit, et bonæ vestræ conversationis odor hortatur justis postulationibus vestris benignum impertiri consensum, et quæ ad utilitatem et quietem vestram pertinent libenti animo adimplere. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ, laboribus vestris providere volentes, sepeliendi apud abbatiam vestram tum fratres vestros proprium non habentes, liberam vobis, et iis quæ post vos successerint, licentiam auctoritate apostolica indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Beneventi, id. februarii.

IX.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus, Heloissæ abbatissæ monasterii de Paraclito ejusque sororibus, salutem et apostolicam benedictionem. Quotiens religiosæ personæ a nobis talia postulant, quæ a rationis tramite non discordant, ad concedendum quod petitur non debemus difficiles inveniri. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus gratum impertientes assensum, auctoritate vobis apostolica concedimus, ut eos qui de facultatibus suis Ecclesiæ vestræ grata conferunt solatia charitatis, si forte non proprio reatu, sed pro alienis sunt excessibus interdicti, liceat vobis ad sepulturam recipere, et ipsos in cimiterio vestro cum aliis fidelibus tumulare. Datum Laterani, vii cal. decembris.

X.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloissæ abbatissæ, cæterisque sororibus in oratorio Sancti Spiritus, quod in pago Trecensi situm est, divino famulatui mancipatis, etc. [*ut in præcedenti Eugenii Epist.*]. Loca vero de Triagnello, Leavalle, Neoforto[1], Sancti Flaviti, quemadmodum vobis rationabiliter concessa sunt, cum universis appendiciis suis auctoritate vobis apostolica confirmamus, etc. Datum Parisius, per manum Hermanni sanctæ romanæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, VIII id. aprilis, ind. X, incarnationis Dominicæ anno MCLXIII, pontificatus vero domini Alexandri papæ III anno IV.

XI.

Ego Hugo, Dei gratia Senonensis archiepiscopus, notum omnibus fieri volo præsentibus et futuris, quod Heloissa Paraclitensis abbatissa interventu religiosorum virorum concessit Blesensi comitissæ, laude et voluntate totius capituli sui, locum Pomerii ad construendam abbatiam, statutis inter se quibusdam conventionibus, quas duximus annotandas. Statutum itaque fuit et divisum, quod hæc prima abbatissa Pomerii, quæ nunc est, constituta domina Gertrude nobili et honesta femina, quæ canonice electa fuit apud Paraclitum de dominabus ejusdem Ecclesiæ; cæteræ, quæ post ipsam primam substituentur in eodem loco, canonice eligentur secundum aliarum consuetudinem ecclesiarum, et assumentur de ipsa Ecclesia, si in ea potuerint inveniri. Sin autem, transibunt ad Ecclesiam Paracliti, et de ea sibi assument abbatissam, et ad aliam per electionem non licebit eis pertransire Ecclesiam, quoniam alium ordinem nisi Paraclitensem non licebit eis observare. Abbatissa vero Paracliti semel in anno ibit Pomerium, et sedens in capitulo emendabit si quid fuerit emendandum de ordine, vel de aliqua re ad ordinem pertinente. Pro concessione sane prædicti loci dedit comitissa ecclesiæ Paracliti tres modios frumenti per singulos annos in molendino suo Pruvini sub Crevecor, laude quidem filiorum suorum comitum Henrici, Theobaldi et Stephani, promisitque rem juste garantire. Et hoc fuit ad voluntatem abbatissæ Paraclitensis et totius capituli sui. Promisit et abbatissa Paracliti, promisit et comitissa, quod nec per dominum papam nec per alium aliquem quod factum fuerat aliquo modo immutaretur : sed et conditiones inter utramque Ecclesiam superius designatæ a neutra parte abolerentur. Harum conventionum mediatorem me posuerunt et abbatissa et comitissa, atque benigna utriusque partis postulatione in manu accepi rem, sicuti fuerat simpliciter ac devote celebrata, opitulante Domino in finem permanere. Ut autem et modernis et successuræ posteritati firmum et ratum habeatur, auctoritate sigilli nostri muniri fecimus sub chirographi divisione.

[1] Nonfort.

V.

SERIES
ABBATISSARUM MONASTERII PARACLITENSIS
JUXTA NOGENTUM PROPTER SEQUANAM.

[E *Gallia Christiana*, t. XII, p. 572-578. Vide supra, p. 71 ad finem.]

I. Heloisa quæ Heloissa, Helvidis et Helwisa in nonnullis locis dicitur....

II. M.... quædam cessit anno 1179 monasterio Ripatorii. Forte Melisendis est quæ omnium bonorum cœnobii Paraclitensis confirmationem obtinuit a Lucio III summo pontifice anno circiter 1182. Composuit 1185 cum Guiberto abbate Cantumverulæ. A. Garnerio episcopo Trecensi obtinuit ecclesiam parochialem sancti Albini anno 1193. Donata est etiam anno sequenti pluribus ab eodem episcopo, quum dedicata est ecclesia Paracliti, et in eam fuerunt introductæ moniales. Adhuc superstes erat Melisendis anno 1202; memoratur in calendario Paraclitensi XIV calendas novembris.

III. J.... sub anno 1203. Forte Ida quæ occurrit 1209 in cartis Vallis-lucentis.

IV. Ermengardis eadem forte cum E. quæ anno 1210 reperitur in cartis Vallis-lucentis. Componit anno 1214 cum Hemerico de Lesmio de quibusdam decimis. Eodem anno mense decembri memoratur, sicut et annis 1215, 1219 in tabulario sancti Quiriaci, 1220 in carta Joyaci. Litteras dedit anno 1228, mense augusto in quibus mentionem facit cujusdam venditionis factæ a Ludovico IX priorissæ *de Borenc*. Petrus Meldensis antistes jussus a summo pontifice, annuente Ermengardi, præcepit ut in prioratu de Noaforti apud Meldas moniales non essent ultra 25, mense octobris 1229. Ipsa cum Theobaldo Campaniæ comite de quadam controversia compromissum facit anno 1233 mense maio. Cum eodem comite anno eodem mense augusto paciscitur super usuario nemoris de monte Morvei et nemoris quod vocatur *Aschampenois,* quo etiam anno sibi satisfactum fuisse a comite recognoscit. Reperitur etiam 1234 et 1239 quo vendit duodecim denarios censuales Petro de Carteriaco domino de Castello. Minuit 1244 mense maio numerum sanctimonialium prioratus de Bosrenco; numerum quoque monialium de Triangulo ad 25 determinavit. Significat anno 1245, mense septembri, se a comite Campaniæ accepisse 160 jugera nemoris in

parco *de Pons*. Tandem occurrit 1248. Ex calendario obiit IV cal. septembris. Jacet in choro.

V. Maria I soror Odonis Rothomagensis archiepiscopi cœpit regere circa annum 1249. Ab Innocentio IV, anno XI ejus pontificatus, VII cal. maii 1254, impetravit ut, si in casu infirmitatis abbatia cedere cogeretur, locum quem antea occupabat in monasterio ad vitam retinere valeret. Concessit etiam illi idem pontifex quod in monasterio ipso Paraclitensi unam mulierem idoneam in monialem instituere valeret, non obstante statuto de certo monialium numero, ejusdem monasterii juramento, vel confirmatione sedis apostolicæ, seu quacunque firmitate vallato. Dies ejus obitus in calendario Paraclitensi consignatur III nonas septembris.

VI. Heloysa II ex charta Paraclitensi præerat 1266.

VII. Maria II litteras dedit anno 1278 super testamento nobilis dominæ Mariæ de Esternayo quæ suam elegit sepulturam apud Paraclitum. Quamdam domum vendit 1280. Reperitur et anno 1282. Eadem esse videtur cum M. quæ ex chartis Paracliti, regebat annis 1295, 1298.

VIII. Catharina I quædam commutat anno 1320, mense novembri cum Ægidio Sandionysiano abbate, ex tabulis Sancti Dionysii, ubi aliæ reperiuntur litteræ mense et anno eisdem datæ. Dies ejus obitus notatur in calendario IX cal. decembris.

IX. Alix *des Barres* cum Guidone abbate Vallis-lucentis discordiam composuit anno 1337. Cum Cellensi monasterio quædam permutavit 1339. Occurrit in charta Paracliti 1347, in charta Sanctæ Thomæ de Valle 1348 feria secunda ante natale Domini.

X. Elisendis *des Barres* anno 1371 in charta Paracliti.

XI. Johanna I *des Barres* anno 1403 transegit cum Theobaldo abbate sancti Jacobi Pruvinensis.

XII. Johanna II *de la Borde* 1415 in chartis Regalis montis.

XIII. Catharina II *des Barres* 1420.

XIV. Guillelmeta I *de la Mothe* juxta calendarium vivere desinit calend. januarii 1431. Sepulta ante majus altare.

XV. Guillelmeta II *de la Mothe* præerat annis 1457 et 1474, ex chartis Paracliti. Juxta Necrologium Neofortis obiit 14 decembris.

XVI. Catharina III *de Courcelles*, filia Johannis *de Courcelles*, militis et domini de Sancto Theobaldo jam erat Paraclitensis abbatissa anno 1482 quo bullas obtinuit latas IV id. octobris pro abbatia sanctæ Mariæ Trecensis. Struxit claustrum, refectorium, dormitorium, et alia ædificia. Ossa Petri Abælardi et Heloysæ ex capella Dionysii quæ vulgo dicebatur *le petit Moustier,* cum licentia Jacobi episcopi Trecensis anno 1497, 2 maii, transtulit in chorum Ecclesiæ, Abælardi a dextris et Heloysæ a sinistris. Sed jam pridem exinde extracta, in subterraneo specu sub altari sanctæ Tri-

nitatis quod est pone chorum monialium quiescunt. Obiit Catharina VII idus julii, anno 1519. Qua sedente Jacobus *Raguier*, episcopus Trecensis, hoc monasterium reformavit in muris et craticulis anno 1509.

XVII. Carola *de Coligny* per cessionem Catharinæ bullas obtinuit a Leone papa X, tertio idus octobris 1513. Sorori Herberdæ *de Melun* contulit 1531 prioratum montis Sancti Dionysii prope Meldas. Sic memoratur in calendario : « 9 cal. maias obiit bonæ memoriæ Karola *de Coligny* abbatissa nostra anno Domini 1533. »

XVIII. Anthoneta *de Bonneval* per obitum Carolæ *de Coligny* bullas obtinet pridie idus maii 1533. Eodem anno, die 6 novembris, prioratum Sanctæ Thomæ de Valle contulit sorori Herberdæ *de Melun*, tunc priorissæ montis Sancti Dionysii prope Meldas. Dies ejus obitus sic adnotatur in calendario XIII cal. junii : « Hac die veneris in crastino Ascensionis Domini 1547 obiit sapiens et prudens domina Anthoneta de Bonneval hujus cœnobii abbatissa. »

XIX. Renata *de la Tour,* Francisci vice comitis Turenæ et Annæ *de la Tour Bologne* filia, monialis Pisciasensis cœnobii Paraclitum non adiit, quia cita morte de medio sublata est XII calendas maias, anno 1548.

XX. Emunda seu Emedia *de la Chastre* bullas obtinet IV maii 1548 per obitum Renatæ *de la Tour*.

XXI. Leonarda alias Bernarda *de Turenne* occurrit in charta Sanctæ Thomæ de Valle anno 1556, 9 junii. Obiit prima die septembris, anno 1583.

XXII. Johanna III *Chabot* ex vetusta et antiqua stirpe, Philippi *Chabot* comitis *de Busancois* et *de Charny* Franciæ admiralis, Burgundiæ præfecti regii, ex Francisca *de Longvi-Givri* filia, neptis cardinalis *de Givri,* monialis Jotri bullas adipiscitur a Pio IV anno 1560, IV idus octobris forte per cessionem superioris. Possessionem accipit 29 decembris sequentis; defecit post hæc a religione, defuncta 25 junii 1593.

XXIII. Maria III *de la Rochefoucaud,* alias *de Chaumont,* dicta a Jesu, Antonii Rupifucaldii dynastæ Calvimontis ad Ligerim et Cæciliæ *de Montmirail* filia, Antonii Engolismensis episcopi germana, defuncta Johanna *Chabot,* bullas obtinuit VI calendas septembris 1598. Benedicitur Parisiis a Renato *Potier* episcopi Bellovacensi in ecclesia Sancti Martini a Campis 12 septembris 1599. Construxit capellam, novitiarum ædes, cæteraque domus abbatialis ædificia resarcivit et de novo reparavit. Ossa Abælardi et Heloissæ curavit transferri sub arca majoris altaris. Præfuit 45 annis, 2 mensibus. Excessit 19 februarii, anno 1639.

XXIV. Anna Maria *de la Rochefoucaud de Langeac,* dicta a Sancto Spiritu, neptis superioris ex fratre Jacobo toparcha *de Langeac* et Franciscæ *de Langeac* in Arvernis, hujus dynastiæ hæredis, monialis Paracliti, bullas accepit idibus octobris 1624. Die 3 augusti, anno 1641 præbuit assensum ut Margarita *Thiersaut* prioratum Sanctæ Thomæ de Valle transmitteret in Magdalenam *Miron*. Memoratur et anno

1642, 24 martii, quo consentit translationi prioratus Sanctæ Thomæ in urbem Latiniacensem. Rexit annis 7 et tribus mensibus. Demortua 28 maii 1646.

XXV. Gabrielis Maria *de la Rochefoucaud* Francisci ducis de Rupefulcaudi, principis *de Marcillac*, equitis torquati, Pictonum proregis, ex Gabrielide *du Plessis Liancour* filia, nata 13 decembris 1624, soror Francisci ducis Rupifulcadii et Ludovici præsulis Lactorensis, monialis B. Mariæ Xantonensis ex coadjutrice anno 1644, Annæ Mariæ successit. Dein fit abbatissa B. Mariæ Suessionensis per obitum Armandæ *de Lorraine* mortuæ 19 maii 1684.

XXVI. Catharina IV *de la Rochefoucaud* nata 25 octobris 1619, superioris germana, primum Carentonii abbatissa, anno 1674; deinde Paraclitum translata, anno 1675. Cessit in gratiam sequentis.

XXVII. Maria IV *de Roye de la Rochefoucaud de Rouci* filia Friderici Caroli comitis *de Roye* et Helisabethæ *de Durfort*, monialis B. Mariæ Suessionensis, bullas obtinet datas cal. octobris 1705, possessionem adipiscitur 9 februarii 1706. In ejus manibus Elisabetha *Le Coq* abdicavit prioratum Sanctæ Thomæ de Valle 25 julii 1727.

Præter has sine temporis nota in calendario reperiuntur :

Ælipdis, prid. cal. martii.

Jacoba, viii id. martii.

Agneta de Bordis, xiv cal. junii.

Isabella, iii cal. septembris.

Johanna, pridie nonas octobris.

Helisendis, viii id. octobris.

Johanna, viii cal. januarii.

FINIS PRIORIS VOLUMINIS.

INDEX

EORUM QUÆ IN HOC PRIORI VOLUMINE CONTINENTUR.

APPENDIX.

ERRATA.

Pagina 2, lin. 2 a fine : et Cod. Ms. collatæ. Lege : et *cum* Cod. Ms. collatæ.
— 8, lin. 19 : videbantur. Albericus scilicet. Lege : videbantur, Albericus scilicet.
— 11, lin. 12 : quos vita simul oblectat. In nota : Ita A. C. D. *Vita similis* Ms. Amb. Lege in textu : quos vita similis oblectat. In nota : ita Ms. Amb. Vita *simul* A. C. D.
— 26, lin. 8 : ne per luxum et abundantiam copiarum, animæ fortitudo mollesceret. Dele , . — Ibid. : ut cura et assiduitate morborum, libidinis impetus frangerentur. Dele ,. Menda hujusmodi plurima sunt in hoc volumine.
— 29, lin. 6 : in damnationem mea magi. Lege : in damnationem mea*m* agi.
— 30, lin. 27 : qui, Paracletum. Dele,.
— 35, lin. 26 : mihi promitterent, sc. Dele,.
— 66, lin. 1 a fine : psi. Lege : *i*psi.
— 99, lin. 21 : cogita et recogita, in quantis ipsi nos nos periculis constitueramus. Lege : cogita et recogita in quantis ipsi nos periculis constituer*i*mus.
— 100, lin. 18 : quid aliud egit quam, ad pur. Dele,.
— 104, lin. 6 : accipe itaque soror, accipe. Lege : accipe itaque, soror, accipe.
— 106, lin. 10 : utinam.... scribentis. Lege : scribentis *!*
— 126, in nota 2 : *quia* Ms. Amb. Lege : *quia* recte suspicatur Amb.
— 200, lin. 22 : territi, magis. Dele,.
— 201, lin. 9 : quum opus fuerit supponatur. Lege : quum opus fuerit, supponatur.
— 207, lin. 7 : plus utilitatis habeat, quam pastus. Dele,.
— 226, lin. 32 : vilitate, initia. Dele,.
— 227, lin. 28 : magis judicet, quam sequatur. Dele,.
— 228, lin. 2 : annis; cujus. Lege : annis, cujus.
— 229, lin. 29 : turpe sit, post. Dele,.
— 231, lin. 12 : oblivisci hominis. Lege : homin*e*s.
— 235, lin. 13 : ambiguitatem magis, quam certitudinem. Dele,.
— 240, lin. 3 : . *N*equaquam. Lege : *;* *n*equaquam.
— 248, nota 2 : orinth. Lege : *C*orinth.
— 291, lin. 26 : à Deo. Lege : *a* Deo.
— 302, lin. 1 : homo ne taceas. Lege : homo, ne taceas.
— 329, lin. 2 : versus magistri Petri Abælardi. Adde : *in beatam virginem.*
— 357, lin. 2 : in annutiatione. Lege : in annu*n*tiatione.
— 686, lin. 7 : inter homines hujus ætatis. Lege : inter homines *istius* ætatis.
— 727, lin. 1 : V. Lege : *X*.